C. 14. *mendum notatur quod est in l. item veniunt, §. ait Senatus 1. D. de petit. hered.* 560
C. 15. *an res aliena donata mortis causa vsucapi possit*, 561
C. 16. *emendata quædam in tit. quando dies legati cedat*, ibid.
C. 17. *adnotata quædam ad tit. C. de suis & legitimis liberis*, 562
C. 18. *spurium esse vltimum versum l. 11. Cod. de legitimis heredibus*, ibid.
C. 19. *Græcos in l. 19. D. de fid. lib. male legere* libertus *pro* libertas, 563
C. 20. *ad l. 4. Cod. de fid. libert.* ibid.
C. 21. *quibus adiectionibus Iustinianus modos faciendi Latini liberti fecerit modos faciendi ciuis Romani*, 564
C. 22. *emendata quædam lib. 7. Codicis*, 565
C. 23. *de ordinatione liberalis causæ*, ibid.
C. 24. *naturalem possessionem non tantum facti, sed & iuris esse*, 567
C. 25. *scientiam rei alienæ non esse malam fidem*, 568
C. 26. *auctor præscriptionis 30. annorum*, ibid.
C. 27. *ad l. 1. & 2. C. de præscript. 30. vel 40. annorum*, 569
C. 28. *ad l. 2. Cod. Theod. de longi temporis præscriptione*, 570
C. 29. *litis contestatione perpetuari actionem*, 571
C. 30. *emendatio ad l. 8. Cod. quomodo & quando iud. & de contumacis definitione*, 572
C. 31. *ad l. quotiens de rei vindic.* 573
C. 32. *qui verbo sententiam dicant, & veteris sententiæ iudicis formula explicata*, 574
C. 33. *ad l. 3. D. de officio Prætoris*, 575
C. 34. *cur exceptiones prætoriæ possint opponi post litem contestatam, vsque ad sententiam, non dilatoriæ*, 576
C. 35. *ad l. admonendi, D. de iureiur.* 577
C. 36. *explicatur locus difficilis ex Nou.* CXXVI. 578
C. 37. *quot erroribus occasionem dederit synopsis* Βασιλικῶν, 579
C. 38. *notantur alij quidam errores alterius*, 580
C. 39. *cur suspectum tutorem soli mores faciant, suspectum heredem solæ facultates*, 582
C. 40. *responsio ad ea quæ obiici possunt, l. vlt. C. de priu. fis.* 583

LIBER XIX.

CAP. 1. CVR *in distrahendis bonis fisco vindicatis non possint etiam procuratores Cæsaris distrahere eorum bonorum auctores*, ibid.
C. 2. *emendata quædam in tit. Digestorum, de iure fisci*, 585
C. 3. *vulgare præmium delatoris*, ibid.
C. 4. *interpretatio l. 3. §. si posteriori, D. de iure fisci*, 586
C. 5. *interpretatio §. 1. l. cum possessor, D. de censibus*, 587
C. 6. *confirmatur quod Iustinianus retulit de Christianorum euulsa lingua, nec amissis verbis*, ib.
C. 7. *agros ex hostibus captos publicari, nec prædæ loco cedere*, 588
C. 8. *locus explicatus l. cum quidam, D. de vsur.* 589
C. 9. *pœna abacti partus*, ibid.
C. 10. *etiam inuoluntaria quædam delicta coërceri*, 590
C. 11. *rationes quædam inhibendorum latronum*, 591
C. 12. *ratio differentiæ inter furem nocturnum & diurnum manifestum, nec manifestum*, ibid.
C. 13. *an procurator Cæsaris de capitalibus causis cognoscere possit*, 592
C. 14. *differentia vna inter eos qui pro ciuitate sua, & eos qui pro principe legatione funguntur*, 593
C. 15. *ad l. 28. §. si quis sæpius, D. ex quibus causis maiores*, ibid.
C. 16. *constitutio Constantini ad Tertyllianum, de inuasis locis alienis*, 594
C. 17. *coniectura ad l. 3. §. plane si dubitat, D. de lib. hom. exhib.* 595
C. 18. *ad l. quisquis, C. de donat.* 596
C. 19. *ad l. 7. C. de ædific. priuat.* 597
C. 20. *ad l. 1. D. in quibus causis pignus vel hypotheca tacita contrahatur.* 598
C. 21. *de legitimis interuallis ponendorum ædificiorum quædam, & de insularum & domorum differentia*, 598
C. 22. *ad l. cum plures §. mandaui, D. locat.* 599
C. 23. *cur vsucapto seruo, operarum, legatum perimatur, non vsusfructus, non pignus*, 600
C. 24. *cum quæritur, veniat culpa, an & custodia, nullam esse differentiam inter pigneratitiam & commodati actionē*, ib.
C. 25. *de his qui aureos adrodunt, & de vultu principis aureis imprimendo*, 601
C. 26. *quæ sit causa dissidij inter leg. rem alienam, D. de pigneratitia actione, & l. si Titio, D. de pignoribus*, ibid.
C. 27. *probabilis reconciliatio l. solutum §. si in sortem, D. de pigneratitia actione, cum constitutione Gordiani*, 602
C. 28. *ad l. pen. Cod. si vend. pign. ag.* 603
C. 29. *aliquando exceptiones quæ reo competunt, non accommodari fideiussori*, ibid.
C. 30. *aliæ quædam notæ ad librum singularem regularum Vlpiani*, 604
C. 31. *de Iustiniana aurei æstimatione*, ibid.
C. 32. *ad l. nuda, C. de contrahenda stipulatione*, 606
C. 33. *de lege Lætoria*, 607
C. 34. *remedia quædam quibus leges subuenerunt miseriæ fideiuſ-*

sorum, & hactenus ignorata constitutio Græca in tit. de fid. & mand. 609
C. 35. *species l.* 22. *C. de fideiuss. & mand.* 610
C. 36. *emendata l. vlt. C. de nouat.* 611
C. 37. *alia quædam emendata eodem libro Codicis,* ibid.
C. 38. *de quæstione l. si quis aliam, de solut.*
C. 39. *retractatio l. transigere, C. de transact.* 613
C. 40. *Explicata & emendata l. pen. C. de patria potestate,* 614

LIBER XX.

CAP. I. *DE longa consuetudine,* 615
C. 2. *ad l. data, C. de donat.* 616
C. 3. *Septimi nomen restitutum in Constitutionibus plerisque Iustiniani,* ibid.
C. 4. *Explicantur loci quidam obscuri in l.* 25. *Cod. de donationibus,* 617
C. 5. *ad l. si vnquam, C. de reuocandis donationibus,* 618
C. 6. *ad constitutiones de mortis causa donationibus,* 619
C. 7. *de anticategoriis,* 620
C. 8. *defenditur vulgata scriptura l.* 4. *D. ad Senatusconsultum Turpilianum,* 621
C. 9. *an semper iudici teneatur iniuriarum is qui euentum eius sententiæ venditauit,* ib.
C. 10. *non tantum acturum cum domino noxali iudicio, sed etiam seruum accusaturum criminaliter, agere ad exhibendum,* 622
C. 11. *ad l. inter, D. de pub. iud.* ibid.
C. 12. *emendata, l. Domitianus, D. ad Senatusconsultum Turpillianum,* 623
C. 13. *constitutio Græca de custodia reorum,* 624
C. 14. *breuis adnotatio ad l. extrario quoque, D. de quæstion.* 625
C. 15. *differentia inter adulterum & adulteram,* ibid.
C. 16. *retractatio l.* 7. *Cod. ad l. Iul. de adulter.* 626
C. 17. *differentiæ inter incestum & adulterium,* ibid.
C. 18. *de pœna adulterij & sententia l. castitati, C. ad l. Iul. de adulter.* 627
C. 19. *explicatio l. de crimine Cod. ad leg. Iuliam de adulter.* 629
C. 20. *etiam receptum inter reos capitales per procuratorem vel alium quemlibet suscipientē causæ defensionem, defendi posse,* ib.
C. 21. *inchoare crimen, reum facere, agere, deferre, petere, postulare, referre, vel recipere inter reos, facere requirendos,* 630
C. 22. *etiam adulterij accusationem hodie esse publicam, soluto matrimonio,* 632
C. 23. *ad l. eum qui Cod. ad legem Corneliam de sicariis,* ibid.
C. 24. *vitium interpunctionum in l.* 1. *§. vlt. D. de Carboniano edicto,* 633
C. 25. *non semper criminalem actionem præferri ciuili,* ibid.
C. 26. *explicatur locus difficilis de actione furti, & legis Fabiæ constitutione in l.* 1. *Cod. quum ciu. act. cr. præiud.* 634
C. 27. *species l.* 1. *C. de cr. exp. hereditat.* 635
C. 28. *de l.* 1. *Cod. de quæstionibus iterum,* 636
C. 29. *deesse negationem in l.* 11. *Cod. de quæstion.* 637
C. 30. *facillima ratione demonstratur nihil pugnare l.* 1. *§. accusationem, cum l. quærebatur, D. ad Senatusconsultum Turpilianum,* 638
C. 31. *constitutio Græca tituli de pœnis,* ibid.
C. 32. *non esse differendam pœnam eorum qui vltimo supplicio damnati sunt,* 640
C. 33. *immunitas ἀπογραφέων quæstoris,* ibid.
C. 34. *constitutio Iustiniani de iure patronatus, & de ordine dandarum bonorum possessionum,* 641. & seqq.
C. 35. *ad l.* 49. *D. de petitione hereditatis,* 649
C. 36. *sententiæ quam iudex appellationis iustam esse pronuntiauit, executionem ad priorem iudicem redire,* ibid.
C. 37. *differentia quædam magna inter Proconsules & Præsides,* 650
C. 38. *in l. Falsi §. ordine, D. ad legem Corneliam de Falsis,* 651
C. 39. *coniuncta l.* 67. *D. de procurat. cum l.* 3. *§. in eum, D. de adm. rerum ad ciuitatem pertinentium,* 652
C. 40. *emendata l. pecc. §.* 1. *D. de decurion.* 653

LIBER XXI.

CAP. I. *VARIÆ lectiones quæ in contextum perrepserunt duobus locis Digestorum,* 653
C. 2. *ad l.* 1. *C. de hered. tut. & §. aliquando instit. de perp. & temp. act.* 654
C. 3. *sententia l.* 11. *ad Senatusconsultum Turpilianum,* 656
C. 4. *ad l.* 44. *de relig. & sump. fun.* ibid.
C. 5. *de statura legendorum tironum,* ibid.
C. 6. *actio ingrati aduersus libertos ex lege Ælia Sentia,* 657
C. 7. *sequuntur aliæ sententiæ eiusdem Imperatoris, & de congiariis singularia quædam,* 658
C. 8. *an si is qui rem vsucepit, eam postea pro derelicta habeat, res redeat ad veterem dominum,* 659
C. 9. *de vsuris illicitis & honore equi publici ex sententiis eiusdem,* 660
C. 10. *ad easdem quædam de decuriis & auctoritate rerum iudicatarum, & vite centuriali,* ibid.
C. 11. *de fugitiuis & fugitiuariis,* 661
C. 12. *ad l. parentes, de his qui not. infam.*
C. 13. *aliæ quædam sententiæ Pauli de sepulchris & lugendis,* 663
C. 14. *traiecta esse verba quædam in l.* 1. *§. pen. de stipulat. seruorum,* 665
C. 15. *re empta mancipatione venditorem non obligari euictionis nomine,* 666
C. 16. *de Senatusconsulto Claudiano complures sententiæ Pauli,* ibid.
C. 17. *certa definitio pœnæ adulterij ex lege Iulia,* 669
C. 18. *pleræque aliæ sententiæ Pauli de adulteriis,* 670
C. 19. *eodem Pauli libro sub titulo de furtis, additæ sententiæ plures,* 671
C. 20. *an libero homine occiso aut vulnerato, lex Aquilia locum habeat,* 672

INDEX CAPITVM.

C. 21. *de incendiariis sententiæ Pauli quædam*, 673
C. 22. *emendata verba quædam in sententiis Pauli*, ibid.
C. 23. *ad l.* 43. *de oblig. & act.* 674
C. 24. *edictum de albo corrupto*, 675
C. 25. *ad l.* 8. *de re iudicat.* ibid.
C. 26. *cum de indebito soluto vel promisso quæritur, cui incumbat onus probandi, quæstio sub nomine Pauli à Triboniano definita, sua hoc est rudi, prolixaque, & Græca potius quam Latina elocutione*, 676
C. 27. *ad l.* 24. *de lib. & post.* 677
C. 28. *Campagus, Zarca, Destina*, ibid.
C. 29. remittere & permittere *verborum promiscuus vsus*, ib.
C. 30. *interpretatio l.* 3. *de Iurisdictione*, 678
C. 31. *Selecti iudices. Decuriæ iudicum vel equitum*, 680
C. 32. *ad l. cum lege de recept. qui arbit. rec.* 681
C. 33. *intercessio & prouocatio & iniustæ prouocationis pœna*, ib.
C. 34. *non de omnibus fideicommissis in vrbe apud prætorem fideicommissarium agi potuisse*, 682
C. 35. *luci claræ redditum Papiniani responsum quod Interpretes obscurauerant*, 683
C. 36. *decesse vsucapionis vocem in l.* 3. *de reb. eorum*, ibid.
C. 37. *donatam, gratisve concessam habitationem finiri morte domini*, 684
C. 38. *ad l.* 20. *de in ius vocando*, 685
C. 39. *difficilem conditionem multum differre ab impossibili*, ib.
C. 40. *de noxalibus actionibus*, 686

LIBER XXII.

CAP. 1. *Si fideicommissum adimatur quod à legatario relictum est, cur ad legatarium non pertineat*, 687
C. 2. *differentia inter male petere vel agere, & nihil agere*, 688
C. 3. *in rem vel ad exhibendum actionem non dari de peculio, sed in personam tantum, & quando hæc iudicia reddantur in inuitum*, ibid.
C. 4. *de obligatione quæ nominibus fit per mensæ scripturam*, 689
C. 5. *an is qui plures ex eadem causa obligatos habet, & quando cogatur diuidere actionem*, 690
C. 6. *etiam vnum ex reis credendi nouare veterem obligationem posse*, ibid.
C. 7. *non maiorem esse vim iurisiurandi quam pacti*, 692
C. 8. *de doli mali exceptione*, ibid.
C. 9. *abundare priore loco videri vocem*, Noxalis, *in l. de illo, de noxali actione*, 693
C. 10. *ad l.* 64. *de procur. & defens.* ibid.
C. 11. *congrua species apponitur ad hæc verba:* vel in operis noui nuntiatione, *l.* 36. *eodem tit.* 694
C. 12. *ad l.* 45. § *qui ita eod. tit.* 695
C. 13. *an qui alterius defensionem suscepit, omnimodo per prætorem iudicium accipere cogatur, nec sufficiat committi stipulationem iudicatum solui*, 695
C. 14. *actiones quæ in bonum & æquum concipiuntur, & naturalem præstationem habere intelliguntur, ad l.* 8. *&* 9. *de capite minutis*, 696
C. 15. *aliquando rem iudicatam ipso iure actionem perimere*, 697
C. 16. *procuratorem ad administrandum etiam pupillum fieri posse, procuratorem ad agendum vel defendendum etiam minorem* 25. *annis*, 698
C. 17. *ad l.* 8. *de vsurp. & vsuc.* 699
C. 18. *explicantur postrema verba l.* 30. *ex quibus causis maiores* 25. *an.* ibid.
C. 19. *ad l.* 10. *quod fal. tut. auct.* 700
C. 20. *ad l.* 11. *eiusdem tituli*, 701
C. 21. *ad l.* 18. *de oblig. & actionibus*, ibid.
C. 22. *an legatus prouincialis Romam missus ibi quandiu legatione fungitur, suas actiones mouere & instituere possit*, 702
C. 23. *differentia inter pupillum & impuberem*, 703
C. 24. *an valeat sententia arbitri compromissarij iubentis arbitrio alterius fundum tradi, vel sartisdari*, ibid.
C. 25. *an valeat iudicis vel arbitri sententia iubentis nomina testium edi aduersario quo cum agitur, quive reus criminis postulatur*, 704
C. 26. *de cautione iudicio sisti*, ibid.
C. 27. *ratio l.* 12. *de inter. in iure fac.* 705
C. 28. *iustæ causæ deferendi vel exigendi iurisiurandi*, 706
C. 29. *an eiusdem rei nomine agi possit tam in eum qui eam rem dolo malo desiit possidere, quam in nouum possessorem*, ibid.
C. 30. *ad l.* 20. *depositi*, 707
C. 31. *quæ sit differentia inter ἀφνόμους & ἀγρεφνόμους*, 709
C. 32. *traiecta videri verba l.* 5. §. *si id quod, de his qui eff. vel deiect.*
C. 33. *de refutatoriis libellis*, 710
C. 34. *ad* §. *fiscus, l. cum quidam de vsuris*, ibid.
C. 35. *de itineris, actus, viæ discrimine*, 711
C. 36. *ad l.* 17. §. *si plures, de noxali actione*,
C. 37. *seruitutes precario concessæ*, 714
C. 38. *ad l.* 4 §. *qui communem, finium regundorum*, ibid.
C. 39. *an in actionibus mixtis de finibus regundis diuidundisve rebus communibus, adiudicatio eiusdem rei pluribus fieri possit*, 715
C. 40. *ad l.* 15. §. *si testator famil. erciscund.* 716

LIBER XXIII.

CAP. 1. *Sententiam iudicis in partem valere, in partem non valere posse*, 717
C. 2. *quæ sint prædia meritoria & fullonica*, 718
C. 3. *ad l.* 6. *C. de Episcop. aud* 719
C. 4. *de ambitu ædium ex* XII. *tabul.* ibid.
C. 5. *modum vim habere fideicommissi*, 720
C. 6. *de disiunctim aut coniunctim eidem legato fundo & vsufructu eius*, ibid.
C. 7. *certamen Chrysanthianum in l. pen. de annuis legatis*, 721
C. 8. *alia & lucidior interpretatio* §. 1. *l.* 32. *de vsufructu legato*, ibid.
C. 9. *generale caput in initio eius-*

dem legis, 722
C. 10. *cum etsi tam legatum relictum in annos singulos, quam legatum vsusfructus morte legatarij finiatur; tamen dies huius ex quo adita est hereditas, cedat diei illius ex mortis testatoris tempore*, ibid.
C. 11. *postrema verba, l. 3. de seruit. legat.* 723
C. 12. *sententia Scæuolæ à Triboniano suffulta in l. 56. §. quod dicitur, de iure dotium*, 724
C. 13. *explicatur §. à me, l. Mæuio de leg. 2.* 725
C. 14. *differentia inter optionem serui & seruum generaliter legatum*, 726
C. 15. *perfectam emptionem venditionem vter prior implere debeat, emptor an venditor*, 727
C. 16. *quæ sit verior ratio continuandi tituli de negot. gest. cum tit. de calumniatoribus*, 728
C. 17. *ad §. Cassius l. 11. de aqua & aqua pluuia arcenda*, 728
C. 18. *de dote promissa post nuptias locus explicatus in l. 2. §. creditum, de rebus creditis*, 729
C. 19. *actio legitima de tigno inuncto*, 730
C. 20. *an qui deponit ædificium, facere videatur contra seruitutem, ne luminibus officiatur*, 731
C. 21. *differentiæ duæ inter commodatum & precarium*, ibid.
C. 22. *an mutatione rei pignoratæ, pignus finiatur*, 732
C. 23. *quod debetur in diem creditor inuitus non accipit ante diem*, 733
C. 24. *quod constituitur, l. 2. Cod. de rescindenda venditione, id iam olim obtinuisse*, 734
C. 25. *vetus differentia inter fideiussores & mandatores, quæ semper obtinuit ante Iustinianum*, ibid.
C. 26. *longæ & necessariæ peregrinationis causæ*, 735
C. 27. *coniungitur l. 16. de reb. credit. cum l. 67. §. 1. pro socio*, ibid.
C. 28. *explicatur quod Pædius dixit alienam rem dantem nullam contrahere permutationem*, 736
C. 29. *explicatur l. vlt. de cond. caus. dat.* 737
C. 30. *sententia l. 8. loc. cond.* ibid.
C. 31. *legem venditionis semper dici à venditore*, 738
C. 32. *fraudem immodicam quam in vendendo perpessus est venditor, emendari, non etiam eam quam perpessus emptor est*, 739
C. 33. *nondum explicata sententia l. 24. in princ. loc. cond. dilucidatur*, 740
C. 34. *duo loci Digestorum emendantur*, ibid.
C. 35. *duobus in locis emendatur §. §. si conseruatis l. 2. ad legem Rhodiam*, 741
C. 36. *emendatur l. 55. vlt. de ritu nuptiar.* 742
C. 37. *explicatur initium l. 25. solut. matrim.* 743
C. 38. *Heredem mariti non teneri ex conducto ei cui maritus prædium dotale locauit, vt præstet frui licere*, 744
C. 39. *comprobatur vetus lectio in l. 2. si ventris nomine mulier in possessionem mis. &c.* ibid.
C. 40. *cur Prætor vel Præses non teneatur ex edicto, quod quisque iuris, qui ius dixit iniquum*, 746

LIBER XXIV.

CAP. 1. NEMO *ideo obligatur quia recepturus est ab alio quod præstiterit*, ibid.
C. 2. *quid sit in tit. de regulis Iuris, temporariam permutationem ius prouinciæ non innouare*, 747
C. 3. *reddita suis locis propriis aliquot capita tit. de Senatoribus*, ibid.
C. 4. *iuris regulæ duæ relatæ ad actionem aquæ pluuiæ arcendæ*, 748
C. 5. *de syluæ cæduæ, inciduæ, & pascuæ vsufructu*, ibid.
C. 6. *quo referenda sit lex 2. de verb. signif.* 749
C. 7. *quo referenda sit l. 111. cod. tit.* ibid.
C. 8. *de vectigali venalium rerum*, 750
C. 9. *ex omni causa per seruum vel filium domino vel patri ignoranti possessionem adquiri; non ex omni causa tamen ignoranti vsucapionis occasionem præberi*, 750
C. 10. *per seruum hereditarium hereditatem, vel partem hereditatis, vel id quod eiusdem hereditatis est, heredi adquiri non posse*, 752
C. 11. *explicatur & emendatur §. ei cuius l. 18. de damno infecto*, 752
C. 12. *non videtur possessionem adeptus qui ita nactus est vt eam retinere non possit*, 753
C. 13. *ad §. Iulianus l. 6. de precario*, 754
C. 14. *an res pupilli vsucapi possit*, 755
C. 15. *coniuncta l. ignorantis de procur. cum §. procuratorem l. 2. pro empt.* ibid.
C. 16. *locus explicatus in l. 7. §. 1. de iniuriis*, 756
C. 17. *emendata quædam in tit. de rebus auctoritate iudic. possess.* ibid.
C. 18. *multum interesse pœnalis actio dicatur, an pœnæ nomine dari vel concipi*, 757
C. 19. *persequi videtur & qui satis accepit*, ibid.
C. 20. *non omne quod licet honestum est*, 758
C. 21. *eius anni quo finitus est vsusfructus, pro rata temporis quo in eo anno constitit fructus deberi fructuario, heredive eius*, ibid.
C. 22. *ad initium l. 7. de seruit. & aliquot alias leges*, 759
C. 23. *ad l. 8. §. 2. de vacat. muner.* 760
C. 24. *locus Platonis expressus in l. 1. §. item sciendum, 1. de aqua & aqua pluuia arcenda*, ibid.
C. 25. *si quis ius dicenti non obtemperauerit*, ibid.
C. 26. *non esse verum quod vulgo Doctores dicunt prouisionem hominis elidere aut tollere prouisionem legis*, 761
C. 27. *ad l. 34. famil. erciscund.* 762
C. 28. *actionem simpliciter pro condictione indebiti*, 764
C. 29. *de literis dimissoriis*, ibid.
C. 30. *interdum pro emptore vsucapionem procedere, etiamsi nulla sit emptio, nulla traditio*, 765
C. 31. *an in pace aut induciis postliminium sit*, 766
C. 32. *ad initium l. 6. de Senatusconsulto Silaniano*, ibid.
C. 33. *de patriæ ratione varia*, 767

INDEX CAPITVM.

C. 34. *ad l. re coniuncti, de legat.* 3. 768
C. 35. *ad initium l. Mæuio de leg.* 2. 769
C. 36. *differentia quædam inter ius commissi, & ius* ἀποπμώσεως, ibid.
C. 37. *an procurator in rem suam ante, & post litem contestatam nomine domini, vice mutua conuentus suo nomine compensare possit quod domino actor debet,* 770
C. 38. *ad l.* 20. *de re iudic.* 771
C. 39. *quod de vini legato Vlpianus l.* 9. *de tritico, vino & oleo legato,* 772
C. 40. *quid sit vsus, quid casus in l. reducta,* §. *ante diem, ad Trebel.* 774

LIBER XXV.

CAP. 1. MVLTVM *interesse obligatio contrahatur ad tempus vitæ eius cum quo contrahitur, an ad tempus vitæ stipulatoris, vel alterius,* 775
C. 2. *ad l.* 5. *de actione empti,* ib.
C. 3. *an rite contractum matrimonium ex postfacto dissoluatur,* 776
C. 4. *ad l. si seruus, de adquir. rer. domin.* 777
C. 5. *ad l.* 4. *de adquir. possess.* ibid.
C. 6. *sententia tristis in l.* 15. *de appell.* 778
C. 7. *dotem quæ semel functa est, amplius fungi non posse,* ibid.
C. 8. *ad LL.* 6. 7. *&* 8. *si quid in fraudem patronorum factum sit,* 779
C. 9. *hæc verba:* Ratione noua, *quæ sunt in extremo* §. *si nurus socero, l.* 32. *de donat. inter vir. & vxor. transferenda videri ad* §. *sequentem,* ibid.
C. 10. *veriis in locis iuris nostri hæc coniunctio,* sed etiam, *coniungit, non distinguit,* 780
C. 11. *ad l.* 35. *de statuliberis,* ib.
C. 12. *de stipulatione, centesimis calendis dari,* 781
C. 13. *is qui dena dicit, vel decem, quatenus ambigue loquatur.* 782
C. 14. *filius fam. vt viuo patre, dicatur esse dominus bonorum paternorum,* 783
C. 15. *parere æri alieno pro satisfacere,* ibid.
C. 16. *edictum vrbanum, edictum prouinciale, edictum breue & monitorium,* 783
C. 17. *ad initium l. si rem, de nouat. & de leg.* 784
C. 18. *non passim licere nobis interpretationibus nostris tacitas conditiones inducere,* 785
C. 19. *stipulationis conditionalis diem cedere statim,* 786
C. 20. *locus obscurus l.* 13. *de solut.* ibid.
C. 21. *Iurisconsultos sæpe coniunctim duabus rationibus sententias suas vel opiniones communire,* εἰρᾶσει *scilicet, &* ἀπορρᾶσει, ibid.
C. 22. *ad* §. *vltimum l.* 87. *ad leg. Falcid.* 787
C. 23. *tractata iterum quædam ex materia contributionum,* 788
C. 24. *ad l.* 52. *ad leg. Falcid.* 789
C. 25. *dotis causam non esse lucratiuam,* ibid.
C. 26. *etiam re euicta, venditori ante traditionem committi stipulationem duplæ,* 790
C. 27. *explicatur* §. *actoris l.* 5. *de doli except.* 791
C. 28. *pupillum sine tutoris auctoritate nouare obligationem non posse, etiamsi hoc ei expediat,* 792
C. 29. *interpretatio l.* 2. *de præt. stipul.* ibid.
C. 30. *an ex dolo tutoris pupillus teneatur,* 794
C. 31. *actionem ex locato quæsitam venditori post venditionem prædij rustici vel vrbani, non esse cedendam emptori, nisi aliud nominatim cõuenerit,* 795
C. 32. *interpretatio l.* 24. *de adquir. poss.* ibid.
C. 33. *quid faciat articulus* vere, *in l.* 13. §. *sed & legatario, de adquir. poss.* 796
C. 34. *iterum & latius euidentiusque explicatur multæ famæ* §. *nihil commune,* ibid.
C. 35. *notantur verborum traiectiones quædam,* 798
C. 36. *ad l.* 31. §. *vlt. sol. matrim.* ibid.
C. 37. *emendatur l.* 7. §. *vlt. de cur. fur.* 799
C. 38. *ad l.* 75. *de iud.* ibid.
C. 39. *ad* §. *duobus, l.* 91. *de leg.* 1. 780. secundo.
C. 40. *ad* §. *pen. eiusdem legis,* 781

LIBER XXVI.

CAP. 1. EMENDATVR §. *idem Iulianus l.* 11. *ad Senatusconsultum Trebellianum,* 781
C. 2. *in ciuilibus bellis iura non obseruari captiuitatum, vel postliminiorum, vel legis Corneliæ,* 782
C. 3. *multum interesse desierit quis esse soluendo, an bona eius possideri cæperint,* 784
C. 4. *interpretatio l.* 37. *de solut.* ibid.
C. 5. *interpretatio l.* 38. *de furt.* 785
C. 6. *vt conciliandus sit* §. *vlt. l.* 46. *de procur. cum l.* 47. ibid.
C. 7. *ad l.* 8. *de adopt.* 786
C. 8. *cur alia dicatur esse causa tutorum, alia eorum qui reipublicæ negotia administrant in specie l. Lucius,* §. 1. *de administratione tutorum,* ibid.
C. 9. *an inter ceteros exheredatus videatur is quem pater obiisse falso credebat,* 787
C. 10. *ad l.* 8. *C. de testament.* ibid.
C. 11. *breuis animaduersio ad l. Plautius, ad leg. Falcid.* 787. tertio.
C. 12. *ratio vltimi responsi l.* 24. §. *vlt. ad leg. Falcid.* ibid.
C. 13. *fideicommissum reditus ita relictum omnibus annis simile esse legato relicto in annos singulos,* 788
C. 14. *supellex an instrumento fundi aut villæ contineatur,* ib.
C. 15. *explanatio l.* 91. *de her. adquir.* 789
C. 16. *ad l.* 59. *de fideiuss.* ibid.
C. 17. *de pane ciuili & gradili,* 790
C. 18. *de exceptione iniuriæ, vel furti vna facti,* ibid.
C. 19. *absentem ex pollicitatione non obligari,* 791
C. 20. *ad l. vltim. de contrar. action. tut.* ibid.
C. 21. *quæ sit differentia inter fiduciariam & fideicommissariam hereditatem,* 792
C. 22. *de iure dominij quod pigneraticius creditor impetrat à principe,* 793
C. 23. *spurios non succedere intestato auo materno,* ibid.
C. 24. *ad l.* 9. *de iure fisci,* 794

INDEX CAPITVM.

C. 25. *restituitur ex Basilicis negatio quæ deest in l.* 43. *de vsur.* ibid.
C. 26. *non qui singuli in solidum obligantur, ideo existimandi sunt esse duo rei debendi,* 795
C. 27. *tenor ætatis. Fortunæ iudicium,* ibid.
C. 28. *adnotata quædam in l.* 20. *de instruct. vel instrum. leg.* 796
C. 29. *ad l.* 38 §. 1. *de auro & argento leg.* ibid.
C. 30 *notantur quædam in l. vlt. de lib. leg.* 797
C. 31. *ad l.* 27. *quando dies legati cedat.* ibid.
C. 32. *fructuum perceptorum periculum ad colonum pertinere,* 798
C. 33. *immodicum lucrum colono non auferri,* ibid.
C. 34. *ad l.* 30. *de auro & argento legato,* 799
C. 35. *contractum principis legem esse, aut legis vicem obtinere,* ibid.
C. 36. *ad l.* 3. *C. de negot. gest.* 800
C. 37. *species difficiliores l. ex mille, de euict.* ibid.
C. 38. *excuriari, Carfania, insignia magistratus,* 803
C. 39. *conductionem non rescindi ob id solum quod nimium magno pretio contracta sit,* ibid.
C. 40. *iuris auctores nostros ab Stoïcis fere imbutos esse,* 804

LIBER XXVII.

CAP. 1. *AN restituti ab exilio recipiant iura libertorum,* 805
C. 2. *Italiæ quæ prouinciis Romanis adnumerentur,* 806
C. 3. *recte ab Vlpiano Selinum in Cilicia poni,* 806
C. 4. *Seruij, Mucij, Sabini auditores,* ibid.
C. 5. *decretum Adriani quod proponitur in l. imp. ad Senatusconsultum Trebellianum,* ibid.
C. 6. *cognatio & agnatio,* 807
C. 7. *possessio naturalis & ciuilis,* 809
C. 8. *exauctoratio an importet infamiam,* ibid.
C. 9. *aliquando inuitum compelli rem suam vendere,* 810
C. 10. *casus quo actio quæ heredi non competit, coheredi competit,* 811
C. 11. *pro* eum *reponitur* erum *in l.* 23. *ad leg. Aquil.* 812
C. 12. *quæstio* §. 1. *d. l.* 23. ibid.
C. 13. *Iuliani à Celso dissensio,* 813
C. 14. *peculium serui ipsi seruo esse simile, & accipienda vti sit l.* 6. *de seruitutibus vrbanorum prædiorum,* 813
C. 15. *in accusatione adulterij receptæ præscriptiones,* 814
C. 16. *de vestis, ornamentorum, mundi muliebris legato quædam,* 815
C. 17. *ad l.* 4. *C. de malef. & mathem.* ibid.
C. 18. *ad l. Publia depositi.* 816
C. 19. *cur actio in rem longo tempore adquiratur & amittatur, non actio in personam,* 817
C. 20. *cur raptor & fur semper videntur moram facere in re furtiua restituenda: cur item raptor rei immobilis teneatur in duplum, raptor rei mobilis in quadruplum,* ibid.
C. 21. *communia quædam Atheniensibus & Romanis in exigendis debitoribus,* 818
C. 22. *an interdicto de riuis vti possit qui terrenũ riuum quo vsus est, signinum facere velit,* ibid.
C. 23. *in iudiciis bonæ fidei spectari subtilitates iuris,* 819
C. 24. *de aquæ pluuiæ arcendæ,* ib.
C. 25. *ad tertium caput legis Aquiliæ,* 820
C. 26. *ad l.* 52. § *si quis de furt.* 821
C. 27. *ad l.* 132. *&* 134. *de verborum significationibus,* ibid.
C. 28. *cautio iudicialis de persequendo seruo qui est in fuga,* 822
C. 29. *ad l.* 12. *de decurion.* ibid.
C. 30. *effractores & expilatores,* 824
C. 31. *ad tit. naut. caup. stabul.* ibid.
C. 32. *de interruptione præscriptionis,* 826
C. 33. *de fœderatis & libertis populis ad l.* 7. *de capt. & postl.* ibid.
C. 34. *in censum dedicare, iusiurandum adigere,* 828
C. 35. *ad l. venditor de act. empt.* ibid.
C. 36. *ius publicum & priuatum,* 829
C. 37. *ad Iustiniani Nouell.* 106. *de vsuris nauticis,* ibid.
C. 38. *de instrumento textorio legato,* 830
C. 39. *mandatum fieri sine scripto,* ibid.
C. 40. *donationem remuneratoriam non indigere insinuatione,* 831

LIBER XXVIII.

CAP. 1. *IN Constitutionibus scribendum necne sit, nostro numini, & fisci viribus: an, nostro nomini, & fisci iuribus,* 832
C. 2. *nurus familiæ appellatione continetur,* ibid.

IACOBI

IACOBI CVIACII
I. C. OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM
LIBER PRIMVS.
AD BARTHOLOMÆVM FAIVM SENATOREM PARISIENSEM.

CAPAT PRIMVM.

Restituta negatio in l. apud proconsulem, D. de manum. vind.

MARCIANVS in *l. 2. D. de offic. procons.* scribit, apud legatum proconsulis neminem manumittere posse, quod scilicet legatus non habeat actionem. Paulus vero in *l. apud proconsulem D. de manum. vind. Apud proconsulem*, inquit, *postquam vrbem egressus est, vindicta manumittere possumus, sed & apud legatum eius manumittere possumus.* Addidere quidam hæc verba, *Ex quo prouinciam ingressus est*, vt hanc inter proconsulem & legatum differentiam constituerent, legatum ex eo tempore, proconsulem & ante id tempus, postquam vrbem egressus est, manumittere posse. Quod ab eis ipse nimis arroganter factum iudico: carent enim auctoritate omnium librorum. Deinde postea quam ingressus est prouinciam legatus, manumittere eum non posse verius est: omnimodo enim non est apud eum legis actio, *l. 3. D. de off. proconsul.* Is vero dumtaxat manumittere potest, qui legis actionem habet, vt de magistratu municipali traditur in *l. 4. D. de adopt. l. vlt, C. de vind. lib.* & apud Paulum *lib. 2. Sentent. tit. Quẽ ad filij sui iur. effic.* Nec mandari hæc legato posse crediderim, tum quia lege magistratibus nominatim dantur, *l. apud præfectum, D. de mand. vindic.* tum etiam quia huius generis mandati exemplum nullum extat. Sic igitur ipse l. *apud proconsulem* esse restituendam censeo, vt addita negatione ita legamus, *Sed & apud legatum eius manumittere non possumus.* Abest quidem negatio à Florentino libro, cuius quanta sit apud omnes auctoritas non ignoro: sed plus ipse rationi iuris tribuo, quam illi scripturæ, qua quidem nulla res est quæ facilius deprauari possit: nec tamen etiam scriptorum librorum auctoritate careo. Iam olim in eis comparandis summam ipse diligentiam adhibui, magnamque mihi tandem eorum copiam nactus sum, quam studiosis omnibus me adeuntibus libenter communicauero. Duos autem habeo vetustissimos, in quibus claris litteris cum negatione ea legis *apud proconsulem*, sententia perscripta est.

CAP. II.

De internecino testamento & actione internecini.

INternecinũ testam. est falsum testam. propter quod, vt sc. ex eo adquiri hereditas possit, dominus occiditur. hinc est accusatio internecini, de qua in *l. qui vel internecini, C. Th. de accusat.* cuius præmium est bon. possessio, vt aperte Isidorus ex aliquo auctore bono significat his verbis *lib. 5. Etymol.* Internecini (sic enim lego, non interneciei) iudicium in eum dabatur, qui falsum testamentum fecerat, & ob id hominem occiderat, & accusatorem eius bonorum possessio sequebatur. Sext. quoque Pompeius lib. 9. *Internecinum*, inquit, *testamentum est, propter quod dominus eius necatus est.* Quæ omnia libuit annotare, vt internecini actionem nostris iuris interpretibus incognitam aperirem, & propemodum sepultam excitarem. Deinde vt ex his etiam lector iudicet, num apud M. Tullium ita legendum sit Philip. 14. *Internecina testamenta credo subiiciunt, aut eiiciunt vicinos, aut adolescentulos circumscribunt*: præsertim cum Hieron. Ferrarius earum orationum interpres & castigator acutissimus, in veteribus libris ita se scriptum legisse profiteatur, *Inter nec vno te testamento*, vt pro *Inter nec vno*, *Internecina* scribere non valde alienum esse videatur, & possit etiam probabiliter aliquis dicere vocem *Te* ex proximi verbi primis litteris esse confictam sed hac de re alij viderint. ipse nihil statuo, eo maxime quod, vti ea quæ præcedunt verba restituenda sint, nondum intelligo.

Caap. III.

De veritate lectionis §. sed & personarum l. cum hi, D. de transact.

NOta est Oratio Diui Marci de transactione alimentorum. De hac Vlpianus tractans, & ea quæ in causæ cognitione versantur exquirens, id esse spectandum scribit, cuius vitæ sint hi quibus alimenta relicta sunt, vtrum frugi vitæ hi sint, qui alias sufficere sibi possint, an sequioris qui de alimentis pendeant. Quod quidam sic emendandum esse arbitrati sunt, *An segnioris* qui de alimentis pendeant, alij quidam *An nequioris*: vocem enim *Sequioris* penitus reiecerunt, eique subiectam notionem nullam esse professi sunt, quibus ipse non assentior. Auctorem habeo Ammia. Marcellinum lib. 18. *Vt si Persæ*, inquit, *fruſtra habiti rediſſent ad ſua, ducis noui virtuti facinus adſignaretur egregium: ſi fortuna ſequior ingruiſſet, Vrſicinus reus proditor Reipub. deferretur.* Et Apuleium lib. 7. de Asino aureo. *Sumpta*, inquit, *veſte muliebri florida in ſinus floccidos abundante, mitellaque textili contecto capite, calceis feminis albis illis & tenuibus indutus, & in ſequiorem ſexum inſertus atque abſconditus.* Et lib. 10. *Maritum*, inquit, *habuit, cuius pater peregre proficiſcens, mandauit vxori ſuæ matri eiuſdem iuuenis, quod ſarcina prægnationis oneratam eam relinquebat, vt ſi ſexus ſequioris edidiſſet fœtus, protinus quod eſſet editum necaretur:* neque est cur tot loci Apuleij esse corrupti existimentur. Inde etiam deductum est Sequius, quo idem Apul. vtitur lib. 11. duobus in locis, & apud Charisium Afranius, *Sin id quod non ſpero*, inquit, *ratio talis ſequius ceciderit.*

Cap. IV.

Emendata & explicata l. Imperatores, D. de ſer. vrb. præd.

PApirius Iustus Diuorum fratrum constitutiones xx. libris complexus est, & eorum quidem lib. 1. ex quo sumpta est *l. Impp. D. de ſer. vrb. præd. Imperatores*, inquit, *Antoninus & Verus Auguſti reſcripſerunt in area quæ nulli ſeruitutem debet, poſſe dominum vel alium eius voluntate ædificare, intermiſſo legitimo ſpatio à vicina inſula:* vbi de duobus potissimum quæri atque dubitari solet. De illo imprimis, quantum à vicina insula spatij intersse oporteat, de quo nihil equidem habeo quod proferre possim, præter id quod Sextus Pōpeius scribit, inter vicinorum ædificia ambitum appellari locum duorum pedum & semipedis, ad circumeundi facultatem relictum, quod ad hanc rem explicandam satis esse puto. Igitur inter insulas, id quod Sextus Pompeius ait, ex lege antiqua spatium intercedebat: nec enim ita coniunctæ, vti domus, erant ædificiis insulæ. Atqui legimus in *l. ſi finita*, §. *ex hoc edicto*, D. *de damn. inf.* adiacere insulam domui: quod certe non adiunctam, sed proxime domum insulam esse, ac domo accedere significat. Rursus legimus in *l. quidam, D. de ſer. vrb. præd.* insulæ parietem communem esse cum vicino. Coniunctæ igitur insulæ, nec propriis parietibus ambiri videntur. sed profecto nihil vetat insulę adiacentis communem esse parietem, etamsi non sit insula vicino ædificio connexa. Est igitur insula ædificium quod proprio ambitu constat. Deinde quæritur quid opus fuerit hoc describere Imperatores, In solo posse dominum ædificare, modo si id solum nulli deberet seruitutem. Quis enim ea de re vnquam dubitauerit? Dicam libere quod sentio. Semper locus id mendosus mihi visus est: neque possum non adnotare quod ex amicis meis quidam non ineruditus, cum de huius legis sentētia inter nos disputaremus, mihi pene persuasit, ita scilicet legendum in *l. Impp. Quæ luminum ſeruitutem debet.* Etsi enim ædificare is non possit, cuius area, ne luminibus officiatur seruitutem debet, is tamen qui luminum seruitutem debet, ædificare non prohibetur, *l. 3. D. de ſer. vrb. præd.* Et ea quidem præcipue inter hæc duo seruitutum genera differentia intercedit, quod etsi fortasse omnibus non probabitur, non tamen adnotatione indignum omnino esse arbitratus sum.

B

Cap. V.

Aliud ex Papirio Iuſto reſcriptum emendatum.

SVperius caput impellit me ad tollendum aliud mendum è Papirii libro 2. de constitutionibus, ex quo sumpta est *l. Imperatores*, D. *de publican. Imperatores*, inquit, *Antoninus & Verus reſcripſerunt, in vectigalibus ipſa prædia, non perſonas conueniri, & ideo poſſeſſores etiam præteriti temporis vectigal ſoluere debere, eoque exemplo actionem ſi ignorauerint habituros.* Credo legendum esse *Ex empto*, non *exemplo*: atque ita libri mei scripti habent. Ideoque recte subiicit, *Si ignorauerint*: constat enim scientibus actionem ex empto non C dari. Possessores igitur in eo rescripto, id est, emptores.

Cap. VI.

Restitutum parientiæ verbum ex veteri lectione in l. 1. C. Qui pro ſua iuriſd. ind. da. poſſ.

EMendanda est *l. 1. C. qui pro ſua iuriſd. ind. da. poſ.* Cum enim ita impressi libri habeant: *Nec præcepto cognitorem datum patientiam accommodare cenſemus*, pro *Patientiam*, scribendum est *Parientiam*, auctore libro scripto, cuius ipse auxilio complures Iustiniani Codicis locos emendaui, restitutis etiam vbique constitutionum inscriptionibus & subscriptionibus. D Est enim sane optimus ac vetustissimus: & ne in eis, qui me illo donarunt, prætereundis ingratus videar, illo me pignore obligatum tenent eruditissimi & honestissimi fratres Petrus & Ioannes Bonęfidij Tolosani. Parientiam autem accommodare, est obtemperare, & ideo statim subsequitur, *& ſi contra leges obtemperauerit deleganti.* Sic vero etiam Cassiodorus locutus est lib. 7. Variarum formularum, *Cui*, inquit, *ſaluberrimam parientiam commodate.* Dixerunt etiam sæculi eius auctores eodem sensu, Deuotionem commodare. Credo & in illo Cassiodori loco, *Atque ideo patientiam veſtram ſæpius approbatam, nunc quoque eodem præſente monſtrate*, lib. 3. Variarum, pro *Patientiam*, scribendum esse *Parientiam.*

E

Cap. VII.

Emendatus locus in l. Gaurus, D. de ſer. præd. vrb.

VAlde meo quidem iudicio corrupta est *l. 10. D. de ſer. præd. vrb.* in illo loco, *Item dicendum eſt ſi alteri ædes, alteri aliarum vſumfructum legauerit.* quod etsi nullius exemplaris auctoritate confirmare possim, dabo tamen operam, quod in me quidem erit, vt omnes intelligant ita locum illum restituendum esse: *Idem dicendum eſt, ſi alterarum ædium vſumfructum legauerit*; & ex his verbis, *Alterarum ædium*, forsitan male descriptis, confusas commixtasque fuisse illas voces, *Alteri ædes aliarum.* Quod vt intelligatur, tota legis spe-

cies accuratissime nobis explicanda est. Binas ędes testator habebat, alteras legauit. Quęstionis est, an heres alteras, quas hereditario iure obtinet, altius extollere possit & obstruere luminibus ædium legatarum: & an aliquid interfit, proprias ædes an hereditarias altius tollat. Proprias enim ædes iure suo altius extollere, ac legatas obscurare potest heres, *l. 9. eod. tit. l. altius, C. de ser. & aqua*, & hoc dubitationem certe nullam habet. An vero etiam hereditarias altius tollere, & minuere lumina ædium legatarum possit, à Gauro Marcellus rogatus est, Marcellus respondit, nihil interesse vtrum suas an hereditarias tollat, ceterum non omnino eum ad suum arbitrium ædes posse altius extollere: id enim exigere coniecturam voluntatis defuncti, vt ne legatario penitus lumen auferatur, ideoque tantum legatario luminis esse relinquendum, quantum habitanti sufficit. Subiicit Marcellus, idem dicendum esse, si alteri ædes aliarum vsumfructum legauerit. Priore casu alteras legauit, alteras in hereditate reliquit. Hoc casu alteras legauit, & alterarum vsumfructum. Poterit ergo heres hoc casu altius ædes fructuarias extollere, & legatarum ędium lumina minuere, quod manifesto pugnat cum sententia Labeonis, quæ relata est in *l. 7. §. hac ratione & l. 13. §. item Nerua*, D. *de vsufr*, Igitur non sic legamus, vt vulgo legitur, sed vt apud Paulum legitur, à quo hæc Marcelli sententia refertur in *l. si is qui binas supr. de vsufruc.* Idem dicendum est si alterarum ædium vsumfructum legauerit, quod etiam ea quæ sequuntur apud Marcellum suadent. Cum enim dixisset, legato vsufructu alterarum ædium, alteras ædes, quas heres iure hereditario retinet, heredem extollere posse atque obscurare fructuarias ædes: Quia in contrarium sic argumentari posset aliquis, Non potest accessum fructuario heres intercipere, nec ergo lumina intercipere debet, ne inane vsusfructus legatum faciat: id tum ita Marcellus diluit, vt aliam accessus, aliam luminum esse causam dicat: Sine accessu, nullum esse vsumfructum: sine lumine, vsumfructum esse: ideoque id omnimodo ab herede pręstari ex voluntate testatoris, hoc non item: proinde non semper simile accessus siue itineris argumentum esse. Alia fuit ab Gauro proposita quæstio, cui vti Marcellus responderit, non habemus, vti vero respondendum sit, inter interpreres ambigitur: ego Accursio assentior. Ideo enim ędibus legatis minor dubitatio existit, quam legato vsufructu ædium, quod isto casu heres aditum præstare debeat, illo non item: nam vsusfructus nomen hanc vim habet, vt accessus præbeatur, ædium non item. Et hęc quidem est syncera totius legis explicatio.

Cap. VIII.

De tempore quod finiendis accusationibus & antiquo & nouo iure difinitum est.

NOn est, vt arbitror, probanda interpretum sententia, qui reum postulatum, etiamsi nondum præterierit biennium, quod causis criminalibus ab Iustiniano definitum est, nouos honores post annũ quam reus delatus est petere posse existimant: cum enim nondum ex reis exemptus sit, nulla ratione fieri potest, vt honorum ei detur petitio. Sed ideo *l. reus D. de muner. & honor.* quę sententiæ huius eis arx veluti quædam est, ideo, inquam, ea lex ait: Post annum reo petitionem bonorum dari, quod hic fuerit iure antiquo criminalis causæ finis: idque satis constat ex *l. 1. & 2. C. Th. Vt intra an. crim. quæst. termi* & *l. 2. C. Th. ad leg. Corn. de falsi.* Nunc vero, etsi biennium definierit Iustinianus, & ad Iustiniani sententiam Triboniano immutatione verborum traduxerit l. 1. & 2. titulumque ipsum *C. vt intra cert. temp. & l. vbi. C. ad leg. Cor. de falsi.* non tamen ita fuit accuratus, vt etiam id emendarit in *l. reus*: quod à me adnotatum est, non tam vt ille locus explicaretur, quam etiam vt Triboniani non curantia proderetur.

Cap. IX.

De Fusidio Iurisconsulto loci quidam adnotati.

LIceat hoc loco mihi memoriam Fusidii Iurisconsulti renouare, cuius nomen priusquam in lucem Pandectæ Florentinæ prodiissent, non minus quam Cartilij nobis erat incognitum. Sed Cartilium ab obliuione Ant. Augustinus vindicauit, Iurisconsultus elegans & tersus. Ego Fusidium nunc vindicabo, qua in re, si quid in mẽ iudicij est operam non lusero. Quid enim honestius est, quam eorum excitare memoriam, qui omni doctrina exculti & exornati aliquando vixerint? Fusidij auctoritate Paulus vtitur in *l. Fusidius. D. de bon. auct. iud. possid.* & Africanus ex eius quæstionum lib. ij. ad legatum ornamentorum pertinentem quandam sententiam refert in *l. 5. D. de auro & arg. leg.* vbi tamen scriptum est Phuphidius pro Fusidius Forsitan hic ille est L. Fusidius quem M Tullius in Bruto aliquo patronorum numero fuisse scribit: ad quem etiam M. Scaurus tres libros de vita sua scripsit, vt & Plin. testatur *lib. 33. cap. 1.*

Cap. X.

Emendata l. si in emptione, D, de contrah. empt.

VEteribus, id est, Labeoni placet, In obscuris vel ambiguis id accipi oportere, quod venditori displicet, quodque vtilius & commodius emptori est, *l. veteribus, D. de pactis, l. Labeo 1. D. de contrah. empt.* Cuius sententiæ exemplum proponitur in *l. cum in lege*, D. *de contr. empt.* Ponitur & aliud in ea l. quæ illam sequitur: ea est *l. si in emptione.* Ceterum quia & alibi sæpe nomina ea quæ adfinia inter se atque cognata sunt commutantur, vt puta locatoris, conductoris, tutoris, curatoris, ita & in ea lege cum Labeonis sententia refertur, sic scribendum esse reor, *Sed Labeo ait eum Stichum deberi quem emptor intellexerit.* Emptoris pro venditoris nomine restituto: quod etsi hęc frequens nominum adfinium commutatio & sententia Labeonis relata in *l. Labeo.* & ipsa legum consequentia suadeat, satis adhuc tamen confirmari etiam id ex eo potest, quod post ea verba subiungitur, *Pleraſque enim res emimus.* Nec iam ipse vereor affirmare, ita porsus hunc locum restituendum esse.

Cap. XI.

De nuptiis contra mandata contractis, & dote caducæ prolata in lucem constitutio quædam Gordiani nondum visa,

NVptias contra mandata contrahit, qui eius prouinciæ, vxorem ducit in qua officium gerit: ideoque iusti liberi non sunt qui ex eis nuptiis nascuntur, & dos caduca fit, Dotem fieri caducam indicat *l. si quis officium §. veterem, D. de ritu nupt.* fit autem caduca ex D. Seueri constitutione, vt apparet ex rescripto Gordiani, cuius verba inferius proponentur. At quia si post officium depositum coniuges in eadem voluntate perseuerauerint, Paulus respondit iustas nuptias effici, iustosque liberos postea nasci. *l. eos qui D. eod tit.*

& Gordianus confirmauit in *l. etsi contra. C. de nupt.* dubitari potest, an etiam dos quæ semel in fiscum ceciderit, postea restituenda sit, quod Gordianus alia constitutione definiuit, cuius hæc verba sunt,

IMP. GORDIANVS. A. rationalibus.

Manifestum est nuptiis contra mandata contractis, dotem, quæ data illo tempore, cum traducta est, fuerat, iuxta sententiam Diui Seueri fieri caducam, nec si consensu postea cœpisse videatur matrimonium, in præteritum commisso vitio potuit mederi. DAT. KAL APRIL. ANTIOCHIÆ, GORDIANO A. ET AVIOLA COSS.

Apposui verba constitutionis, propterea quod nullo in codice impresso nunc ea conspicitur, quam ex antiquissimis quibusdam patris sui viri eruditissimi monumentis erutam dedit mihi P. Pitheus Trecensis adolescens probus & doctus, & iuris disciplinæ apprimè studiosus,

CAP. XII.

Restitutum Niconis nomen in l. omnia, C. de episc. & cler.

CONfirmantur in *l. omnia, C. de episc. & cler.* priuilegia concessa orphanotrophiis siue asceteriis vel ecclesiis aut prochiis seu xenodochiis aut monasteriis, atque ceteris domibus etiam, ac rebus iuris eorum ad curam Oeconomi (sic enim vulgo legitur) viri religiosissimi presbyteri & orphanotrophi, vel ad eos qui post eum ipsius loco successerint, pertinentibus. Sed cũ paulo post dicat *Ad curam memorati viri*, certe proprium eius viri nomen deesse necesse est. Didici vero è scriptorum librorum lectione, pro verbis illis, *Ad curam Oeconomi*, legendum esse, *Ad curam Niconis*. Fuit vero Constantinopolitani orphanot. primus Orphan. Zoticus quidam, & non multo post Nicon. Dat eadem priuilegia Iustinianus Xenoni Sampsonis in Nou. CXXXI. & LIX. viri pij & religiosi, vt his verbis Procopius indicat lib. I. περὶ τῶ Ἰωαννιανῶ κτισμάτων. ἦν δέ τις ξενὼν ἀνιχώπτοις ἀνυμφίοις ἀποῤῥυμφός τε καὶ νοσῶσι τυτῶν αὖθις τὶς θεοσεβὴς ἐν τοῖς ἄνω χρονοῖς ἐδείματο, σωμφῶν ὄνομα. Ceterum emendaui etiam in *l. omnia* pro *ceteris omnibus*, *ceteris domibus*, quoniam paulo post, *domus etiam*, inquit, *aliasque res superius nominatas ad curam memorati viri pertinentes*. Libet etiam legis subscriptionem annotare, quoniam in libris impressis deest. Eius verba in hunc modum concepta sunt, DAT. NON. IAN. CP. MARCIANO COS.

CAP. XIII.

Emendatus locus in l. Fulcinius §. illud sciendum, D. quib. ex caus. in poss. ea.

INuenio eum qui se in Romano foro circa columnas occultasset euitandi creditoris causa, pro latitante habitum, eiusque bona ex edicto possidere vendereque permissum fuisse. *l. eum qui*, D. *de reb. auct. iud. possid.* atque ita Iurisconsultis veteribus placuisse. Eum vero latitandi morem his verbis notat D. Ambrosius in libro de Tobia c. 7. *Ille*, inquit, *gressus debitoris singulos numerat, aucupat deflexus. Iste continuo post columnas caput obumbrat.* Additur etiam in *l. Fulcinius §. illud sciendum D. quib. ex caus. in poss.* at. eum latitare videri qui in eodem foro agit, si circa stationes se occultet: vbi ausim dicere legendum esse *Statuas*, non *Stationes*: mouet me quod in hunc modum Sidonius Appollinaris lib. I. Epist. scribit ad Montium, *Ac principe post diẽ viso in forum ex more descendo, quod vbi visum est, illico expauit*, vt ait ille, *nil fortiter ausa seditio. alij tamen mihi plus quàm deceret ad genua prouolui, alij ne salutarent fugere post statuas, occulti post columnas, alij tristes vultuosique iunctis mihi lateribus insedere.* Constat vero forum Romanum statuis & columnis refertum fuisse. Circa statuas igitur & columnas in foro qui se occultant, vt occursum creditorum effugiant, videntur latitare. Lucianus in Anacharsi: πρὸς τὰς ἀνδριάντας ἀπὸ πελισσύμβοι καὶ πρὸς τοὺς κίονας κατακρυπτόμβοι.

CAP. XIV.

Notati quidam loci qui sunt ab interpunctionibus mendosissimi.

SVnt multi loci nostris in libris mendosi ab interpunctionibus, ex quibus est operæpretium aliquos indicare. Sic vbique scripta est *l. interdum, D. quod falso tut. auct. Interdum tamen, etsi scientia noceat, tamen restitutio facienda erit.* Ego sic pungendum reor, *Interdum tamen etsi scientia noceat, tamen restitutio facienda erit.* vt intelligamus, Tamenetsi pro Quamuis vsurpari, vt à M. Tullio in Epist. ad Plancium, Sed tamenetsi antea scripsi quæ existimaui scribi oportere, tamen hoc tempore breuiter commonendum putaui. & *l. 7. §. interdum ad Maced.* Interdum tamenetsi S. C. locus sit, tamen, &c. Male etiam punctis distincta est *l. communi, D. de bon. libert.* sic enim eam distingui oportet, *Communi liberto, si ex duobus patronis alter iusiurandum exegerit, ne vxorem ducat, vel viuo liberto decesserit is qui extra hanc culpam fuerit, vel superuixerit, partis vtrique debitæ bonor. poss. solus habebit*: atque ita distincta lege statim sensus apparebit. Ex eo etiam genere est *l. si finita, §. si publicus, D. de dam. inf.* quæ sic meo iudicio interpungenda est, *Si publicus locus publice reficiatur, rectissime Labeo scribit, eoque iure vtimur, de damno non esse cauendum, si quid vitio loci aut operis fiat. Certe legem dandam operis talem, ne quid noceat vicinis damnive detur.* Illa enim verba, *Si quid vitio loci aut operis fiat*, verba sunt cautionis *l. fluminum, §. sed vt ne quod adium, & §. vlt. D. eod. tit.* His adiungi potest *§. creditor, l. si mandato, D. manda.* qui in omnibus libris impressis ita scriptus est interposito sicilico: *Et an interfit creditoris, iure vendiderit an communi iure promiserit.* sed ponenda est sicilici nota post verbum *interfit*, non post *creditoris* vocem. Est enim creditoris iure vendere, iure suo vendere. non communi lege pignoris, vt ait *l. & si is, D. de distr. pign.* Sunt & complures alij loci à punctis vitiosi, sed hos demonstrasse sufficiat.

CHAP. XV.

Castigatæ quorumdam rescriptorum inscriptiones.

NOn tempero mihi quin hoc loco quarumdam à me constitutionum restitutas inscriptiones inferam. Sunt vero eiusmodi complures in codice Theodosiano, in quibus Imperatores hac salutatione vtuntur, Habe Posthumiane Carissime nobis, Haue Marcelline K. NB. Haue Vincenti K. nobis: & apud Eusebium ac Nicephorum, χαῖρε Αὐιλῖνε πρωτότατε ἡμῶν. Veteres namque dicebant Habe aut Haue pro Aue. Seneca, lib. 6. de benef. cap. 34. Huic peruenire vsque ad distringendam libertatem licet, cuius vulgare & publicum verbum & promiscuum ignotis, Habe, non nisi in suo ordine emittitur. sic enim habent veteres codices, Erasmo teste, qui tamen, vti fecit, improbare id, ac reiicere non debuit: nam & hanc rationem scribendi probasse Quintilianus videtur lib. I. c. 10. *Multum* inquit, *est litteratus qui sine aspiratione & producta syllaba salutauit, Auete.* Recta hæc via: quis negat? sed

alia est & mollior & magis trita. Cælius quoque ad Ciceronem sic scribit, *Ac simulatque Haue mihi dixit.* quem locum P. Victorius in suis ad Ciceronem castigationibus ita ex lectione veteri emendauit. Nobis etiam hoc modo restituenda est inscriptio *l. dominus, C. de appellat. Iidem AA. & CC. Habe Heraclida Carissima nobis.* Vbi male vulgo ita legitur, *Haber ad* C. N. sed deprauatior multo est inscriptio *l. si quis homicidij, C. de accusat.* quæ sic ex vet. libris emendanda est, *Idem AA & CC. Habe Crispine Carissime nobis.* Fuit autem Crispinus is præses prouinciæ. Præterea in inscriptione l. 1. C. The ne quid *pub. læt.* pro Habetatiano K. N. legendum est, Habe Tatiane K. N Quæ obseruationes non omnino, vt mihi videtur, aspernandæ sunt.

Cap. XVI.

Restituta & explicata l. 1. D. de remissionibus.

REmissio est nuntiationis remissio, quæ scil. in hoc fit auctoritate magistratus, vt vicinus cui nunciatum est nouum opus, nunciationem negligat, & opus institutum exequatur. Hæc vis enim est nuntiationis, vt non ante possit vicinus facere nouum opus, quam remissionem à magistratu impetrauerit. Tunc vero est vtilis remissio, cum nuntiatio non tenet, id est cum is nuntiauit qui ius nuntiandi non habuit, contra, vbi nuntiatio tenet, est inutilis remissio. & hoc proponitur in principio *l. 1. D. de remissio, & l. 1. in princip. & l. de pupillo, § 1 si is cui nuntiatum, & §. qui procuratorio, l. prator, l. non solùm, §. sciendum, D. de oper. no. nunt.* Est & de opere restituendo satisdatio remissionis loco. Igitur qui ædificare vult contra quam ei denuntiatum sit, vel remissionem impetrare debet, vel satisdare de opere demoliendo, si iudicatum fuerit iustam nuntiationem esse: quo casu etsi remissio quoque possit fieri, non tamen est necessaria, vt ait *l. 1. §. 1. D. de remiss.* id est, superuacua est remissio. Quis vero nuntiandi ius habeat, iis deinde verbis in eadem lege proponitur Ius habet opus nouum nuntiandi, qui aut dominium aut seruitutem habet: quod latius explicatur in *l. de pupillo, §. sexus, D. de no. op. nunt.* Emphyteuticario & superficiario & creditori pigneraticio ius est nuntiandi nouum opus: habent enim & rei & seruitutum vtilem vindicationem, *l. in prouinciale, §. pen. l. creditori, D. de no. oper. nuntiat.* Sed de fructuario dubitari potest an æquè ius ei competat nuntiandi nouum opus. Tradit autem ex Iuliano Vlpianus in *l. 1. D. de remiss.* fructuario vtilem vindicationem seruitutum dari. quod Iulianus quidem libro 49. Digestorum scripsit, vt apparet ex *l. 2. D. de no. oper. nuntiat.* cuius ab Vlpiano integra verba referuntur in *d. l. 1.* Referuntur, inquam, non etiam probantur: nam obtinuit aliorum sententia existimantium fructuario non dari vindicationem seruitutum, & merito: nam fructuarius fundi vindicationem non habet. Absurdum autem est cui non das fundi vindicationem, ei iuris fundo debiti vindicationem dare. Puto tamen Iulianum ideo vindicationem seruitutum dedisse fructuario, quod possit is vti seruitutibus fructuario fundo debitis. Ceterum alij vsusfructus vindicationem arbitrantur sufficere, neque seruitutum ei dant vindicationem, &, vt est in *l. 1. D. si vsusfruct. pet.* Marcellus apud Iulianum, id est, in notis Iuliani, Labeonis & Neruæ, non Iuliani sententiam probat, existimantium seruitutes eum vindicare non posse. Sed cum ex Iuliani sententia ius fructuario sit vindicandarum seruitutum, consequens est ei etiam ius esse vicino nuntiandi noui operis, idque traditur in *d. l. 1. §. item Iuliano.* Ex aliorum autem sententia quæ obtinuit, fructuario non licet nuntiare nouum opus, nisi proprietarij nomine, *l. 1. §. vlt. D. de no. oper. nuntia.* Rursus ex Iuliani sententia si fructuarius nuntiauerit vicino nouum opus, remissio inutilis est. sic enim legendum est in *d. l. 1. de remission.* & ex principiis quæ nos initio posuimus hoc ita necessario consequitur. Nam vbi nuntiatio tenet, inutilis est remissio: Contra, vbi nuntiatio non tenet, remissio est vtilis, ideoque si fructuarius non vicino sed domino nuntiauerit nouum opus, quia hæc nuntiatio non tenet, remissio vtilis est atque ita etiam *d. l. 1 de remissio.* castigari debet. Denique hæc duo verba, Vtilis & Inutilis, in ea lege aut locum inter se commutent, necesse est, aut certe nulla est scientia, nulla disciplina iuris. & hæc quidem sunt ex Iuliani sententia. Ex aliorum sententia, siue domino seu vicino fructuarius nuntiauerit nouum opus, vtroque casu remissio est vtilis, quandoquidem ex eorum sententia nuntiatio non tenet. Tollendum est etiam aliud mendum ex *l. 1. D. de remissionibus. Ei quoque*, inquit, *qui pignori fundum acceperit, scribit Iulianus non esse iniquum detentionem seruitutis dari.* Id vero Iulianus eodem libro 49. Digestorum scripsit, id est, in *l. ei qui pignori, D. de seruitutib.* ex qua luce clarius apparet in *l. 1. de remissionibus.* pro *Detentionem* legendum esse *Petitionem.* Nam & seruitutes detineri non dicuntur, cum detinere factum significet. Item quia lex ait, *Ei quoque*, necesse est, vt eius hæc fuerit sententia, non tantum fructuario, sed etiam creditori à Iuliano vindicationem seruitutum dari. Sed hoc in creditore quidem obtinuit: in fructuario exposa est Iuliani sententia.

Cap. XVII.

Explicatio l. Qui viam, D. de no. op. nuntiat.

MAgna est quæstio, quid sit quod traditur in *l. qui viam D. de no. op nunt.* ex eodem Iuliani libro, ex quo capite superiori explicatæ Iuliani sententiæ desumptæ sunt, eum qui viam habet in via ædificanti nuntiare nouum opus non posse, viam vindicare posse. Quæstionis causa hæc est, quoniam ei qui seruitutem habet, ius est nuntiandi *l. 1 §. ius, D. de remissio.* Et in ea quidem explicanda certatim Doctores nostri pungunt se suis acuminibus, & plane certi quod adferant nihil habent: quinimmo propalam ex eis quidam coguntur τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι, vt Aristotelis verbo vtar, dum quæ probari non posse intelligunt, sibi dari & concedi nulla ratione adducta postulant. Ego, vt quæ sit eius quæstionis ratio intelligatur, hæc omnia quę sequuntur, esse repetenda censeo: vt si quid socius faciat in fundo communi, alteri socio ius non est nuntiandi nouum opus, *l. in prouinciali, §. 1. D. de no. op. nunt.* quod neque cum socio socius recte agat ei non esse ius ædificare, *l. in re communi, D. de ser. præd. vrb.* vt item si quid faciat in fundo fructuario dominus, noui operis nuntiatio nec ex Iuliani quidem sententia fructuario datur, quod scilicet is aduersus dominum agere non possit, ius ei non esse inuito se ædificare, *l. 2. D. de no. op. nunt.* necesse est cum Iulianus de ceteris idem scripserit quibus aliqua seruitus debetur, *l. 1. §. pen. D. de remiss.* vt etiam is, qui viam habet in fundo alieno, domino in via ædificanti non possit nouum opus nuntiare: nam nec ita ei cessa est seruitus, vt recte possit intendere ius domino non esse inuito eo ædificare. sed viam quæ cessa est, vindicare non prohibetur. Idemque pari ratione dicendum est de eo, qui iter actum, aquæductum in alieno fundo habet: Nam is etiam cum domino agere ita non potest ius illi ædificandi non esse. Huic est similis ille cui cessum stillicidij recipiendi ius est: Nam hoc etiam inuito ædificare domino potest, neq; actio huic vlla datur per quã intendat ius non esse vicino ædificandi, sed ius tamẽ immittendi stillicidij sibi esse potest intendere, *l. si eo loco. D.*

siser. vindic. vbi & in hanc sententiam Iulianus auctor A laudatur. Hæc ergo iura qui habent, ius denuntiandi domino in suo ædificandi non habent, sed seruitutem vindicare possunt. Longe ab illis diuersi sunt hi quib. cessum est ius altius non tollendi, vel ne prospectui officiatur, vel ne luminibus officiatur *l. inter. D. de ser. præd. vrb. l. de pupillo* §. *Sextus l. non solum, in princip. D. de no. oper. nuntiat.* vel etiam hi quibus oneris ferendi seruitus cessa est, *l. etsi forte* §. *vlt. D. Si ser. vindic.* nam & ab inferiore vicino. id est, qui depressas ædes habere cogatur, superiori vicino oneris ferendi seruitus debetur, *l. harum & l. prox. in princi. D. eod. tit.* Hæc igitur iura qui habent, recte intenduntius non esse vicino altius ædificandi, atque ob eam causam recte altius contra seruitutem ædificanti nouum opus B nuntiant. Et in summa non aliis seruitutem habentibus aduersus dominum prædij seruientis noui operis nuntiatio competit, quam quibus eo iure licet intendere ius domino non esse in suo ędificandi: quod mihi satis perspicuum videtur

Cap. XVIII.

De S. C. Silaniano & aliis quibusdam Senatusconsultis ad familiæ quæstionem pertinentibus.

Diu multumque dubitaui de S. C. Silaniano quo tempore factum sit. Ac initio quidem sub D. Marco factum id esse dicere annisus sum, propterea quod in C *l. pen. C. de his quib. vt indign.* mentio fit orationis D. Marci pertinentis ad S. C. Silanianum. Existimabam enim post orationem D. Marci secutum esse S. C. Silanianum, quod certo scirem Orationes principum statim Senatusconsultis confirmari solitas fuisse: quinimo interdum id etiam in orationibus diserte addi, vt Senatusconsulta eas consequantur, quemadmodũ in edictis: vt in illo edicto de Christianis, quod apud Iustinum extat in Apolo. 2. in hæc verba, *ταῦτα δὲ ϗ τῆς συγκλήτου δόγμασι κωλυθῆναι βέλομαι.* Sed quia *l. pen.* eam ait orationem factam esse circa S. C. Silianiũ, facile ab ea me sententia dimoueri sum passus, quando quidem ex eis verbis apparet euidenter oratione D. Marci prius fuisse Silanianum Senatusconsul. Nunc autem esse verissimum arbitror quod mihi P. Faber indicauit, in omnia virtutum exempla genitus adolescẽs, nempe factum id quo de quærimus, fuisse D. Augusti temporibus, Dolabella & Silano Coss. cuius rei mihi tale is argumentum præbuit ex *l. in cognitione D. de S. C. Silania.* vt non potuerim non ei confestim assentiri. Est vero argumentum huiusmodi. Senatusconsultum de quo agitur in *l. in cognitione*, posterius fuit S. C. Silaniano. Nam eo S. C. accusationi, quæ infertur heredibus propterea quod contra S. C. Silanianum ante seruorum quæstionem tabulas eius aperuerunt, qui à familia necatus esse dicitur, quinquẽnii præscriptio definita est. Id vero factum fuit Augusti temporibus, Lepido & Tauro Coss. Simile igitur vero est, præcedenti anno, id est, Dolabella & Silano Coss. factum S. C. Silanianum. Quod mihi certe vti dixi verissimum videtur. Fuit & postea de quæstione familiæ factum aliud S. C. Nerone A. II. & Pisone Coss. vt auctor est Cornelius Tacitus lib. 13. & 14. quod Pisonianum dicitur in *l. S. C. D. de S. C. Sila.* & Neronianum à Paulo lib. 3. Sent. Putem & hoc S. C. Claudianum appellari in tit. de S. C. Silaniano & Claudiano: neque nouum est vt Neroniana S. C. dicantur Claudiana. Ceterum fuit etiam de quęstione familiæ factum S. C. aliud sub D Marco, vt indicat ea *l. pen. C. de his quib. vt indig.* neque rem eam Adrianus prætermisit, vt Spartianus auctor est, adeo fuit Imperatoribus curæ dominorum securitas.

Cap. XIX.

Emendata l. 2. C. de pascuis publicis & priuatis.

Lex est Honorij & Arcadij ad Simplicium magistrum militum in hunc modum scripta in *l. 2. C. de pasc. pub. & priuat. Insignis auctoritas tua hac condicione à publicis pratis ac amœnis pascuis animalia militum prohiberi præcipiat:* sic autem vulgo scripta est. Ceterum veteres libri sic habent, *A publicis pratis, ab amœnis animalia militum prohiberi præcipiat.* Quo inspecto statim in animum subiit mihi sic eum locum restitui oportere, *A publicis pratis Apamanis*, vt intelligantur prata B Apamęna Syriæ, quæ eis etiam verbis Strabo celebrauit in lib. 16. *ἡ δ' ἀπάμεια ϗ πόλιν ἔχει τὸ πλέον εὐερκῆ. λόφος γάρ ὄζιν ἐν πεδίῳ κοίλῳ τετειχισμένος καλῶς, ὃν ποιεῖ χέρρονησίζοντα ὁ ὀρόντης ϗ λίμνη ἐπικειμένη μεγάλη καὶ ἑλη πλατέα, λειμῶνας τε βυβῶντας ϗ ἱππηδόντας διαχεομένους ὑπερβάλλοντας τὸ μέγεθος.* Constituitur autem ab Arcadio Honorio in ea lege, vt ne publica prata Apamæna vel Antiochenorum priuata prata militum animalia depascantur. Quia igitur Apamænis Antiocheni iunguntur, & Antiochiam Syriæ metropolim esse constat, vti Dion & Spartianus in Adriano scribunt, ex eo apparet non de Apamæa Bithyniæ, sed de Apamæa Syriæ in ea lege tractari. Apamæa Bithyniæ, colonia fuit Romanorum, de qua in *l. 1. D. de. censib. l. vlt. C. de diu. præd.* C Plinius lib. 5. cap. vlt. *Intus*, inquit, *in Bithynia colonia Apamæa.* Strabo lib. 12. *οἱ δ' ἀπαμιεῖς ἀποικίαν ἐξέξαντο ῥωμαίων.*

Cap. XX.

Explicata altera eorundem Imperatorum constitutio ad Pasiphilum scripta, quæ ab Triboniano in varias partes scissa est.

Ex vna constitutione Arcadij & Honorij ad Pasiphilum desumpta est *l. pen. C. de accusat. l. momentariæ, C. vnde vi. l. 1. C. de abig.* quas ipse isto capite D coniungere ac etiam explicare institui. Certi iuris est inscriptionem libelli ab accusatore exigi, qua scilicet cuius criminis alium reum deferat, ipse profiteatur: & subscriptionem, qua id se professum esse, ac reum à se peractum iri declaret, *l. libellorum. l. si cui crimen, D. de accusat.* idque in hoc iuuentum est, vt accusatorem, si non vinceret, vinciret hęc subscriptio, & temeritatis coargueret, atque ita vti ne quis temere ad accusationem adsiliret. Hæc enim subscriptio ipsa vi accusatorem in talionis pœnã obligat. Symmachus lib. 1. Epist. Quid habeat condicionis inscriptio, nostis præ ceteris, inquit. Prouisum est enim, ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret, nisi se idem prius pœnæ sponsione vinciret. Ideoque in *l. pen. C. de accusat.* E *Impp. Arcad. & Honorius, In causis*, inquiunt, *criminalibus dignum est, vt inscriptiones proponantur: quæ magnitudinem videlicet sceleris tempusque designent, vt alterutram partem digna legum tenere possit austeritas. Alterutram*, inquit, *partem*, id est, vel accusatorem vel reum: Accusatorem, si fefellerit: Reum, si accusator vera detulerit, *l. non prius. C. de calum.* Etiam illud additur in *l. pen.* officiales siue executores, quorum interuentu lites instituuntur & introducuntur, quinque librarum auri multam sustinere, si opera eorum accusatio non subscripta in secretarium præfidis introducta fuerit. Hęc est sententia *l. pen.* cuius duo veluti vitia ponuntur in *l. momentariæ, C. vnde vi & l. 1. C. de abigeis.* De l. *momentariæ*, primo videamus. Momentaria possessio, siue momenti beneficium, est celeris reformatio & restitutio possessionis per vim vel alio modo ablatæ

aut interpellatæ. Poſtulatur autem poſſeſſio momentaria per interdictum, vel actionem ex cauſa interdicti, ab eo qui poſſeſſione, vi, aut dolo, aut metu, aut iniquo iudicio ſpoliatus eſt. & quia ſtatim ea ſine vlla cunctatione ſpoliato reſtituenda eſt, dilata dominij quæſtione, ideo dicitur momentaria: idque Iſidorus lib. 5. Etymol. his verbis notat rectiſſimè: *Momentum*, inquit, *dictum eſt à temporis breuitate, vt quam cito quam ſtatim ſaluo negotio reformetur, nec in vllam moram produci debeat quod repetitur.* Poteſt autem momenti beneficium per quamcumque perſonam poſtulari, etiam per ſeruum, *l. vlt. C. qui legit. perſ. in iud. hab. l. 1. C. ſi per vim vel alio modo abſ. poſſ. l. 4. C. Th. Vnde vi.* & poſtulatur ab eius loci iudice, in quo ſtatus poſſeſſionis perturbatus eſt, *l. 1. C. vbi de poſſ. agi oport.* Eſt vero vſque adeo celeris hæc reformatio, ſic enim appellatur in *l. ſi coloni, C. de agricol. & cenſit.*) vt nec eam appellatio remorari poſſit, *l. 1. C. Si de momentar. poſſ.* Symmachus lib. 1. Epiſtol. *In cauſis*, inquit, *quibus momenti reformatio poſtulatur, appellationes recipi non oportet.* Quibus cognitis, nunc verba & ſententiam *l. momentariæ* exponamus. *Momentariæ*, inquiunt, *poſſeſſionis interdictum, quod non ſemper ad vim publicam pertinet vel priuatam, mox audiri, interdum etiam ſine inſcriptione meretur.* Vis eſt publicum crimen ex lege Iulia. Eſt autem ipſa vel publica vel priuata Ceterum non ſemper ad vim interdictum ſiue actio momenti pertinet, quia non vim tantum, ſed & alio modo perturbari poteſt aliena poſſeſſio, vt apparet ex tit. *Si per vim vel alio modo*, &c. Hæc autem actio ad omnes perturbatæ ac peruerſæ poſſeſſionis caſus pertinet. Igitur non ſemper ad vim pertinet. Denique non ſemper in actione momenti huius publici criminis quæſtio vertitur, atque adeo non ſemper de momento quæritur cum inſcriptione, & id quidem expediri mox oportere lex etiam ait, obſeruatis videlicet omnibus momentis, neque tempore vllo prætermiſſo reformandæ ac redintegrandæ poſſeſſionis: & hinc eſt momentariæ, vt ſupra diximus, poſſeſſioni nomen. Sequitur *l. 1. de abigeis*, *Abacti*, inquiunt, *animalis accuſatio, non ſolum cum inſcriptionibus, ſed etiam ſine ea obſeruatione proponitur* Abigei vel vt fures coërcentur, vel proprie vt abactores, id quod ex abactorum animalium quantitate diſcernitur. Nam vt fures coërcentur hi, qui ſuem vnum, duos, tres, veruecem aut capram vnam, duas, tres abigunt: vt abactores, qui ſues quinque aut quatuor, capras x. oues totidem, *l. 1. l. vlt. D. de abigeis*; *l. aut facta* §. *quantitas*, *D. de pœnis.* At non tantum quantitate, ſed etiam id ex ſtudio atque arte abigendi cognoſcimus, vtrum abigeum, quaſi furem, an proprio iure quaſi abactorem puniri oporteat: Nam qui ſtudioſe vnum equum aut bouem abduxerit, abigeus eſt: qui caſu, fur, *l. 1. D. de abigeis.* & ideo recte Iuſtin. in No. de nup. τῆς ἀπελατῆς eos appellatione contineri ait, ὅις ὅτι φεγγὸς ἀλλοτρίοις ἐφεδρεύειν ὑποζυγίοις ἢ βοσκήμασι, καὶ ταῦτα μεθισᾶν ἐτέροθι. Ceterum, vt fures tenentur ciuili actione in duplum vel quadruplum, quo caſu ſine inſcriptione agitur: vt abactores ceſſante actione ciuili extra ordinem accuſantur, quo caſu neceſſaria eſt inſcriptio: & hoc eſt quod ait *l. 1. C. de abig.* Abacti animalis accuſationem, id eſt, cauſam vel actionem non ſolum cum inſcriptione, ſed etiam ſine inſcriptione proponi, vt puta cum quis vnum dumtaxat ſuem abegit, quo caſu ciuili actione quaſi fur tenetur, nec proprie videtur in abigeatus extraordinarium crimen incidiſſe. Reſtat vt cum iſta conſtitutio Arcadij & Honorij ad Paſiphilum extet indiuiſa in *l. cauſas*, *C. Th. de iuriſd.* valde tamen deprauata & corrupta, eam, vti à nobis reſtituta eſt, proponamus: quo etiam inde appareat quemadmodum ex ea tres illas leges Tribonianus effecerit. Verba igitur Conſtitutionis hæc ſunt,

IMPP. ARCADIVS ET HONORIVS AA. Paſiphilo ſuo S.

Cauſas plurimi de fugaci ſeruo, aut manifeſto furto, aut non manifeſto, direpti etiam animalis, ſerui vel rei mobilis inſtituentes, vel vi bonorum raptorum, parum etiam terræ ſimi & paruulæ caſæ ſub ſpecie criminis tuum pulſant iudicium. Momentariæ etiam poſſeſſionis interdictum, quod non ſemper ad vim publicam pertinet vel priuatam, vt mox audiri interdum etiam ſine inſcriptione mereatur, abacti etiam animalis cauſa proponitur. Cum igitur de his rebus paruis ac minimis tuæ ſit iniuria potestatis iudicare, decretum eſt eas tantum cauſas criminales à ſynceritate tua audiri, quas dignus & meritus earum horror inſcriptionis impleuerit, quæ magnitudinem videlicet criminis tempuſque deſignat: & quæ ſequuntur. Subſcriptio autem hæc eſt, quę ſic etiam teſtitui debet in illis tribus legibus Codicis Iuſtiniani: DAT VIII. ID. IANVA. MEDIOLANI, OLYBRIO ET PROBINO COSS.

CAP. XXI.

Explicatæ duæ leges ex antiqua iuriſiurandi formula.

PLacet etiam hoc loco quidpiam de iureiurando aſpergere, ac tentare, an in *l. 2.* §. *quod obſeruari, D. de iureiur. propt. calum.* in illo loco, *Ex eo quod ex animi ſui ſcientia iurent*, rectius ita legi poſſit, *Ex animi ſui ſententia*: vt ſumptum id ex vulgari formula iuriſiurandi eſſe videatur. Tit. Liu. lib. 22, *Ex mei animi ſententia iuro, vt ego Remp. non deſeram, neque alium ciuem deſerere patiar.* M. Tul. in Acad. quæſt. *Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia, qui primum iurare ex ſui animi ſententia quemque voluerunt, deinde ita teneri ſi ſciens falleret.* Idem III. Off. *Quod ex animi tui ſententia iuraris, ſicut verbis concipitur more noſtro.* Id quod etiam Gellius indicat in lib. 4. cap. vlt. Ceterum, Ex animi ſui ſententia, idem eſt fere quod ex conſcientia & ſyncera fide, vt & in reſcripto quodam Adriani, *Ex ſententia animi tui te æſtimare oportet*, *l. 3.* §. *eiuſdem*, *D. de teſt.* Eſt etiam ex vetere iuriſiurandi formula & obligatione illud explicandum, quod ait *l. qui iuraſſe*, *D. de iureiur.* pupillum ideo peierare non videri, quod ſciens fallere non videatur. Nam is demum periurij reus eſt, qui ſciens fefellit, vt ex M. Tullio iam ante demonſtratum eſt: & hæc ſolemnia etiam erant iuriſiurandi verba, *Si ſciens fallo, me dieſpiter, ſalua vrbeque arceque, bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem:* auctore Sex. Pompeio, & Plauto in Aulularia. quod omnium rectiſſime ſic Polybius expoſuit in lib. 3. hiſt. ῥωμαῖοι δὲ διὰ λίθου ὀμνύουσι καὶ τὸ παλαιὸν ἔθος, ὅτι δὲ τοῦτο τὸν ἄρην καὶ τὸν ἐνυάλιον. ἔστι δὲ τὸ διὰ λίθου, τοιοῦτον. λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὑπισχνεῖται τὰ ὅρκια περὶ ἧς συνθῆκών, ἐπειδὰν ὁμόσῃ δημοσίᾳ πᾶσι, λέγει τάδε, ἐυορκῶν μὲν τἀγαθὰ εἰ δ' ἄλλως διανοηθείην τι ἢ πράξαιμι, πάντων ἧς ἄλλων σῴζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσιν, ἐν τοῖς ἰδιοικήτοις, ὅπῃ ἧς ἰδίων βίων ἱερῶν τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπίπτοιμι πάντων ὡς ὅδε λίθος νῦν. καὶ ταῦτα εἰπὼν ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός. Et hi quidem duo loci ſunt, quos ex vetere iuriſiurandi formula nos explicaturos eſſe in huius capitis inſcriptione promiſimus.

Cap. XXII.

Indicatus notarum ab Triboniano non perceptarum error in l. in illa ſtipulatione, D. de verb. obligatio.

IN notis ad Inſtitutiones Dn. Iuſtiniani, & ad titulos Vlpiani multos errores indicauimus creatosex notis quibus libri iuris auctorum perſcripti erant. Nam etſi ſummam in eis explanandis diligentiam Tribonianus poſuerit, valde tamen in pleriſque hallucinatus eſt. Libet hoc loco & alium indicare. Paulus in *l. in illa ſtipulatione D. de verb. oblig. In illa ſtipulatione*, inquit, *Si kalendis Stichum non dederis, x. dare ſpondes? mortuo homine quaeritur, an ſtatim ante Kal. agi poſſit. Sabinus, Proculus expectandum diem actori putant, quod eſt verius: tota enim obligatio ſub condicione & in diem collata eſt, & licet ad condicionem committi videatur, dies tamen ſupereſt.* quidam codices habent, *& licet ante cõd.* quidã, *& licet à condicione.* Ego Florentinam lectionem propoſui, cui par eſt veterum librorum ſcriptura. Ex ea vero etiam cum *διὰ σημείων* Paulus ita ſcripſiſſet *A. D. condicio*, Tribonianum notas pro non notis accepiſſe coniecturam duxi, atque ideo ita ſcripſiſſe, *Et licet ad condicionem committi videatur, dies tamen ſupereſt:* quod potius tamen ita explanari debuit, *Et licet Ante diem condicio committi videatur, dies tamen ſupereſt:* Conſtat enim veteres, verba hæc *Ante diem*, his deſignaſſe litteris A. D. exquibus non interpunctis, *Ad* particula conflatur. id que apparet ex Varrone in lib. 1. C de re ruſt. cap. 28. & ex Valerio Probo, qui has notas A. D. P. ſic interpretatur, Ante diem pridie. Senſus igitur *l. in illa* hic erit, Licet antequam Kalendæ exiſtant, condicio committi videatur, vtpote cum Stichus intra Kalendas vita functus ſit, adhuc tamen dies ſupereſt, nec ante eum diem ex ſtipulatu x. peti poſſunt. Alioquin eis profecto verbis nulla eſt idonea ſubiecta ſententia: idque mihi ſic videtur.

Cap. XXIII.

Explicatio & emendatio l. 3. D. de ſer. leg.

MÆuio fundum Tuſculanum do lego, & ad eum fundum viam per fundum Sempronianum. Titio eumdem fundum do lego. Mæuius & Titius re coniuncti ſunt, vtroque concurrente, via cedi Mæuio non poteſt, quoniam pro parte adquiri via non poteſt, *l. pro parte, D. de ſeru.* Si tamen non concurrat Titius, ſoluſque Mæuius fundi legatum agnoſcat, viæ legatum valet, quia ſic via pro ſolido adquiritur. & hoc ſcribit Marcellus in *l. 3. D. de ſer. leg.* Hæc deinde Marcellus proponit, ſoli Męuio fundum legaui ſub condicione, viam purè: Pendente condicione dies legati ceſſit, ſed inutiliter: quandoquidem adquirere viam non poteſt qui fundum nondum adquiſiuit: purum autem viæ legatum ſuſpendi non poteſt, & exſpectare fundi E legati condicionem. Aut enim pura legata ſtatim exiſtunt ab adita hereditate, aut nunquam, *l. vlt. D. commun. prad.* Idemque eſt, vt in eodem loco Marcellus oſtendit, ſi vni partem fundi pure, alteri partem alteram ſub condicione, & viam pure legauerit: Nam pendente condicione cedens legatæ ſeruitutis dies inutiliter cedit, propterea quod vni ex legatariis, cui pure pars fundi relicta eſt, pro ea parte adquiri via non poteſt. Eadem ſpecies poni poteſt in vno legatario: Quãnis autem ex alio tempore cedat puri legati dies, quod ad tranſmiſſionem attinet, in hoc tamen propoſito cedere diem legati ab adita hereditate intelligimus: idque apertè indicat *l. vlt. §. vlt. D. commu. prad.* Cedere enim, eſt incipere deberi: Non eſt vero qui legata A debeat ante aditam hereditatem. Sequitur apud Marcellum huiuſmodi tractatus: Vni ex ſociis fundi communis viam ſi per ſuum fundum aliquis legauerit, & item alteri & vtrique pure adita hereditate via fundo communi adquiritur: Legati enim dies vtiliter cedit. Quod ſi vni ex ſociis pure, alteri ſub condicione viam legauerit, & pendente condicione dies ceſſerit, proculdubio inutiliter cedit: quoniam adquiri via pro parte non poteſt, & ideo vię legatum extinguitur. Verba Marcelli hæc ſunt: *Vt reſponſum eſt, cum alteri ex vicinis qui fundum communem habebant, viam ſub condicione, alteri pure legaſſet, pendente condicione deceſſiſſet.* Vbi pro *deceſſiſſet*, emendandum eſſe aſſeuero, *dies ceſſiſſet*: vt enim in ſuperiore caſu, dies pendente condicio- B ne ceſſit, ita & hoc caſu diem ponit ceſſiſſe pendente condicione: atque ideo efficitur, vt inutiliter dies vtroque caſu cedat. Quinimo ſic rurſus affirmo legendum eſſe: *Alteri pure legaſſet, & pendente condicione dies ceſſiſſet.* Quod ſi legas *Deceſſiſſet*, atque ita teſtatorem pendente condicione ponas deceſſiſſe, non ſtatim eo efficies, vt vię legatum intereat, niſi prius adierit heres quam extitiſſet condicio, quandoquidem non à morte teſtatoris, ſed ab adita hereditate ſeruitutes legatæ cedunt, vt iam ante demonſtraui ex *l. vlt. D. commu. prad.* & ita cenſeo.

Cap. XXIV.

Defenſa communis lectio in l. iuriſgentium §. & generaliter D. de pact. & reſtituta in l. ſi vnus, §. pacta, eod. tit. & l. penult. C. Ne de ſta. defunct.

AIt Vlpianus in *l. Iuriſgentium, D. de pactis. Et generaliter quotiens pactum à iure communi remotum eſt, ſeruari hoc non oportet, nec legari, nec iuſiurandum de hoc adactum, ne quis agat ſeruandum, Marcellus lib. 2. Digeſtorum ſcribit.* Ita in Florentinis, & in ſcriptis Codicibus legitur. Ita Conſtantinus legit Græcus interpres, *lib. 1. Epitom.* cuius hæc verba ſunt, *περὶ τῶν κοινὰ νόμιμα συμφωνεῖν ἐκ ἔξεστιν, ὐδὲ λεγατεύειν καὶ, ἐάν τις ὁμόσῃ ἐπί τοῖς τοιοῦτοις μὴ ἐναγεῖν, ἐκτέτρωται.* Verum annus eſt fere quartus ex quo me nobiliſſimi fratres om- D nibus ingenuis artibus, magnis nunc etiam & multis Reipub. honoribus præclare gerendis ornatiſſimi Nicolaus & Guilielmus Cheſnaij admonuerunt, ita potius pleriſque videri legendum eſſe in eo Vlpiani loco: *Et generaliter quotiens pactum à iure communi remotum eſt, ſeruari hoc non oportet, nec ligat, cum nec iuſiurandum de hoc adactum, ne quis agat ſeruandum, Marcellus lib. 2. Dig. ſcribit.* Quod etſi non exiſtimabam fore, vt obtineret atque probaretur, tamen quia iam hæc opinio mentes complurium peruaſit, vt exiſtiment ita prorſus eum locum eſſe corrigendum, hoc in loco faciendum viſum eſt, vt meam ſententiam oſtenderem, & illam, quod in me quidem eſſet opinionem amolirer. Vetus lectio, vt initio demonſtraui, & Latinorum & Græcorum librorum auctoritate confirmatur. Sententia etiam loci eius ita recte conſtat, vt contra ius commune velutiſne quis furti agat vel iniuriarum ſi feceris, neq; pactum valeat, neque legatum, neque iuſiurandum, neque ſtipulatio: præſertim cum hoc ipſum de legato & iureiurando coniunctim tradatur in *l. ſi quis inquilinos, §. pen. & §. vlt. D. de leg. 1.* Itaq; non video cur veterem lectionem immutandam eſſe cenſeant. Eo autem in loco pactum iure communi remotum eſt, quod contra leges factũ eſt, contra ius commune, contra Rempub. & vt Conſtant. vertit, *παρὰ τὰ κοινὰ νόμιμα.* & ideo apud Paulum in *§. pacta l. ſi vnus, D. de pact.* (in quo eadem de re tractatur) vbi ſic legitur, *& in ſumma ſi pactum conuentum à re priuata remotum ſit, non ſeruandum*; ſic feliciùs forſitan ea verba emandabimus: *& in ſumma ſi*

pactum

pactum conuentum à re publica remotum ſit. Vlpianus dixit, *& generaliter*: Paulus, *& in ſumma.* Vlp. *Remotum à iure communi*: Paulus, *remotum à re publica*, id eſt, contrarium rei publicæ. Nam ſi pactum rei dumtaxat priuatæ ſit contrarium, proculdubio ſeruandum eſt. Putem notas, vel vt Iuſtiniani verbo vtar, ſigla. id eſt, parua ſigna ſiue ſigilla, hunc etiam errorem attuliſſe, nempe illa, re p. quibus nunc itidem frequentiſſimè vtimur. Et auſim ex eadem cauſa dicere mendum eſſe conflatum in *l. pen. C. ne de ſta. def.* ibi, *Apud procuratorem Reipublicæ.* lego enim, *Apud procuratorem rei priuatæ*, cum ſit hæc propria Rationalis appellatio.

Cap. XXV.

Emendatus locus in l. contra, C. de re militari.

HOc deinceps mihi loco eſt in animo vitioſam *l. contra, C. de re milita.* ab ingenti mendo vindicare. Verba legis hæc ſunt: *Contra publicam vtilitatem nolumus à numeris ad alios numeros milites noſtros transferri. Sciant igitur comites vel duces, quibus regendæ militiæ cura commiſſa eſt, non ſolum comitatenſibus ac palatinis numeris ad alios numeros milites tranſferre non licere, ſed ne ipſis quidem, ſeu de caſtris riparenſibus caſtrenſianis, ceteriſque, cuiquam eorum transferendi militum copiã attributam, niſi hoc Auguſta maieſtas p. vtilitatis gratia fieri iuſſerit.* Quæ legis vero ſit ſententia, ſatis eſt perſpicuũ. Id enim tota lege aperte agitur, vt ne milites à numeris iniuſſu principis ad alios numeros transferantur. Sed quæ legiones comitatẽſes ac palatinę ſint, dubitari poteſt. Sacer comitatus ibi eſt, vbi princeps, *l. milit. §. ignominioſa, D. de re milit.* adhibita *l. 2. §. ignominia, D. de his qui not. infam.* quod & de Roma ſic ſcribit Herodia. lib. 1. ἐκεῖ τε ἡ Ρώμη ὅπου ποθ' αὐ ὁ βασιλεὺς ἦ. Comitatenſes igitur legiones, aut vexillationes, in comitatu ſunt principis: idque indicat *l. nemo C. de re milita.* Palatinæ, Palatio principis deputatę ſunt. Legiones etiam fuere pſeudocomitatenſes (vt conſtat ex Notitia Romani imperij, non ita dudum luci reddita ab Sig. Gelenio viro eruditiſſimo) ſic, vt opinor, dictæ, quod ſpecie ipſa & ordine Comitatenſes ementirentur. Fuerunt & legiones aliæ quæ Riparienſes dictæ ſunt vt apparet ex eadem Notitia, quod riparum caſtris eſſent deputatæ: ac etiam inde Rheni, Iſtri, Moſæ, Moſellæ accolæ, Ripuarij, eorumque leges, Ripuariorum ſiue Ribuariorum leges dictæ ſunt, latæ ab Theodorico Francorum rege: quæ in Conſtitutionibus Caroli magni leges Ripuarenſes appellantur. Inde & Noricum aliud mediterraneum, aliud ripenſe ſiue riparienſe. Pannonia ſecunda mediterranea, Pannonia ſecunda ripenſis vel riparienſis: Dacia mediterranea, Dacia ripenſis, in Nouel. cxxxi. & in Notitia Romani imperij, & *l. 4. C. de metal.* Hæc efficiunt vt non vereat ſic in *l. contra*, eſſe legendum confirmare, *Sed ne ipſis quidem* Pſeudo *comitatenſibus legionibus, ſeu de caſtris riparenſibus caſtrenſianis:* vt ſit ſenſus: Non tantum ex comitatenſibus vel palatinis numeris, ſed nec è pſeudocomitatenſibus quidem ipſis aut riparenſibus ad alios numeros, abſque principis nutu, transferri poſſe milites. Erroris cauſa in euidenti eſt: cum enim non intelligeret librarius quid ſibi vellet, *Pſeudocomitatenſibus*, & ſubſequerentur hæc verba, *Seu de caſtris riparenſibus*, eam ſtatim lectionem damnandam eſſe cenſuit, & ſcribendum ita, *Seu de comitatenſibus*. At credo me veterem germanamque lectionem reſtituiſſe.

Cap. XXVI.

Ex veteribus libris emendata l. cum appellatio, C. de appellat.

FActurus ne ſim rem gratam ſtudioſis, ſi quamuis ad ciuile ius id proprie non pertineat, expoſuerim vti ex veterib. libris prouinciæ vnius Thraciarum appellatio reſtituenda ſit, in *l. cum appellatio, C. de app.* addubito: Hæc enim his qui iuri ſtudent, alia fini quam qua ego me potiſſimum ad id ediſcẽdum ac deinde docendum etiam contuli fortaſſe non admodum placent. Sed ſequar hac in re tamen animi mei ſententiam, & quod non omnino eſſe negligendum iudico, his mandabo litteris. In ea igitur lege, quo in loco vulgo legitur *Hæmum montem*, veteres libri habent *Hæmimontum*, quam prouinciæ appellationem, licet illa quoque recta ſit, non eſſe improbandam indicat Notitia Romani imperij, vbi de prouinciis Thraciarum agitur: & Marcellinus lib. 26. inquit, porro relicta adiumenta Valenti laturus feſtinare ad Hæmimontum cogeretur, vnde etiam emendari locus Hilarij poteſt in lib. de ſynodis aduerſus Arrianos, in quo is auctor prouincias Orientis recenſet, ex quibus in Sardica ſancta ſynodus congregata fuit. Ibi enim pro *Eminonto*, vel vt alij, adſcripſerunt, *Eminunto*, legendum reor *Æminonto*: præſertim cum eam prouinciam Europæ ac Thraciæ coniungat Hilarius. atque ita in *l. cum appellatio* antiquam lectionem damnandam eſſe non cenſeo.

Cap. XXVII.

Emendata l. Seia, D. de inſtructo vel inſtrum. leg.

APud Scæuol. in *l. Seia, D. de inſtr. leg.* huiuſmodi proponitur ſpecies. Paterf. Seię ex parte heredi inſtitutę prælegauit fundum inſtructũ cum ſuis villicis & reliquis colonorũ Reliqua colonorum ſunt ea, quæ coloni ex pretio conductionis reliquati ſunt, *d. l. Seia. §. liberto, & §. prædia*, Plinius lib. 3. Epiſt. *Poſſeſſor*, inquit, *prior ſæpius vendidit pignora, & dum reliqua colonorum minuit ad tempus, vires in poſterum exhauſit.* Idem paterf. in codicillis ita ſcripſit: *Poſtea mihi venit in mentem Seiæ fundos, quos reliqui, ita vt ſunt inſtructi ruſtico inſtrumento, ſuppellectile, pecore & villicis cum reliquis colonorum & apotheca habere volo.* Quæſtionis eſt, quid legato contineatur. Si ſcripturam teſtamenti ſpectes, plenum eſt legatum: Inſtructum namque fundum legauit. qua appellatione non ea tantum quæ in codicillis recenſuit, continentur, ſed etiam quæ ipſe illic habuit vſus ſui quotidiani gratia, *l. quæſitum, §. ſed ſi fundus, eod. tit.* Sed melius eſt dicere non amplius deberi, quam inſtructi appellatione in codicillis, quod ſcilicet in teſtamento id obliuione præteriiſſet, contineri ſe velle oſtendiſſet. atq; ita reſpondit Scæuola. Ceterum verba reſponſi vno in loco, niſi me fallo, deformata ſunt. Ait Scæuola, Reſpondit teſtamento quidem vt proponeretur Seiæ inſuper fundum legatum. Lego, *Teſtamento quidem vt proponeretur Seia inſtructum fundum legatum*: vt recte ſtatim ſubſequatur, Verum non amplius deberi, quam in codicillis inſtructi appellatione contineri ſe velle oſtendiſſet. Alioquin, quid illic facit *Inſuper?*

Cap. XXVIII.

Alius in eodem titulo locus, qui non videtur eſſe integer, adnotatus.

VLpianus in *l. quæſitum §. idem reſpondit, D. de inſtr. vel inſtrum leg.* ex Papiniani reſponſis, *Do-*

mo, inquit, *per fideicommissum relicta cum supellectili Claudio Hieroniano clarissimo viro ab Vmbrio primo, & mensas, & ceteram supellectilem, quam in hortis paterfa. in proconsulatum profecturus contulerat, vt tutiore loco essent, contineri.* & ita legitur in Pandectis Florentinis. Ceterum alij codices pro *Hieroniano*, habent *Hermoniano*, alij *Hieronymiano*: duo autem scripti, qui penes me sunt, habent, *Herominiano*: quod proxime ad veritatem forsitan accedit. Quid enim si legamus Claudio Herminiano? Is fuit Proconsul Cappadociæ. Fuerat vero iam olim ab Tiberio Cæsare Cappadociæ regnum in prouinciæ formam redactum, vt Eutropius & Sex. Rufus tradunt. At decessit etiam in hoc proconsulatu Herminianus: & hoc Tertullianus his verbis indicat in lib. ad Scapulam: *Possumus*, inquit, *aque & exitus quorundam præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quod vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus hic gladiũ in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cum indigne ferens vxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio suo vastatus peste cum viuus vermibus ebullisset: Nemo sciat, aiebat, ne gaudeant Christiani. Postea cognito errore suo, quod tormentis quosdam à proposito excidere fecisset, pene Christianus decessit.* quo in loco prætorium male Rhenanus interpretatur esse villam: vix enim est vt in prouincia is proconsul villam habuerit: sed prætorium ita accipitur eo in loco, vt in *l. vlt. C. de offic. rect. pro. & l. vlt. C. Theo. de offic. iud. om.* Cum vero Claudius Herminianus Proconsul fuerit Cappadociæ, qui & ob eam causam vir clarissimus dicitur in eo §. & in proconsulatu decesserit, & detur species in eo §. testatoris in proconsulatu defuncti, velim vt studiosi iudicent, an ita sit ille §. emendandus: *Domo per fideicommissum relicta cum supellectili ab Claudio Herminiano clarissimo viro, Vmbrio Primo*: eorum enim volo iudicium esse, nec ipse quidquam affirmare audeo.

Cap. XXIX.

Explicatum an in specie l. qui Romæ §. Flauius, D. de verbor. oblig. sit locus rescripto D. Marci & Commodi ad Ansidium Victorinum.

CLaudio Stichum Flauius donauit ea lege vt manumitteretur, subdita pœnali stipulatione, si non manumitteretur & vindicta liberaretur. Quæstionis est, an de libertate Stichi Claudium conuenire Flauius possit. Scæuola ait posse in *l. qui Romæ §. Flauius, D. de verb. oblig.* Huic sententiæ interpretes obiiciunt constitutionem D. Marci & Commodi ad Ausidium Victorinum, vt ostendant agi frustra de libertate Stichi: Ex ea enim constitutione ipso iure liber fit, qui datur ita vt manumittatur. Ex quo etiam id efficitur, contra quam ibidem mox Scæuola respondeat, pœnalem stipulationem non committi, *l. vlt. C. Si mancip. ita fuer. aliena.* Denique frustra conuentioni huic stipulationem pœnalem adiungi. Et interpretes quidem alij Accursio assentiuntur, propemodum neganti ciuitatem Romanam ex constitutione seruis ea lege datis obuenire: cum tamen certum sit Constitutionem omnino legem traditionis subsequi, *l. 1. C. si emancip. ita fuer. alien.* vt plane in illa specie Stichus, qui vindicta manumitti debuit, ex constitutione ciuis Romanus effectus videatur. Alii sententiam Accursii lambentes tantummodo, id quidem spectandum esse non diffitentur, quod adnotauit Accursius, puta fuisse actum vti vindicta Stichus liber fieret, sed non tam à Claudio id eo actum animo, vt Stichus ciuis Romanus fieret, quam vt Stichi libertas in vulgus innotesceret. Ergo vt scil. huic animo Claudij satisfiat, Stichus ipso iure liber & ciuis Romanus effectus, rursum erit manumittendus vindicta, quandoquidem ait Scæuola, posse Claudium de Stichi libertate agere: atque ita liber homo & ciuis Romanus, vindicta manumittetur: quod non est credibile. Nec sane video, cur minus nota sit ea libertas, quæ seruis ipso iure contingit, quam quæ per Prætorem fortasse de plano & sine lictore atq; in vlla datur. Ego animaduerti Scæuolam loqui de seruo manumissionis causa donato: Constitutio autem Diui Marci & Commodi proprie pertinet ad seruos manumissionis causa venditos, non ad donatos, *l. Paulus respond. D. de liber. cau.* Scio quidem postea quasi è sententia constitutionis idem receptum fuisse in seruis eadem lege donatis, *l. pen. D. qui sine manumissio. ad libert. peruen. l. 1. C. si mancip. ita fuer. alien. vt manumit.* At Scæuola, qui de iure, temporibus Diui Marci & Commodi respondit, verba Constitutionis nondum ad seruos donatos porrectę secutus est: nec sane tunc in seruis donatis constitutioni locus erat. Hodie igitur inanes sunt quæstiones §. *Flauius.* Et hæc mea est opinio.

Cap. XXX.

Restituta græca dictio in l. Meniana, C. de ædificiis priuat.

IN *l. Meniana, C. de ædificiis priuat.* quę est Honorii & Theodosii ad Seuerinum P. P. sic in Haloandri codice legitur, Meniana quæ Græci κρόωνας appellant. Ceterum alii τειχοσὰς, alij σκιόπας, alij ὀροσυλίας, alij ὄρπας legunt. Ego quia in Notis ad *titul. de actionibus lib. 4. Institut.* non nisi obiter adnotaui legendum esse ἐξωσὰς, plenius paulo id hoc in loco explanare constitui. Vetustissimi & emendatissimi libri scripti habent ἐξωσὰς. quod nomen trahitur ἀπὸ τῦ ἐξωθεῖσθαι, id est, expellere & proiicere. Sunt ergo ἐξωσμὸι proiectiones, & hoc ipsum quoque meniana significant. Confirmat hanc lectionem Constantinus *lib. 2. Epitom. tit.* περὶ ἐξώσυ, & tit. περὶ ἡλιακῦ ἤτοι ἐξώσυ: vbi ipsius l. meniana sententiam is auctor interpretatus est. Fuit autem in prouinciis permissum ædificare meniana, non tamen in vrbe semper. Marcellinus lib. 27. *Nam & meniana*, inquit, *Prætextatus præfect. vrbi sustulit omnia, fabricari Romæ priscis quoque vetita legibus.* Multos ipse alios emendaui locos in Notis ad libros IV. *Institutionum, & ad Fragm. Vlpiani*, & in commentario de vsurpat. & vsucapion. quos in his Obseruationum & emendationum libris notare non constitui: nisi quotiens breuiter & in transcursu aliquis explicatus à me, ampliorem orationem desiderare videbitur.

Cap. XXXI.

Auctoritate Constantini Græci interpretis emendata l. eos qui ius, D. de ser. prædior. vrb.

QVorsum ait *l. eos, D. de ser. præd. vrb.* fenestras aperto pariete communi immitti non posse? An non idem iuris est in proprio pariete? præsertim cum vtroque casu sit locus illius philosophi sententię, μηδὲν διαφέρειν ἢ τὰς πόδας ἢ τὰς ὀφθαλμὰς εἰς ἀλλοτρίαν οἰκίαν πθέναι, & ideo sit necessaria seruitus luminum, quę ab Caio fenestra appellatur in *lib. 2. Institut.* id est, ius fenestrę immittendæ, vt hoc iure nobis liceat fenestras aperire? quas equidem sæpe opinor & lumina appellari, vt apud Ciceronem *lib. 2. ad Atticum, Radiorum*, ait, διαφάσεις *latis luminibus non tam solere esse fenues.* Cæterum in *l. eos*, Constantinus Harmenopulus legit, *pariete cæco.* Sic enim vertit *lib. 2. epitom.* ὁμὴ ἔχων δίκαιον φωταγωγῶν θυρίδων, ἃ δύναται τυφλὸν τοῖχον

δυσὶν οἴγειν, καὶ ποιεῖν δυεῖσας. quod etiam ea confirmant quæ tradidit in titul. περὶ δυείδων ἀνοιγομένων ἐν τυφλῷ τοίχῳ. Quid igitur ſi ſic legamus, *Eos qui ius immittendi luminis non habuerunt, aperto pariete cæco nullo iure feneſtras immiſiſſe reſpondi.* Paries cæcus eſt, qui feneſtras non habet, vt apud Virgilium lib. 5. Æneid.

Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille vijs habuiſſe dolum.

CAP. XXXII.

Emendatus locus in l. ſi per errorem, D. de iuriſdict one.

SI per errorem alius pro alio prætor fuerit aditus, nihil valebit quod actum eſt: nec enim ferendus eſt qui dicat conſenſiſſe eos in præſidem, cùm, vt Iulianus ſcribit, non conſentiant qui errent. Quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quam error qui imperitiam detegit? Hæc ſunt verba *l. ſi per errorem, D. de de iuriſdict.* in qua id mihi perabſurdum videtur, quod initio cum aditum ab litigatoribus Prætorem fuiſſe dicat, ſtatim in Præſidem ſubiungat eos non videri conſenſiſſe. Debuit enim potius dicere, *In Prætorem:* niſi legamus, *In præſentem:* & hoc probo. In præſentem, id eſt, in eum Prætorem quem per errorem adierunt, vt in hoc exemplo, Si Prætorem fideicommiſſarium adierint pro tutelari, in fideicommiſſarium conſenſiſſe non videntur: nec enim conſentiunt qui errant, vt Iulianus lib. 1. Digeſtorum ſcribit, *l. 2. D. de iudic.* Qui in abſentem Prætorem conſentiunt, nihil ex eo obligantur, antequam eum adierint, *l. ſi conuenerit, D. de iuriſd.* at poſtquam eum adierunt, atque ita conſenſerunt in præſentem, amplius mutandæ voluntatis facultatem non habent, niſi, vt in *l. ſi per errorem*, proponitur, alium pro alio per errorem adierint: nec enim tunc videntur in præſentem conſenſiſſe.

CAP. XXXIII.

De ſententia l. ſinguli, C. de accuſation.

IMpp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius in *l. ſinguli, C. de accuſat. Singuli*, inquiunt, *vniuerſique iudices cognoſcant in publicis criminibus non oportere emendicatis ſuffragijs decretorum, aut relationibus à publicis perſonis deſtinandis credere, ſed rei veritatem requirere.* Sic autem habent conſtantiſſime omnes libri ſcripti: non, vt quidam legunt, emendicatis vti ſuffragiis. Verum quæ ſint hæc emendicata decretorum ſuffragia, dubitari audio. D. Alciatus ciuitatum in alicuius honorem decreta eſſe interpretatur: Idem prorſus & quidam alij tradunt, cum ea contendunt nihil eſſe aliud quam ciuitatum, municipiorum, populi teſtimonia. Rem tamen omnem, quia mihi penitus intelle- E xiſſe non videntur, viſum eſt faciendum, vt quid hac de re mei iudicij eſſet, hoc in capite oſtenderem. Decreta, ea in lege, ſunt decurionũ decreta, vt apparet ex *l. conceſſum, C. Theo. de accuſationib.* ex qua *l. ſinguli* orta eſt. Ea enim eſt *l. conceſſum*, ſententia, Non emendicatis ſuffragiis decretorum, ſed accuſatione proprio nomine inſtituta, Præſidem vel officium eius accuſandum eſſe apud Præfectum prętorio, ob innoxios decuriones cæſos & verberatos. Emendicatis igitur ſuffragiis, id eſt, corrogatis & prehenſatis decurionum ſuffragiis, in necem Præſidis vel alterius: eodemque modo dixerunt emendicatis ſuffragiis in *l. 75. C. Theod. de decurionib.* pro decurionum ſuffragiis. Adiecit etiam Tribonianus ex alia conſtitutione, Non eſſe credendum relationibus à publicis perſonis factis. Hæ relationes, vt opinor, notoria vel elogia ſunt apparitorum ſeu Irenarcharum, *l. ab accuſatione §. nuntiatores, D. ad Turpillia, l. ea quidem, C. de accuſationib. l. 31. C. Theod. de epiſcop. & cleric. l. Diuus, D. de cuſtod. reorum*, quæ ab D. Auguſtino Notoriæ dicuntur in epiſt. 160. *Circumcelliones*, inquit, *quoſdam & clericos Donatiſtas, cura eorum, qui diſciplinæ publicæ inſeruiunt, præmiſſa notoria ad iudicia legeſque perduxit.* & in epiſtol. 159. *Qui non accuſantibus noſtris, ſed illorum notoria ad quos tuenda pacis vigilantia pertinebat, præſentati videantur examini.* Sic vero etiam legendum eſt in can. 1. 23. quęſt. 5. vbi illi, ad quos tuendæ publicæ pacis cura pertinere dicitur, Irenarchæ ſunt, vt opinor, ita dicti ἀπὸ τῆς ἄρχειν τῆς εἰρήνης. Porro ex his notoriis vel elogiis non eſt quiſquam vtique ſine accuſatore temere condemnandus, idque mandatis principum continetur, *d. l. Diuus.* Tertullianus in lib. ad Scapulam: *Pudens miſſum ad ſe Chriſtianum in elogio, concuſſione eius intellecta dimiſit, ſciſſo eodem elogio, ſine accuſatore negans ſe auditurum hominem, ſecundum mandatum.* Id alij legibus publicis contineri ſcribunt. Ammianus Marcellinus lib. 14 *Nec vox accuſatoris vlla licet ſubditi & in his malorum quærebatur aceruis, vt ſaltem ſpecie tenus crimina præſcriptis legum committerentur.* Ambroſius lib. 8. Epiſtol. ad Syagrium: *Si leges publicas interrogemus, accuſetorem exigunt.* D. Marcus apud Gallicanum. *Non poſſumus reum facere quem nullus accuſat.* & huc facit *l. 3. §. præterea, D. de ſuſpect. tut.*

CAP. XXXIV.

An per tutorem, curatorem, procuratorem adquiri poſſit hereditas.

PAulus ait in lege *per procuratorem, D. de adquir. hered. Per procuratorem hereditatem adquiri non poſſe.* Hæc eſt vetus lectio: nec ſatis forſitan eo in loco emendatæ ſunt Pandectæ Florentinæ, in quibus ita legitur, *Per curatorem hereditatem adquiri non poſſe.* Sed ſiue hoc, ſiue illo modo legatur, ego nec per curatorem, nec per tutorem, aut procuratorem hereditatem poſſe adquiri exiſtimo. Illud enim eſt ἀσυλλόγιστον, ſi quis iſta ratione probare velit, recte Paulum dixiſſe per curatorem, quia tutoris auctoritate opus ſit in hereditate adquirenda. Aliud namque eſt, tutore auctore, longe aliud per tutorem adquirere hereditatem. Tutore quippe auctore, id eſt, ipſo pupillo adeunte, ac ſolemnia peragente. per tutorem id eſt, adeunte tutore, atq; agẽte ſolemnia, eo modo recte ſibi hereditatẽ pupillus adqurit, non tamẽ auctore curatore: ideoq; tutorẽ habenti plerumque ſpecialis tutor ad adeundam hereditatem datur, *l. impuberi, D. de tutor. & curat. da. l. cum in vna, §. tutor. D. de appellat.* Vlpianus in Fragm. *tit. de tutelis*, quod ſcilicet ad eam rem non ſufficiat curatoris auctoritas. Ceterum vt per curatorem adquiri hereditas non poteſt, ita nec per tutorem, niſi pupillus infans ſit, *l. potuit, C. de iu. deliber. l. ſeruo inuito §. ſi pupillo, D. ad Trebellian*, & multo minus per procuratorem. Quod ſi per procuratorem adquiri poteſt, nihil hac in re præcipuum habet procurator Cæſaris: cui tamen hoc iure ſingulari lex datum ait, vt Cæſari adquirat, *l. 1. §. vlt. D. de offic. procurat. Cæſar. vel rationał.* Nihil denique hac in re diſtabit hereditas à bonorum poſſeſſione: Nam & per tutorem & per procuratorem adquiri bonorum poſſeſſio poteſt, *d. §. ſi pupillo, l. ſi maritus, C. mand. l. ſi quis alicui, D. de adquir. her.* Sed tamen hoc non eſt admittendum. Ius enim prætorium ciuili iure indulgentius & benignius eſt. Ius ciuile directum & aſperum, Ius prætorium mite & moderatum eſt: Atque ideo per tutorem, curatorem, procuratorem, bonorum poſſeſſio adquiritur. Hereditas

non aquiritur, & hoc probo.

CAP. XXXV.

De Synoneto ad titulum Codicis, vt nemini liceat in coëmptione ſpecierum ſe excuſare, & de munere ſitonici.

PVblica comparatio ſpecierum, Græcè συνώνητον appellatur, ἐκ τῆς σὺν καὶ ὠνῆς, *l. 1. C. Th. de pub. comp.* Latine coëmptio, *l. 2. C. de frum. vrb. Conſtant.* & ideo auctoribus etiam ſcriptis libris in tit. *Cod. vt nemini liceat in emptione ſpecierum ſe excuſare*, legendum eſt, *in coëmptione*. Quemadmodum autem huiuſmodi coëmptio accipienda ſit, non æque conſtat inter B omnes. Alij, enim vt noſter Accurſius refert, ſic eam accipiunt, vt prouinciales à fiſco ſpecies annonarias emere cogantur. Alij vt eas fiſco vendere forenſibus pretiis compellantur. & horum quidem ego ſententiæ potius accedo. ab ea enim facit aperte *l. 2. C. Th. de pub. comparation. l. 1. & 3. C. de quib. muner. vel præſtat. nem. liceat ſe excuſare.* & quod Sudas ſcribit in hunc modũ de onere ſynoneti ſiue συνωνῆς. Συνωνὴ τὸ ἄχθος ὅπ ἐπὶ Ἰʼʁʂιανῆ ἤτε σίτε φορὲ ἐπανίζε, &c. τόντε σῖτον οἰκοτεν τῷ δημοσίῳ χαείζεδαι, ϗ πίμπμα ἕτεγον ὑφ᾽ αὐτῆ καταπδίναι. τῆτ᾽ ἔʂι τὸ ἄχθος ὅφ συνωνὶὼ καλῆν νενομίκαʂι. Et Caſſiodorus lib. 12 Variarum, Laridi, inquit, atque tritici ſpecies nullis temporibus coëmptionis nomine inde decernimus poſtulari. Cura vero emendarum ſpecierum, vel, vt Iuſtinianus loquitur in *No. xxx.* cura σιτωνιζῶν ad eum pertinebat, cui princeps eam demandaſſet. Hæc autem, ſitonici munus in eo Codicis tit. vocatur: ſic enim lego ex veteribus libris. Scripſit de cura ſitonici Gregorius lib. 10. Epiſtol. quæ etiam ad interpretationem noſtram confirmandam maxime pertinent.

CAP. XXVI.

Emendata l. 61. D. de vſufr.

FRuctuarius tueri & reficere id quod accepit poteſt: nihil autem noui facere, niſi caſam fructuum colligendorum & recondendorum gratia. Ideoque vſufructuarius nouum tectorium parietibus inducere vel imponere non poteſt: & hoc Neratius ſcribit in *l. 44. D. de vſufr.* Idem Neratius in *l. 61. eod. tit.* Vſufructuarius, inquit, nouum riuum parietibus non poteſt imponere. Rogo, quis ſic loquitur, Riuum imponere? Deinde cur parietibus, vt ita loquamur, potius negauit riuum imponi poſſe, quam ſolo, quo plurimum riuus duci ſolet? Credo alium ex alio locum emendandum eſſe, atque vt in *l 44.* ſic & in *l. 61.* legi debere, *nouum tectorium*, Erroris cauſa forſitan hæc fuit in *l. 61.* quod exeſis prioribus ſyllabis huius vocis Tectorium, appa- E rebant ſolæ poſteriores, *rium*: vnde quidam ita ſibi ſtatim Riuum ſcribi oportere perſuaſerint. Sed poſſit etiam aliquis errorem hunc & vetuſtiſſimum, & ab ipſo auctore admiſſum dicere, quando ſæpe fit vti nos manus in ſcribendo fallat

CAP. XXXVII.

Corruptam videri l. Statuliberi à cateris, in princip. D. de ſtatulib.

STatuliberum non vt ſeruum, ſed vt liberum puniri probat *l. ſtatuliber, D. de quæſt. & l. moris* §. *vlt. D. de pœnis.* His tamen opponitur *l. ſtatuliberi* à ceteris. *D. de ſtatulib.* *Statulib.* ait lex, *à ceteris ſeruis noſtris nihilo pene differunt, & ideo, quod actiones vel ex delicto venientes* (id eſt noxales) *vel ex negotio geſto, contractu, pertinet eiuſdem condicionis ſunt ſtatuliberi cuius ceteri.* & hoc confirmat *l. 1. C. an ſer. ex ſuo fac.* Sequitur, *& ideo in publicis quoque iudicijs eaſdem pœnas patiuntur quas ceteri ſerui*: & hoc eſt quod pugnat cum ſuperioribus legibus. Habeo veterem librum manuſcriptum, in quo ita legitur: *Et ideo in publicis quoque iudicijs eaſdem pœnas patiuntur quas ceteri ſerui*: negatione tamen expuncta. quę res me ad hunc locum emendandum non mediocriter impulit. Cenſeo autem ſic legendum eſſe: *Set non in publicis quoque iudicijs.* & his verbis Põponium explicare, cur initio dixerit, *Pene.* Erroris cauſam ſi volumus perquirere, non eſt obſcura: hi enim articuli, &, ſet, crebro commutantur. Articulus autem Ideo, cum literarum compendio per I. & O ſignari ſoleat, temone ſuperpoſito, facile potuit *non*, ſic ſcriptum, in hanc notam *ion* degenerare: vt in *l. falſus.* §. *ſi quis ſponte, D. de furtis*, vbi quo loco vulgati codices habent *& ion*, in Florentinis eſt, *non.* Eſt etiam *l. ſtatuliberi à ceteris*, valde in §. *Quintus.* deprauata. quod à me faciente Domino, in ſecundo libro, quem manu emittam breui, hoc noſtrum qualecumque ſtudium ſi non improbari intellexero, apertiſſimis argumentis demonſtrabitur.

C

CAP. XXXVIII.

Multa eſſe in Pandectis inuerſo verborum ordine à librariis conſcripta, necdum reſtituta.

NVnc oſtendemus non omnes quidem, ſed nonnullos ex his quos iamdudum deprehendimus errores, creatos ex praua verborum aut verſuum collocatione, vt hoc velut indice ſtudioſi, vel ad ceteros, quos ſupprimimus, inueſtigandos: vel ad alios, quos adhuc non deprehendimus, inueniendos excitentur. Eſt erratum, ni fallor, hac in re in *l. vlt. D. de ſolut.* D Verba legis hæc ſunt: *Ei qui mandato meo poſt mortem meam ſtipulatus eſt, recte ſoluitur, quia talis eſt lex obligationis: ideoque etiam inuito me recte ei ſoluitur. Ei autem cui iuſſi debitorem meum poſt mortem meam ſoluere, non recte ſoluitur; quia mandatum morte diſſoluitur.* Quæ verba videntur aliena eſſe à principiis iuris ciuilis. Nam ſi ſimpliciter iuſſi debitorem meum ſoluere, fateor equidem extingui morte mandatum. At ſi iuſſi meum debitorem poſt mortem meam ſoluere, non video cur morte mandatum finiatur, quod in tempus mortis nominatim collatum eſt, *l. ſi vero non remunerandi* §. *vlt. & l. prox. D. mand.* Non video etiam cur prior ita ponatur ſpecies, vt aliquis mandato meo poſt mortem meam ſtipulatus fuerit ſibi ſolui. Nam etſi id non adiiciatur, *Poſt mortẽ meam*, ei etiam vt me inuito, ita me mortuo recte ſoluitur, *l. aliud, D. de ſolutio.* Quamobrem ſic exiſtimo reſtituendam eſſe legem vlt. *Ei qui mandato meo ſtipulatus eſt, poſt mortem meam recte ſoluitur: quia talis eſt lex obligationis. ideoque etiam inuito me recte ei ſoluitur. Ei autem cui iuſſi debitorem meum ſoluere, poſt mortem meam non recte ſoluitur: quia mandatum morte diſſoluitur.* Quin etiam ad hanc poſteriorem ſpeciem id adiici poteſt, me inuito ei recte non ſolui, id eſt, ſi dum res eſt in integro, ipſe mutauero voluntatem. Eſt forſitan erratum ſimile in *l. 1. D. ad leg. Iul. de vi priuata.* Lex initio ait de vi priuata damnum ex lege Iulia, tertia bonorum parte multari, & eſſe cautum, eadem ſcilicet lege, ne ſenator ſit, ne decurionatum aut vllum honorem capiat, ne in eum ordinem ſedeat, ne iudex ſit. Mox ſequuntur hæc verba: *& videlicet omni honore quaſi infamis ex Senatuſcon-*

sulto carebit. Miror cum id lege cautum fuerit, vt & *l. vlt. eod. tit.* confirmatur, quare dicat eum ex S. C. infamem esse. An igitur sic verba reponenda sunt? *& videlicet omni honore quasi infamis carebit. Eadem pœna afficiuntur qui ex S. C. ad pœnam legis Iuliæ de vi priuata rediguntur:* vt intelligatur S. C. Volusianum, *l. ex S. C. eod. tit.* Est profecto ex eadem pene causa valde perturbata *l. filius qui patri. D. de bon. libert.* quæ sic in in omnibus libris exscripta est, *Filius qui patri heres extitit fratrem exheredatum adrogauit, atque ita herede eo relicto defunctus est: bonorum possessionem liberti patris naturalis exheredatus non habebit. nam cui non exheredato talis adoptio noceret, nocere debet exheredato.* Quis vero est, qui non videat hoc potius ordine verba esse componenda? *Nam cui non adrogato talis exheredatio noceret, nocere debet adrogato.* Id enim ea verba quæ sequuntur exigunt, *Quoniam pœna quæ legibus aut edicto irrogaretur, adoptionis remedio non obliteraretur.* Tum vero illud constat, filio solam adrogationem in iure patronatus nihil nocere, *l. si libertus præterito, D. de bon. libert. l fed si §. patronum, D. de in ius voc.*

Cap. XXXIX.

Qua ex lege diuortia fiant, & quo vrbis condita anno factum sit primum diuortium, emendatusque locus Auli Gellij.

Diuortia fieri ex XII. tab. indicat M. Tullius in 2. Philip. his verbis: *Mimam illam suam suas res sibi habere iussit* ex XII. *tabulis & l. pen. D. ad leg. Iul. de adul. Si,* inquit, ex *lege repudium missum non sit,* id est, ex XII. tab. vt eius legis inscriptio suadet: sicut & in *l. vlt. D. de religios.* duplionem ex XII. tab. præstare eum qui rem litigiosam in sacrum dedicauerit: quæ duo nondum quisquam ad leges XII. tab. referri oportere animaduertit. Ceterum primum diuortium factũ fuisse sexcentis fere annis post vrbem conditam, Tertul. auctor est in libro de monogamia. *Adeo,* inquit, *repudium à primordio non fuit, vt apud Romanos post annum sexentesimũ vrbis conditæ id genus duritiæ fuisse denotetur.* & in Apologetico, *Per annos ferme sexcentos ab vrbe condita, nulla repudium domus sensit.* Scribit autem Dionysius lib. 2. primum diuortium ab Sp. Caruilio factum χϛ' τὸν ἑβδόμην ἐπὶ τοῖς τριάκοντα καὶ ἑκατὸν ὀλυμπιάσιν: id est vrbis conditæ anno D. XXIII. siquidem eodem auctore vrbs fuit condita septimæ Olympiadis anno primo. & hoc idem diserte Aulus Gellius tradit lib. 4. cap. 3. Sexcentis igitur fere annis post vrbem conditam nullum diuortium fuit, vt recte ait Tertullianus. Gellius tamen eo in loco scripsit quingentis fere: quod ego ex Tertuliano, & ex annorum ipsa ratione ita emendandum censeo, *Sexcentis fere.*

Cap. XL.

Quid hæc verba significent, & quod excurrit, in l. Publia, §. Titius, D. depos. & Vegetij locus emendatus.

Quid hæc verba significent in *l. Publia* §. *Titius, D. depositi. Item ex ratione patris vestri* X. *& quod excurrit,* ex Diuo Augustino Budæus exposuit, & recte vt opinor: quod aliis locis allatis confirmare libet. Volusius Mætianus Iurisconsultus in lib. de asse, *Ingeniosissime,* inquit, *cum ad denarium ratio conficeretur, excurrentis æris nota inuenta est,* & quæ sequuntur. Optatus Afer lib. 1. aduersus Parmenianum: *Nam ferme ante annos* LX. *& quod excurrit, per totam Africam persecutionis est denegata tempestas.* & lib. 3. *Quo tempore fuerunt & impij iudices bellum Christiano nomini inferentes, ex quibus in prouincia proconsulari ante annos* LX. *& quod excurrit, fuerat Anulinus, in Numidia Florus.* Sic etiam Vegetius locutus est lib. 1d finem: sed quia sunt auctoris verba deprauata in impressis libris, ex antiquissimo libro, qui apud me est, ea descripta proponam. *Nec aliquis,* inquit, *hæc superiore ætate accidisse miretur, cum post primum Punicum bellum* XX. *& quod excurrit annorum, pax ita Romanos illos vbique victores otio & armorum desuetudine enerauerit, vt secundo bello Punico Hannibali pares esse non possent.* Impressi sic hababant, XXIV. circulis excursis annorum pax, &c. Sed mihi ita probatur antiquissima lectio, vt eam potissimum huius libri coronidem esse voluerim.

BARTHOLOMÆO FAYO V. C. SENATORI PARISIENSI, IACOBVS CVIACIVS S.

NE diu te promissi mei expectatione suspensum teneam, Bartholomæe Fay vir clarissime, prolixo libentique animo ad te librum secundum Obseruationum & emendationum defero. In edendo tertio an cuncter, & me dem in ijs commentariis absoluendis, quos iam dudum ad quasdam Iuris ciuilis partes inchoaui, vel an omnino me à scriptione omni sustineam, vehementer animi pendeo. Vereor certe, nisi tu diffidentem & quasi verecundantem incitaueris, vt hic scribendi feruor paulatim refrigescat. Enimuero si tu me macte animi esse iubeas, vel si qua ratione alia nobis id saltem exploratum fuerit, hoc tibi qualecumque meum studium non improbari: ita testor, ita affirmo, in hoc immenso iuris pelago ad nauigationem omni ex parte optime conficiendam, præterea me alios neque ventos, neque remos magnopere requisiturum. Vale, Biturigis. XIX. Kalend. Septemb. 1556.

IACOBI CVIACII
I. C. OBSERVATIONVM
ET EMENDATIONVM
LIBER SECVNDVS.
AD BARTHOLOMÆVM FAIVM
SENATOREM PARISIENSEM.

CAPVT PRIMVM.

Valde in explanandis numerorum notis erratum esse in l. Thais §. libertatem, & §. ab heredibus, D. de fideic. lib.

SCÆVOLA in *l. Thais, §. libertatem, D. de fideic. lib.* cũ ita seruo fideicommissam libertatem in testamento dominum adscripsisset, *Cupitum seruum meum, cum Marcianus filius meus sedecim annos impleuerit, rationibus redditis liberum esse volo:* Marciano impubere defuncto, id est, intra XIV. annum ætatis, quamuis condicio defecerit, eo tamen tempore, quo si viueret, Marcianus sedecim annos impleret, libertatem deberi ait, idque fauore libertatis iam dudum receptum est. Ceterum non video cur ponat Marcianum impuberem decessisse, vt libertatis condicionem defeciſſe ostendat, quandoquidem nec pubertas Marciani condicionem explet. cum enim expectandus sit annus decimus sextus, sane non impletur condicio pubertate Marciani, sed anno ætatis decimo sexto. Igitur cum ad pubertatem condicio non respiciat, ad decimum sextum ætatis annum, non intra pubertatem, sed intra præstitutam ætatem Marciano mortem contigisse Scæuola scribere debuit. Sed videamus an hic error aliquis librario imputandus sit, qui scilicet in eo §. tribus in locis cum hac numeri nota XIV. pubertatis tempus designatum esset, non vti debuit, eam pro Quatuordecim acceperit, sed pro Sedecim. Equidem profecto hanc libertatis condicionem fuisse credo, Cum Marcianus filius meus quatuordecim annos impleuerit, vt & in *l. vlt. eod. tit.* & ideo Scæuola deinde scripsit impuberem decessisse filium, id est, intra præstitutam ætatem XIV. annorum. Confirmat me eiusdem legis §. *ab heredibus*, in quo etiam pro Quatuordecim, perperàm librarium Sedecim scripsisse, ex his illius §. verbis, *Vsque in diem pubertatis*, liquidò constat. Confirmant me libri etiam scripti quos apud me habeo, in quibus vterque §. habet XIIII. non XVI. atque ea re sum omnibus studiosis auctor, vt etsi editis Pandectis Florentinis, nihil ad Pandectarum restitutionem præterea quicquam desiderandum esse plerique vociferentur, quotquot poterunt alias tamen quascunque manu scriptas Pandectas conquirant, certoque iudicio earum scripturam expendant, & examinent, nec enim fidem habendam esse censeo his qui ceteras omnes ex Florentinis dimanasse profitentur.

CAP. II.

An in alienam voluntatem conferri legata possint.

LEgatum ita recte in voluntatem legatarij confertur, *Si volet*, quia condicio est: quod vno auctorum & interpretum consensu comprobatum est. An vero legatum in extranei voluntatem conferri possit, magna est quæstio. Videtur enim pugnare *l. nonnumquam D. de cond. & dem. cum l. senatus. §. legatum, D. de leg. lib. 1. & l. 1. D. de leg. lib. 2.* Sed omissis interpretum traditionibus vt hæc verba, *Si Titius voluerit*, dupliciter accipiam, inclinat animus. Aut enim his verbis totum testator in voluntate Titij posuit vt is arbiter & quasi dator legati sit: & hoc fit inutiliter, *l. nonnumquam.* Aut hæc verba pro condicione accepit in hunc sensum, Si forte acciderit aliquando, vt id Titius velit. & hoc non fit inutiliter. Æque enim valet legatum, atque si obscuriori oratione sit res collata in voluntatem Titij: vt puta *Si Titius Capitolium ascenderit*, & hoc ita Vlpianus tradit in *l. 1. de leg. 2.* In arbitrium, inquit, alterius conferri legatũ, veluti condicio potest. quid enim interest, *Si Titius Capitolium ascenderit*, mihi legetur, an *Si voluerit*, veluti condicio, id est, quasi condicio, sed malim legere *Veluti condicionem.* Ex eo quidem loco quod Vlp. idem alibi tradit, legatum in aliena voluntate poni posse, sic accipiendum esse reor, vt in aliena voluntate quasi condicione legatum possit. *l. senatus §. legatum.* Nam in *l. fideicommissaria 3. D. de fideic. libert.* idem auctor ideo libertatem ita relictam, *si Titius voluerit*, deberi ait, quod condicio potius sit scilicet, quam legati dandi merum arbitrium: & huic condicioni eo etiam loco illam, *Si Titius in Capitolium ascenderit*, parem facit omnimodo. De legatario & extraneo, quæ dixi. De herede, quæ dicam. Duplex est arbitrium. Est liberum arbitrium. *l. vtrum §. cum quidam. D. de reb. dub.* quod & plenum dicitur in *l. fideicommissa §. sic fideicommissum. D. de legat. 3.* & mera voluntas in *l. sisic legatum D. de legat. lib. 1.* Est & arbitrium boni viri. Bonum virum cum dicimus, non iudicem dicimus, etiam si maxime is boni viri officio fungi debeat, *l. ceterę §. 1. D. fam. ercisc.* sed qualemcum que omnibus virtutibus instructum & ornatum, iustum, fidum, innocentem, vt

Cicero definiuit *lib. 5. Tuscul. & in 3. de Offic.* In arbitrium heredis quasi boni viri legatum conferri potest. In plenum heredis arbitrium conferri legatum non potest, vtputa, *Si voluerit*: ne sit in eius arbitrio quem testator obligare cogitat, an sit obligatus. atque ideo hæc etiam verba pro condicione non accipiuntur, nisi fauore libertatis, quemadmodum in initio *l. fideicommissaria 3. D. de fideic. lib.* aperte demonstratur. namque si libertas ita relicta fuerit. veluti sub condicione, non eo animo vt auctor dandę libertatis heres ipse solus existeret, *Si heres voluerit*, libertas debebitur statim vt heres annuerit. Ceterum ita relictum legatum, *si heres voluerit*, nec si post annuerit heres, debebitur: quoniam inutilis prorsus ea scriptura est. Sub alia condicione, licet obscure legatum in heredis arbitrium conferatur, vt puta, *si heres Capitolium ascenderit*, nisi heres noluerit, vtilis scriptura est, *l. 3. D. de legat. 2. l. fideicommissa*, §. *sic fideicommissum de legat. 3.* At nisi fauore libertatis hæc verba, *si voluerit* ad heredem relata per speciem condicionis numquam certe defendemus. Et in quæstione quidem ista, sententiæ huius esse me non pœnitet.

A B

Cap. III.

Emendata l. miles, D. de legat. lib. 2.

Miles ad sororem epistolam talem scripsit, *scire te volo donare me tibi aureos* D C C C. eamque post mortem suam aperiri mandauit. Quæstionis est, an ex ea epistola fideicommissum sorori debeatur. Mouet, quod nemo rogatur sorori dare, ac omnino fideicommissi verba deficiunt. At Papinianus in *l. miles, D. de legat. lib. 2.* fideicommissum deberi respondit, idemq; seruari in pagani voluntate: *Placet enim*, inquit, *consistere fideicommissum, ac si defunctus cum eo loquatur, quē precario remuneratur.* Quæ verba inconcinna sunt: debuit enim potius sic scribere, *Placet enim consistere fideicommissum, ac si defunctus cum eo loquatur, quem precario rogat.* atque ita ipse alias legendum esse arbitratus sum. Ceterum inspecta re omni diligentius, & cum P. Fabro inuicto studiorum nostrorum comite communicata, sic potius eum locum restituendum esse animaduertimus: *Placet enim consistere fideicommissum, etsi defunctus cum eo loquatur, quem precario remuneratur.* nam & Constantinus ita vertit *lib. 5. Epitom.* εἰ καὶ μὴ πρὸς αὐτὸν κληρονόμον, ἀλλὰ πρὸς ἐμὲ διελέχθη. Quamuis igitur defunctus cum fideicommissario loquatur, non cum herede, consistere fideicommissum placet. Placet autem Imperatoribus vt indicat *l. peto, D. eodem* & hæc fuit Papiani sententia, à qua etiam facit quod in hunc modum Paulus *lib. 4. sentent.* scribit: *Qui fideicommissum relinquit, etiam cum eo cui relinquit, loqui potest, veluti, Peto contentus sis illa re:* aut, *Volo tibi illud præstari.*

Cap. IV.

Vti conciliandа sit l. quid tamen, D. de contrah. emp cum l. cum ab eo §. vlt. eod tit.

Si contrahentes in materia dissentiant, nulla emptio est. Materiæ, substantiæ, οὐσίας, qualitatis nominibus promiscue vtimur, *l. in venditionibus, l. quid tamen D. de contrah. empt. l. si sterilis §. quamuis* D. *de act. empti.* Id vero ita procedit, si verbi gratia vnus æs vendere, alter emere se aurum existimauerit. Quid igitur fiet si & hic se aurum vendere, & emere ille existimarit, cum æs esset? quo casu errat quidem vterque in materia, & pro auro æs accipit, dissentiunt tamen inter se ipsi nullo modo, quandoquidem qua de re vendenda vendi-

C

ter, de eadem etiam emptor emenda sentit. Denique errant in materia, dissentiunt inter se non item. Verum placet non dissensu tantū, sed hoc etiam errore vitiari emptionem. At rursus quid fiet, si vterque aurum esse putet id, quod ex magna parte aut æneum est aut argenteum, id est, si aurum æroſum vel argentoſum (his nominibus in hac significatione vsi sunt Plinius *lib. 33. cap. 5.* & Scæuola noster in *l. creditor, D de solut.*) pro auro purissimo accipiat? Et Vlpiano placet emptionem valere in *d. l. quid tamen.* quod res quæ ematur, auri aliquid habeat, atque ideo quod non omnino erratum sit in materia. Eadem ratione si inaurata vel inargentata pro aureis vel argenteis veneant, emptionem valere putant. vtitur exemplo viriolæ quæ aurea dicebatur, ad licitationem à coheredibus deductæ & vni addictæ, quæ postea inuenta sit magna ex parte ęnea. Est autem Viriola, ornamenti genus. Credunt quidam apud M. Tullium in *3. de Nat.* deorum, cum de Dionysio tyranno loquitur, pro *Victoriolas*, legendum *Viriolas*: quanquam Valer. Max. *lib. 1. cap. 2.* Victorias ediderit. Ceterum Vlpiani sententiæ proximum est, quod traditur in *l. in venditionibus, & l. prox. eod. tit.* emptionem valere, si aurum deterrimum pro optimo veneat, vel si vinum in acorem versum pro incorrupto vino veneat. nam & his omnibus casibus non omnino erratur in materia. Sed si aurichalcum pro auro, stannum pro argento, embamma, id est, τὸ ὄξος σκευασὸν pro vino væneat, sane quia omnino in substantia erratur, nulla emptio est. Vlpiani sententiæ opponi solet *l. cum ab eo §. vlt. D. eod. tit.* & explicari etiam totum id hoc modo solet, vt ideo nulla sit emptio mensæ argento coopertæ & pro solida emptę, quod id fuerit actum nominatim inter contrahentes vt solida mensa esset ex auro. Quod etsi præter legis mentem & verba comminiscitur Accursius, tamen vt maxime id actum fuerit nominatim, inuenio non ideo minus emptionem valere. Semper enim id agi intelligitur, atque adeo semper pro cauto habetur, *l. cum quid, D. de reb. credit* nec tamen ideo Vlpianus emptionem valere negat. Reliquæ Accursij explicationes, vt sunt ineptæ, ita omnium improbatione reiiciūtur. Ego separāda esse puto inaurata vel inargentata ab eis quæ auro vel argento cooperta sunt. Illis aurum vel argentum immixtum & infusum est, & ideo qui rem inauratam emit pro aurea, non omnino errat in materia: namque in ea inest auri aliquid. His autem quę argento cooperta sunt, argentum infusum vel immixtum non est: & ideo qui mensam ligneam argento coopertam pro argentea emit, omnino errat in materia. mensa enim nulla ex parte argentea est, sed operimento dumtaxat laminę vestita est, vt de quadam Tib. Cæsaris mensa lignea locutus est Plinius *lib. 13. cap. 15.* vel incluſa argento, vt est in *l. legata, D. de sup. leg.* & ita ipse *l. quid tamen*, cum §. *vlt. l. cum ab eo*, in concordiam esse adducendam reor.

D

E

Cap. V.

Deesse negationem in P. Florentinis in l. si sterilis §. quamuis, D. de act. empt.

Operæpretium est explicare an itа recte absque negatione in Pandectis Florentinis scripta sit, *l. si sterilis §. quamuis D. de actionibus. empt:* *Quamuis supra diximus, cum in corpore consentiamus, de qualitate autem dissentiamus, emptionem esse.* Et quidem opinor in aliis codicibus merito negationem addi: namq; nullo in loco superius dictum est emptionem esse: quinimo dictum est emptionem non esse, quotiens in materia erratur, *l. in venditionibus, l. quid tamen. D. de contrah. empt.* Qualitas autem pro materia accipitur in

§. *quamuis* vt ex propoſito exemplo de eo qui emens A ſit: & ideo in *l. ſi venditor* §. *vlt. D. de action. empt.* de alterius materiæ menſas, emere ſe citreas putauit, ſatis vt arbitror liquet. Ideoque illa verba, *Quamuis ſupra diximus*, putem eſſe referenda ad *l. in venditionibus*, *& l. quid tamen.* non ad Pauli libros: quemadmodum & in *l. ſi in emptione* §. *liberum*, *D. de contrah. empt.* eadem ferè verba referuntur ad *l. nec emptio. eod. tit. & in l. impuberem.* §. *item non continetur. D. ad leg. Cornel. de falſ. ad l. Diuus*, §. *item Senatus*, *eod. tit.* proinde Triboniani videntur eſſe, non Pauli. Quamuis autem nulla ſit emptio, cum in materia ſiue qualitate diſſentiunt, tamen auctore Paulo, emptori ex empto datur actio in id quanti intereſt ſe deceptum non eſſe menſas quaſi citreas emat, quæ cupreſſinæ ſunt. nam cupreſſinarum: quidem nulla emptio eſt, & condictione indebiti vel B ſine cauſa pretium quod ſoluit emptor poteſt repetere, *l. ſuæ rei*, *l. cum ab eo* §. *vlt. D. de contrah. empt. l. cum hereditatem*, *D. de heredit. vend.* ſed ex empto etiam actionem habet in id quanti ſe deceptum non eſſe intereſt: qua actione Paulus ait & ignorantem venditorem teneri: quod ex *l. Labeo*, *libro poſteriorum*, *D. de contrah. empt.* ſic neceſſario explicandum eſt, vt ſciens in id omne quod intereſt teneatur, ignorans non niſi mẽſarum citrearum nomine. cui ſimile eſt quod de loci ſacri emptione traditur in *l. hanc legem. & l. prox. & l. qui officy*, §. *1. D. eod. tit.* Fuere autem citreæ menſæ magno in pretio, vt Plinius indicat in *lib. 13. cap.* 15. cuius capitis hic eſt titulus. De Atlantis arboribus & cedrinis menſis. Sed cum in *lib.* 1. legatur *citreis*, non *cedrinis*, & Petronius dicat, *Afris eruta terris citrea menſa*, & cum Tertullianus in *lib.* de pallio, menſam à M. Tullio emptam, cuius in eo capite meminit Plinius, orbem citri appellet, me non pœnitet ſententiæ G. Philandri eſſe, qui emendat in Plinio citreis, citri, & citrum. Sic & *lib. 16. cap.* 15. *&* 16. pro cedro ſcribendũ citro. Citri arbores ſunt frugiferæ. Cedri ſunt, vt Sudas ſcribit. δένδρα ὑψικομα καὶ ἄκαρπα, ἃς ἀπιναζει Δαβὶδ πλὴν εἰδωλολατρείαν. Hę igitur inter ſe appellationes confundendæ non ſunt. Et hęc ſufficiant ad §. *quamuis*.

Cap. VI.

Explicatio eorum quæ continentur in l. cum aurum §. *ſi* D *cui eſcarium*, *D. de au. & arg. leg.*

Escario argento legato, lex ea, quam huius capitis inſcriptio indicat, id ſolum deberi ait quod ad edendum & potandum in miniſterio teſtator habuit. Proinde argento eſcario legato, & potorium legatum videri, vt & *l. pediculis*, §. *quidam* D. *eod. tit.* Etiam illud adiungit, Aquiminarium argentum legatum videri: nam & hoc propter eſcam paratur. In aquiminario autem argento numerantur vaſa aquaria argentea, *l. in argento* §. *vlt. eodem tit. l.* 3. *de ſuppel. leg.* At Cocinatorium inſtrumentum eſcario contineri negat, & in cocinatorio inſtrumento numerat cacabos & milliarium & ſartaginem, & alia vaſa ad coquendum comparata: vbi Cacabus eſt in quo pulmentarium coquitur, E Miliarium vero malè Beroaldus & Nebriſſenſis & Accurſius vas eſſe tradunt ad milium coquendum, ſine vllo auctore. Probarim id potius quod Athenæus lib. 3. δειπνοσοφιστῶν ſcribit τὸ μιλιάριον καλούμενον ὑπὸ ῥωμαίων τὸ εἰς θερμὸν ὕδατος κατεργασίαν χρησιμαζόμενον. & ſane Miliarĩ cocinatorium nihil eſt aliud, quam aënum in quo aqua ad potandum calefit. *l. cum de lanionis* §. *item cacabos. D. de inſtr. vel inſtrum. leg.* ſed in balneatorio inſtrumento Paulus miliaria etiam numerat, in quibus ad lauandum aqua calefit *lib. 3. Senten. tit.* 9. Aënum etiam id in quo aqua calida lauatur olea, *l. ſed addes* §. *item aënum. D. loca.* miliarium appellari poteſt. Denique aënum ſiue miliarium vas eſt, in quo aqua calefit: & ideo in *l. ſi venditor* §. *vlt. D. de action. empt.* de fiſtulis eſt quæſtio, quæ ducunt aquam in aënum, id eſt, miliarium: quod quia in emptionem domus non cedit, ideo nec eius cauſa comparatæ fiſtulæ accedere videbantur: cæterum vt redeamus ad rem, id certe conſtat ex §. *ſi cui eſcarium* aliud eſſe argentum eſcarium vel eſcale, aliud potorium, aliud aquiminarium, aliud cocinatorium: & in eſcario potorium & aquiminarium etiam contineri, non cocinatorium. Ex quo apparet quanta fuerit veterum Romanorum luxuria, qui vſi ſint cocinatoriis quoque inſtrumentis ex argento: qua de re ſcribit Plinius *lib. 33. cap.* 11. Caluum Oratorem eſſe queſtum. Lampridius tamen Heliogabalum cacabos argenteos primum habuiſſe refert. Vaſa cocinato- B ria, in P. Flor. & Cocitatoria dicuntur in *l. penul. D. de penu leg.* vbi certe malim Cocinatoria, vt eſt in aliis codicibus.

Cap. VII.

Explicata & emendata l. ſtatuliberi à ceteris. §. *Quintus*, *D. de ſtatulib. & complures aliæ.*

Quod ſuperiore libro ſum pollicitus fore vt in hoc explicarem §. *Quintus l. ſtatuliberi*, *D. de ſtatulib.* tempus eſt iam id hoc in capite præſtare. Lex ita patrẽfam. in teſtamento ſcripſiſſe ponit, *Si Andronicus ſeruus meus heredi meo dederit decem, liber eſto:* vbi loco, *decem*, C credo legendum xx. quod paulo poſt duobus in locis xx. ſtatuliberum dediſſe ponat, & ita etiam τὸ πλάτος & quidam ſcripti libri habent. Verum illo modo data libertate, lex ait de bonis ortam eſſe controuerſiam: & qui ſe lege ab inteſtato heredem aiebat eſſe, eum quidem egiſſe petitione hereditatis: poſſeſſorem vero, ex teſtamento heredem ſe dixiſſe, ac tandem ſecundum eum fuiſſe dictam ſententiam, qui ſe teſtamento heredem eſſe aiebat. Vbi loco etiam horum verborum, *Qui teſtamento* legendum videtur, *Qui lege:* quandoquidem ſtatim lex ait contra poſſeſſorem iudicatum, poſſeſſorem victum hereditatis petitione, is autem fuit ſcriptus heres: item viciſſe legitimum heredem, victum fuiſſe heredem ſcriptum, dictam ſententiam ſecundum D heredem ab inteſtato. Vnde liquido apparet ſic illo in loco legendum eſſe, *Secundum eum ſententia dicta erat, qui lege aiebat ſe heredem eſſe.* Hinc deinde, vt ait lex Andronicus quærebat ſi ipſi, id eſt, heredi legitimo xx. dediſſet, quoniam ſecundum eum ſententia dicta eſt, futuruſne liber eſſet: quod certe non quęreret, ſi ſcripto eidemque victori dediſſet, quia tum proculdubio conſtat eum liberum fieri. Proinde hoc duntaxat Andronicus quærit, qui teſtamento iuſſus eſt heredi xx. dare & liber eſſe, vtrum legitimo heredi dando qui vicit hereditatis petitione, ad libertatem perueniat, an qua vicit illa ſententia, nihil ad eam rem valere videatur. Et quamuis Mucij ſuppreſſa ſit ſententia, videtur tamen in id inclinare, vt ad libertatem Andronicus peruenerit, vtque legitimo heredi, ſecundum quem dicta eſt ſententia, omnimodo dari pecunia debuerit: namque ideo mox Andronicum ait ſcripto, contra quem pronunciatum fuit pecunia data, non fore liberum. Sententia igitur hac in re ius facit, & ei qui vicit ſtatuliber non heredi ſcripto dare debuit. Sed hæc ita vera ſunt, quemadmodum Labeo tradit, ſi re vera petitor heres eſſet legitimus. Alioquin liberum fore Andronicum, etiamſi victoris, non victori pecuniam dediſſet, videlicet ſi per imprudentiam iudicis aut errorem aut iniuriam poſſeſſor hereditatis verus heres teſtamentarius victus eſſet. Tum ex Ariſtonis reſponſo ita concluditur, verius eſſe, Andronicum fieri liberum quamuis non ſcripto dederit ſed victori, videlicet etiam ſi re vera victor heres ab inteſtato non fuerit. Denique

nique Andronicum liberum fieri, ſiue ſcripto contra A quem ſententia dicta eſt, iam ante dederit: ſiue poſt ſententiam, victori. In hoc tamen victori poſſeſſorem victum teneri, vt acceptam à ſtatulibero pecuniam reſtituat, quaſi ex hereditaria cauſa perceptam. Ergo qui dat victori, liber fit: qui iam ante dedit heredi ſcripto, & poſtea victo, re contra teſtamentum iudicata æque fit liber. quod autem in ea lege traditur de xij. tabulis, & ab interpretibus perperam explicatur, eius vera interpretatio aſſumenda eſt ex his quæ ſcribit Vlpianus in fragmentis tit. de ſtatuliberis, vbi etiam memini me hanc legem non prætermiſiſſe. Præterea in extremo legis ſic ex ipſo autographo Pandectarum Florentinarum admonui legendum eſſe in *l. nunquam, D. de vſurpat. & vſucap. Cum cæteris an quoque pecuniam*: vt in *l. ſi totam, D. de adquir. her. Si totam an partem. An* pro *Eam.* & miror cur vt in *l. ſi totam* in hac quoque Typographi autographon ſecuti non ſint. & quando mihi nunc hoc etiam in mentem venit, eoſdem minus fero, cum in Pand. Florentinis in *l. proinde*, D. *de reb. credit.* ſcriptum ſit *Adquoiſitum*, excudentes *Appoſitum*, manifeſto mendo: cuius tamen Hugonem à Porta Lugdunenſem typographum ab aliquo admonitum fuiſſe, Pandectæ, quas non ita dudum excudit, ſatis indicant. Ceterum iis quæ eliciuntur ex §. *Quintus* de libertate, vt re ſecundum heredem legitimum iudicata ea nihilominus impleta condicione Andronico competat, opponitur *l* 3. D. *de pignor.* Cui multæ aliæ conſimiles adiunguntur, ex quibus hoc efficitur, Victoriam legitimi heredis legatariis & libertatibus nocere, ſiue ſciuerint, ſiue ignorauerint heredem ſcriptum de re litigare, præterquam ſi colluſum ſit, ex conſtitutione Antonini Pij, vel ſi heres præſcriptione ſuperatus ſit, ex conſtitutione fratrum. Quod ſi per iniuriam iudicis ſuperatus ſit, iniuriam ei factam verius eſt legatis & libertatibus nocere: alioqui nulla erit differentia inter creditorem & legatarios, eoſve qui libertatem acceperunt. quod Papinianus negat in *d. l. 3.* & ideo putem in *l. ſi ſeruus plurium* §. *1.* D. *de legat. lib. 1.* negationem abundare, ac legendum ita: *Iniuria ei facta nocebit legatariis.* Nocebit autem, ſi ſecundum heredem legitimum fuerit iudicatum, non item ſi ſecundum ſubſtitutum, quoniam ſubſtitutus eſt ſucceſſor teſtamentarius. Ergo duobus dumtaxat caſibus exceptis ex conſtitutionibus, victoria legitimi heredis ceteris omnibus nocet: quæ ſententia pugnat cum hoc §. *Quintus* & cum *l. 1. infra de excep. rei indic.* Porro autem in hoc §. ideo libertas competit, quod ita hæc data ſit, Si heredi xx. dederit ſcripto ante ſententiam, ſtatim liber fit. quia heredi dedit, ſiue legitimo poſt ſententiam, quia & hoc caſu verum eſt eum heredi dediſſe, vel potius quia vt in perſona emptoris ex xij tab. hæc condicio ab ſtatulibero impleri poteſt, ita & in perſona victoris, vel alterius qui dominium in eo ſit adeptus, *l. ſi ſtatulibera* §. *ſtatuliber, &* §. *prox. de ſtatuliberis.* Igitur ſententia ſecundum heredem legitimum data, relictæ ſub hac condicione libertati nihil officere poterit. Alia vero lex de exceptione rei iudic. ſic accipienda eſt, ſi de legato actum ſit, & ideo ceciderit legatarius, quod ruptum vel irritum diceretur teſtamentum, non item ſi pro herede legitimo de hereditate iudicatum fuerit: id quod legis extrema verba indicant, quam ſententiam ſecutus eſt Accurſius in *l. Papin* §. *vlt.* D. *de inoffic. teſtam.* & mihi probatur, eo maxime quod in Pandect. Florent. in *d. l. 1.* ſcriptum ſit, *Vel legato*: vnde coniecturam facio legendum, De *legato.*

CAP. VIII.

Sublatum mendum ex l. humilioribus, C. de ſuſcept. præpoſ. & arcar.

HOnorius & Theod. in *l. pen. C. de ſuſcep. præpoſ. & arc.* ne à publicis muneribus decuriones reuocentur, eos humiliora officia vel extraordinaria onera ſubire nolunt, & exemplum apponunt ſuſceptionis veſtium militarium, quam æquum non eſſe aiunt vti decuriones ipſi obeant: multo autem æquius eſſe vt militarium veſtium, quæ ſcilicet à prouincialibus conferuntur, vt apparet ex *tit. de milit. teſtam.* ſint ſuſceptores ipſi milites cohortales, qui ſunt in officio proconſulari, vel qui in eodem proconſulari officio meruerunt. Horum namque, inquiunt, intereſt huiuſmodi explorare rationem, & quærere qualitatem eorum, quorum ad conſtituendum commodior cura eſt. Vbi quid ſibi hæc verba valent, *Ad conſtituendum*, diu multumque dubitaui: poſtea vero quam in *Codice Theodoſiano* ſcriptum legi, *Ad contuendum*, ſtatim ſum ſuſpicatus legendum vtroque in loco, *Ad conſuendum*, hoc ſenſu vt cohortalium officiorum & militum maxime interſit rationem veſtium explorare, & quærere qualitatem eorum qui conſuendis veſtibus operam commodius daturi ſint: neque enim æquum eſſe, vt qui lucra veſtium ſentiant, hæc onera non ferant. Veſtium igitur erunt ſuſceptores ipſi milites non curiales, niſi forC te quidam ex eis in officio proconſulari fuerint, aut nunc etiam in eo ſint, publici muneris euitandi gratia. Sunt aliæ mendorum tenebræ ingenteis in poſtremis tribus Codicis Iuſtiniani libris, quibus, fauente Domino ſperamus aliquando nos clariſſimum lumen prælaturos.

CAP. IX.

Explicata & emendata l. in agris, D. de adquir. rer dom.

D LImites ſunt in agris limitatis, qui populo iter præbent ex *lege Sempronia, Cornelia, & Iulia*, & ideo in modum agri non cedunt limites, *l. id quod* §. *1. D. de peric. & com. rei vend.* ex eis alij ſunt Decumani Maximi, qui fiunt ab Oriente in Occidentem, alij Cardines Maximi, qui ex tranſuerſo currunt, alij actuarij, alij ſubrunciui. Decumani. ex Auguſti conſtitutione, pedes xl. Cardines, pedes xx. Actuarij, pedes xii. ſubrunciui legitimam viæ latitudinem, id eſt, pedes viii. habent, auctore Hygeno in lib. de limit. conſtit. His limitibus quoniam diuiſi & circumſcripti ſunt agri limitati, ideo in eis ius alluuionis ceſſat, vt oſtendi in *lib. 2. Inſt. tit. de rer. diuiſ.* nec poſſunt incrementum vel ex alluuione, vel ex inſula in flumine nata ſuſcipere, *l. 1.* E §. *ſi inſula, D. de flumin.* Quinimo inſula in flumine nata non eorum fit qui prope ripam limitata prædia poſſident, ſed occupanti cedit. Ait vero Trebatius, auctore Florentino in *l. in agris, D. de acquiren. rer. dom.* agrum limitatum non eum eſſe qui hoſtibus deuictis ea condicione conceſſus ſit, vt in ciuitatem veniret. hic eſt ager per extremitates menſura comprehenſus, qui ciuitati totus aſſignatus eſt per vniuerſitatem, vt, auctore Iulio Frontino, in Luſitania Salmaticenſibus, & in Hiſpania citeriore Palatinis, & in compluribus prouinciis tributarium ſolum per vniuerſitatem populis definitum eſt. At eum, vt Florentin. ſcribit, agrum Trebatius ait eſſe limitatũ, qui expulſis hoſtibus manu capt[ ] eſt. & hunc ideo limitari ſolitum, vt ſciretur quid [ ]d tum, id eſt, quid victori militi veteranoque aſſig[ ] daeſſet: item vt ſciretur quid veniſſet (prædia er[ ]natum [ ]im capt

partim assignabant, partim distrahebant, *l. Lucius, D. de euiction.*) item vt sciretur quid in publico relictum esset. vbi liber scriptus, qui est apud me, habet, *Quid ve-p. relictum esset.* vnde suspicor legi debere, *Quid veteri possessori relictum esset.* nam agro ex hoste manu capto, plerumq; veteri possessori vel totus ager, aut pars aliqua reddebatur: & relinquebatur honoris causa, vt ait *l. item si verberatum, §. item si forte, D. de rei vind.* quod sic cexplicat Siculus Flaccus in lib. de condicione agrorum. *Nec tamen omnibus*, inquit, *personis victis ablati sunt agri: nam quorundam dignitas, aut gratia, aut amicitia victorem ducem mouit, vt eis concederet agros suos.* Reddita vero veteri possessori, apud Valerium Probum in legibus & plebiscitis inuenio his notis signari, V. P. R. ex quibus in *l. in agris* errorem creatum opinamur, quod & in limitum inscriptionibus ita fuisse annotatum Siculus, Aggenus, Hygenus tradunt. Suet. in Domitiano: *Subcesiua quæ diuisis per veteranos agris earptim superfuerunt, veteribus possessoribus vt vsucapta concessit.*

Cap. X.

Quæ sit sententia l. quotiens, C. de precib. Imper. offer.

SOlent in Gallia rescripto principis petentibus egenis debitoribus inducię tribui, anni aut biennij aut quinquennij. quod videtur originem habuisse ex *l. vniuersa C. de precib. Imp. offer. l. vlt. C. de cess. bono.* idemque Theodericum Italiæ & Gotthiæ regem obseruasse Cassiodorus *lib. 2. Variar.* ostendit his verbis: *Sed quoniam lapsos,* inquit, *nihil releuasse proficit, si onus aliud solutionis accedit, qui memoratis negotiatoribus noscuntur mutuasse pecuniam, celsitudo tua faciat admoneri, ne in hoc bienny spatio quicquam de credita summa æstiment postulandum: quatenus sub induciis supradictis & datam possint reparare pecuniam, & aliquatenus dubitorum valeat respirare substantia.* Sunt vero qui ad hunc debitoribus dandarum indiciarium morem putét etiam pertinere *l. quoties, C. de precib. Imper. offerend.* quod ipse, quãuis Accursius & Anianus interpres Codicis Theodosiani, & complures alij se ita existimare tradant, mihi persuadere nullo modo possum. Nam lex ait, moratoriam præscriptionem remitti posse, peremptoriam conuelli, relaxari non posse. Quod, si vera est illotum traditio, sic erit accipiendum, vt moratoria remitti, id est, concedi possit, peremptoria conuelli & relaxari, id est, concedi non possit: qua interpretatione nihil est absurdius. Probandam equidem censeo secundam interpretationem Accursij, vt si debitori competat prescriptio dilatoria vel moratoria, vt puta pacti conuenti, ne intra quinquenium petatur: hæc creditori suum persequenti ante quinquenium remitti & relaxari possit: peremptoria exceptio non item, vt puta pacti conuenti ne vnquam petatur. Neque obstat *l. si ante, C. de pact. inter emp. & vendit. comp.* nam venditor qui postulat, vt sibi post constitutum diem offerre pretium emptori & venditorem resoluere liceat, iam non dilatoriam, sed peremptoriam præscriptionem remitti postulat: quandoquidem venditori post diem offerenti recte ita præscribetur. μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τῷ δίκην ὡς τῆς χρόνων ἐξηκόντων ἐν οἷς ἔδει τὸ τίμημα ἀποδοῦναι. atque hoc satis, vt opinor, liquet.

Cap. XI.

Interpretatio §. Callimachus l. qui Roma, D. de verb. obligat.

NVnc de specie §. *Callimachus, l. qui Roma, D. de verb. obligat.* loquar. Ea vero est de nautica pecunia: cuius condiciones eæ sunt, vt eius pecuniæ vsuræ debeantur ex pacto, vt grauissimę vsuræ debeantur, vt creditor vsque ad certum locum vel ad certam condicionem, vel ad certum tempus, vel vt omne itionis & reditionis periculum sustineat. & est huiusmodi species. Callimachus mutuam pecuniam nauticam accepit à Beryto in Brentesium in omnis nauigationis dies ducentos, & à Brentesio in Berytum, si intra Idus Septembreis Callimachus à Brentesio soluisset: & in eam rẽ pignori cauit esse merces quas Beryto comparasset, quasq; Brentesio redempturus esset: quo in pignore ipse didici priuilegium habiturum creditorem, propterea quod merces Brentesium illatæ, pecunia eius comparatæ sunt, *l. licet, C. qui potior. in pig. hab.* quarũ condicionem par est sequi merces Bretensio reparatas & redemptas, *l. cum tabernam, D. de pignor.* Verum ideo addita fuit illa condicio, vt intra Idus Septemb, Callimachus à Bretensio solueret, quod imminentis brumæ tempore magnum sit ab vniuerso naufragio periculum, *l. ciuitas, C. de offic. rector. prouinc. l. vtique §. vlt. D. de rei vindic. l. litus, 1. de verb. sign. l. suus, §. puto, de hered. instit.* quod Pleiadum occasus indicat, & hoc Andr. Alciatus etiam attigit: Ceterum si intra Idus Septemb. Brentesino portu Callimachus non solueret, Eroti seruo, nauticę pecuniæ gratia secuto (mittit enim solebat à creditore seruus qui pecuniam tempore statuto exigeret, atque pro serui operis & sumptibus in stipulationem certa summa deducebatur, *l. nihil §. pro opetis, D. de naut. fœn. l. traiecticia, D. de oblig. & act.*) placuit vt continuo sortem cum vsuris & serui sumptibus restitueret Callimachus. Hęc autem omnia Callimachus cauit Sticho seruo L. Titij, quem & Seium appellat Scęuola in §. *Callimachus.* ex consuetudine Iurisconsul. qui promiscue his nominibus C. Seius, L. Titius vtuntur, pro quibuslibet personis, vt philosophi Socratis, Dionis, & Theonis: quod his verbis Plutarchus ἐν τοῖς ῥωμαϊκοῖς adnotauit quæst. XXIX. διὰ τί πρὸ νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, ὅπου σὺ Κάϊος ἐγὼ Καΐα. τοῖς δὲ ὀνόμασι τῶν τοῖς ἄλλοις κέχρηνται κοινοῖς ἔστιν ὥσπερ οἱ νομικοὶ Καΐον Σήϊον καὶ Λέκιον Τίτιον, οἱ δὲ φιλόσοφοι Δίωνα καὶ Θέωνα παραλαμβάνουσι. & hunc morem etiam Tertullianus in Apologetico secutus est, *Bonus*, inquit, *vir C. Seius, sed malus tantum quod Christianus. Ego Lucium sapientem virum repente factum Christianum defero, &c.* Sed quę nascatur ex illa specie quæstio, videamus. Si Brentesino portu soluerit Callimachus ante Idus Septembres secundum legem conuentionis, sed eo tempore quo iam pecuniam Brentesio Eroti reddere deberet, id est, cum prope instarent Idus Septembres, quæsitum est, an submersa naue post Idus, ad creditorem ideo pertineat periculũ, quod Callimacho cum non longe abessent Idus Septembres, nauigationem instituenti Eros consensisset. Scæuola negat periculum ad creditorem respicere, & merito; non fuit enim vlla Eroti talis data potestas inopportunæ nauigationi consentiendi: denique post diem nauis amissa est, *l. fœnerator, D. de naut. fœn.* & paria sunt post Idus nauem soluere, ac tum soluere cum iam intra statuta tempora nauis Berytum peruenire non potest, *l. cum stipulatus sim, D. de verb. obligationib.* At vulgo ita legitur in §. *Callimachus*, *In nauem misisset eo tempore.* Ego iam dudum in vetustis libris quos fidei meæ testandæ causa neminem celabo, ita scriptum reperi: *In nauem misisset set eo tempore quo iam pecuniam Brentesio reddere Roma perferendam deberet*: vt Iam articulus signum sit tarditatis, quoniam eo tempore certum erat ante Idus nauigationem confici non posse. Sic vero sæpe in P. Florentinis extrema vnius dictionis repetenda est syllaba, vt & alibi adnotaui. Tum vero deinde in eo §. quæritur quid fiat si post Idus nauem soluenti Callimacho Eros consense-

rit: quod fruſtra quæri videtur. nam ſi periculum creditoris illo caſu non eſt, & hoc etiam caſu erit multo minus. Sed ſeruo data hoc caſu fuit proferendi temporis poteſtas: & ideo non abs re quæritur, an ſubmerſa naue ob ſerui conſenſum ipſo iure dominus actionem ex ſtipulatu amiſerit. Reſpondet Scæuola, ipſo iure actionem domino dari, ſed exceptioni locum fore; ſi ſeruo datum eſſet arbitrium, id eſt, cum ſeruo id in mandatis datum eſſet. Atque hæc de §. *Callimachus* ſatis fere diximus.

Cap. XII.

De taxationis verbo quod proprium eſt Iuriſconſultorum, & locus M. Catonis emendatus.

TAxationis nomine leges vti Iuſtinianus auctor eſt in *Nou. lxiij. & No. lxxxij.* αἰτὶ τῆς ῥητῆς ποσότητος ὁριζομένης παρὰ τῦ διαζόντος. id quod plerumque fit iuſiurandum in litem refrænandi cauſa, *l. videamus* §. *penult. D. de in lit. iur. l. 3.* §. *praterea. C. ad exhib. l. arbitrio*, §. *1. D. dolo, l. qui reſtituere, D. de rei vindic. l. ſi quando C. vnde vi.* vel auctore Sext. Pompeio cum arbitro præſcribitur vſque ad quam ſummam ius ei ſtatuendi ſit. Taxationes etiam dicuntur in teſtamentis & in contractibus, præſcriptiones quædam verborum quibus oratio aut coërcetur, aut dilatatur: nam plerumq; taxationes efficiunt, vt minus quam dictum ſit debeatur: vt ecce ſi quis vendat x. pondo olei quod natum erit: ſunt hæc verba, *Quod natum erit*, loco taxationis: & ideo x. pondo emptori, niſi nata ſint, non debebuntur: & ſi quinque dumtaxat nata ſint, hęc ſola debebuntur, *l. ſi debitor* §. *veriſimile, D. de contrah. emp.* cui, vt & inſcriptionum ſimilitudo ſuadet, optime *l. cum certus, D. de trit. vi. & ol. legat.* coniungetur. Nonnunquam vt plus debeatur quam dictum fuerit: quemadmodum ſi quis vendat xviij. iugera fundi, & quod eius admenſum eſſet, ad ſingula pretium conſtituat: ſunt hæc verba, *Quod eius admenſum eſſet*, loco taxationis, & ideo xx. inuentis, pro xx. pretium debebitur, *l. qui fundum* §. *qui agrum, D. de contrah. empt.* Sic alibi traditur, hæc verba *Quidquid ad te peruenit*, haberi loco taxationis, & nihil ex eo quod peruenit prorſus deduci, *l. Mœuio* §. *vlt. D. de legat. lib. 2.* Inuenio etiam quod veteres in vino diis offerendo erant ſoliti dicere, *Macte vino inferio eſto*, taxationis habuiſſe vim: atque ita cenſuiſſe Trebatium ſcribit Arnobius *lib. 7.* aduerſus gentes. *Inferio*, inquit Trebatius, *verbum ea cauſa eſt additum, eaque ratione profertur, ne vinum omne omnino quod in cellis atque apothecis eſt conditum, ex quibus illud quod effunditur promptum eſt, eſſe ſacrum incipiat, & ex vſibus eripiatur humanis. Addito igitur hoc verbo, ſolum erit, quod inferetur ſacrum.* Ex eo autem Arnobij loco ſane quam elegantiſſimo, corrigendus alter eſt M. Catonis in libro de Re ruſtica, vbi Iano ita vinum dari ſcribit. *Iane pater, vti te ſtrue commouenda bonas preces bene precatus ſum, eiuſdem rei ergo macte vino inferiori eſto*: Et Ioui ſic, *Iupiter macte fercto eſto, macte vino inferiori eſto.* Nam pro *Inferiori*, legendum omnino eſt *Inferio*: quod verbum taxationis cauſa, vti dictum eſt, adiicitur. Atque ita deus ab illis, addita taxatione, colebatur.

Cap. XIII.

Reſtitutum Alytarchiæ nomen in l. 1. C. de offi. Com. Orien. & in l. 2. C. de cupreſſis.

LEx prima C. *de offic. com. Or.* à Leone Auguſto ſcripta eſt, non vt vulgo legitur ad Vſeum, ſed ad Puſeum pręf. prætorio, vt & *l. 3. C. de his qui ſpon. mun. ſuſcip.* qui etiam eo anno conſulatum geſſit cum Ioãne, quo Anthemium Occidentis imperat. Leo fecit. Conſtituit autem in ea Leo, vt quæ deputata ſunt Lyciarchię & Syriarchię ludis in prima Syria tam per officia comitis orientis v. s. quam præſidis Syrie v. c. exigantur: vtque ludi Lyciarchiæ comiti, Syriarchiæ præſidi curæ ſint, & ne curiales hæc munera etiam ſua ſponte ſuſcipiant. Verum cum Aſianæ, non Orientis dioceſeos Lycia ſit, vti conſtat ex Notitia Rom. Imp. qui fieri poteſt vt cura Lyciarchię ad comitẽ orientis pertineat? Itaque rectius vet. libri pro Lyciarchiæ, duob⁹ in locis habent Alytarchiæ. & ita ille locus purgandus eſt. Fuit Alytarcha ſacerdos Antiochię in Syria, ſic dictus, quod ludis qui fiunt in honorem deorum τῆς ἀλυτάρχης, id eſt, maſtigophoris præſit, auctore Phauorino. Inde ſacerdotium ipſum Alytarchia dicitur, ea forma qua & Aſiarchia, Bithyniarchia, Cappadocarchia. Phœnicarchia, Syriarchia, & his ſimilia ſacerdotiorum & flaminum nomina, *l. 1. C. natural. lib. l.* ἐὰν δύο §. ἔθνους *D. de excuſa. tut. l. 2. C. Th. de excep. lud.* Fuit autem olim Alytarchæ permiſſum ex luco Daphnenſi, qui eſt in ſuburbiis Antiochenæ vrbis cupreſſis denſiſſimus, vnam cupreſſum excindere. plures plantare, *l. & more*, C. *Th. de iu. fiſci.* quod nominatim abrogatur in *l. 1. C. de de cupreſſis*, ſi quidem in ea ſic legendum eſt, *Sed nec Alytarcha vnam cupreſſum, aliis plantatis, excidere ſibi licere contendat.* & ita cum me eum locum Cadurci emendantem Ant. Loiſelus forte audiiſſet adoleſcens doctiſſimus, codicem deinde mihi dedit, in quo vti propoſui, ea lex clariſſime præſcripta eſt. Reſtat vt, cum fuerit à me ſuperius reſtituta inſcriptio, *l. 1. C. de offic. com. or.* reſtituatur etiam ſubſcriptio ex vet. lib. in hunc modum, *Datav. Id. Nouemb. CP. Baſiliſco & Armerico coss.*

Cap XIV.

De regionibus vrbis Romæ & regionibus Italiæ ac ſuburbicariis, & explicata l. 1. §. penult. D. de offic. præfe. vrbi.

REgiones antiquæ Romæ xiiij. fuiſſe indicat *l. 3. in princip. D. de offic. præf. vigil.* Totidem & nouæ Romæ, id eſt, Conſtantinopoleos fuiſſe oſtendit Notitia Romani imperij, & *No. 43.* De regionibus antiquæ Romæ, ſunt qui putent accipiendum id eſſe quod Vlp. ait in *l. 1.* §. *pen. D. de offic. præf. vrbi.* præfectum vrbi & vrbe interdicere, & qua alia ſolitarum regionum poſſe: quod mihi non fit veriſimile: nam regione tantũ aliqua⁹ vrbis interdicere moris fuiſſe non credo. Malim id de regionibus ſuburbicariis & regionibus Italiæ accipere, quam de vrbis regionibus. Separantur ſuburbicariæ regiones ab Italiæ tegionibus in *l. 9. C. Th. de anno. & trib. l. 9. C. Th. de ext. mun.* Sed cum poſſit Italia omni præfectus vrbi interdicere, poterit etiam ſuburbicaria vel quapiam Italiæ regione interdicere: nam & cum ſicut is, cui prouincia interdictum eſt, Italia ſummouetur, ex D. Claudij conſtitutione, vt Suetonius ſcribit, non ita quoque prouincia ſummoueatur is, cui eſt interdictum Italia, niſi ſpecialiter prohibitum fuerit, *l. 2. D. de ſer. export.* poterit etiam præfectus vrbi eum, cui Italia interdixerit, ſpecialiter ſummouere à prouincia ſua, *d. l. 1.* §. *penult.* Suburbicariæ autem regiones dicuntur etiam vrbicariæ in *l. 1. C. Th. ſi per obrep. ſacr. impet. l. 14. C. Th. de ind. deb. l. 3. C. Th. quib. eq. vſ. l. 9, C. Th. de ext. mun.* vt & apud Caium ac Theodoſium auctores limitum, Tuſcia Vrbicaria & Annonaria: fuit enim vna Tuſcia Suburbicaria, & altera Annonaria. vt Picenum aliud Sub-

urbicarium, aliud Annonarium, in *l. 12. C. Th. de ind. deb. & in Notit. Rom. imp.* Hinc & ſuburbicarię eccleſiæ apud Rufinum Aquileienſem in canone ſexto Nicæni concilij, & ſuburbicariæ prouinciæ in Valentiniani *Nou. 2. de tyronibus.* Hinc etiam aliquando mihi placebat in *d. l.* 1. §. *penul.* pro *Solitarum*, legere *Suburbicarum*, Sed præſtat ſolitas regiones pro ſolitis Italiæ aut ſuburbicariis regionibus accipere. Atque ita ceſeo.

CAAP. XV.

Quæ ſint pacti conuenti vires, & explicata l. pacta conuenta, D. de contrah. emp.

HIs nominibus idem ſignificatur, Pactum, pactio, pactum conuentum, pactum nudum. Conuentum ſic dicitur quaſi nihil præter conuentionem habens, vel quaſi compactum. Nudum, quaſi ſolum, ſine nomine, ſine cauſa. Dicitur etiam pactum & conuentum, vt apud Paulum lib. 1. Sentent. tit. de pactis & conuentis, & M. Tul. pro Cæcin. *Quæ, inquit, iudicia aut ſtipulationis aut pacti & conuenti formula*, & Iuuenalis. *Conuentum tamen & pactum*: Pactum à contractu ſic ſeparatur: Pactum neque nomen neque cauſam habet. Contractus, aut nomen habet, aut, ſi nomine vacat, certe cauſam habet. Cauſam autem habet conuentio, quæ datione vel facto ſumpſit effectum: ideoque Do vt des, contractus eſt: Dabo vt des, pactum. Ex contractu datur actio: Ex pacto in ciues Romanos non datur actio: conſtituitur enim ex eo naturalis, non ciuilis obligatio. Sed tamen ex pacto datur exceptio, & hoc eſt quod ait Prætor, *Pacta iuſta ſeruabo.* Seruat Prętor, id eſt, tuetur pacta datis exceptionib. At pacta vel contractib. adiiciuntur, vel non adiiciuntur. Hæc proculdubio nunquam actionem pariunt, ſemper exceptionem pariunt, Illa quæ ſcilicet proprio nomine leges appellantur, ex continenti, id eſt, initio contractum aut ex interuallo. Quę adiiciuntur ex interuallo non pariunt actionem, ſed formant contractum. *l. cum dotem.* C. *de iu. dot.* id eſt, formam & legem dant contractui: formant ipſam actionem, *l. iuriſg.* §. *quinimo D. de pact.* id eſt, actionem ex ipſo contractu. Itaque ſi conuenerit ab initio, vt venditor ſatisdaret de euictione, qui ex natura contractus non cogitur niſi repromittere, aget emptor ex empto cum vęditore vt ſatisdet: atque ita pactum emptionem format, &, vt Latini Græcique interpretes locuti ſunt, transformat, τυποῖ ϗ μὴ τυποῖ. Quod ſi ab initio conuenerit, ne venditor teneretur ob euictionem, quod etiã alienum eſt à natura & qualitate contractus, proderit pactum venditori ad exceptionem, vel etiam ipſo iure ſe tutum eſſe contendet, quandoquidem pacti exceptio ineſt bonæ fidei iudicio, *l. nec ex prætorio, D. de diuerſ. regul. iur.* Quę ex interuallo fiunt de ſatisdatione præſtanda ob euictionẽ, hæc ſtultũ eſt querere, an actionem pariant: nec enim venditori aliter vtilia eſſe poſſunt quam excipiendo. His vero pactis detrahitur emptioni, illis additur: his leuior, illis fit grauior emptionis condicio. Sed vtraque fiunt de adminiculis: euictiones enim non perficiunt emptionem, ſed iam perfectæ emptioni ſubſidio & auxilio ſunt. At vero ſi ex interuallo pacta fiant de his quæ ſunt ex ſubſtantia contractus, vt puta re, pretio, conſenſu, quibus ſcilicet emptio perficitur, ſi res non ſit integra, nulla naſcitur actio: ſi res ſit integra, emptio tollitur mutuo diſſenſu, vel etiam reformatur, renouatur, repetitur: & hoc poſteriore caſu datur actio, non quidem ex pacto ſed ex noua emptione. Et hæc eſt ſententia *l. pacta conuenta, D. de contrah. empt.* Item *l. iuriſgen.* §. *item reſponſum & §. adeo, D. de pact.* In §. *item reſponſum, Extra naturam*, ſic interpretor, extra ſubſtantiam, cum Accurſio. Credo enim in eo §. eam Papiniani ſententiã citari, quæ ex *lib.* 10 *quæſt.* relata eſt in *d. l. pacta conuenta.* nam quod dicitur reſpondiſſe Papinianum, hoc æque ad quæſtionum ac ad reſponſorum libros referri poteſt, *l. Claudius, D. de his quib. vt indig. l. 94. §. 1. D. de ſolutio. In §. Adeo*, hæc verba, *Ex eodem contractu*, ſic accipio. ex ſubſtantia contractus. Rurſum in eodem §. cum ſit ſcriptum Floren. *Exceptiones poſtea factæ*, credo fuiſſe ſcriptum inuerſis primis duabus ſyllabis *Exceptiones*, pro *Depectiones*, vt in *l. 2. C. de abolit. deceptionem*, pro *depectionem.* Depectio nihil aliud eſt quam pactum. Ac de pactis quidem hæc ratiſſima & certiſſima eſſe arbitror.

CAP. XVI.

Supereſſe negationem in l. ſub condicione, D. de condic. inſtit.

SEruus vel filiusfam. heres inſtitutus, hereditatem adire iniuſſu domini vel patris non poteſt, ne inuitus æri alieno dominus vel pater obligetur. Condicionem vero inſtitutionis ſine iuſſu domini vel patris implere poteſt: & hoc diſertè ſcribit Paulus in *l. 5. D. de condic. & demon.* & ſeruo filioque parem pupillum facit: ait enim à pupillo etiam condicionem impleri poſſe ſine tutoris auctoritate. Cuius ſententiæ cum ſit manifeſta ratio, nimirum quoniam eo facto nemo fraudatur, nec hereditas adquiritur, ſed eo tantum res adducitur, vt pura ſit inſtitutio: & cum de pupillo ipſum hoc nominatim tradatur in *l. ſi pupillus, D. de condic. inſtit.* non vereor affirmare in *l. ſub condicione* (quæ ante illam *l. ſi pupillus*, poſita eſt) ſupereſſe negationem: & ita Modeſtinum, quia ſcribere debuit, etiam ſcripſiſſe, *Sub condicione heres ſeruus inſtitutus, ſine iuſſu domini condicioni parere poteſt.* quod à me iampridem animaduerſum & publice ſæpius demonſtratum eſt.

CAP. XVII.

Quid ſit Commendare in l. & ſi quis §. funeris, D. de religioſ. & ſumptib. fun.

IN actionem funerariam veniunt ſumptus funeris cauſa facti, veluti ad pompam exequiarum, ad elationem corporis, ad locum ſepulchri, ad perferendum corpus hominis peregre mortui, ad cuſtodiendum corpus. Additur in *l. & ſi quis. §. funeris, D. de religioſ. & ſumptib. funer.* ad commendandum corpus. Quod niſi deprauatum eſt, referendum videtur ad nænias & præficarum laudationes. Sed his non corpus. id eſt, cadauer mortui, verum vir ante iam defunctus commendatur. Deinde non apte coniuncta eſt impenſa commendationis, impenſæ cuſtodiæ. Quid igitur ſi legamus, pro *Commendandum*, *Commundandum?* Vt apud Columellam, *lib.* 12. *cap.* 18. Aqua eluenda ſunt & commundanda: & in *l. argumento. §. ornamentorum. D. de aur. & argen. legat.* Solebant enim corpora lauare, abluere, pollincere, ex quo polinctorum quædam erat inſtituta negotiatio, *l. 5. §. ait*, D. *de inſtitor. act.* & hæc noſtra opinio ſi nõ improbatur, hic, ni fallor, ſenſuſerit aptiſſimus: quod ad cadauer cuſtodiendum, conſeruandum, commundãdum erogatum ſit, ad funeris cauſam referri. Sed verius eſſe didici à viro ornatiſſimo & literatiſſimo D. Gulielmo Pellicerio Monſpeſſuli Epiſcopo, commendare eo in loco nihil aliud eſſe quam deponere, quoad iuſtæ ſepulturæ tradatur: vt in veteri quodam libello dato Seuero Imp. *Cum corpora eorum fictili Sarcophago commendauerim, &c.* & in teſtamento Geruntij, *Simplici ſepulchro conditus vel potius commen-*

datus, & sic in *l. si quis eo, D. eod.* ostenditur plerumque corpora temporiscausa deponi.

Cap. XVIII.

De diebus vtilibus & continuis.

Dies vtiles qui à Græcis interpretibus ὠφελιμαῖοι dicuntur, hi sunt quibus experiundi iuris sui potestas est, *l. 1. D. de diuers. temp. præscrip. l. miles*, §. *quædam*, *D. de adult. coërc. l. iure*, *C. eod. tit.* His aduersi sunt dies continui. Sunt & sessionum dies, quibus Prætor pro tribunali sedet, qui continuis etiam aduersi sunt, non tamen semper sunt vtiles: nam sæpe fit vti die sessionum, experiundi quis potestatem non habeat. Contra, dies vtiles plerumque sunt, quamuis sessionum non sint, vt puta, si talis sit res que de plano & feriato die possit expediri. De sessionum diebus agitur in *l. 2.* §. *dies*, *D. quis ordo in bonor. possess. serue, &* (vti iam dudum ex Ant. Goueano didici) in *l. is cui*, §. *satisfactionis*, *D. vt in possess. legat.* Ex his apparet quid inter annum vtilem & annum continuum intersit. Nam vtilis annus is est, qui constat ex diebus vtilibus. Continuus, ex continuis CCCLXV. Ceterum vtilem annum sustulit Iustinianus in causis restitutionum, & pro eo continuum quadriennium substituit. Quo fit, vti non possit quis hodie eam, cuius tutor vel curator fuerit, intra XXIX. annum vxorem ducere, cum tamen olim non nisi intra XXVJ. annum hæc prohibitio consisteret, *l. qui pupillam*, *D. de adulter. coërcend. l. non est*, *D. de ritu nupt.* id est, intra XXV. annum ætatis & vtilem annum vnum, *l. si patris*, *C. de interd. matrimon. l. filius* §. *si quis eo tempore*, *D. de liber. & post.* Sublatus etiam ante in eis restitutionum causis fuerat vtilis annus à Constantino *l. 2. C. Th. de in int. restit.* sed introducta locorum differentia, is pro eo Romæ quinquennium, in Italia quadriennium, in prouinciis triennium continuum substituerat. Quæ differentia locorum ab Iustiniano sublata, & omnibus in locis quadriennium continuum definitum est in *l. vlt. C. de temp. in integ. restit.* Sustulit etiam alia in re Iustinianus annum vtilem. Actiones personales in Italia præscriptione anni vtilis summouebantur. Hæc præscriptio à Iustiniano tollitur in *l. 1. C. de anna. exceptio*, in aliis rebus à Iustiniano, quod sciam, anni, dies, menses vtiles non sunt sublati: videntur tamen expuncti à posterioribus Imperatoribus, eo scilicet quod valde difficilis & lubrica esset eorum computatio: & ideo XXX. dies repetendo reo præfiniti, qui vtiles dicuntur in *l. 3.* §. *vlt. D. de accusat. l. aut priuatim*, *D. ad Turpillia*, qui ab Augusto præfiniti & obseruati sunt, vt Suetonius Tranq. indicat in Augusto *cap.* 32. Hi ab Constantino Græco interprete συναπταὶ ἡμέραι appellantur *lib. 1. epitom. tit.* 2. eodemque nomine ab eodem *lib. 6. epitom. tit.* 7. appellatur annus, qui vtilis dicitur in *l. in eum*, *C. de furt.*

Cap. XIX.

Explicatio l. 2. C. de rebus credit. & iureiurando.

Male, vt opinor, vsque adhuc à Latinis interpretibus accepta est *l.* 2. *C. de reb. cred.* nam quod ait in initio, *Iurisiurandi contempta religio satis Deum vltorem habet*, non ad eum qui peierat per principem, sed ad eum, qui per Deum peierat, referendum esse puto, idque ita Constantinus *lib. 1. epito.* tradit, Οὐδεὶς κατὰ τοῦ θεοῦ ὀμόσας κινδυνεύῃ ἱκανὸς τὸ ὅρκος ἔχειν πρωτὸν τὸ θεῖον, εἰ κατὰ τοῦ θεοῦ γένοιτο. Quæ postea sequuntur in lege, eũ etiam qui peierarit per principem, non puniri, ostendunt, si calore quodam peierarit: quod non ad calorem tantum iracundiæ, sed ad inconsultum quemlibet animi motum referri oportet, vt in *l. lex Iulia*, *D. ad leg. Iul. repet. l. nec in ea*, *D. de adulter. coërcend. l. 1.* §. *quæri*, *D. ad S. C. Turpil. l. locatio*, *D. de publican. & vectigal.* Ceterum si quis consulto peierarit per principem. lex ei esse à corpore periculum ex lege Iulia maiestatis etiam indicat. Igitur si per principem peieratum sit, princeps ipse vindex est: si per Deum, Deus: & ob id à Græcis Iuppiter ὅρκιος dictus est: & recte Tiberius apud Cornel. Tacitum, deorum iniurias diis curæ esse: vt hæc sit sententia *l. 2. C. de reb. credit.* Legibus non puniri eum qui per Deum peierarit: Non puniri etiam eum qui calore quodam per principem peierarit. Ex quo efficitur, eum qui consulto per principem peierarit, puniri, & in legem Iuliam maiestatis incidere. Quæritur hic fortasse an periurio alia pœna statuatur in *l. vlt. D. de stellionat. crim.* quod negatur quidem à me: nam etsi non iurauerit quis esse sua pignora, æque in stellionatus pœnam incidit, modo si dolo malo rem alienam pignori obligauerit, *l. 2. C. de crim. stelliona* Non igitur periurio, sed stellionatui pœna statuitur in *d. l. vltima.*

Cap. XX.

Pro seruus *reponendum esse* seruitus *in l. sed & si quid, D. de euict.*

Is qui fundum simpliciter vendidit, neque dixit liberum esse vel opt. maximum, præstare hoc debet ne fundus, ne pars fundi euincatur, item ne vsusfructus euincatur: nam vsusfructus, & si pars fundi non sit, totius tamen fundi emolumentum continet: & hoc ait *l. in vendendo*, *D. de contrahen. empt.* Dubitatur cur non dixerit id etiam præstari, ne seruitus euincatur. Dubitanti respondetur ex Q. Mucii sententia, ob euictionem seruitutis eum non teneri qui fundum simpliciter vendidit, *l. cum venderes*, *D. eod. tit. l. penult. D. de euict.* nisi liberum, nisi opt. maximum esse dixerit: quo nomine fundum non seruire, non tamen etiam fundo seruiri significatur, & hoc receptum inter nos est, licet huius appellationis pleniorem olim nonnulli esse significationem existimauerint, à quibus esse videtur Siculus Flaccus in *lib. de constit. limit.* Sed hæc si venditor non dixerit, proculdubio non tenetur ob euictionem seruitutis: nam qualis fundus est, talem vendidit. Non tenetur, inquam, ex empto in id quod interest. At æstimatoria tenetur, id est, quanto minoris *l. quotiens*, *D. de ædil. edic.* quod à Paulo propositum fuit in *l sed & si quid*, *D. de euict.* Nam cum in superioribus proximis legibus egisset de venditione fundi, & ostendisset euicta parte fundi vel euicto vsufructu, pro bonitate partis aut fructuum æstimationem in ex ẽpto actione fieri, & illa restaret inspectio euictę seruitutis, ita scripsit, *Sed etsi seruitus euincatur, quanto minoris ob id prædium est, lis æstimanda est.* vbi tamen vulgo male pro *Seruitus*, legitur *Seruus.* Sed proxima vsusfructus mentio, & harum inspectionum inter se connexa series suadet, vt *Seruitus* potius legamus, quam *Seruus.* & ita mihi videtur.

Cap. XXI.

De lege Glicia & origine actionis inofficiosi testamenti.

Querela inofficiosi testamenti quia iustum testamentum rescindit, & patremfa. intestatum facit;

nec Prætoris edicto introducta est, lege aliqua inducta A vt sit necesse est: sed à qua lege, dubitatur. an vero lege Glicia? Scripsit enim Caius librum singularem ad legem Gliciam, ex quo vna tantum nobis supersest sententia in *l. 4. D. de inoff. testa.* quæ rationem inducendæ querelæ seu ferendæ legis Gliciæ continet: sic enim eius *l. 4.* inscriptio edita est in P. Florentinis, quæ ex nomine quidem ipso Gliciæ satis inusitato mihi suspecta fuit, vsque dum id esse nomen Romanum ex Cornelio Tacito deprehendi, qui *lib. 15.* meminit Glicii Galli, & ex *epitome lib. 19. Titi Liuij*, & Suetonio in Tiberio *cap. 2.* vbi fit mentio Claudij Gliciæ dictatoris, à quo forsitan lex Glicia nomen accepit, vti lex Hortensia, lex Cornelia, à dictatoribus Hortensio. Cornelio: &, vti testis est Carolus Sigonius Titi Liuij eruditissimus interpres, eiusdem Glicię dictatura sic in Capitolinis lapidibus etiam notata est. Possit quoque videri suspecta ea legis inscriptio plerisque, quod Iu- B risconsultorum indicis auctoritatem non habeat: sed in eo indice multi libri desunt, Pauli μονόβιβλα, *De concurrentibus actionibus*, *De dotis repetitione*. *De articulis liberalis causæ*, *De formula testamenti*, *De conceptione formularum*, *De cognitionibus*, *ad S. C. Turpillianum*, *De officio adsessorum*, *Ad legem Fusiam Caniniam*, *De adsignatione libertorum*: *Caij*, *Pauli*, *Vlpiani libri ad edictum ædilium curulium*: *Vlpiani* μονόβιβλα, *De officio consularium*, *Pandectarum*, *Excusationum*: *Caij* μονόβιβλα, *De tacitis fideicommissis*, *Ad S. C. Tertyllianum*. *Ad S. C. Orfitianum*. Desunt & alij Iurisconsultorum complures libri Recta igitur cum sit inscriptio *l. 4. D.* C *de inoff. test.* si quis dicat lege Glicia introductam inofficiosi testamenti actionem, fortasse non aberrauerit.

CAP. XXII.

Interpretatio l. si priuatus, D. qui & à quib. manum. lib. non fi.

CRedo non intellexisse interpretes cur Paulus dixerit in *l. si priuatus, D. qui & à quib. man. lib. non fiant.* priuatum coactum à populo frustra & inutiliter manumittere. Quod tamen de priuato dictum est homine, quia de magistratu æque id exploratum non fuit D vsque ad Orationem D. Marci, quæ & dominum & magistratum tenet. Ea enim caueri hoc traditur in *l. 3. C. qui manum. non poss.* ne quis in spectaculo quod edatur, actorem, id est, histrionem manumittat (sic enim ea lex dispungenda est) siue seruus ille suus, siue alienus fuerit, vt puta si magistratus qui populo munus aliquod edit, ex acclamatione populi manumittat. Quod etiam D. Adriano placuisse videtur: namque is roganti populo, vt quendam ἀρματηλάτην manumitteret, per tabellam respondit, à se id peti non debere, vt alienum seruum liberaret, vel vti dominum cogeret manumittere, idque Dio scribit in Adriano. Sed huius tamen ita definiendæ rei primus auctor D. Marcus extitit. Hæc ergo est Pauli sententia: Si priuatus coactus à populo manumittat, licet voluntatem adcommodauerit, seruus tamen liber non erit: nam & nominatim ex adclamatione populi quilibet, siue dominus fuerit, siue magistratus, prohibetur manumittere. Hunc vero legis vtriusque sensum Petrus Faber excogitauit, summo iudicio præditus adolescens: ego probaui. Suetonius in Tiberio August. in spectaculo coactum refert Accium comœdum manumittere.

CAP. XXIII.

Defensa Florentinarum Pandectarum lectio quibusdam in locis.

NEscio cur malint nonnulli, & quidem hi melioris notæ iuris interpretes, in *l. inuiti, D. de testib.* ita legere, *Item is qui exercitui præbenda conduxerit.* An quod ita Liuius, Plautus, Gellius locuti sint, sic Vlpianum etiam loqui oportuit? An non æque Latina locutio est, *Item is qui quid exercitui præbendum conduxerit?* Et hic rectus sensus, Vt inuitus testimonium non dicat qui vestimenta, frumentum, vinum, aut aliquid aliud, exercitui præbendum certa pecunia conduxerit. Equidem non video quamobrem hæc verba in illa potius commutanda esse censuerint. Iidem falluntur cum sic in *l. produci, D. de testib.* legi debere arbitrantur, *Produci testis non potest in reum qui ante in eum testimonium dixit.* Vetus lectio rectissima est, *Produci testis is non potest, qui ante in eum reum testimonium dixit.* quæ verba quidam sic interpretantur, vt aliquis idoneus testis in eius causa non sit, in quem crimine postulatum semel testimonium dixerit. verum hi quoque falluntur. Græcorum interpretum clarior est sententia, vt qui ante in aliquem reum testimonium dixit, rursus pro eodem testis produci non possit. Quemadmodum enim reprobare testem in alia causa semel probatum nequeo, *l. si quis testibus, C. de testib.* ita probare sine pudore non C possum quem semel excepero & refutauero. Interpretum verba hæc sunt, ὁ κατά τινος ἤδη μαρτυρήσας, οὐ μαρτυρεῖ πάλιν ὑπὲρ αὐτοῦ. quæ Accursii prima etiam fuit interpretatio. Sunt etiam qui in *l. ideo, D. de compensat.* legere malint Edilitatis, alii Edulitatis: vtroque verbo significantur edulia & opsonia. Itaque non video vt sic apte legatur, Edilitatis tempore: & omnino sequendos esse veteres libros arbitror, in quibus ita est, Ædilitatis tempore, id est, cum in ædilitate esset, vt in *l. Æmilius, D. de adminis. tut.* Magistratus tempore. Accursius, vt sunt auctores libri scripti, *& gl. l. non tantum, §. is qui, D. de exc. tut.* cum legisset Edilitatis, idque nomen ab edendi verbo deduxisset, inde sensim factum est, vt à quibusdam eo in loco scriberetur Edulitatis: nec ipse vnquam eos, aut Accursium, credo ditphthongi notam animaduertisse. Verum explicanda etiam nobis est sententia *l. ideo*, vt explicatio quoque ipsa huic veteri lectioni lucem adferat. Equidem constituendam esse arbitror differentiam inter Ædilem & Curatorem rei frumentariæ vel annonariæ. Hic si ex curationis causa condemnetur, compensatione vti non potest, *l. ob negotium, D. de compensat. l. 3. C. eod. l. aufertur, §. vt debitoribus, D. de in. fisci.* quia debitor est pecuniæ frumentariæ. At Ædilis, curator non est rei annonariæ, sed quam curator annonam redegerit, in ea præbenda ipse operam nauat. Hanc vero si compresserit atque arctiorem præbuerit, id est, si fraudauerit annonam, vt in *l. vix, D. de indic.* & ideo condemnatus fuerit aduersus fiscum aut Remp. vti compensatione potest: quia datæ arctioris annonæ, non acceptæ pecuniæ frumentariæ debitor est. Curatori pecunia datur: Ædili annona, non pecunia.

CAP. XXIV.

Emendatus §. vltim. l. Lucius, D. ad municipalem.

IN *l. Lucius §. vlt. D. ad municip.* horum verborum loco, *Idem respondit*, legendum puto, *Iidem rescripserunt*. Nam cum Paulus in *§. penult.* Seueri & Antonini

reſcriptum ad Septimium Zenonem propoſuerit. quod quidem extat in *l. 1. C. de honor. & muner. non continu. int. pat. & fil.* & nunc in §. *vlt.* proponat eorumdem Imperatorum aliud reſcriptum, quod vti ex vet. lib. apparet, ad Herculianum emiſſum extat in *l. 1 C. de vend. reb. ciuit.* quis eſt qui non malit, *Iidem reſcripſerunt*, legere quam *Idem reſpondit*: præſertim cum non ſuis Paulus, ſed ipſis omnino reſcripti verbis vtatur. Eius vero reſcripti hæc eſt ſententia: Poſt addictionem factam, adiectionem & licitationem admitti intra certa tempora, quod etiam *l. ſi tempora, C. de fide & iu. haſ. fiſcal.* indicat. Poſt addictionem factam à Republica, niſi ex priuilegio, adiectionem non admitti. Meliori condicione fiſcum eſſe, quam Rempublicam aut municipium. Sic fiſcus hypothecam ſemper habet, *l. auferetur*, §. *fiſcus, D. de iu. fiſci.* Reſpublica non niſi ex priuilegio *l. 2. C. de iure Reip. l. Antiochenſium, D. de reb. auctor. iudic. poſſid.* Fiſcus προτοπραξίαν habet, *l. quod quis, D. eod.* Idem nunc etiam habet Reſpublica, *l. bonis, D. eod.* Olim certe non habuit niſi ex priuilegio, vt ex epiſtolis Plinij ad Traianum conſtat, cap. de exactione pecuniarum. Lis fiſcalis terminanda eſt intra menſes ſex, lis Reip. intra triennium.

Cap. XXV.

Explicata quæſtio §. ſi fundus & §. Ariſto l. is qui in puteum, D. quod vi aut clam.

QVæſtionis eſt, vtri competat interdictum Quod vi aut clam, venditori an emptori cui ad diem fundus addictus eſt. Caſſius interdictum dat venditori: credo quia condicionalem & imperfectam eſſe venditionem exiſtimat: quod & Vlpiano non omnino diſplicuiſſe oſtendimus in *l. 2. §. ſi in diem, D. pro empt.* Iuliano eſt aliud iudicium: puram enim eſſe venditionem Iulianus ait, cui Paulus, Marcellus, & alij complures aſſentiuntur. ideoque medio tempore vi aut clam opere facto, Iulianus emptori dat interdictum Quod vi aut clam: ita tamen quemadmodum fructus medio tempore perceptos, ſic vt & hoc interdictum, cedere venditori adiectione facta, vel meliore condicione allata, emptor compellatur. & hæc Iuliani ſententia duobus in locis ab Vlpiano relata eſt, *l. is qui in puteum, §. ſi fundus, D. quod vi aut clam, l. 4. §. idem Iulianus* xlviij. *D. de in diem addict.* quæ an ſit omni caſu perpetua, dubitari poteſt. Quid enim ſi in diem addictus penes emptorem & collocatus fundus, traditus non ſit emptionis iure, ſed precario vel ex conductionis cauſa? Si fundus ex cauſa emptionis traditus fuerit, emptori dari Iulianus interdictum aperte profitetur. Ceterum ſi precario aut conductionis iure traditus fuerit fundus, an tunc locum obtineat Iuliani ſententia dubitatur. Plerumque vero cum hac lege, aut lege commiſſoria fundus vænit, interim precaria poſſeſſio emptori datur, *l. 3. C. de pact. int. empt. & vend. l. Iulianus*, §. *poſſeſſionem D. de actio, empt. l. eaque, D. de precar.* vel etiam ab emptore interim certa merce de fundus conducitur, *l. ſicut & l. prox. D. loca, l ſerui emptor, D. de per. & com. rei vend.* Et his quoque caſibus emptori Vlpianus interdictum Quod vi aut clam dedit in *l. is qui in puteum*, §. *Ariſt. D. quod vi aut clam.* Poſteriore caſu ſine dubio, priore dubitanter, vt apparet ex hac nota *Videamus*, quæ diffidentis eſt, & in id tamen ſe magis inclinare demonſtrantis. Ex quo apparet non tantum poſſeſſori, ſed etiam non poſſeſſori, cuius intereſt, hoc interdictum dari. atque ideo vt Ariſt. tradit, recte non poſſeſſori etiam eum qui opus facturus eſt denuntiare, vt ſe opus clam non feciſſe profiteri poſſit: nam ſi ei competit interdictum, & ei denuntiari quoque oportet. Hac de re tractans Vlpianus primum ſic ait: *Ego, ſi poſt in diem addictionem factam, fundus precario traditus ſit, putem emptorem interdictum Quod vi aut clam, habere.* Mox tamen addit, ſi precarii rogatio facta ſit, venditori proculdubio interdictum dari: ſed & emptorem quoque forſitan hoc interdicto vti poſſe, quia ipſius intereſt qualiter qualiter in poſſeſſione ſit. Quod additum eſt ſuperuacuo, aut cum ante ſit propoſitum intrepide, ſub diffidentiæ nota inſcite mox repetitum eſt: niſi priorem ita ſententiam emendemus: *Ego ſi poſt in diē addictionem factam fundus non precario traditus ſit:* (id eſt, ſi traditus ſit ex emptionis cauſa) *putem emptorem interdictum Quod vi aut clam, habere:* quibus verbis Vlpianus demonſtrat ſequi ſe Iuliani ſententiam. Sic vero licet non habeant libri Florentini, attamen libri ſcripti complures habent: nec fuit ignota ea lectionis varietas Accurſio, qui alias legi adnotauit, *Si precario traditus non ſit.* ſed malim legere, vt eſt in libris ſcriptis, *Si non precario traditus ſit:* quamuis hoc, an illo modo legas, nihil magnopere interſit. Ergo hæc ſit huius quæſtionis concluſio, Emptori poſt in diem addictionem, quoquo iure ſit fundus traditus, ante adiectionem interdictum Quod vi aut clam, dari: vtile inquam, dari, non directum, propterea quod pendicius emptionis ex condicione ſub qua emptio reſoluitur. Poſt adiectionem non dari: qua in re non certabat cum Iuliano Caſſius *d. l. is qui puteum*, §. *plane.* Eadem facilius admitti Vlpianus ait, ſi res ita vænierit, vt ſi emptori diſpliceat, ſi meliorem aliam rem inueniat, inempta fiat, *l. is qui in puteum*, §. *pen.* credo quia inter omnes conſtitit hanc puram emptionem eſſe, *l. 3. D. de contrah. emp. l. 2. §. ſi in diem, D. pro empt.* Quod non ſimiliter dici poteſt in commiſſoria venditione: nam hanc eſſe condicionalem, Sabinus exiſtimabat *d. l. 2. §. Sabinus*, ſed in ea quoque idem iuris eſt.

Cap. XXVI.

De Pauli tribus decretorum libris.

DEcreta, ſunt ſententiæ prolatę in cauſarum cognitionibus. Imperatoris Antonini & Seueri etiã patris eius (vt indicio eſt *l. Seuerus, D. de decurion.*) decreta ſex libris Paulus complexus eſt, quę ipſo Paulo & Papiniano & Meſſio & Triphonino, & aliis quibuſdam Iuriſconſultis aſſidentibus pronuntiata ſunt, & plerumque Paulo non approbante, vt in ſpecie *l. Æmilius, D. de minor. l. vlt. D. de iu. fiſci, l. Paula*, §. 1. *D. de leg. lib 3. l. vlt. D. quod cum eo, &c. l. Claudius, D. de adquir. hered.* fere ſemper ex ſplendidiſſimi Papiniani ſententia. Ex his vero ſex libris, vſus eſt Iuſtinianus tribus duntaxat prioribus: & ideo ſic ſolet legibus inſcribere, *Paulus imperialium ſententiarum in cognitionibus prolatarum, ſiue decretorum ex libris ſex libro primo,* vt in *l. vlt. D. de iu. patrona.* quæ lex repetita eſt in *l. quædam, D. fam. erciſc.* non illo quidem, ſed breuiore in hunc modum adſcripto titulo, *Paulus l. 1. Decretorum.* ſic in *l. Ælianus, D. de manumiſſ. l. vlt. D. de condic. & dem. l. cum quærebatur, D. de verbo. ſignific.* Quapropter exiſtimo quod ita inſcriptum eſt *l. vlt. D. de hered. inſtit. & l. vlt. D. ad S. C. Trebel. Paulus imperialium ſententiarum in cognitionibus prolatarum ex libris ſex lib. primo, ſeu decretorum libro ſecundo*, emendandum eſſe ita, vt pro *Secundo* adſcribatur *Primo.* Iidem namque ſunt decretorum & Imperialium ſententiarum in cognitionibus prolatarum libri: quinimo decreta nihil ſunt aliud quam Imperiales ſententiæ prolatę in cognitionibus, quibus quidem prolatis à principe, ſi quid dubitationis ſupereſſet, plerumque de eo principi vel à partibus, vel à conſiliariis ſuggerebatur quid

sentiret, vt in *l. vlt. D. de in. fis. l. Osidius, D. de legat.* *lib. 3.* & iam non pronuntiare tum aut decernere, sed suggestioni respondere princeps dicebatur. Nonnumquam in libris Decretorum ait Paulus rescripsisse principem, *l. vlt. D. de condition. & demonst.* quod etiam non est decernere, sed ad libellum partis rescribere. vt in *l. rescriptum D. de distrast. pign. l. vlt. D. de offic. procur.* Cæsar, .i. rationalis, *l. sed addes §. pen. D. loc.*

CAP. XXVII.

De sex Hermogeniani epitomarum libris, & de Rutilio.

QVi à nobis Hermogenianus, à Lampridio in Alexandro appellatur Hermogenes, in Papiniani discipulorum numerum refertur: is epitomarum iuris sex libros scripsit, quos sine vllo auctore quidam Saluij Iuliani librorum epitomas esse comminiscuntur. Verum enim licet Hermogenianus se professus fuerit secutum ordinem edicti perpetui, ordinati scilicet à Salvio Iuliano *l. 2. D. de Ita. hom.* quod Iustinianus etiam noster profitetur, non tamen inde recte colligas eum Iuliani Digestorum epitomas confeciſſe. Scripsit etiam Hermogenianus fideicommissorum libros, nisi mendosa est inscriptio *l. nam quod, D. ad Trebel.* quod facile adducor vt credam: nam possint quidem hæc legis verba, *Nam quod ad ius publicum attinet, non sequitur ius potestatis.* Hermogeniani esse aliquo ex ὄπιμῶν libro. At quæ sequuntur. Vlpiani sunt ex libro 4. fideicommissorum, ex quo & præcedentes & sequentes leges complures desumptæ sunt. atque ita eam legem in duas esse dividendam & scimus & affirmamus. Rutilius Maximus librum singularem, id est, μονόβιβλον scripsit ad legem Falcidiam, ex quo tantum supereſt nobis *l. si heres, D. de leg. lib.* 1. Est autem is Rutilius ex Iurisconsultis nouis. Is qui citatur in *l. si habitatio*, §. *vtrum de vsu & habit. & l. 1. de arb. cad. & l. 3. §. ligna, de pen. leg.* est ex veteribus, nempe P. Rutilius Rufus P. Mucij discipulus, qui Romæ consul fuit cum M. Manilio, & Asiæ proconsul, vt est in *l. 2. D. de orig. iur. vel* si Asconio credimus in Diuin. Asiæ proconsulis quæstor, aut legatus, vt scribit Liuius *lib. 70.* Hic etiam Rutilius rerum Romanarum historiam scripsit, auctore Athenæo in *lib. 6.* δειπνοσοφιστῶν *cap. vlt.* & Velleo Paterculo *lib. 2.* Scripsit & de vita sua libros aliquot, quorum sæpe auctoritate Charisius vtitur, & orationes complures.

CAP. XXVIII.

De locatoris & conductoris nominum differentia.

SVnt qui Locatorem eum esse definiant, qui mercedem accipit, Conductorem qui dat: & idcirco dominum ædium, Locatorem esse, inquilinum, Conductorem huic ex conducto, illi ex locato actionem dari. Sed hæc definitio non est perpetua: nam plerumque Locator is dicitur, qui dat mercedem, Conductor qui accipit. Vt ecce, qui domum faciendam dat, locat, & hic tamen mercedem dat: & retro, qui faciendam suscipit, conductor est, merces tamen ei datur. & vt illi ex locato, ita huic ex conducto competit actio. Similique modo is, qui pecus pascendum, qui sarciendum aut poliendum aliquid, qui puerum docendum, qui onus ferendum accipit: quamuis mercedem accipiat, conductor est. In quærenda igitur Locatoris & Conductoris definitione, à quo detur vel accipiatur merces, spectandum non est: nam est Locator non is qui accipit sed etiam qui dat mercedem: Conductor, non is qui dat, sed etiam qui dat mercedem. At generaliter, Locator est, qui dat vtendum vel faciendum aliquid: qui accipit, Conductor. Verum hæc definitio cuiusmodi sit, appositis exemplis demonstrare necesse est. Is qui dat suam domum vtendam, aut opus faciendum, Locator est, cum tamen hic det, ille accipiat mercedem. Qui vero domum vtendam, vel opus faciendum accipit, Conductor est: & hic tamen mercedem accipit, ille dat. Inde qui custodiendis vestimentis nostris operam suam exhibet, Locator est, nos Conductores sumus: at is qui vestimenta custodienda suscipit, Conductor est, nos Locatores. Et iuris professor, si ad docendum suas operas exhibeat, ac de mercede paciscatur, Locator est, discipuli sunt Conductores. Quod si Iuris professor complures in eius disciplinam se dantes edocendos suscipiat, Conductor est, discipuli sunt Locatores. Eadem ratione, si rem vendendam certa mercede tibi do, ego sum Locator, tu Conductor: sed si tu me rem vendendam rogas, & vltro mihi tuam operam defers, tu Locator es, ego Conductor. Denique nauis magister, si nauem det vtendam, Locator est: idem si accipiat merces vehendas, Conductor est: vtroque tamen casu mercedem accipit. Dominus vero mercium priore casu Conductor, posteriore Locator est: & vtroque casu tamen ipse dat mercedem nauis magistro. Quid autem fiet, si, vtrum dominus mercium nauem conduxerit, an merces locauerit vehendas, ignoretur, & ideo incertum sit vtra ei competat actio ex locato an ex conducto. Et proditum est præscriptis verbis actionem dari dubitationis tollendæ causa. Idemque in superioribus casibus dici potest, si quemadmodum inter contrahentes inita res fuerit, ignoretur. Ex his autem apparet perpetuam esse hanc inter Locare atque Conducere differentiam, vt nihil sit aliud Locare, quam vtendum vel faciendum aliquid dare: Conducere, accipere. Quod à me cum esset aliquanto nudius propositum in *lib. 3. Institut.* iustum visum est, vt hoc in capite latius explicaretur. Non attuli tamen capita legum, ex quibus exempla hæc prompsimus, quoniam satis omnibus patent in *tit. Locati, & De lege Rhod. & de æstim. ac & de præscr. verb.* Possim etiam ex aliis auctoribus assimilia exempla promere compluria, sed cum tot propria habeamus, quid alienus indigemus?

CAP. XXIX.

Explicatio l. eum qui probabilem, C. de episc. & cler.

REcte, vt mihi quidem videtur, in capite tertio concilij Nicæni συνεισάκτους Rufinus Aquileiensis interpretatatur Extraneas mulieres: nam & in *l. eum qui probabilem, C. de episc. & cler.* sacerdotibus & clericis, dum inhibentur consortia extranearum mulierum, proculdubio συνεισάκτων consortia inhibentur. Alij tamen συνεισάκτους malunt subintroductas, vel intromissas, vel adsciticias interpretari in *c. nullus & c. interdixit, 32. dist. & in No. cxxiii. §. 1. & §. presbyteris, & in* Aquisgran. concilij cap. 39. & Arelatensis 2. cap. 4 & in Eusebij histo. lib. 7. cap. 30. vbi Beatus Rhenanus, ex Chrysostomi quodam sermone, quales eæ mulieres fuerint, diligenter interpretatus est. Sed extranearum appellatio cum Græco verbo conueniat, & sit ab Imperatoribus vsurpata in *l. eum qui*, & ab *Greg. lib. 11. epist. cap. 40. & 41.* mihi probatur magis. Quod tamen in ea lege de sororia appellatione traditur, obscurum forsitan esse videbitur, nisi adnotauero συνεισάκτους, à clericis & sacerdotibus, qui earum consuetudine delectabantur, sorores aut matres, aut filias appellatas, vt propudia sua sub his videlicet pietatis nominibus obtegerent: id quod Hieronymus indicat in lib. ad Rusticum monachum de viuendi forma, & in lib.

lib. de vitando suspecto contubernio,& in eodem Sermone Io. Chrysostomus, & Ancyrani concilij cap. 18. Sensus igitur legis hic est, vt ne quis sacerdos aut clericus tales domo sorores habeat, & generaliter ne extraneas, id est, συνεισάκτους habeat,nec vllas omnino mulieres, præter matrem, filiam, germanam, & eam quæ vxor ante sacerdotium fuerit. Additur in concilio Niceno ἀδέλφη, & quælibet huiusmodi necessitudine coniuncta muliet, vt procul absit omnis ab ea suspicio. Est autem eadem *l. eum qui probabilem*, translata in leges Baiuuariorum *tit. 1. cap. de presbyt. & diac.* vt minime habitent cum mulieribus.

Cap. XXX.

De stipulationibus emptæ & venditæ hereditatis.

STipulatio emptæ & venditæ hereditatis ex emptoris parte interponitur, *Quanta pecunia ad te ex hereditate illa peruenerit, doloue malo tuo factum est eritue quo minus perueniat, tantam præstari, l. 50. de verborum obligat.* Ex parte venditoris vt concepta fuerit stipulatio non habemus: constat tamen id inter cetera potissimum ab emptore caueri consueuisse. Quantam pecuniam venditor hereditario nomine dederit, soluerit, præstiterit, tantam se venditori præstiturum, *l. si ex pluribus, D. de hered. vel. act. vend.* Videntur & illa verba fuisse recepta, *Quanta pecunia ad eum peruenisset, l. liber §. 1. D. de stip. ser.* atque ita vtrinque interponi stipulationes indicat §. *ergo si quidem, de fideic. hered.* Ad eas vero pertinet, ni fallor, tota *l. 2. eod. tit.* quod vt planius intelligatur, eam ipse legem & stipulationum formulas retexere subtiliter in hoc capite constitui. Primum omnium hoc in lege proponitur, venditorem hereditatis de suo facto satisdare: quo in loco Satisdare significat Repromittere, quod frequens esse ostendimus in *tit. quib. mod. tol. oblig.* Repromissionis verba illa sunt, *Quanta pecunia ex hereditate,* &c. Dubitari potest, an etiam satisdare de euictione debeat: Quod negatur in ea lege, vbi quoque Satisdare est cauere, non fideiussores dare: nam neque alius quilibet venditor de euictione dat fideiussores. Venditor igitur, etsi præstare debeat hereditatem esse, & se heredem esse, si quid tamen ex corporibus hereditariis euincatur, vt eo nomine cauere non debet, ita nec eo nomine tenetur, quoniam hoc agitur, vt id ex ea venditione tantum emptor habeat, quantum habiturus foret venditor. Proinde si res euicta non sit hereditaria, ideo de euictione non agitur, quia id actum non fuit, vt res non hereditaria væniret: quod si res euicta sit hereditaria, iniuria iudicis non obligat venditorem, *l. 5. D. de euict.* Non potest igitur dari casus, quo venditor de euictione teneatur. Eademque ratione dicendum idem est in venditione peculij: nam vtrumque iuris nomen est. Attamen venditor hereditatis cauere, ita vti diximus, debet, *quanta pecunia*, &c. vbi primum illa occurrit quæstio, quid pecuniæ verbo contineatur. Eadem fere sunt verba cautionis, quę ex lege Iulia præstatur vxori à marito manumittente seruos dotales vxoris voluntate. Pecuniæ autem in ea proprie verbum accipitur pro æstimatione, pretio, nummis, *l. si vero, D. sol. matrim.* At certe in hac stipulatione, pecuniæ verbum etiam corpora hereditaria comprehendit, idque explicatur in *l. quisquis, D. de leg. 3.* & lege *pecuniæ verbum, & l. cum stipulamur, D. de verb. signifi.* nam *& l. pecuniæ verbum*, ad stipulationes emptæ & venditæ hereditatis proprie pertinere, & cum *l. 2. D. de her. vend.* coniungendam esse, inscriptio vtriusque, nec non Hereditatis verbum in ea lege explicatum, aperte demonstrat. Sed rursus quæritur, verbum *quanta*, vtrum ad mortis tempus referatur, an aditionis, an venditionis. Et *d. l. 2. §. 1.* venditionis tempus ait spectari, non mortis, non aditionis. Sententia hæc est: In venditionem hereditatis venire non ea tantum quæ fuerunt mortis vel aditionis tempore, sed etiam ea quę post mortem aut post aditionem accesserunt: hereditas enim, licet nomen sit iuris, accessionem tamen & decessionem recipit. Si quid igitur accesserit post aditionem aut mortem, hoc in venditionem hereditatis venit: si quid tamen heredis facto decesserit, vt puta si ante venditionem hereditatis rem hereditariam vendiderit aut donauerit, pretium eius præstare debet. Item si post venditionem rem aliquam nactus sit, eam rem præstare debet, *d. l. 2. §. sed etsi rerum, §. sed & rerum, l. venditor ex hereditate, eod. tit.* Apparet autem ex his in exquirenda quantitate venditæ hereditatis, ita venditionis tempus spectari, vt accessiones hereditatem augeant, decessiones heredis facto contingentes non deminuant: quod in ponenda ratione legis Falcidiæ non obseruatur. hic enim tempus mortis inspicitur, nec vel accessionibus augetur, vel decessionibus deminuitur hereditas. Ideoque si creditor filii patrem heredem scripserit, lege Falcidia interueniente in hereditate computabitur quod heres defuncto debuit pro ratione peculii, quod fuit mortis tempore, *l. eo tempore, §. si creditor, D. de pecul.* cui opponi solet *l. si creditor, D. ad leg. Falcid.* Earum vero inter se conciliatio eruenda est ex *l. cum quo, D. eo. tit.* At si creditor filii patrem heredem scripserit, & is porro hereditatem vendiderit, emptori de peculio tenebitur, quod fuit venditionis tempore. & ita est accipienda *l. si creditor, D. de pec. l. 2. §. illud quæsitum, D. de hered. vend.* Tempus quidem mortis hoc etiam casu, vel saltem aditionis spectari conueniebat, vt in lege Falcidia: sed ideo venditionis tempus inspicitur, quia plerumque id inter vendentem & ementem agi videtur, *d. l. 2. §. 1.* Sequitur in stipulationis formula, *Ex hereditate*: plenior esset vberiorque stipulatio, si diceret, *Ex testamento.* Cum vero dicat *Ex hereditate*, nec hereditas pupillaris, nec prælegata emptori præstanda sunt, *d. l. 2. §. illud potest quæri.* Non præstantur etiam ea quę ex hereditate, sed propter hereditatem percipiuntur, vt in specie *l. item veniunt, §. cum prædiximus, D. de petit. hered. & d. l. 2. §. solet.* Verbum autem *peruenerit* vti accipiendum sit in eadem lege, explicatur §. *peruenisse*, & vt in cautione legis Iuliæ, sic in hac stipulatione videtur peruenisse, siue iam exegit, siue exigere potest: & ideo cedere actiones venditor debet, non tantum principales, sed etiam accessorias, eas quoque quas ipse venditor postea nactus est, *d. l. 2. §. non solum.* Ex cessione, emptori directæ competunt, Sine cessione, vtiles. Additur in stipulatione, Dolove malo tuo factum esse ritve quo minus perueniat. Quæ verba sic explicantur in eadem lege, §. *sed & si quid* vt dolum comprehendant & latam culpam. Ideoque venditor ex empto tenetur siue dolo, siue lata culpa id egerit, ne quid ad se perueniret. De leui culpa non tenetur, nisi cum in ea re custodienda quæ iam ad ipsum peruenerit, negligens est, *l. 3. D. de hered. vend.* Hæc de stipulatione emptoris. Ad stipulationem venditoris, & ea quæ oportet emptorem præstare venditori pertinent à §. *Sicuti lucrum*, cetera omnia vsque ad finem legis. Et, vt breue faciam, ad emptorem lex ait pertinere damna, onera, impensas hereditarias, æs alienum defuncti, etiam quod heredi defunctus debuit: quia etsi id videatur aditione confusum esse, tamen empta hereditate restituitur heredi & conseruatur. Sed & si quid in rem hereditariam, quam venditor sibi recepit, ante venditionem impensum sit, id quoque venditori præstandum est, *d. l. 2. §. si venditor*, & hęc ita sibi recte dari venditor stipulatur, emptor promittit. Ad venditorem creditores hereditarij veniunt. Ad emptorem inuitum

non veniunt *l. 2. C. de pact. l. 2. C. de hered. vend.* præterquam si fisco vendita hereditas fuerit, *l. 1. C. eod.* & ideo venditori, si quid hereditario nomine præstiterit, hac stipulatione caueri solet. Sed & si non fuerint interpositæ stipulationes emptæ & venditæ hereditatis, ad ea quæ his stipulationibus comprehendi solent, ex empto & vendito actiones dari, nemo est qui ambigat.

CAP. XXXI.

Explicatio l. 1. C. de obligat. & act. & l. nulla, C. de procurat.

VVlgo iactatur, mandatum re integra finiri morte domini: quod in mandato venditarum, donatarum, aut in solutum datarum actionum non obtinet, nisi si dominus sine herede decesserit: mortuo enim domino sine herede, vtilis actio mandatario competit, ex cessione directa non competit. & hæc, ni fallor, est sententia *l. 1. C. de oblig. & act.* à nemine, quod sciam, adhuc explicata. Proponam speciem legis, vt melius possit eius cognosci sententia. Valeria mulier (cui, si se obliget, non si pro alio pecuniam soluat, S C. Velleianum opitulatur) creditori pro debitore pecuniam numerauit, non tam solutionis nomine, quam quasi pretij loco: & ideo actionem quoque suam creditor mulieri mandauit. Porro is decessit re integra, id est, nondum lite contestata. Quæstionis est, an mandatum sit finitum. Et quidem si heredem creditor habeat, mandatum non finitur, propterea quod fidem venditionis ab herede impleri oportet. Itaque mulieri non tantum vtilis actio proprio nomine, sed etiam directa ex cessione competit. Quod si heredem non habeat, finitur mandatum: & ideo Valeriæ vtilis quidem actio datur, quæ cuilibet emptori actionis proprio nomine competit, directa ex mandato non datur. Vt ergo eius morte qui nomen emit, mandatum non finitur, *l. illam, C. de donat.* ita morte domini mandatum non aliter finietur, quam si is re integra sine herede decesserit. Et hæc quidem obtinent in procuratore in rem suam, puta in mandato venditarum vel donatarum actionum, sicut initio diximus: nam si in rem meam ad agendum vel defendendum procuratorem constituero: me re integra mortuo, mandatum finiri, nemo est qui nesciat. Verum dubitari potest vtrum isto casu rem integram esse definiamus, eam quæ nondum sententia iudicis definita est, an, vt superiore casu, eam quæ in iudicium deducta & contestata nondum est: quod ratio facere videtur. & ita Iuliano placet in *l. nulla, C. de procurat.* Igitur si dominus post litis contestationem decesserit, mandatum non finitur. Ratio Iuliani hæc est, quia litis contestatione procurator dominus litis fit: vsque adeo vt & alium ipse procuratorem facere possit. Memim hanc Iuliani constitutionem à Symmacho laudari lib. 1. epistol. his verbis, *Successit aliud, vt obitu Marciana clarissimæ feminæ mandatum diceretur extinctum, sed contra venerabilis Iuliani sanctio stare procuratorum iussit officia, causarum dominis venenibus inchoata.*

CAP. XXXII.

Emendata & explicata l. vlt. D. de leg. lib. 3.

DIcam primum quid emendandum putem in *l. vlt. D. de legat. lib. 3.* deinde quid me moueat, & quæ sit legis totius sententia, breuiter exponam. Puto sic initium legis emendandum esse, *Si pater exheredato filio instituit heredem extraneum.* Itaque pro *Substituit*, repono, *Instituit*: vt sit hęc species, Pater filium impuberem exheredauit, extraneum heredem instituit, & alium quemdam filio exheredato in secundum casum substituit: deinde ille extraneus hunc filium heredem instituit: isque aditione factus heres, atque adeo paternam hereditatem nactus, ex beneficio heredis paterni, non ex iudicio patris, intra pubertatem decessit, eique substitutus è substitutione pupillari heres extitit. Quæritur, an ea legata, quæ à substituto exheredati filij pater reliquerat, debeantur. Et quidem si heredi extraneo filius exheredatus fuisset substitutus, & primum hereditas ad eum ex substitutione, deinde ad exheredati substitutum peruenisset, à substituto exheredati relicta proculdubio legata deberentur. At cum in specie proposita non ex substitutione, patrisque iudicio, sed ex heredis extranei testamento ad exheredatum hereditas peruenerit, magis est vt legata substitutus non debeat: nam & hoc casu ab ipso exheredato legari non potuit, illo potuit: non est autem æquum vt plus testator iuris habeat circa personam substituti, quam in eo cui eum substituit, *l. qui fundum §. qui filios, D. ad leg. Falc.* Atque ita in initio legis de qua agitur, speciem ponendam esse indicant quę sequuntur: quibus illo amplius dicitur, idem dicendum esse, si frater institutus fratrem exheredatum instituerit, & is deinde adita hereditate fraterna intra pubertatem decesserit: nam etsi quod per fratrem accipit, propius ex patre ipso esse videatur (cui per patriam potestatem ambo ita deuincti sunt, vt vnam familiam vnamque personam quodammodo constituant) quam id quod per extraneum heredem exheredatus filius accipit: si tamen verum amamus, vtroque casu dicendum est, non directo, id est principaliter, sed per successionem bona patris ad filium exheredatum peruenire, denique substitutum exheredati legata non debere. Idemque est si frater exheredatus instituto fratri ab intestato heres extiterit. Cum vero vt species ponitur in fratre, ita quoque in extraneo ponenda sit, quis non videt pro *Substituit*, necessario legendum esse *Instituit?* Nam si legamus, *Substituit*, & ita ponamus pupillo substitutum heredem extraneum pupillo herede relicto decessisse, nullus profecto substitutus pupillo superfuerit. Quod enim affingit Accursius, duos ei substitutos patrem dedisse, heredem extraneum & Sempronium, omnino commentitium est: nec sane fuit cur auctor legis duorum substitutorum exemplum apponeret. Placet etiam in illo legis loco, *Quia non principaliter, sed per successionem bona fratris ad eum peruenerunt*, pro *Fratris*, reponere *Patris*: nam patris dumtaxat hereditas, vti ad filium peruenerit inspicitur. Sic paulo ante, *Quia non directo*, inquit, *sed per successionem ad filium hereditas patris peruenit.* Et cum vno in loco dicat *Directo*, in altero *Principaliter*: ex eo etiam colligendum est, Directo nihil esse aliud quam Principaliter: idque memini me adnotasse in §. *vlt. quod cum eo*, &c. Imperatores dixere, *nomine principali* in *l. 8. C. Th. de his qui sup. relig. conten.* Iulianus suo nomine in edicto nouo.

CAP. XXXIII.

Explicatio l. 1. C. de quæstion.

VEtere S. C. cauetur, quæstionem de seruis contra dominos haberi nō posse. Ab hac sententia Impp. Seuerus & Antoninus in *l. 1. C. de quæst.* tres excipiunt causas, adulterij, fraudati sensus, maiestatis. At quæri potest, an vt in adulterij, sic & in stupri vel incestus causa, in domini caput serui torqueantur. Et respondetur non torqueri in *l. de incestu, l. extraneo, D. de quæst.* quod & Ammianus Marcellinus tradit lib. 28. *Mancipia* inquit, *squalore diuturno marcentia in domini caput ad vsque vltimum lacerabat exitium, quod in stupri quæstione fieri vetuere clementissimæ leges.* Valer. tamē

6. *cap.* 8. M. Antonij oratoris seruum in caput domini tortum fuisse cum incesti esset reus. & Cicero in Part. de incestu quærendum. Sed si per adulterium incestum committatur, domino incesti postulato rectè Papin. respondit de seruis quæstionem haberi, *l. vim*, §. *vlt. D. de adult. coërc. l. si quis viduam*, *D de quæstio.* nec incesti crimine adulterij crimen obliteratur. Ceterum non primi Seuerus & Anton. à S. C. adulterij crimen exceperunt: namque hoc, vt Papin. ostendit in *l. extraneo*, M. Antoninus philosophus primum, deinde maximus princeps secutus est. Vbi nemo est qui non sit quæsiturus, quem Papin. Maximum principem vocet. Is autem est Seuerus Imperator, *l. in honoribus*, *D. de vacat. mun. l. qui solidum* §. *1. de legat. lib. 2.* Eidem Papiniano etiam Optimi & Maximi sunt principes Seuerus & Antoninus in *l. Iur speritos*, *de exc. tut. l. cum secundis*, §. 1. *de his quib. vt indig. l. 7. De vac. mun.* Et hi etiam fraudati census crimen exceperunt. Crimine hoc tenentur, qui non omnia quæ habent, ex fide bona in censum deferunt. Est & fraudati vectigalis crimen, *l fraudati, D. de publican.* sed hoc ipse crimen exceptum fuisse non inuenio. Iidem Imperatores perduellionis crimen excipiunt. Tum adiiciunt. In ceteris criminibus, si dominus aliis probationibus fuerit conuictus, inanem esse præscriptionem hanc, quo serui quoque in domini caput interrogati fuerint. Vnde consequens est, deficientibus aliis probationibus, vtilem esse præscriptionē. Credo huius rescripti partem quādam referri in *l.* 1. §. *item Seuerus Spicio Antigono*, *D. de quæstion.* de seruorum indiciis contra dominos non admittendis. nam etsi in inscriptione rescripti siue *l. 1. C. de quæstion.* vulgo legatur *Antiana*, tamen quia veteres libri habent *Antigone*, credo legendum esse *Antigono*, vt in §. *item Seuerus.* Id vero ad extremum additur in eo rescripto, In ciuilibus causis ex inopia probationum seruos interrogari. Placet enim Haloandri lectio, tum quia hæc rescripti pars ita refertur in *l. Diuus*, *D. de quæstion.* tum etiam quia rationi summopere id congruit: nec enim in domini caput interrogantur qui ciuilibus in causis interrogantur. Ideoque licet in criminalibus nec inopia probationum audiantur, in ciuilibus tamen vel inopia probationum audiendi sunt. Quamobrem non *Nec inopia*, sed *Ex inopia* legendum est. In lege illa etiam error est in Coss. & pro *Fusco & Dextro*, legendum *Dextro & Prisco.*

Cap. XXXIV.

Explicatio l. dotalem, & l. hæc actio, D. sol. matrim.

Maritus aut vxore donante, aut negotio contracto, aut inuita vxore manumittit seruum dotalem. Si donante vxore, nihil vxori præstat, *l. si constante* §. *si vir*, *l. quod si vir*, *D. sol matr.* Si negotio gesto, ea vir vxori præstat, quæ à liberto ad eum quasi ad patronum peruenerunt. Cetera quæ alio iure ad eum peruenerunt, non præstat. Illa vero præstari ex lege Iulia & Papia Vlpianus indicat in *l. si vero*, *D. eod.* & inde ipse colligo ex *lege Iulia* vxori actionem dari, vt vel res ei vel cautio præstetur. Cum enim obligatio noua lege introducitur, neque cauetur quo genere actionis experiundum sit, ex lege agendum est, *l.* 1. *D. de condic. ex lege*, atque hoc etiam confirmat *l. filius* §. *vlt. D. ad leg. Cornel. de falsi.* Quæsitum est, inquit, quid mulier ex lege Iulia consequi possit, id est, quid condictione ex lege Iulia consequit possit. Hæc vero est illa diu perquisita necdum ab interpretibus inuenta actio, de qua agitur in *l. hæc actio*, *D. sol. matrim.* Hæc actio, inquit, etiam constante matrimonio, mulieri competit. Hæc actio, id est, condictio ex lege Iulia, non actio A de dote (nam hæc matrimonio constante non competit excepto casu *l. si constante in princ. solu. matr. & l. 1. C. de repud.* ad quos si cum Azone sententiam legis *hæc actio*, coangustaueris, profecto fueris ridiculus) non actio ex stipulatu (quandoquidem hac ipsa actione stipulatio extorquetur, officio enim iudicis præstatur, *l. si constante* §. *si vir. sol. matr.* & hic vtique iudex, cuius officio præstatur cautio, cum sine actione iudex esse non possit, additur actioni ex lege Iulia.) non est etiam illa vel mandati, vel negotiorum gestorum actio: nam etsi muliere inuita seruos dotales manumiserit maritus, hæc de qua loquimur actio competit: & huc pertinet *l. dotalem*, *D. sol. matr.* cuius, ni fallor, hæc est sententia: Si seruos dotales inuita vxore maritus manumiserit, omnia vxori præstat, sed non eodem omnia iudicio: nam ea quidem quæ iure patronatus consecutus est, etiam constante matrimonio restituit condictione ex *lege Iulia*, cetera autem dotis iudicio, soluto matrimonio. Quia vero lex *Dotalem*, in initio ambiguo verbo vsa est, *Inuita*, vel teste Seneca *lib. 6. de benefic. cap.* 7. ideo in fine additum est, *Si modo vxor manumittenti refragatur*: vt intelligeremus inuitam esse, non quæ consentit, sed quæ contradicit.

Cap. XXXV.

Quo causa momenti & proprietatis ordine agatur.

Quid sit momentum, exposui libro primo. Nunc ostendam hoc capite, momenti causa quo ordine quibusque legibus agatur atque decidatur. Et alia quidem est principalis, alia momenti causa: In hac, de erepta possessione agitur, In illa, de proprietate: vtraque autem ab vno eodemque iudice definienda est, vt est constitutum in *l nulli*, *C. de iudic.* & Gregorius recte his verbis exponit *lib. 7. Epist. cap. 100. Legali prouisione decretum est tam momenti quam proprietatis causam in vno eodemque iudicio debere cognosci.* Ceterum prius de momento, quam de proprietate cognoscendum est. & hinc an eæ duæ quæstiones à iudice simul disceptari & definiri possint, ab interpretibus nostris varie disputatur. Ego inueni apud Symmachum *lib. 1. Epist.* iampridem hoc fuisse ab Imperatoribus ita definitum, non vt cogantur, sed vti possint iudices, si velint, quotiens de possessione iudicant, continuo etiam, si casus tulerit, de proprietate cognoscere. Sed libet referre totam hanc momenti quæstionē, quæ apud Symmachum agitata, & ab ipso deinde per epistolam Imperatoribus relata est, vt intelligatur quæ tunc fuerit mouendi & exercendi momenti ratio. Cæsariana massa communis erat inter Scirtium ac Theseum ex æquis partibus pro indiuiso: nam ex mandato Facianæ clarissimę feminæ Scirtius Theseo massam communicauerat. Massam, possessionem siue coloniam vocat, Massarium, colonum: quibus verbis Cassiodorus & Gregorius vtuntur sæpissime in epistolis, & Rotharius rex Longobardorum in edicto suo. Porro Theseus cum decessisset in minore ætate liberis heredibus relictis, Scirtio vi erepta est pars dimidia Cæsarianæ massæ. Scirtius momenti beneficium impetrauit, ac per executorem, cum ei possessio redintegraretur, huic rei se obiecerunt heredes Thesei, & Artemisius Olibrij procurator. Ibi tum Symmachus præfectus vrbi, à quo Scirtius momenti beneficium impetrauerat, vt statum possessionis omnem pernosceret, officialibus negotium dedit, vt colonos prædiorum euocarent, iisque quorundam interuentu exemptis, cum iussisset rursus ad hanc rem instruendam necessarios euocari, exhibitus est vnus Thesei libertus, adfuerunt heredes etiam Thesei, procurator Olibrij non adfuit. Interrogatus libertus quis prædiorum colonos abduxisset, nonnullos

delituisse, alios vero ad villam Olibrij perductos fuisse respondit: atque ita qui non fuisset in patronum interrogatus *l. libertorum, C. de testib.* in liberos patroni iure interrogatus fuit. sed iis tamen quæ ab eo dicta sunt, non magnam fidem habuisse Symmachus videtur: ac deinde fuit etiam à Valentiniano constitutum, vt liberti ne in patronorum filios vel nepotes interrogarentur, in *Nouel. de libert. & iuc. eor.* Porro audito Theseo liberto, euocati sunt & exhibiti Prænestini confines Cæsarianæ massæ, ac tum Olibrij procurator etiam emersit, & defensor minorum, id est, heredum Theseo, sine quo iudicium cum eis consistere non poterat, & agitari de possessione cœptum est: ac pro sua quisque parte, cum sibi possessionem defendisset, interrogati tandem sunt Prænestini curiales hoc ordine. Nomina primum ac singulorum dignitates præfectus vrbi scisciatus est. tum quis esset locorum, de quibus agebatur, iustus possessor, deinde quis tributa & indictiones, quę quidem sunt possessorum onera, exoluisset. Responsum est, possedisse Scirtium cum Theseo, eosque onera semper tributorum & indictorum sustinuisse. Rursus interrogati quis è possessione Scirtium deiecisset, huius rei culpam in actores Olibrij contulerunt, eaque omnia denuo auditis reis intimata partibus cum fuissent, ibi tum Olibrij procurator dixit, massæ partem dimidiam Olibrio Theseo morte quæsitam esse: Contra Scirtius, fateri se morte Theseo, cum quo massam communem habuit, massæ partem dimidiã ad alios translatam esse, eamque se consentiente Theseo heredes retinere, nec impedire se quin eam Olibrius quoque, si possit, sibi retineat: ceterum ad se massæ alteram dimidiam partem pertinere. Defensor autem minorum dixit, massam in solidum adminores pertinere, quod partem Theseo ex Facianæ mandato Scirtius tradidisset, partem in liberos Theseo sponte largitate contulisset. Cui sic respondit Scirtius, se Theseo petente, eandem partem quam ex mandato Facianæ tradidit, in eum vel eius liberos veluti ex donatione contulisse, sicut sæpe alias fit, vt quod ex transactionis causa traditur, veluti ex emptione tradatur, *l. cum ea quæ, C. de transaction.* vt id quod agitur maiorem vim obtineat. Ea vero se mente fuisse Scirtius ex eo demonstrabat, quod posteriore donatione se partem pro indiuiso donare conscripsisset: nec enim, si partem ipse sibi nullam retinuisset, additurus fuit Pro indiuiso. Hæc omnia quæ ex vtraque parte adferebantur, cum Symmachus dixisset non ad momenti, sed ad proprietatis quæstionem pertinere, ac ipsi etiam defensores de iure simul cognosci desiderarent, proferrentque illam constitutionem quæ iudici tribuit potestatem de possessione simul & proprietate cognoscendi, & cum de proprietate illi non tantum cum Scirtio, sed etiam inter se certarent: visum est Symmacho pronuntiandum prius esse de possessione, dilata proprietatis causa. Ita igitur ex Scirtij documentis & curialium testimonio, pronuntiauit pro Scirtio. Defensores prouocaruntad principem: nam à præfecto vrbi prouocatur princeps, *l. Æmilius, D. de minor.* Non fuit recipienda prouocatio, *l. 1. C. si de momen. poss.* Symmachus tamen eam recepit, vt in examen, inquit, Imperatorum & inuasionis indignitas & modus iudicij perueniret.

CAP. XXXVI.

Explicata l. penult. D. de trit. vino & oleo leg.

DOlia esse in vasis vinariis aperte demonstrat *l. vinaria, D. de verb. signific.* modo si in eis vinum sit. Huic sententiæ quidam opponunt *l. penult. D. de trit. vino & oleo leg.* Quam ipse nunc si fideliter exposuero, non esse cur eam illi aduersam faciant, nisi me fallo, & statim persuasero. Vino legato aut vendito debentur amphoræ & cadi: vtres aut cullei non debentur, quia non condendo, sed deferendo vino parati sunt, nec sunt vasa vinaria. Dolia quoque non debentur, quoniam ad perpetuum vsum in cella defodiuntur & deprimuntur, nec vt cadi & amphoræ ideo habentur vt exportentur: idemque plerumque cupparum vsus est, & ideo eæ quoque debentur. Quamobrem is qui doliare vinum vendidit, nisi in tempore vinum tollatur, id potest effundere: atque vt sciatur, vino ad mensuram vendito, quantum emptori perierit, qui pro eo qnod admensum fuerit, pretium debet, mensuram, vt Iurisconsulti veteres tradiderunt, facere per corbem potest, *l. 1. §. vlt. D. de peric. & com. rei vend.* quod facere à veteribus dictum videtur, ac si per cribrum dixissent, vt sic quod ex dolio diffunditur quasi in vas aliquod effluat statim & effundatur. Vix enim est vt corbis liquorem contineat, cum fiat ex viminibus, vt Varro *lib. 1. de re rust.* scribit, *cap. 22.* & proprie cogendis fructibus comparata sit, *l. in instrumento, D. de instru. vel instrum. leg.* Et vt maxime ita possit corbis conserte contexteque fieri vt vinum contineat (nam & ex viminibus ita naues fieri Cæsar, Plinius, Lucanus auctores sunt) corbis tamen mensuræ genus non est At sicut vino doliari vendito, non ita vino legato, potest vinum heres effundere, licet per exceptionem quãti sua interesthabuisse dolia inania sibi seruare possit: idque ostendit *l. si heres, D. de trit. vin. & ol. leg.* vbi ratio diuersitatis ab Accursio recte notata est, multo certe felicius quam ab eodem fuerit in superiore quæstione statuta differentia inter legata & venditiones in *l. in testamentis, D. de diuers. reg. iu.* nec enim ea in re quidquam à venditionibus legata distant, sed, vt superius dictum est, tam vendito quam legato vino cadi & amphoræ debentur: dolia, cuppæ prædio inhærentes, vtres, cullei non debentur. Hinc existit quęstio. Si quis vina cum vasis legauerit, an & vina doliaria debeantur. Nam etsi re vera dolia sint vasa vinaria, vulgus tamen in vasorum numerum ea proprie reputat quæ exportantur, quæ non hærent prædio, quæ ad perpetuum vsum non reseruantur, vtputa cados & amphoras. Ideoque Trebatius dicebat ex defuncti sententia non deberi vina doliaria, quod ea tantum legasse videretur quæ invasis, id est, amphoris & cadis essent: vinum autem quod est in doliis, vulgus in vasis esse non putat. Ex verbis tamen Trebatius ait vina etiam doliaria deberi. *Ceterum*, inquit, *dolia in vasis vinariis non essent:* vbi *Ceterum* significat absurdum, & sumitur pro alioquin. At à Proculo Trebatius merito reprehẽditur in *d. l. penult.* Sententia Proculi hæc est: Demus, concedamus hoc, dolia non esse in vasis vinariis, atque ita rem falsam admittamus, maioris contentionis euitandę causa, non tamen legato vino cum vasis, id quod in vasis non est, id est, quod est in doliis, ideo minus debebitur. Tam ergo doliare, quam vasarium debebitur, sicut seruis cum peculio legatis. tamẽ non peculiati serui debentur, quam peculiati, *l. 6. de trit. vin. & oleo leg.* Hæc si diligenter expendantur & conferantur cum illa *l. pen.* eius, vt opinor, sensus vnicuique liquido constabit. Illud adiiciendum est, in ea lege corrupte legi *Probetur*, existimare me, cuius verbi loco lubenter sane reposuero, *Prometur.* Horatius, *Promere languidiora vina Benignus deprome quadrimum.* Ouidius 4. Fastorum, *Quæque puer quondam primis diffuderat annis, Promit fumoso condita vina cado.*

Cap. XXXVII.

Variasse Papinianum, reique huius quædam in Iustiniani Pandectis adhuc extare vestigia.

VAriasse Papinianum, & mutasse aliquando sententiam scribit Iustinianus in *l. vlt. §. sed cum. C. de furt.* sed hoc idem ipse Papinianus de se ipso profitetur in *l. si venditor §. vlt. D. de ser. expor.* quod vti frustra cum eo §. *eiusdem tituli*, *l. seruus ea lege.* interpretes nostri adducere in concordiam conentur, manifesto indicabit, si totam eam quæst. inqua variauit Papin. diligenter exposuero. Igitur si seruus hac lege venerit vt exportetur ex Italia, vel vt ne exportetur, si contra legem factum esset, si venditor pœnam stipulatus sit: actio ex stipulatu omnimodo competit siue vindictæ vel affectionis, siue pecuniæ nomine venditoris interfit. Quæsitum est, an eadem sit vis actionis ex vendito. quæ quidem lege non seruata, non tantum si pactus sit pœnam ab emptore præstari, sed etiam si nihil ea de re conuenerit, venditori competit. Et quidem si pecuniæ siue rei familiaris nomine venditoris interfit, vt puta quod ipse ob legem non seruatam in pœnam inciderit, nemo dubitat ex vendito actionem esse. Æque bonæ affectionis ratione, etiamsi nihil ob eam rem venditori abfit, vt puta si seruus contra legem exportatus fuerit, venditori actio competit: quoniam hominem beneficio affici, hominis interest propter naturalem hominum cognationem inter se, *l, vt vim, D. de iust. & iur.* At solius vindictæ ratione, id est, quod animo sæuientis non sit satisfactum, Papiniano aliquando placebat, ne ex pacto quidem in continenti appositio actionem esse: atque ita sæpe fit alias vt stipulationi plus quam pacto ex continenti appositio tribuatur, *l. quod si locus, D. de religios. l. auia, C. de iu. dot.* Id autem Papiniano placuit *lib* 10. quæstionum, id est, in *l. seruus ea lege.* quod crudele nimium sit & indignum, si res familiaris nullum damnum patiatur ob pœnam vel contumeliam homini non irrogatam hominem experiri. Sed idem Papin. *lib. 27.* mutauit sententiam, & à Sabino testatus est se in contrarium trahi, quod semper interfit venditoris, proptetea quod vt lex seruaretur, ideo viliore pretio seruum vendidisse videatur: & hoc continetur in *l. si venditor §. vlt.* Vtinam qui hoc tempore ius nostrum interpretantur, Papinianum imitati, quæ vel falso vel inepte aliquando & senserint & scripserint, ingenue retractent, nec eis contra quam postea resciuerint, tam obstinato tamque obfirmato animo, vti faciunt, perseuerent.

Cap. XXXVIII.

An tutor pupillum adrogare possit.

ADrogari antea non poterat nisi iam vesticeps, id est pubes, ne in potestate tutorum esset, liberum caput alienæ ditioni subiicere: atque hoc Aulus Gell. scribit *lib.* 5. Nunc ex constitutione Antonini Pii etiã inuesticeps, causa cognita, adrogari potest: quod etsi nominatim in Pandectis relatum non sit, Vlpianus tamen ita scribit in Fragm. & in Pandectis etiam sæpe fit mentio quartæ Antonianæ pupillo adrogato debitæ. Illud vero hic inspici quæriquc dignum est, an pupillus à tutore ipso adrogari possit: qua in re pugnare videtur *l. nec ei permittitur, D. de adop. cum l. nonnumquam eod. tit.* nam *l. nec ei* adrogationem ait non esse permittendam, ne ratio reddendæ tutelæ cohibeatur: *l. nonnumquam* omnimodo esse permittendam. *Imperator*, inquit, *Titus Antoninus rescripsit, priuignum suum* A *tutori adoptare permittendum.* Idem igitur qui adrogationem pupilli permisit causa cognita, & eam tutori nominatim permisit. Sed verius est, tutori vitrico pupilli adrogationem permitti: quod etiam Accursio nostro suboluit, quoniam eum est verisimile affectione sancta moueri ad priuignum eundem pupillum suum adrogandum, idque confirmat *l. vlt. C. de confir. tut.* Plinius ad Traianum *lib*, 10. *Voconii Romani eximia pietas hanc ipsam matris liberalitatem, & statim patris hereditatem & adoptionem à vitrico meruit.* Enimuero si pubes factus priuignus non expedire sibi adrogationem vitrici probauerit, pristinum ius recipiet, *l. & si* B *pubes, D. de adopt.* Et quidem hæc eo maxime sic explicanda esse censui, quod non desint qui pro *Priuignum* in *l. nonnumquam*, sibi persuaserint legendum esse *Pupillum.*

Cap. XXXIX.

Explicata quæstio l. Stichum qui meus erit, D. de legat. lib. 1. & emendata l. scribit §. vlt. D. de auro & arg. leg.

C MVltum à demonstratione condicio distat: Demonstratio in præsens, Condicio in futurum tempus confertur. Hæc omnimodo existat necesse est, vt legatum debeatur. Illa etiamsi vera non sit, attamen debetur. Et ideo non frustra quæritur in *l. 6. D. de legat. lib. 1.* vtrum hæc verba *Stichum qui meus erit cum moriar*, demonstrationem an condicionem faciant. Labeo autem ea pro demonstratione accipit, *l.* 5. §. 1. *D. eod. tit. l. nuper §. vlt. de legat. lib. 3.* Trebatius contra, pro condicione, nec putat quicquam interesse, ita legetur, *Qui meus erit*, an *Si meus erit.* Ideoque si tempore mortis in totum aut pro parte seruus alienus fuerit, ex sententia Labeonis totus debetur, ex sententia Trebatii non debetur, nisi quatenus eo tempore defuncti fuerit. Trebatius præceptor fuit Labeonis: sed Labeo, auctore Pomponio & Gellio, in his quæ à præceptoribus accepisset, non perseuerabat: ideoque non D mirum si Labeo hac in re à Trebatio dissideat. Obtinuit autem sententia Trebatii, vt in illa *l. 5. & l. nuper* traditur. Proinde in *l. 6.* dum Iulianus ait magis condicionem legato iniecisse, quam demonstrare voluisse patremfam. eo in loco articulus *Magis*, non vt sentit Accurs. *συγκεπικῶς*, verum *τελικῶς* accipiendus est, vt & *§. is quoque, quib. mod. re contra. obliga.* dum Iustin. ait soluentem magis velle negotium distrahere, quam contrahere, apud Paulum in *l. 1. D. comm. diuid.* dum ait actionem pro socio magis ad personales præstationes. quam ad communium rerum diuisionem pertinere. Sumitur tamen alibi *συγκριτικῶς*, vt in *l. iubere, D. de iurisdic.* vtramque vero huius articuli significationem sic eleganter Diogenes Laërtius expressit in Pyrrhone Heliensi E *αὐτὸ ὃ τὸ μᾶλλον ἢ συγκριτικῶς ἐνφέρεται, ὡς ὅταν φῶμεν μᾶλλον τὸ μέλι γλυκὺ ἢ τὸν σαφίδα. ποτὲ δ' ἁπλῶς ἐνφέρεται, ὡς ὅταν φῶμεν μᾶλλον ἡ ἀρετὴ ὠφελεῖ ἢ βλάπτει. σημαίνομεν γὰρ ὅτι ἡ ἀρετὴ ὠφελεῖ, βλάπτει, δ' ὲ.* Mouetur tamen Accursius *l. scribit §. vlt. D. de auro & arg. lega.* vbi hęc verba, *Quod paratum erit*, Q. Mucius ait habere in se & demonstrationẽ legati & argumentum. Sed & mouetur loco admodum corrupto atque deprauato: nam cum dixerit Quintus Mucius hanc scripturam *Quod paratum est*, in se demonstrationem habere: quid hæc ab illa distabit, si demõstrationem illa quoque in se contineat? deinde, quid sibi vult eo in loco argumentum? Ego ducta coniectura ex quibusdam libris in quibus legitur Augmentum, sic emendaui, *Rectissime scribit Q. Mucius, vt hæc scriptura habeat in se & deminutionem legati & augmentum.* Hæc est igitur ex Mucij sententia inter duas

illas legatorum formulas differentia, quod quę in futurum concipitur, deminutionem in se atque augmentum legati contineat: illa vero quę in præsens concipitur, non item. Simili pene loquendi figura Vlpianus ait in *l. item veniunt, D. de pet. hered.* hereditatem & augmentum recipere & deminutionem. Non dubito quin doctissimus quisque hanc emendationem nostram approbaturus sit,

Cap. XL.

Addita quædam his quæ in primo libro sunt tradita.

ADdatur lib. 1. cap. 9. Caium etiam Fufidii auctoritate vti in *l. vlt. D. de manum. vind.* Et quia capitis 31. emendatio cœpit iam à quibusdam reiici & repudiari, addatur quod Varro *lib. 2. de analog.* scribit, Cubiculum si fenestram non habeat, cæcum dici. Audio etiam non probari emendationem *cap. 13.* vbi in *l. Fulcinius. ex quib. caus. in poss. ea.* pro *Stationes*, audere me *Statuas* reponere conscripsi: Stationes enim tabernas esse, tabernasque circa forum complures extitisse: igitur non fuisse cur eo in loco veterem cõmutaremus lectionem. Ego vero cum id scriberem, tabernas in foro Romano fuisse iam inde à Tarquinio Rege, qui circa forum priuatis ædificanda loca diuisit, auctore Liuio, non ignorabam: eas vero tabernas appellari Stationes non existimabam, neque vero nunc etiam arbitror. Cetèrum qui hoc adstruere conantur, proferunt, *item apud Labeonem §. conuicium, D. de iniur.* vbi tamen differte Statio, tanquam diuersa, separatur à taberna. Adhæc persæpe ita Stationis nomen in Plinij epistolis accipi notant: qua in re facere non possum, quin ab eis candorem animi requiram: nam Stationem quidem militum Plinius lib. 10. dixit, & in vno libri primi atque altero libri secundi loco stationes apertissimè pro locis in quibus homines adesse frequentes & conuenire solent vel audiendi vel confabulandi vel reficiendi animi causa, vt & Iuuenalis *Sat. 11. & Aul. Gellius lib. 13.* quæ Græci συζάσεις & κύκλους, Latini etiã circulos vocant. eodemque modo sæpe Stationes Tertullianus dixit, loca demonstrans in quibus Christiani stantes die Dominico Dominum orabant (nec enim eo tempore Deum, vti tum loquebantur, de geniculis adorabant) idque nomen idem ipse ait esse ab exemplo militari translatum in libro de Oratione. & ita quoq; Marcellinus accepit in fine libri 28. Putem eadem forma in *l. ne quis, C. de dignitat.* deformis ministerij (sic enim legato ex veteribus libris, & ex Alberico) Stationarios appellari eos qui mercium vilissimarũ apothecas secum deferentes certis in locis aliquandiu consistunt, emptorem operientes: qui & ob eam rem apothecarij dicuntur in *l. si cohortalis, C. de cohortal.* Eodem rursus modo Stationes tabellionum dicuntur in *Nou. de tabelliõ.* & Stationes fisci non tantum in *l. 1. C. de compensat.* sed etiam in *l. 1. C. ne fisc. rem quam vend. euin.* Portus etiam statio dicitur *l. portus, D. de verb. signific.* coton item & caula. At vt ad Plinium redeam, tantum abest vt Plinius persæpe in epistolis acceperit Stationes pro tabernis & officinis, vt neque Plinium, nec alium quemquam auctorem ipse profiteri ausim vllo in loco in ea significatione id nominis vsurpasse, Quod ipse non ignorans, & loco Sidonij Apolinaris non adeo contemnendo, & columnarum cum statuis, quam cum stationibus proximiori coniunctione adductus, & eorum nominum inter se commutationem facilem esse intelligens, in *l. Fulcinius*, non longe mihi videor à vero aberrasse, dum pro *Stationes* reposui *Statuas*. Quod si quis tamen alius ratione meliori coarguat, facile me vinci patiar: nec enim, quod plerique faciunt, sic traditiones meas quasi τιμῶν ἕνεκα obseruari velim.

BARTHOLOMÆO FAYO V. C. SENATORI PARISIENSI, IACOBVS CVIACIVS S.

SVPERIORVM librorum editio, Bartholomæe Fay vir clarissime, iniquis forsitan alienæ industriæ existimatoribus improbata, æquis certe atque intelligentibus comprobata, tantum abest vt hanc mihi de iure ciuili scribendi voluntatem imminuerit, vt tertium hunc ad te Obseruationum & emendationum librum, secundo vix è manibus egresso, etiam extorserit: adeo cum data operi nostro initia excipi benigne intelligimus, solet ea res nobis omnibus vires & spiritus ad reliqua persequenda commouere. Quinimo eo factum est, vt deinceps quantum mihi à publicis tradi ionibus fuerit subsiciui temporis, id neque inaniter præterlabi sinere, nec eo ipse alia in re vti, in animum induxerim. Quamobrem volo te, cui iam inde ab initio nostra hæc dicauimus, ita sperare, cultu me atque accuratione mea effecturum, vt ex studiis nostris, quorum patrocinium suscepisti, veluti in agro tuo, noui quotannis tibi fructus constantis mei erga te officij perpetuæque obseruantiæ testes exhibeantur. Interea vero etiam affectas ac prope iam confectas à me annotationes ad tres postremos Codicis Dn. Iustiniani libros elimabimus, quas sub nomine illustrissimæ & doctissimæ principis Margaritæ Biturgum ducis, cuius beneficio in hac schola ius ciuile profitemur, in publicum dabimus: nec moram vllam interponemus, quin hoc libro edito, illæ mature prodeant: qua in re Iuris publici & antiquitatis studiosis nonnihil, vt spero, profuturi sumus. Vale Biturigis, VI. Id. Februar. 1557.

IACOBI CVIACII
I. C. OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM
LIBER TERTIVS.
AD BARTHOLOMÆVM FAIVM SENATOREM PARISIENSEM.

CAPVT PRIMVM.

Indicatur locus difficilis in l. ex conducto. §. item cum quidam, D. locati.

SI NAVTÆ, qui onus transuehendum conduxit, vectura prorogata fuerit, naufragio facto, ab eo repeti vecturam in persona procuratoris Cæsaris Antoninus rescripsit, quia transuehendi munere nauta perfunctus non est: quod & in aliis personis onus vehendum locantibus obtinere locum Vlpianus tradit in *l. ex conducto, §. item cum quidam, D. loca.* cui, vt recte Irnerius animoduertit, nihil obstat *l. pen. §. vlt. D. eod. tit.* in qua onus publice retentum est culpa domini. An uero in §. *item cum quidam* error est in illis verbis, *Pro inuecto?* An *præ manu*, legendum, vt vecturam nautæ prorogatam & repræsentatam intelligamus: quomodo apud Terentium in Adelphis, Huic aliquid paululum præ manu dederis vnde vtatur: vel, quod magis probarim, eodem sensu, Vecturam quam *in promptu* acceperat Nam & Harmenopulus in fine lib. 2. Epitom. illa verba sic interpretatur, ἐν ταχείᾳ. Sed hac in re, vt & in cæteris omnibus, suum vnicuique liberum & integrum iudicium relinquo, libentiusque nunc Petri Pithoei adolescẽtis eruditissimi & acutissimi iudicio adquiesco, qui recte Flor. legi, *Pro mutua*, & quasi mutuũ dari quodcumque prorogatur, atque ita vecturam prorogatam præcipi pro mutua, & non transuecto onere in credito remanere mihi dicebat. His vero testibus vtebatur, *l. nomen §. vlt. D. de leg. 3.* Cæsare III. de bel. Ciuil. Insequentis anni vectigal pro mutuo. Est certe in *d. l pen. §. vlt.* pro *Exigere nauis*, legendum, *Exigere nauta.*

CAP. II.

Explicatio l. 2. in princip. & l. vlt. D. de lege Rodia.

EXposuimus libro secundo satis, vt arbitror, diligenter definitionem locatoris & conductoris: quod etsi non minimum lucis adferat *l. 2. & l. vlt. D. de leg. Rod* tamen quia nonnihil, immo multum in eis adhuc difficultatis supereſt, libet pauca iamdiu à me in eas leges adnotata depromere. Apponam autem ipsas adnotationes breuitatis causa. Ait *l. vlt. Si vehenda.* Hic nauta conduxit, vector vectorumve dominus locauit. *Si ea condicione.* Hic nauta locauit, vector conduxit. *Cum id sciret te fieri nolle.* Inuito vectore: atque ideo nauta tenetur ex conducto. *Ex conducto locato.* Vna est actio ex conducto, quæ dicitur etiam ex conducto locato, vt in *l. multum, D. de hered. ven. & l. etsi vno, D. de act. emp.* actio ex empto vendito: & apud Varronem lib. 2. de Re. rust. cap. 2. *Ex conducto locato.* Immo ex locato conducto, *l. item quæritur, §. 1. D. loca.* verum aliter in ea lege inita est locatio: nam vector onus vehendum dedit, hic autem nauem vtendam accepit: atque adeo conductor hoc casu est, illo locator, *Priore nauta*, qui priorem nauem locauerat. *Immo contra.* Superiori sententiæ Labeonis Paulus varias exceptiones adnectit, puta si vtraque nauis perierit, si cum priore nauigare non potuerit, quod vel publice retineretur, vel morbo impediretur, vel quod nauis ipsa prior vitium fecisset: namque his casibus nauta ex conducto non tenetur, vel ex locato, etiamsi posterior nauis perierit. *Idem iuris cum ea condicione.* Hic nauta conduxit, vector locauit: vt in legis initio, *Locasset.* Sic Flor. sed legendum omnino est *Locasses. Quo minus remissa sibi ea pœna spectaret.* Sic Flor. malim tamen, *Remissam sibi eam pœnam*: hoc sensu, quo minus munere vehendi perfungeretur: atque ita ea se pœna exolutum spectaret. *Cognitionis.* Sic malim potius legere, quam *Cogitationis. Nautam*, priorem. *Nauis*, prior. *Pretium.* Pretium pro mercede. *Si auersione.* Auersioni opponitur numerus. Si auersione nauis conducta sit, merces de qua conuenerit, integra debebitur, etiamsi parum aut nihil in nauem conductor immiserit. Originem verbi expoſuimus lib. 3. Instit. Nunc sequitur vt legis 2. annotationes apponamus. Quæstio legis hæc est, *Qua actione is qui iacturam fecit, elicienda contributionis causa, cum nauta experiatur.* Hac vero vti distinctione lex videtur. Aut vector qui iacturam fecit merces vehendas locauit, aut nauem conduxit. De eo primum qui locauit, deinde in *vers. At si non*, de eo qui conduxit lex tractat. Et ita ostendit vectori modo ex locato, modo ex conducto actionem dari. *Ex locato*, Agit cum magistro nauis ex locato, vt is ex conducto cum ceteris vectoribus agat, quorum vehendas merces susceperit sic in *l. cum in plures §. messem, D. loca. l. Iulianus §. pen. de act. empt. l. si tibi §. vlt. de opt. legat Seruius.* Seruius, ex locato agi, non vt vltro agat ex conducto, sed vt retineat merces: quod sane commodius est. *Immo etsi retineat merces vltro.* Male addi à quibusdam negationem indicat articulus ille *Vltro.* Vltro autem, id est,

prior: vt in *l. 1. §. interdictum, D. vti possidet.* *Actio*, inquit, *nunquam vltro possessori datur*: id est, possessor nunquam prior agit. Prius enim expectare debet vt secum agatur, quam ipse de iure suo experiatur. Liuius lib. 1. *Latrones captum regi Amulio tradidisse, vltro accusantes. vltro*, id est, prior es, cum ipsi potius latrones accusandi essent: quod & in illo Terentii loco, *Sed his vltro adrideo*, Donatus adnotauit. Ait igitur Paulus fieri posse, vt nauta merces retineat, & vltro tamen agat, id est: eo non expectato dum vectores suas merces reposcant. finge enim alios sarcinas in nauem immisisse, alios non immisisse. Sarcinæ sunt quæ onerant nauem. Gemmæ, margaritæ, anuli, vestimenta, sarcinę non sunt: earum tamen rerum iactus beneficio seruatarum nomine vectores contribuunt, §. *cum in eadem, inf.* Et hoc quidem casu nautam commodius est sarcinas retinere, nec vltro cum his qui sarcinas, intulerũt ex conducto experiri. ceterũ cũ aliis qui nullas habẽt sarcinas etiãsi sarcinas aliorũ retineat, vltro ex locato iacturus est vti cõferãt. Ideo ex locato agit cũ vectorib⁹ sarcinas nullas habentib quod ab eis sarcinas vehẽdas non cõduxerit, sed nauem duntaxat eis, aut loca quædam in naui vtenda locauerit. Vnde satis apparet ex conducto cum eis non esse actionem. *At si non totam.* Recte Flor. *At si non totam nauem*, &c. quod ab eis qui excudendis Pandectis Florentinis operam dederunt, deprauatum est, addito sicilico, & particula, *&*, quam tamen ideo parentheſi prudenter circumscripserunt, vt intelligeremus nouissime additam esse, integro, vti tum eis videbatur, sensui reddendo. at vero addita sensum perturbat potius. Puto ego, cum superius dictum sit de dominis iactarum mercium, qui merces vehendas locassent, in hac parte Paulum dicere de his qui nauem conduxissent. Et quidem hi aut nauem totam conduxerũt, aut loca in naue. Si totam nauem conduxerint, quæstioni huius legis locus esse non potest: quandoquidem cum nullo alio magister contraxit, vt possit cum eo agere, vel eius merces retinere. At si loca in naue conduxerint, huic quæstioni locus est: & tunc dicemus vectoribus qui iacturam fecerunt ex conducto actionem in magistratum dari, vt is vel vltro cum ceteris ex locato experiatur, vel vt merces ceterorum retineat, & hoc est quod ait. *At si non totam nauem conduxerint, ex conducto agent, sicut vectores qui loca in naue conduxerunt*, & qui scilicet iacturam fecerunt. Flor. male legitur, *Conduxerit ex conducto aget.* Summa igitur hæc est: Pro modo gesti negotii obtinendæ contributionis causa, dominos iactarum mercium cum magistro nauis vel ex locato vel ex conducto agere. Quod si incertũ sit quẽadmodum gestum fuerit negotium, in promptu est actio præscriptis verbis, *l. 1. D. de præscript. verb.* Exposui legem longe difficillimam.

Cap. III.

De testamento cunscripto notis, & explicata Nou. Iustiniani CVII.

NEc ciuili nec prætorio iure testamentum pagani valet, quod conscriptum est notis: necesse enim est testamentum conscribi litteris. Notæ autem non sunt litteræ, *l. Lucius, D. de mil. testa. l. sed cum patrono §. vlt. D. de bon. possess.* sed sunt compendia quędam dictionum, siue, vt Plutarchi verbis vtar in Catone, σημεῖα ἐν μικροῖς; καὶ βραχέσι πτύοις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. quas suo tempore σίγλας vocatas fuisse scribit Iustinianus in Græca Pandectarum auctoritate, vnde forsitan Galli dixere Sifras. Porro militis testamentum conscriptum notis valet, *d. l. Lucius.* & ideo licet edicto non promittat Prætor nisi bonor. possessionem secundum tabulas litteris perscriptas, tamen, vt etiam decreto datur bon. possessio secundum nuncupationem, *l. vlt. C. de codicil. l. 2. C. de bon. pos. sec. tab.* & secundum voluntatem intestati ex imperfecto testamento, *l. si duobus §. si prius, D. de bon. poss. con. tab.* & heredis nomine post consummationem testamenti ante mortem testatoris incaute deleto, secundum voluntatem, vt alio me loco apertissime demonstraturum spero: nec non secundum municipalia gesta, videlicet si gestis municipalibus iudicium supremum aliquis composuerit: ita militis testamento per notas conscripto bon. possessionem rectè dicam secundum notariã decerni. Notariam voco breuem quamlibet atq; compendiariam scriptionem: quo nomine vtitur sæpe D. Augustinus in collationibus operis breuiculi, & Apuleius lib. 7. de asino aureo. licet nostri auctores multitudinis numero dixerint Notoria, vt ostendi lib. 1. cap. 33. Augustinus modo Notariam, modo Notoriam indiscriminatim. At secundum pagani notariam non dabitur bonor. possessio, nisi inter liberos facta sit, ex constitutione Constantini *l. 1. C. Th. fam. erciſc. l. vlt. C. eod.* nec enim inter suos vel emancipatos liberos Constantinus litteras exigit: quod ex No. Theodosij correctum est etiam ad liberos qui sui futuri non erant in *l. hac consultissima §. ex imperfecto, C. de testam.* sed hoc puto Iustinianum emendasse in *No. cvij.* nam etsi euidenter id tantum exigat, vt vinciarum modus δι' ὅλων γραμμάτων ὑ τοῖς συμβολοις ὑ ἀριθμῶν describatur, tamen paulo post subiicit vt τοῖς αὐτὸ γράμμασι omnia designẽtur. Ergo inter liberos testatio mentis nostræ necesse est etiam vti sit ὁλογράμματος ex No. Iustiniani. Ceterum in eadem No. supereſſe hęc verba videntur, ἢ ἀγ ε. quæ etsi Harmenopulus agnouerit, vetus tamen interpres & Iulianus antecessor non agnouit: & sane pugnant, vt videtur, cum his quæ sequuntur: si quidem aperte Iustinianus definit, vt ne testamentum imperfectum ita factum, vt ipse constituit, inter liberos rumpatur alio testamento imperfecto, siue ex scripto id fiat, siue ex non scripto: quod summe notandum est: nam non æque testamentum imperfectum iure militari factum dicimus non rumpi testamento imperfecto intra missionis annum, *l. eius §. vlt. D. de milit. testa.* facilius namque rumpitur testamentum iure militari factum, posteaquam testator miles esse desiit, quod & post missionis annum ipso iure infirmatur. Igitur septem in ea Nouella testes omnimodo exiguntur nec soli quinque sufficiunt, nisi ea verba, ἢ ἀγ ε. ad eum casum referamus, quo & quinque testibus testamentum perfici constitutum est in *l. vlt. C. de testam.*

Caap. IV.

De notatione verbi Postumus.

EPostumi verbum interpretes nostri iunctum esse putant, vt sit in eo, & post, & humatus. quos & ipse alias secutus sum: at quia in Pandectis Florentinis id semper absque aspiratione verbum scribitur, & in aliorum quoque auctorum libris lapidibusque Sigonius emendauit, & quia Græci etiam πόστυμον scribunt, non πόσθυμον, dicere forsitan tuendæ huius scripturæ gratia quis possit, nihil in eo verbo notandum esse, nisi Post: & Vmus productionem esse verbi, vt in Postliminio Liminium, ex sententia Seruii relata in Topicis à Marco Tullio, quæ tamen ab allis damnatur, §. *si ab hostibus, quibus modis ius potestat. soluit.* atque ita postumus non dicitur, quod natus sit post humatum patrem, sed quod post natus sit. Vmus enim nihil omnino significat, sed eum tamen propriè postumum dici non inficior, qui post mortem parentis natus est, auctore præsertim Plutarcho, qui πόστυμον appellari ἐαν πεθνηκότος

τεθνηκότος πατρὸς γένηται, diserte ait in Coriolano & in Sylla. idemque Vlpianus, Caius, Sext. Pompeius, Varro tradunt: & hic est, qui à Græcis interpretibus appellatur κυοφορούμενος, quod moriente parente in vtero fuerit. At postumus etiam dicitur in legis Velleæ *cap.* 1. qui post testamentum viuo parente nascitur: & ex eiusdem legis capite secundo, postumorum loco sunt qui ante testamentum nati sunt, si postea viuo parente in sui heredis locum succedant. & hinc vero etiam apparet aptari nomen postumi, non his tantummodo, qui post mortem parentis nati sunt, sed etiam his qui posteriores parenti editi sunt. Proinde in illo Virgilij loco, *tua postuma proles*: non erit Cesellij Vindicis reicienda interpretatio ab Aulo Gellio relata: nam & eodem sensu Tertullianus Postumum, Postumatum, & Postumare dixit, in libro de resurrectione carnis. *Omnis*, inquit, *consummatio atque perfectio, etsi ordine postumat, effectu anticip.* In libro aduersus Valentinian. *Sunt qui nec principatum Bythio defendant, sed postumatum.* In libro contra Gnost. *Quæ cauda erit quodcumque de postumo corporis propagatur.* Apuleius in Apol. 1. *Quamquam est iam præcipiti æuo, & occidua senectute, tamen & si videtur, suscipiat doctrinam seram plane, & postumam*: vbi vulgo male legitur, seram plane & post vinum. Atque adeo ipse nunc omnibus suadeo vt *Posthumum* posthac sine aspiratione scribant, & hanc potius verbi notationem probent, vt Postumus dicatur quasi posterior. Certe postumos in *l. 3. §. ex his D. de iniusto rup. testa.* Vlpianus posteriores appellat. *Ex his*, inquit, *apparet aliam esse causam filiorum superstitum, aliam posteriorum*: sic enim Flor. legitur. & libri quoque Labeonis post mortem eius editi, Posteriores dicti sunt, quasi postumi: vt ex Gellio in comment. de vsurp. & vsuc. ostendi.

Cap. V.

De nuptiis iniussu parentum contractis, & explicata l. 3. §. si emancipatus, D. de bon. posess. contr. tab. & aliæ complures.

Liberi aut in potestate aut emancipati sunt. Qui sunt in potestate iure ciuili eius iniussu, in cuius potestate sunt, nuptias non possunt contrahere. Alioquin iniustæ sunt nuptiæ, iniusti liberi. Apul. lib. 6. *Impares*, inquit, *nuptiæ, & præterea in villa, & patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri. ac per hoc spurius iste nascetur.* Iussum exigimus, nec sufficit ratihabitio. non tamen exigimus, vt parens dicat se velle: satis namque est non nolle, & taciturnitas iussum imitatur. At cum manifesto Paulus lib. 2. Sent. tit. 9. propter publicam vtilitatem nuptiarum, eas quæ iniussu parentum contractæ sunt, non dissolui tradat, imperfecta illa lex ciuilis est, quæ vetat nuptias iniussu parentis contrahi. Censet enim vxorem iniustam esse, iniustos liberos, iniustas nuptias, nec eas tamen dissoluit. & hoc, meo quidem iudicio, proprium exemplum est iniustæ vxoris, de qua in *l. si vxor, D. ad leg. Iul. de adult.* quæ iure viri adulterij accusari potest: nec enim concubinæ, aut eius, quæ vxor esse non potest, exemplum recte dabitur, quandoquidem eæ iure viri accusari non possunt. Liberi autem emancipati, vt vulgo traditur, parentum iniussu nuptias contrahere non vetantur. qua tamen in re separandi sunt mares à feminis. Filius, etiamsi minor sit annis xxv. iniussu patris nuptias potest contrahere: filia non item. Quinimmo si morte patris filia minor annis xxv. sui iuris effecta sit, matris consensum & propinquorum exigimus, propter sexus imbecillitatem. & hoc quidem obtinuit primum in pupillis, *l. 1. C. de nupt.* tum in viduis, *l. viduæ, C. eod.* deinde in virginibus puberibus, *l. in coniunctione, C. eod.* ex qua cum, vt è C. Theod. apparet, in *l. viduæ* A scriptum esset, *Vt in pupillarum*, Tribonianus adscripsit, *Vt in virginum*. ex eadem quoque puto & ex Basilicis in *l. viduæ §. 1.* pro *Patris*, legendum esse *Matris*, mutata specie, eoque posito patrem vita functum esse. At magna hinc existit quæstio inter iuris professores, an ob id solum exheredari filius filiave possit, quod iniussu patris nuptias contraxerit: quod ipse quidem sine vlla distinctione semper negaui, & apud Gentianũ Heruetum virum optimum & eruditissimum relata Theodori Balsamonis patriarchæ Antiocheni sententia id aperte confirmat. Siue igitur sui, seu emancipati liberi nuptias iniussu patris contrahant, licet illo casu iniustæ sint nuptiæ, non tamen à parente iuste ob id exheredantur liberi. At vtroque casu, si se ad turpem & infamem personam nuptiis contractis applicauerint li- B beri, iusta exheredationis causa erit: pertinet enim ea res ad infamiam ac dedecus familiæ, & à Iustiniano quoque in No. cxv. nonnihil tracta est. Tum vero multum confirmatur à *l. 3. §. si emancipatus, D. de bon. pos. con. tab.* cuius & sententiam & speciem hic subiiciam lubens. Si filius emancipatus, vxore ducta iniussu patris, nepotem procreauerit viuo filio, nepos non admittitur ad bon. possessionem Vnde liberi, vel contra tabulas aui, quia filius eum præcedit. Mortuo filio admittitur nepos, licet in potestate aui nunquam fuerit, *d. l. 3. in princ. l. si emancipatus §. 1. l. si retentus, l. vlt. eod. tit. l. 5. §. 1. D. si tab. testam. nul. extab.* quia ex iustis nuptiis cum sit procreatus, auo suus heres eo casu futurus erat, si filius emancipatus non fuisset. Et quamuis emancipationem rescindat bon. possessio contra ta- C bulas *l. sed cum patrono, D. de bon. possessio l. si aliquis, C. Th. de bon. proscrip.* non perinde tamen hoc casu omnia esse statuimus, atque si nunquam emancipatio intercessisset, ne alioquin & iniustæ nuptiæ, & iniusti efficiantur liberi, atque ita rescissio illa capitis deminutionis adimat potius, quam tribuat ius successionis: quę tamen quo magis, non quo minus nepos admittatur, interuenit. Et idem ferè de ademptione legatorum dicitur in *l. legata inutiliter, D. de adimen. legat.* At in bonorum possessione contra tabulas hoc imputatur testatori, cur liberos non instituerit, *d. l. 3. §. liberi.* Vel si hoc merito facere potuit, cur non exheredauerit: in D querela hoc tantum, cur non instituerit *l. postumus D. de inofficioso testamento.* An igitur, illo nepote præterito, id imputatur auo cur non instituerit, vel exheredauerit nepotem? Et alterutrum imputari placet, vel si ex honesta nuru sit editus, cur non instituerit: vel si ex turpi & ignominiosa, vtputa ex mima, vel meretrice, cur non exheredauerit. Potuit enim hoc casu non ipse filius tantum, sed etiam nepos, quamuis omni quidem ipse culpa careat, merito exheredari, nec quasi inofficiosi testamenti querelam iure instituisset: quandoquidem iudex qui de inofficioso testamento iudicat, non minus perpendisset filij delicta, qui se ad feminam turpem, & velut ὑπώπιον quoddam suæ familiæ applicauit, quam nepotis merita. Ergo etsi bene sit me- E ritus de auo nepos, eum tamen ideo exheredatum esse merito iudicasset, quod ex ignominiosa nuru ac turpi, & ex matrimonio ad familiæ totius infamiam dedecusque pertinente procreatus fuerit. & hoc sentit Vlpianus in eo §. *si emancipatus.* quamuis inuersa ratione scripserit non minus spectari merita nepotis, quam patris eius delicta. sed hæ loquendi formæ frequenter occurrunt, & ita, vti diximus, vel restituendę vel potius explicandæ sunt, vt in *l. 3. §. Labeo scribit, D. de incen. rui. & naufra. l. iuris gentium §. pactorum, D. de pact. §. iniuria, Instit. de lege Aq. l. 22. C. Th. de susceptor.* De sententia eius §. scripsit Andreas Alciatus, & quid in eo sibi vellet verbũ Rescissionis exposuit recte, cetera non recte in παρέργων, & in διδάξων libris: iamque ea in re satis à Viglio reprehensus est in comment. ad tit. de inoff. testam.

A omittente, fideicommissum intercidat.

Cap. VI.

Valde Marcelli notam esse deprauatam in l. ita tamen §. quotiens, D. ad S. C. Trebellian.

CVm scripsisset Iulianus, eum qui rogatus est filio emancipato præterito hereditatem restituere, admissa bon. possessione contra tabulas à filio, non compelli adire ac restituere: visum est Marcello notam apponere huiusmodi in *l. tamen* §. *quotiens*, *D. ad S. C. Trebellia. Plane non est compellendus adire, si iam filius bonorum possessionem: ne intercidat fideicommissum mortuo herede instituto, & omissa à filio bonorum possessione.* Sic habent Pandectæ Florentinæ, sic libri manu scripti. Accursius legit, *adire suam filius bonorum possessionem:* sed quotus quisque est, qui non videat locum esse valde inquinatum atque corruptum? Atque vti de Accursij lectione primum loquamur, quis illam loquēdi rationem admittat, Adire suam bon. possessionem? Dicimus quidem Adire bona, pro Adire hereditatem in *l. 1. C. de testam. mil.* quod etiam subire dicimus recte *l. si nemo D. de diuer. reg. iur. l. 1.* C. *Th. vnde lib.* vt Græci προσιέναι καὶ ὑπισιέναι, προσελθεῖν καὶ ὑπισελθεῖν τῇ κληρονομίᾳ: numquam vero Adire bon. possessionem. & licet interpres in *l. Pannonius, D. de adquir. her.* additionis verbum ad bon. possessionem referat, ipse tamen ad hereditatem referre malim, cum & intra c. dies C hereditatem adiri debuisse non ignorem, vt & formula cretionis, & complures alij iuris nostri loci demonstrant. Ad hæc speciem Acc. alienam à mente, verbisque auctoris comminiscitur: nec enim auctor heredem ait rogatum fuisse post mortem suam restituere, nec alij quam filio fideicommissum relictum fuisse sentit. Et ex ea etiam specie ineptam quæstionem ducit, an filius cogatur petere bon. possessionem con. tab. cum tamen si sententia Iuliani eo pertineat, an cogatur scriptus adire, Marcelli quoque notam eodem spectare oporteat. Rursus ita speciem confingit Accurs. quasi vereatur, ne is, qui petierit contra tab. possessionem, eam omittat postea: quod absurdum est. quæ enim est petita bon. possessio, & adquisita est: ergo iam omitti non potest. Nunc si Florentinam scripturam inspicias, mutila & imperfecta videbitur: ita enim se habet. *Plane non est compellendus adire, si iam filius bon. possessionem: ne intercidat fideicommissum, &c.* Quid hoc est, *Si iam filius bon. possessionem?* Rursus quid est quod ait, *Ne intercidat fideicommissum mortuo herede instituto, eum non esse compellendum adire?* Quin imo dicere debuit, compellendum eum adire, ne intercidat fideicommissum, vt in *l. ille à quo* §. 1. *D. eod. tit.* Dicendum, inquit, erit compellendum eum adire, ne prius heres decedens fideicommissarium decipiat: & eodem sensu in *l. cogi* §. *1. D. eod. tit.* ne fideicommissum intercidat, verba testatoris ait de successione accipi, & heredem cogi adire. Equidem existimo, id quod Petro Fabro nostro, cum de huius loci restitutione inter nos ageremus, visum est, in proxima verba, negatione translata, sic legendum esse, *Plane est compellendus adire, si non iam filius bon. possessionem*: vt subintelligatur verbum *Accepit*, vel etiam suppleatur, vt est in quibusdam libris impressis. Ea igitur erit Marcelli notæ sententia, quæ & §. *qui rogatus d. l.* ita tamen, vt quemadmodum substitutus, aut legitimus heres potest heredem scriptum cogere vt adeat & restituat, *l. recusare* §. *Titius D. eod. tit.* ita & præteritus, si non iam bon. possessionem contra tabulas acceperit, eo maxime quod, nisi adierit scriptus, futurum est, vt eo interim decedente, ac fideicommissario delatam bon. possessionem

Cap. VII.

Quid sit diem præferre & referre.

MOdestinus scribit in *l. si à debitore, D. ad leg. Cornel. de fal.* falsi crimine eum debitorem teneri, qui prætulit diem obligationis pignoris: quod nemo intelliget, nisi qui sciuerit Præferre diem Latinos dixisse pro Anteuertere, siue anticipare, vt vetustior esse obligatio videatur. Sic Liuius lib. 39. Triumphare mense Ianuario statuerat, sed prætulit triumphi diem. Triūphauit ante diem x. Kal. Ianuar. & in *l. 1.* §. *editiones*, B *D. de edendo, editiones instrumentorum* Vlpianus ait *sine die & consule fieri debere, ne quid excogitetur è die & consule, & prælato die fiat:* id est, ne præferendi diei, & generaliter ne falsi committendi ansa inde falsariis præbeatur: quod & de tabularum testamenti editione traditur in *l. 2.* §. *diem, D. quemad. testam. aper.* possit enim aduersarius quoque die cognito & consule, vt Constantinus exprimit lib. 1. Epitom. tit. 4. μεταγενέστερον ἔγγραφον ἀναιρετικὸν conficere, quo scilicet quasi posteriore prius rumperetur. At verbi Præferre vim qui nescierunt, vtroque in loco legerunt corruptè *Prolato*, non *Prælato*. Ego sequendam esse hoc in loco Florentinam scripturam reor: idemque verbo Referre significari existimo in *l. arbiter ita sumptus, D. de recept. & qui arb. recep.* vbi arbitrum ita sumptum vt & diem C proferre possit, hoc quidem facere posse. Papinianus ait: referre, id est, anteuertere siue anteferre diem non posse, atque ita Sextus quoque Pompeius ex Veranio referri diem proditam, id est, anteferri esse religiosum scribit.

Cap. VIII.

A qua lege sit quadrans, qui excludit querelam inofficiosi testamenti.

D QVerelam inofficiosi testamenti, quę, vt probabiliter dici posse ostendimus lib. 2. lege Glicia inducta est, excludi relicto debitæ ab intestato portionis quadrante, nemo est qui nesciat. verum dubitari potest, hęc eadem lex Glicia, an quæ alia quadrantem ita taxauerit omnimodo liberis ad excludendam querelam relinquendum esse. Aliqua enim lege vt hic definitus fuerit quadrans necesse est, vti nunc in locum eius qui successit, triens vel semis lege Iustiniani definitus est, & vt ceteri omnes quadrantes, de quibus in iure ciuili fit mentio, ex lege aliqua vel S. C. vel constitutione originem ducunt, vt puta Falcidianus, Sabinianus, Pegasianus, Antonianus: & vero vestigiis omnibus à pleriſque illius etiam quadrantis origo indagatur. Ego eam ad D. Marcum philosophum referendam esse didici ex Nicephoro *lib. 3. Eccles. hist. cap. 31.* vbi duas E Nicephorus D. Marci leges laudat. Vnam, vt matribus liberi ab intestato succedant, & hoc est quod S. C. Orfitianum appellamus, siue orationem D. Marci: Latinus tamen interpres ita vertit, vt parentibus liberi ab intestato succedant: quod rectum non est: nam id in matribus tantummodo D. Marcum constituisse certum est. Altera vero lex est, vt liberis ἀμνημονεύτοις καὶ ἀχαριστήτοις, id est præteritis, & nihil è iudicio parentum accipientibus quadrans hereditatis debeatur: quam, nisi me fefellit Latinus interpres, male ab ipso etiam Nicephoro expositam puto: idque accidit sępe alienis à professione nostra hominbus, dum

scilicet ad ciuile ius pertinens aliquid referunt: nam & iuris nominibus abutuntur, & in iure ipso referendo facile labuntur & peccant. Ego hanc fuisse credo D. Marci legem vt liberis prēteritis vel exheredatis parentes omnimodo quartam legitimę portionis relinquant. Quod si fecerint, re'cindi testamentum querela inofficiosi non potest: quippe cum eo pacto liberis parentes χάριν ἔχειν dixerit Iustin. in *No.* 18. atque adeo nec sint liberi ἀχαρίστομοι, nec integra vel inofficiosa testamenta. cum enim liberi præteriti vel exheredati à parentibus debitam non retulisse gratiam dicantur, & quæ inofficiosa testamenta nominamus, ingrata quoque appellare possumus, vt Sueton in Caligula, *Testamenta*, inquit, *primipilarium vt ingrata rescidit*. Et generaliter ingrata sunt ea testamenta in quibus de nobis bene meritis nihil relinquimus, siue liberi sint, siue extranei. Non tamen omnibus de ingrato testamento queri licet.

Cap. IX.

Purgatus §. vltim. l. vlt. D. de legat. lib. 3.

NOn est in libris nostris locus adeo maculatus, vt §. *vltim. l. vlt. D. de legat. lib.* 3. in quo illud perquam absurde proponitur, substitutum impuberi ex vncia instituto, & commisso per alium edicto admittendi bon. possessionem contra tabulas, legata ab instituto relicta præstare ex semisse, sed ex vncia, omnibus: ex reliquis, exceptis tantum personis, cum tamen certissima ratione constet, sicut ea institutus ipse non præstaret nisi exceptis personis ex semisse, ita & substitutum eius (qui ea solet præstare quasi æs alienum defuncti, *l. seruo alieno. §. si quis à primo D. de legat. lib. 1. l. in ratione, §. quod vulgo, D. ad leg. Falcid.*) ea non præstare nisi exceptis personis pro semisse, *l.* 5. *D. de legat. præst.* Sed præstat ipsa §. verba proponere, & vti restituēda putē, statim indicare. Ait igitur, *Si filius ex vncia heres institutus sit, & ab eo legata data sint, habeat substitutum.* Hæc verba credo non esse ordine suo collocata, & ita legendum, *Si filius ex vncia heres institutus sit, habeat & substitutum, & ab eo legata data sint.* Moueor tractandarum rerum ordine: nam cum initio, *l. vlt.* actum fuerit de legatis à substituto exheredati relictis, quod legis initium exposuimus lib. 2. consequens est vt nunc tractetur de legatis relictis à substituto instituti, qui, alio edictum committente, petiit bon. possessionem contra tabulas: qui ordo etiam obseruatur in *l. ab exheredati, D. de leg. lib. 1.* atque ita eadem erit eius §. species, quę & *l.* 5. §. *quod si impubes, D. de legat. præst.* vbi aperte de legatis à subsituto relictis quęstio proponitur. Merito autem de his magis dubitatur, quàm de legatis ab instituto relictis, an ea substitutus debeat pro semisse. quis enim heredem eodem iure esse nesciat, quo & defunctus fuit? At pupillus à se relicta legata pro semisse debuit: ergo eadem quoque substitutum eius pro semisse præstaturum in aperto est. Sequitur, *Deinde commisso edicto per alium filium, accepit partis dimidiæ bonorum possessionem: substitutus eius verum ex vncia legata* (scilicet relicta à se, non à pupillo) *præstat, an vero ex semisse. & verius est ex semisse.* Lex 5. *de legat. præst.* ait, *& magis est vsque ad semissem.* Hæc autem quæ sequuntur in illo §. *vlt. Sed ex vncia omnibus: ex reliquis, liberis & parentibus,* sunt ignari & inepti cuiusdam interpretis. Itaque vt expungantur censeo: nam siue legata relicta sint à substituto, vti nos speciem ponimus, omnibus profecto ex semisse præstanda sunt: siue ab instituto, ne ex vncia quidem, nisi exceptis personis debentur. Etenim tabulæ primæ rescinduntur, tabulæ autem secundæ non rescinduntur A petita bon. possessione contra tabulas. Ad hæc quid attinebat ea verba subdere, cum non de personis quibus præstantur legata, sed de portione, proposita fuisset quæstio? aut cur etiam contrariæ speciei, quæ mox consequitur subdita par admonitio non fuit? Et in contraria quidem specie, id est, si pupillus institutus ex dodrante commisso edicto ad semissem redactus fuerit, hic bellus interpres censeret ab instituto relicta pro semisse prēstanda esse omnibus, Iurisperitus exceptis tantum personis, *l. etsi contra, D. de vulga. subst.* Sed cū quæratur de legatis à substituto relictis deminuta portione instituti, ea quoque deminui, & omnibus æquè prēstari, atque si aucta fuisset portio, fatebimur. & hoc verissimum puto. Malim quoque in illo loco *Semissem* B *acceperit bon. possessionem*, legere *semissis*, vt in priori specie, *Partis dimidiæ.*

Cap. X.

Explicatus & emendatus §. si quis rogatus fuerit filiis. l. ex facto, D. ad S. C. Trebel.

INsidet meo quidem iudicio, aliud mendum in *l. ex facto §. si quis rogatus fuerit filiis, D. ad S. C. Trebel.* vbi ex Papiniani lib. 8. respons. id est, ex *l. cum pater, §. hereditatem. 1. D. de legat. lib. 2.* Vlpianus refert heredem rogatum filiis suis, vel cui ex his voluerit, cum moreretur, hereditatem restituere, ius eligendi deportatione non amittere, cui liber factus fideicommissum C restitui velit. Et puto legendum, *Cui liberorum fideicommissum restitui velit*: errore orto ex duabus notis, vti mox subiiciam, & explanatione posterioris, quę tamen vel ipsa, vel saltem explanatio eius omnino expungenda erat hoc modo, *Cui lib. F. C. fideicommissum restitui velit.* Nam deportatus seruus non fit, vt liber deinde fieri possit. Solus Callistratus deportatum scripsit seruum fieri in *l.* 5. *D. extr. cogn.* à ceteris omnibus: quod interpretes Græci referunt inter ἐναντιοφανῆ & inexplicatum relinquunt: ego exposui in *tit. de cap. demin. lib. 1. Instit.* Tum vero deportatus, etiamsi nec- D dum pœna liberatus sit, ius eligendi habet vsque ad vitæ supremum exitum *d. §. hereditatem.* Frustra ergo ait, *Cui liber factus.* idque Accursius etiam notauit. Ex eo autem Papiniani responso apparet, per omnia deportatum non haberi pro mortuo: nec enim si pro mortuo haberetur, ius eligendi ei competeret, sed omnibus liberis ex æquo fideicommissi persecutio daretur. Et ita quoque alibi traditum est, deportatione mariti donationem non confirmari, quia scilicet deportatio non omnino similis est morti, *l. sed si mors, D. de donat. int. vir. & vxor.* cui tamen legi manum adhibuit suam Tribonianus, vt manifesto stylus indicat, Vlpiani verbis adtexens quædam alia ex sententia *l. vxoris. C. eod. tit.* quam se probasse Iustinianus testatur in *No.* 22. Rursus cohibendorum caducorum causa, quibus nunquam Iurisconsultorum fauit interpretatio, traditum est etiam, pro mortuo deportatum non haberi, *l. intercidit, D. de condic. & demonstrat.* E Cognationem tamen deportatus amittit, & ideo neque contra tabulas parentum bonorum possessionem habet, nec legata ei conseruantur petita bonorum possessione contra tabulas, & maxime quidem eatenus decessisse fingitur. Ceterum seruus pœnæ in omni iure vere ac semper similis est mortuo, & ideo in proposita quoque specie seruus pœnæ factus eligendi ius amittet. nec enim vt deportatus, quia liber est, arbitrium habet, ita & seruus. quamobrem statim liberi eius si quos habeat, simul admittentur ad fideicommissum, nec expectabunt quoad is naturaliter decedat: si vero tunc liberos non habeat, postea suscepti nullo modo admittentur: quia semel defecit fideicommissi

condicio, redactaque in fiscum est hereditas.

CAP. XI.

Vti explicandum sit ἐναντιοφανὲς quod est inter l. legatum, D. de legat. lib. 1. & l. Titia §. Lucia, D. de leg. lib. 2.

PVgnare videtur *l. legatum D. de leg. lib. 1.* cum *l. Titia §. Lucia, D. de legat. lib. 2.* nam legatum seruo delatum repudiare dominum posse ait *l. legatum.* idque verissimum est, cum bonorum possessionem seruo delatam dominus repudiare possit. At illud tamen pernegatur in §. *Lucia.* vbi Accursius noster, quem ego & Latinis & Græcis omnibus interpretibus iuris facile antepono, huius rei explicandæ gratia tres opiniones adfert, ex quibus postremam ipse verissimam esse iudico: verum explicatione indiget. Multum interest inter delatum, & adquisitum legatum: neque his nominibus vnquam iuris nostri auctores abutuntur. Delatum legatum nondum adquisitum est. Defertur ipso iure adita hereditate. Adquiritur autem agnitione, *l. ei qui ita, D. de condic. institu. l. cum vero. in fi. D. de fideicommiss. libert.* non ipso iure post aditam hereditatem, licet agnitionem retro agi non inficier ad diem aditæ hereditatis, *l. seruum filij §. 1. l. si tibi homo §. cum seruus, D. de leg. lib. 1.* Delatum legatum repudiari potest. Adquisitum repudiari non potest *l. 1. §. decretalis, D. de successorio edicto.* De delato loquitur *l. legatum,* De *adquisito §. Lucia.* namque in eo §. quæritur, an dominus propterea quod interfuit diuisioni, adquisitam fideicommissi persecutionem amiserit, id est, adquisitum fideicommissum: nec enim, si fideicommissum non adquisiero, id est, non adgnouero, fideicommissi persecutionem adquisiero: & ideo licet de persecutione quæsitum sit, respondet tamen eo casu fideicommissum nec ipso iure, nec per exceptionem amitti, nisi probetur eius amittendi animo interfuisse diuisioni dominũ. Adquisita igitur amittere possumus, repudiare non possumus: idque naturalem intellectum habet. nam quod iam ipse nactus sum, alienare possum, & variis modis amittere: cum tamen iam id ipse habeam, quomo repudiare, repellere, auertere id à me possum?

CAP. XII.

Quid sit ius antiquum in l. 1. C. Vnde vir & vxor. notato Thalelæi errore.

IN *l. 1. C. Vnde vir & vxor,* qua non nisi deficiente omni sanguinis linea Impp. Theodosius & Valentinianus declarant coniuges inter se ab intestato in solidum pro antiquo iure succedere, Thalelæus Græcus interpres putat ius antiquum dici respectu legis Papiæ decimariæ *lib.* 45. βασιλικῶν, tit. 5. sed fallitur: nam lex Papia decimaria ad testati dumtaxat successionem pertinet, *l. 2. C. de infirm. pœn. cœlib. l. 7. C. Th. de nauicular.* & ex ea vir & vxor, nullis ex eo matrimonio extantibus liberis, non nisi decimam ex testamento matrimonij nomine capere possunt, & si extent liberi ex alio matrimonio, pro vno quoque ex liberis aliam decimam, & pro communi filio post nonum diem amisso aliam: duobus post nonum diem amissis, duas: idque Vlpianus explicat recte in *Fragmen. tit. xv. & xvi.* ad quod etiam Tertullianus alludit lib. 1. ad vxorem, his verbis, *Tu modo vt solidum capere possis hoc mea admonitionis fideicommissum Deus faciat.* Lex autem Papia, nullo existente ex qualibet sanguinis linea, coniuges ab intestato nec excludit nec vlla bonorum parte multat. A Et certe verius est ius antiquum in ea lege dici habita ratione constitutionis eorundem Imperatorum nouæ, cuius ipsi meminere in *l. vlt. C. Th. de legit. hered.* & quæ non liberis quidem, sed parentibus aut propinquis extantibus coniuges ad certam partem: nullis autem extantibus, in solidum ab intestato inuitabat. Est vero eius pars vna in *d. l. 1. C. Vnde vir & vxor.* Altera pars ab eisdem Imperatoribus abrogatur in *d. l. vlt.* quæ lex post illam legem primam *Vnde vir & vxor.* statim sequenti anno edita fuit, vt non tantum subscripti eis consules indicant, sed etiam illa legis vltimæ pars, qua cauetur vt si quid hoc medio breuique tempore, id est, medio illo anno coniugibus eo iure obuenerit, id deponant. Vtramque vero legem antecessit ea qua tollitur lex Papia decimaria, dato coniugibus solidi capiendi & liberorum iure, *l. 2. C. de infirm. pœn. cælib. l. 1. C. de in. liber.* atque ideo eius fit mentio in *d. l. vlt. de legit. hered.* Ad extremum, illud adnotabo erutas esse *l. extraneum. 2. C. de hered. instit. & l. in extraneos, C. de donat.* ex his eiusdem *l. vlt.* verbis: *vt desiderio suo quisquam subuenire differat, quod interdum ita sensu leuiore concipitur, vt antiqui nec quod extraneis, ac sæpe ignotis in donationibus successionibusque tribuatur, coniugibus concesserint, & reprimendum inter hos potius, vt in loco ancipiti, quam incitandum fauorem mutuum arbitrati fuerint.* sic enim legendum est.

CAP. XIII.

C *Emendatur locus è libri tertij Institutionum titulo* VII.

ETsi summam in purgandis & emendandis Institutionum libris anno superiore diligentiam adhibuerim, fortassis tamen adhuc supersunt, & ab eruditis porro iudicabuntur maculosa quædam ac deprauata, quæ nos neque perspeximus neque restituimus. cuiusmodi vnum hoc est, quod in hoc capite explicabitur & à me fuit his diebus deprehensum, cum ea quę ad iura patronatus pertinent reuoluerem. Iustinianus in §. *postea, de successio. libert.* tractans de virili portione pro numero filiorum lege Papia patrono data testato vel intestato centenario liberto, cum vnum filium filiamve libertus heredem reliquit, perinde partem dimidiam patrono deberi ait, ac si is sine vllo filio filiave intestatus decessisset. Hic locus, nisi fallor, vitio laborat: nam si intestatus libertus decesserit sine liberis, patrono non dimidia, sed tota hereditas debetur iure legitimo, *l. intestato, D. de suis & legit. hered.* & ideo, cum Vlpianus de hoc *legis Papiæ* capite tractaret *lib. 10.* ad leges, recte *Virilis* appellationem interdum totam hereditatem admittere notauit, quod procul dubio tunc fit, cum intestato decedit libertus sine liberis, *l. virilis, D. de verb. signif.* Quare constat ita non recte apud Iustinianum legi, *vt perinde patrono dimidia pars debeatur, atque si sine vllo filio filiave intestatus decessisset.* Opinor autem legi debere, *Ac si is sine vllo filio filiave testatus decessisset*: nam testamento facto, siue filius sit institutus siue extraneus nullis existentibus liberis, patrono non debetur nisi pars dimidia ex Prætoris edicto. Et opinio hæc mea nullis quidem, quos legerim, libris scriptis vel antiquis adiuuatur, iuris tamen ratio ipsa per se sufficit, cui & Græca Theophili παράφρασις assentitur.

A

CAP XIV.

De vindicibus, Canonicariis, Defenſoribus ciuitatum, Loci ſeruatoribus.

SCio in *l. 1. C. Th. ſi quacum. prædit. poteſt.* ciuitatum defenſores ſiue ἔκδικους ciuitatum vindices appellari. At vindices illi, quorum Iuſtinian. in No. περὶ τῆς δημοσίων αὐξήσεως, & in No. περὶ τοποτηρητῶν meminit, an ſint ciuitatum defenſores addubito: nam hi potius vindices à Iuſtiniano appellari videntur, qui exigendis tributis, quorum ad curiales antea exactio pertinebat, ab Anaſtaſio Imperat. in ſingulis ciuitatibus B conſtituti ſunt, vti auctor eſt Nicephorus lib. 16. cap. 44. è quibus veriſimile eſt Iuſtiniani tempore adhuc in quibuſdam ciuitatibus nonnullos ſuperfuiſſe. Defenſores autem ciuitatum ſiue locorum antiquiores longe ſunt, & ſimiles Tribunis plebis, atque ideo defenſores plebis appellantur in *l. 1. C. de offic. inrid. Alex.* Rurſus ab eis diuerſi ſunt τοποτηρηταὶ, vt ex No. περὶ τοποτηρητῶν facile intelligi poteſt, qui mittuntur à præfectis prætorio vel comitibus vel præſidibus iuris dicendi cauſa, & à Paulo monacho loci ſeruatores appellantur lib. 6. hiſtor. Longobard. & in *l. 77. de furt. in legibus Longobard.* & loci iudices in *l. 2. C. de exhib. reis*, à Iuliano anteceſſore, Vicarij. Meminit Annain C Alexiade 3. Adamateni τοποτηρητὴς Heracleæ & Paphlagoniæ circa Pontum. Sudas: τοποτηρητὴς εἶδος ἀξιώματος. Ceterum vindicibus Anaſtaſianis pares ſunt qui Canonicarij dicuntur in *No.* περὶ τῆς δημοσίων αὐξήσεως, & *No.* περὶ αὐθεντάτης Καππαδοκίας, & in libris Variarum Caſſiodori ſæpiſſime. Hi ab exigendis canonibus, Canonicarii: illi, quod ab Anaſtaſio decurionum iniquis actionibus oppoſiti fuerint, appellati ſunt vindices.

CAP. XV.

Duo Digeſtorum loci perſpicue corriguntur.

NVnc indicabo duos Digeſtor. locos puſillo quidem, non tamen prorſus contemnendo vitio laborantes: omnibus enim mederi par eſt. Vnus eſt in *l. Lucius, D. de action. emp.* alter in *l. pen. §. erit ergo vænale, D. de bo. po. cont. tab. In l. Lucius*, ſic vulgo legitur, *Ita vt ſi non integras præſtiterit*: Florentię autem propius veritatem, *Ita vt ſi non integras præſtauerit*: conſtat vero legendum *Repræſentauerit*. nam & alibi in *P. Flor.* eodem errore ſcriptum eſt *Repræſtandum*, pro *Repræſentandum, l. mulier §. 1. D. ad Trebellian.* Repręſentare, eſt exhibere, vel præmature dare. & ideo in *l. Lucius*, paulo poſt ſuperiora verba: *neque*, inquit, *heres eius reliquam materiam exhibuerit.* Grauius eſt mendum *l. pen. §. erit ergo*, in illo loco, *Si autem omiſerit hereditatem, in portionem bonorum exheredatum effectum admittet, iure factum ſolum ſuum heredem.* ſic habent E omnes libri, ſed male, vt opinor: nec enim Latine dicimus exheredatum effectum, ſed factum. Ego pro *Effectum* cenſeo legendum *Effectu*, vt iuri effectus opponatur hoc ſenſu, Repudiante ſcripto, exheredatus filius ſuus ipſo iure heres eſt ſolus ab inteſtato, effectu autem, id eſt, re ipſa & naturaliter concurrente fratre emancipato præterito, qui contra tabulas bonorum poſſeſſionem admiſit, non niſi in portionem bonorum admittitur; namque Prætor emancipatum in partem dimidiam tuetur. Sic in *l. is qui, D. de legat. præſtand.* *Quia effectu*, inquit, *fratris aufert partem dimidiam.* & in *l. 5. §. 1. D. quod cum eo*, &c. *effectu enim*, inquit, *quodammodo heres eſt.* ſic & in *l. 5. §. vlt. D. commod. l. ſi habitatio, D. de vſu & habitat. l. 1. §. qui minorem, D. vt legat. no. caueat.*

CAP. XVI.

Explicatur edictum de alterutro, & emendatur §. ſi pater, l. ſi cum dotem, D. ſol. matrim.

EDicti de alterutro fit duobus tantum in locis mentio, in *l. 1. §. ſciendum, C. de rei vxor. act. & l. vlt. C. Th. de teſtam.* Hoc edicto cauetur, vt ſi quid maritus vxori aut hereditatis, aut legati, aut fideicommiſſi titulo reliquerit, alterutro contenta ſit mulier, relicto, vel dote, actione ex teſtamento vel actione rei vxoriæ: nam non pertinet hoc edictum niſi ad actionem rei B vxorię, quæ plus iuris in dote marito tribuit, quam actio ex ſtipulatu. Proinde electa rei vxoriæ actione, relictum non debetur: & contra, electo eo quod relictum eſt, rei vxoriæ actio non datur, niſi pro modo excurrentis quantitatis. Quare deterior in eo eſt mulieris, quam aliorum creditorum condicio: nam creditori meo ſi aliquid legauero, & is legatum acceperit, non ideo ius crediti amittit. eodemque modo licet mulier ſcripta heres & rogata hereditatem reſtituere, in ponenda ratione *legis Falcidiæ* ſi tantum habeat in Falcidiana quarta, quantum in dote, dotem non deducat, alius tamen creditor ſcriptus heres etiãſi credito quarta reſpondeat, creditum deducit: nec vero ei mulier C ſimilis eſt, niſi cum nominatim vtrumque conſequitur ex mariti iudicio, vtputa cum & heres ex parte inſtituitur, & ei dos prælegatur. quo caſu dotis partem proportione ſua ex qua prælegatum non valet, veluti æs alienum deducit, neque compenſat cum Falcidia, & hoc cum tradatur in *l. cum heres deductis, D. ad Trebellian.* dote nominatim vxori inſtitutę non prælegata, recte inde colligemus, alterutrum dumtaxat præſtari. Sed hoc, vt diximus, in rei vxoriæ actione obtinet. Ad actionem ex ſtipulatu edictum de alterutro non pertinebat, *d. §. ſciendum, & §. igitur, C. de rei vxor. act.* & ideo ſublata cum ſit hodie actio rei vxoriæ, vigeatque actio ex ſtipulatu, conſequens eſt etiam edictum de alterutro penitus eſſe ſublatum. Et hęc dicimus cum ſimD pliciter aliquid vxori relictum eſt, illo non addito, *Pro dote.* Hæc enim adiectio proculdubio facit vt non poſſit mulier & ex teſtamento & ex ſtipulatu agere, *l. ſi filia §. pen. D. fam. erciſc. l. 6. D. quando dies leg. ced.* idemque dici poteſt eo non adiecto, modo ſi eo animo relictum doceatur, *l. 2. §. 1. D. de dote præleg.* Sed explicandum nunc id eſt, patre aliquid filiæ relinquente, alterutrum filia, an vtrumque conſequatur: nam edictum de alterutro ad ea dumtaxat pertinere quę maritus vxori relinquit, indicant illi duo loci à me in huius capitis initio annotati. Fac igitur ita eſſe: Pater dotem profecticiam ſoluto matrimonio exegit inuita vel ignorante filia, nec de rato cauit, tum filiæ in teſtamẽto aliquid legauit: ſi dotis nomine legauit, dubium non eſt quin filiam alterutro contentam eſſe oporteat, videlicet ſi tantum ſit in legato quantum in dote: ſin plus in dote ſit, quam in legato, vel electa dote, carebit legato, vel agnito legato, id tantum quod amplius eſt in dote petet à marito, maritus porro ſoceri heredibus condicet *l. qui hominem, §. ſi gener, D. de ſolut.* Quod ſi plus in legato ſit, vel electa dote, id ſolum ex teſtamento conſequetur quod dotem excedit: vt traditur in *l. Titia, §. qui inuita, D. de legat. lib. 2.* vel accepto legato id etiam lucrabitur quod dotem excedit. & hoc traditum fuiſſe opinor in *l. ſi cum dotem §. ſi pater, D. ſol. matrim.* & ideo horum verborum loco, *Lucroque eius cedit ſi tantum ab eo conſecuta ſit, quantum*: hęc repono ex §. *qui inuita. Lucroque eius cedit ſi amplius ab eo conſecuta ſit, quam ei.* Nec enim quicquam filia lucratur ſi tantundem conſecuta ſit: neque rurſus, eiſdem verbis ad patrem relatis, quicquam patrem lucrari poſ-

sis dicere, quippe cum dotem à se profectam receperit, & filiæ tantundem reliquerit. Ergo si plus in relicto sit quam in dote principali vel electa dote, reliqui tantum petitio ex testamento supereſt, vel electo relicto id etiam lucro filię cedit quod dotem exuperat: concurrentem enim summam compensari placet De patre vero qui non illud adiecerit se dotis nomine legare, nunc videndum est: & putem vtrumque tunc filiam consequi posse, sicut à patre pro filia dote promissa, & filię relicto legato traditum est in *l. si pater, D. de collat. dot.* nec enim edictum de alterutro ad hunc casum pertinebat quo alius legat, alius dotem debet.

Cap. XVII.

Verum esse quod Dorotheus notauit, semper doli exceptionem oppositam bonæ fidei iudicium facere.

DOrotheus ἐν τῷ πάπει legis *Scia, D. de donat. cau. mor.* notat, Semper doli exceptionem oppositam bonæ fidei iudicium facere: sed reprehenditur ab alio interprete Græco lib. 47. βασιλικῶν, titulo 3. quod ego ferre non possum: nam Papinianus cum dixisset vindicationi singularum rerum non inutiliter opponi exceptionem doli in *l. Seia*; statim subiiciens, *Bonæ fidei autem iudicio constituto*: nonne aperte indicat, per exceptionem doli iudicium arbitrarium, id est, vindicationem euasisse bonæ fidei? Etenim ita quoque Imperator in *l. 3. C. de exception.* replicationem doli oppositam iudicium bonæ fidei facere ait, cuius me loci, cum hæc tractarem atque discuterem, P Faber opportune admonuit. ibi tamen cum instituta fuerit actio tutelæ, quæ bonæ fidei est, dubitari posset quorsum Imperator doli replicatione dixerit iudicium bonæ fidei constitui: quod ego sic diluendum esse censeo: Actionem tutelæ per se bonæ fidei esse, exceptionem ei & replicationem doli inesse, *l, sed etsi ideo*, D. *soluto matrimonio, l. si is cui, D. de furt. l. huiusmodi* §. *qui seruum, D. de legatis lib. 1.* existente actione bonæ fidei non esse necessariam exceptionem vel replicationem doli. At proiecto si exceptio vel replicatio doli opponatur, iam actio ipsa non tam per se quam per exceptionem vel replicationem bonæ fidei constituitur Ceterum non me latet quosdam illa Papiniani verba, *Bonæ fidei autem iudicio constituto*, referre ad petitionem hereditatis. sed hanc primus bonæ fidei esse Iustinianus definiuit, *l. vlt. C. de petione hereditat.* cum antea nihil quicquam de ea certi prudentes inter se constituissent. Tum vero si de petitione hereditatis Papinianus intellexisset, non dixisset Constituto, sed Instituto, vel Proposito, & eam ipsam quoque nominare actionem ei graue non fuisset. Alij tradũt legatorum, fideicommissorum, mortis causa donationum actiones esse bonæ fidei: quod mihi certe multo minus placet, neque vero id probare vlla ipsi ratione possent. Præterea de vindicatione Papinianus, non de illis actionibus tractat. Assentiamur itaque Dorotheo, & cum constituta fuerit actio bonæ fidei posita exceptione doli, hoc deinde ideo quęri à Papiniano dicamus, an possit exigi cautio, quod in actionibus bonæ fidei cautio ante tempus exigi soleat, *l. in omnibus*, *D. de iudic.* Respondet autem non præstari cautionem inuita Seia, quia & prior donatio, quæ non directa & absoluta fuit, sed mortis causa, Titij morte soluta est, & sequens nondum initium accepit in persona liberorum, & ideo nulla subest extorquendæ cautionis ratio, quæ tunc dumtaxat ante diem extorquetur, cum aliqua causa vel obligatio subest. At si sua sponte cauit Seia liberis Titij, quia sic eis mortis causa videtur donasse, recte ait eos ex persona sua tenerii contributioni, Falcidia interueniente: nam ex constitutione D. Seueri etiam donationum causa mortis rescisionem facit lex Falcidia, quod tamen ab intestato non admitterem, quia mortis causa donationes non sunt ab intestato similes legatis, *l. si filius, D. de legatis præstand.* Ceterum illam cautionem Seia si non exposuisset, contributioni proculdubio ex Titij persona non tenerentur liberi.

Cap. XVIII.

De matronæ & matrisfamilias appellationibus.

IN eo libro qui sub nomine Clementis nuper est editus de actis diui Petri, ὡς ἐυγενῶν γυναικῶν πὰς ἀειφανεστέρας Latino sermone matronas appellari scriptum est: quam ego propriam esse matronarum significationem facile adducor vt credam. sed augetur tamen hæc significatio ab auctoribus nostris: nam nomine matrisfamilias quamlibet mulierem honestam accipiunt, *l. 3. in fi. D. de liber. exhibend. l. pronuntiatum, de verborum significatione, l. probrum, de ritu nupt. l. quæ adulterium, C. ad leg. Iul. de adulter.* idque generaliter tradunt honestatem. non aut nuptias, aut natales facere matremfamilias: viduam, non etiam virginem esse matrem familias: eam quæ obscuriore loco nata est, si honeste viuat, esse matremfamilias. Concubina autem materfam. non est, nisi patroni concubina sit, *d. l. probrum, l. item legato*, §. *parui, D. de legat. lib. 3.* Meretrix quoque materfamil. non est, licet vxor sit, & adulterij accusari possit, exemplo Vistiliæ vxoris Titidij Labeonis, de qua Cornel. Tacitus lib. 2. *l si vxor* §. *sed & in ea, D. ad leg. Iul. de adulter.* Nihil autem differt à matrona materfamilias, *l. 1.* §. *omnem, l. item apud* §. *si quis virgines, D. de iniur. l. 1.* §. *& notandum, D. de ven. inspic.* quæ materfam. *in l. probrum*, dicitur matrona in *d. l. si vxor*, vt merito iam plerisque reiecta sit ea quæ inter matronam & matremfamil. à Gellio & Nonio proposita differentia est. Porrò matronę dicuntur etiam dominæ, non respectu maritorum dumtaxat, quomodo ipsi quoque mariti ab vxoribus domini appellantur, sed etiam per se, vt in *l. pater* §. *Iulius, D. de legat. lib. 3. Iuliam domnam*: nisi dicas Domnam superesse ex *l. Lucius Titius, eod. tit.*

Cap. XIX.

Notati quidam loci de Basilisci, & quorundam aliorum tyrannide.

FVit Basiliscus tyrannus sub Zenone Imperatore: fuit & Odoacer. Hic Occidentis, ille Orientis imperium inuasit. De Basilisco, non de Odoacre accipienda est *l. decernimus, C. de sacros. eccles.* nam pertinet ea lex ad Orientis imperium, & Zenonis est, data XVI. Kal. Ian. Armatio claræ memoriæ Consule. Basiliscus autem absente Zenone, ac deinde in Isauriam etiam profugiente, occupatum Orientis imperium fere biennio tenuit, & in eo Chalcedonense concilium, ac Leonis tomum condemnauit, missis ad vniuersos episcopos litteris, quas συλλαβὰς ἐγκυκλίους Euagrius & Nicephorus vocant. Ad hæc, Acacio patriarchæ atque archiepiscopo Constantinopolitano complures ademit prouincias, in quibus antistites constituendi ius ei ante cõpetierat, & pulsis optimis episcopis, alios ipse apud Antiochiam, Alexandriam, Ephesum, Tharsum, Chalcedonem, Hierapolim, Constantinam, Theodosiopolim, Mopsuestiam instituit, parumq; abfuit quin Acacium quoque ipsum expelleret: sic enim Sudas de o scribit ἐν τῷ Βασιλίσκος, ᾧ Ἀκάκιον τὸν Κωνσταντινοπόλεως ἐπίσκοπον μικρῦ δεῖν ἀπώσατο, εἰ μὴ τῷ πλήθει τῶν χερμάδων μοναχῶν ἀπεκρύβη. Postea vero, vti Nicepho-

rus, Euagrius Scholaſticus, Theodorus Anagnoſtes, Zonaras monachus, Procopius, Iordanus ſcribunt, ope atque auxilio Armatij, expulſo Baſiliſco, Zeno imperium recepit, & continuo *legem Decernimus* promulgauit, qua infirmantur ea quæ ἐπὶ τοῖς ἐγκλείοις Baſiliſcus conſtituerat, & Acacio, ceteriſque epiſcopis ſuæ ſedes ac dignitates reſtituuntur. Quod igitur ait in ea lege Imperator, *Ante profectionem noſtræ manſuetudinis*: profectionem ſuam ſiue profugium in Iſauriam intelligit. Quamuis autem eo tempore, quo ſimul & recepit imperium Zeno, & illam conſtitutionem edidit, conſul Baſiliſcus fuerit cum Armatio: attamen Baſiliſci nomen in Conſtitutionum eodem tempore editarum ſubſcriptionibus ideo præteritur, quod eius memoriam Zeno damnauerit. Quod accidit etiam Eutropio ſub Arcadio & Honorio, *l. 17. C. Th. de pœnis*, & Heracliano ſub Honorio & Theodoſio *l. 13. C. Th. de de infirm. his quæ ſub tyran. geſt. ſunt l. 21. C. Th. de pœnis*. At cum iam ſatis dixiſſe videamur de ſententia legis *Decernimus*, non alienum deinceps fuerit, ſi qui adhuc in libris ſuperſint ſuperioribus conſimiles loci, quos ex tyrannorum hiſtoria explicari oporteat, eos indicare. Eſt vero de tyrannide Odenati vnus, alter de Caſſij tyrannide. Sub M. Antonino Auidius Caſſius fuit. ſub Galieno & Valeriano fuit Odenatus Palmyrenorum rex, vt Trebellius Pollio ſcribit, vel decurio, vt Sex. Rufus ait. De Odenato autem & Zenobia eius vxore, quam deuicit Aurelianus Imperator accipiendam eſſe arbitror *l. 4. C. de ingen. manum.* Vt ſit legis hæc ſententia: Ingenuum, qui ex Odenati vel Zenobiæ tyrannide redemptus fuerit retineri quidem veluti iure pignoris, non tamen recte diſtrahi velut captiuum, eamque diſtractionem ingenuitati nihil præiudicare. De Auidio Caſſio manifeſte loquitur ea Pauli ſententia quæ ſubdita eſt tit. *ad. leg. Iul. maieſt. lib. 9. Codicis*, vbi tamen bona Drunciani (qui gener Caſſij fuit) Paulus poſt ipſius mortem fiſco vindicata fuiſſe ait: cõtra Capitolinus, & Vulcatius Gallicanus D. Marcum Drunciano peperciſſe. Equidem ſuper ea re conſului veteres libros, vt ſoleo ſemper, nec in vllo Drunciani nomen agnoui, ſed in aliis Depitiani, in aliis Epigrani. quamobrem cenſeo non eſſe legendum eo loco Drunciani.

Cap. XX.

Vti concilianda ſit l. quia autem, §. pen. cum l. ſi filius, D. ſi quis om. cau. teſtam.

QVod Vlpianus tradit in *l. quia autem, §. pen. D. ſi quis omiſ. cau. teſtam.* diſcrepare videtur ab eo quod idem auctor in *eod. tit.* tradit *l. ſi filius*: idque Accurſius noſter explicat contorte & male. Sed ſi iura poſſeſſionis contra tabulas intelligamus, res profecto difficilis non eſt. Si filius emancipatus præteritus omiſerit bon. poſſeſ. contra tabulas, & deſerto, vt plerumque fit, deſtitutoque teſtamento ab herede ſcripto bonor. poſſeſ. Vnde liberi ab inteſtato acceperit, perinde præſtat legata exceptis perſonis, atque ſi contra tabulas bonorum poſſeſſionem accepiſſet. Ita debet accipi §. *penult. l. quia autem*: hæc enim illius §. *verba, & ab inteſtato poſſideat hereditatem*, verba edicti ſunt, & ad bonorum poſſeſſionem Vnde liberi optime referuntur, *l. 1. §. non quærimus, D. eod. tit.* quam etſi agnita bonor. poſſeſſione contra tab. non poſſit agnoſcere, *l. 1. §. quia autem, D. ſi tab. teſt. nul. extab.* illa tamen omiſſa non repellitur: nec tamen idem dicemus in ſuo præterito. Nam ſuus præteritus ſiue petat, ſiue omittat bon. poſſeſſionem contra tabulas nulli præſtat legata, *l. is qui in poteſtate, D. de leg. præſt.* At ſuus inſtitutus, & commiſſo edicto admittens contra tabulas poſſeſſionem, præſtat legata exceptis perſonis: miſcens autem ſe, omnibus, ex Vlpiani & Africani ſententia, *l. ſi duobus, 2. D. de bon. poſſ. contra tab. l. ſi duo, D. de leg. præſt.* maxime ſi plena fruatur voluntate. imminuta enim portione eius, æquior eſt Pauli ſententia, *d. l. is qui, §. ſed ſi ſcriptus*. Quod cum ita ſit, dubitari poteſt an ſuus inſtitutus, & omiſſa inſtitutione ac bon. poſſeſſione contra tabul. accipiens ab inteſtato bon. poſſeſſionem obligetur legatis, & quibus perſonis obligetur, omnibuſne perinde ac ſi miſcuiſſet ſe, an exceptis tantum perſonis, ac ſi contra tab. bon. poſſeſſionem accepiſſet quod commodiſſime quæri etiam de emancipato herede inſtituto poteſt: nam nihil penitus hac in re inſtitutus emancipatus à ſuo inſtituto diſtat. Et verius eſt obſtringi eos omnibus legatorum nomine, quia veluti ſcripti hereditatem obtinere cenſentur. & hæc eſt ſententia *l. ſi filius*. Intelligatur ergo *l. quia autem*, de emancipato præterito, nec porrigatur ad ſuum præteritum. Lex autem *Si filius*, de ſuo inſtituto, & porrigatur etiam audacter ad emancipatum inſtitutum. Et ita belle diluetur omnis hæc dubitatio.

Cap. XXI.

Explicatio l. ventre, D. de adq. hered. & l. ſi filius heres, D. de liber. & poſtumis.

MAgna eſt quæſtio inter iuris interpretes, vtrum in ſpecie ab Africano tractata in *l. ſi filius heres, D. de liber. & poſtum.* venter fuerit vacuus, an plenus. & alij quidem vacuum fuiſſe tradunt, alij plenum, ſed abortum feciſſe comminiſcuntur. Neſcio an adhuc id, quod mihi veriſſimum videtur, quiſquam animaduerterit, & plenum vterum, & in lucem editum poſtumum fuiſſe. Priorum ſententia nititur his Africani verbis, Poſtumo non nato: quæ tamen, meo iudicio, ex prioribus verbis nexa cum ſint, recte ab his, qui P. Florentinas ediderunt, ita diſpuncta ſunt, *Si interim moriatur filius poſtumo non nato*. itaque articulum *Interim*, his verbis *Poſtumo non nato*, explicari arbitror. At porro natum poſtumum fuiſſe aſſeuero: alioquin filium non ab inteſtato, vt eſt in *l. ſi filius §. 1. ſed* ex teſtamento heredem fuiſſe dicerem, *l. ventre, D. de adquirend. hered.* eadem loquendi forma in *l. ſub condicione, D. de adſigna. lib. Interim*, ait, *pendente die vel condicione*, & in *l. 5. D. de bo. dam. Interim conſtante matrimonio.* Sed hoc vt præclare intelligatur, vniuerſam legis & ſpeciem & quæſtionem pertractabo. Filius ſuus inſtitutus eſt, poſtumus præteritus, filio nepos ex eo ſuſceptus vulgari modo ſubſtitutus eſt: filius interim nondum nato poſtumo deceſſit, porro natus eſt poſtumus. Nepos ex ſubſtitutione non admittitur, quia ruptum eſt poſtumi adgnatione teſtamẽtum, & ea quoque ratione filius ex teſtamento heres fuiſſe non videtur, ſed neque ab inteſtato heres fuiſſe intelligitur: quia eo tempore deceſſit filius, quo nondum auus erat inteſtatus, & ſubſtitutus ei datus teſtamentum ſuſtinebat, quod etiam ſuſtinuiſſet coheres ei datus. At poſtea inteſtatus auus factus eſt, filius quoque inteſtatus deceſſit. Filio igitur ab inteſtato nepos erit ſuus heres. An & auo? Et placet, nepotem quoque auo ſimul cum patruo, id eſt, poſtumo ſuum heredem futurum, quia quo tempore inteſtatus fit auus, id eſt, poſtumi adgnationis tempore, filius eum non præcedit, & conſtat nepotem ſui iure cum patruo ex xij. tab. ſuccedere. Nepos ergo ſuus heres & patri & auo erit: patri ſolus, auo cum poſtumo. & hæc, vt opinor, eſt ſententia primæ partis *l. ſi filius*. Sequitur altera. Filius ſuus inſtitutus eſt ſolus ſine coherede, ſine ſubſtituto: poſtumus præteritus filius interim deceſſit poſtumo non nato, tum natus eſt poſtumus. Quæ-

ritur, an patri filius heres extitisse videatur, & consequenter an hereditatem transmittat. Et ex testamento quidem non videtur heres extitisse, quia ruptum est. Africanus ait, eum tamen ab intestato heredem extitisse videri, quia nemo fuit vel coheres vel substitutus à quo testamentum eo tempore, quo ipse filius vita functus est, sustineretur: certumque erat adgnatione postumi ruptum iri testamentum, atque ita, etiamsi filius instituitus fuerit sub condicione potestatiua eiusmodi vt impleri à moriente non possit nullo coherede, aut substituto dato, moriens videbitur patri ab intestato heres extitisse, *l. vlt. D. de condic. institut.* Ceterum in hoc posteriori exemplo delata fuit morienti hereditas ab intestato: in superiore nondum vere fuit ab intestato delata, propterea quod nondum natus erat postumus. Itaque magis est, vt, etsi hoc Africanus omiserit, in illa specie decretum dari tutius esse dicamus ex *l. ventre, D. de adquiren. hered.* vel ipsi filio, vel heredibus filij. Atque ita omnia recte inter se conuenient. Ipsi filio decretum dabitur adquirendæ hereditatis, vt scilicet interim hereditatem agnoscat. nam & si non moriatur, omnimodo, siue nascatur postumus, siue non nascatur, patri heres futurus est: ex testamento, si non nascatur: ab intestato, si nascatur. Eo modo succurrendum est filio emancipato heredi instituto, quoniam & hic omnimodo rem habiturus est vel ex testamento si non nascatur postumus: vel ab intestato ex capite Vnde liberi, si nascatur. Similiter si non postulato decreto decesserit, heredibus eius est succurrendum *l. 4 & 5. D. de bonor. possessione contra tabulas.* Extero idstituto heredi nō succurritur, & ideo si interim decedat, heredi suo ex ea causa nihil relinquit. & hæc est sententia *l. ventre*: cui proxima sunt ea quæ tradūtur in *d. l. 4. & 5. de decretali bonor. possessione.* Est enim lex *Ventre*, de decretali hereditate, siue de decreto, non possessionis, sed hereditatis interim adquirendæ. Reliquum est vt exponamus, si filius præteritus fuerit, & interim non admissa bononorum possessione contra tabulas decesserit, an heredi suo aliquid relinquat. Nihil vero est quod tam facile possim expedire, licet aliis hac in re aqua, vt dicitur, hæreat. Si fuerit suus, transmittit, quia heres ab intestato fuisse intelligitur: est enim ipso iure nullum testamentum. Si emancipatus, non transmittit, nisi bonorum possessionem admiserit, *l. 2. in princi D. de bon. possess. secund. tabul.* nec decretum dabitur heredibus: nam eorum dumtaxat heredibus opitulatur Prætor, qui cū essent instituti, propter iustum impedimentum heredes aut bonorum possessores non extiterunt.

Cap. XXII.

Explicatur notio verbi huius Insuperhabere, & lex XLIII. *D. de religios. & sumpt. funer.*

QVamuis inuito fructuario proprietarius, vel inuito socio socius locum religiosum facere non possit, si tamen vel proprietarius, vel socius mortuum inferre prohibeatur, interdictum ei de mortuo inferendo dari Papinianus ait in *l. sunt personæ, D. de relig. & sumpt. fune.* idque ratione publicæ vtilitatis defendit, ne cadauera insepulta iaceant, contra strictam rationem iuris: ratio enim publicæ vtilitatis, siue religionis, summa & potissima ratio est. Verba Papiniani hæc sunt: *Nam propter publicam vtilitatem ne insepulta cadauera iacerent, strictam rationem insuperhabemus, quæ nonnunquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet: nam summam esse rationem quæ pro religione facit.* Quę verba ideo interpretes non intelligunt, quia ignorant quid sit insuperhabere. Est autem omittere, aut susque deque habere. Idem Papin. in *l. heredem, D. de his quæ vi in lig.* *Heredem*, inquit, *qui sciens defuncti vindictam insuperhabuit, fructus omnes restituere cogendum existimaui.* Apuleius lib. 4. de asino aureo, Quod si pergas vlterius, iam faxo lacrymis istis, quas paruipendere latrones consueuere, insuperhabitis, viua exurare. Quos ego locos Petro Fabro studiosissimo meo cum, vt soleo, communicassem, is, vti fit, pariter nobis eum, quem initio interpretati sumus, Papiniani lócum attulit. Addatur *l. 2. C. si omiss. sit caus. test.* in qua sic legendum est: *Quod si cum neque adiri ex testamento hereditas, neque bonorum possessio peti posset, iudicium defuncti non insuperhabitum, sed ad irritum iuris ratione vocatum est.*

Cap. XXIII.

De Pilei impositione, & Orcinis libertis.

LIbertus Orcinus siue Charonita, is est, qui directo in testamento manumittitur, quasi Orci siue Charontis libertus, vt in Notis ad Vlpianum demonstraui *tit.* 2. nullius namque viuentis est libertus, *l. 4. D. de bon. libert.* Verum ita demum libertus Orcinus constituitur, si adita fuerit hereditas, nec sola impositio pilei Orcinum facit, quod ideo ait *l. directis, C. de testam. manum.* quia directo manumissi in testamento pileum statim sumere ac funus præcedere solebant, vt Appianus indicat in Mithridatico, dum Prusiam Bithyniæ regem gestasse pileum refert, ὃ πρώτῳ τινὲς φορῆσαι φασὶ ἐν ταῖς διαθήκαις ἐλευθερωθέντων, & Polybius in Frag. 97. & Iustinianus in *l. 1. C. de Lat. libert. tol.* dum loquitur de seruis pileatis qui funus antecedunt, vel qui in ipso lectulo stant, & cadauer ventilant: præferebantur enim lecti in funere, C. Cornelius Tacitus *lib. 16. Tres*, inquit, *modo lectulos ad suprema retineri iubet.* M. Tullius 2. de legib. *Ne lecti plures inferrentur lege sanctum est.* Dionysius Alicarnasseus lib. 4. ἔγωγ' ἔν τισιμαί τινας ἅπασι τοῖς δούλοις συγκεχωρηκότας εἰ ἐλευθέρωσις μὴ τὰς ἑαυτῶν τελευτὰς, ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροὶ, καὶ πολλοὶ ταῖς κλίναις αὐτῶν ἐπικομιζόμενοι παρακολουθῶσι τὸν πλοῦν ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες. quæ verba illum Iustiniani locum valde illustrant. At ibi Thalelæus albam quoque vestem manumissos sumpsisse innuere videtur. quod Tertull. in lib. de resur. car. aperte indicat. *Si*, inquit, *famulum tuum libertate mutaueris & vestis albæ nitore.* Ceterum de Orcinis id etiam notandum est, eos appellari libertos familiæ in *l. si socius, D. de manumiss. test.* vbi datur species in qua est aliquis Orci atque etiam superstitis cuiusdam domini libertus. Appellatur autem Orcinus familiæ libertus, quod etsi alium quam Orcum siue Charonta patronum non agnoscat, ad familiam tamen defuncti pertinet, *l. 3. §. plane, D. de legit. tut. l. 1. §. sin autem fuerit adimpleta, C. de Lat. liber. tol.* Igitur hæ sunt appellationes liberti verbis ciuilibus in testamento manumissi, vel etiam eius qui pro eo habetur ac si directo in testamento manumissus esset, Orcinus, Charonianus, siue Charonita, nullius libertus, familiæ libertus.

Cap. XXIV.

Emendatur locus valde deprauatus in l. 4. C. de offic. iud. milit.

TVrpis macula nobis delenda este *l. 4. C. de offic. iudic. militar.* Prior legis pars satis aperta est, vt duces militum, & maxime qui proximi sunt gentibus, vtputa Sophanenæ, Balabytenæ, & aliis de quibus in *l. vlt. C. de offic. mag. milit.* in ipsis limitibus commorentur, vt imminente magistro militum ad suum numerū milites redigant, vt circa arma diurnis eorum exercitationibus

tionibus inhæreant. Tum ſequuntur hęc verba: *Caſtrorum quinetiam refectionis luſtrationiſque curam habeant.* vbi quid valeat Luſtrationis verbum non video. Conſului ſcriptos libros complures, multi habent *Luxuriarumque*. quidam *Luſtriarumque*, nulli *Luſtrationiſque*. Qui habent *Luxuriarumque*, excitauere me ad emendandum *Cluſuriarumque*. vt enim in *l. ſi fortuitu, D. de incend. rui. & naufr.* Haloander perperam ſcripſit *Luſoria* pro *Luxoria*, ſic errore contrario in *d. l.* 4. ſtatim cogitaui librarium omiſſa prima littera ſcripſiſſe *Luxuriarumque* pro *Cluſuriarumque*, & hoc confirmat *l. curæ, C. de offic. mag. offic.* eo magis quod pars eſt dictæ *l.* 4. etenim ſcripta eſt vtraque ad Nonium magiſtrum officiorum, & eandem vtraque ſubſcriptionem habet. Vna iniungit ducibus curam caſtrorũ cluſuriarumque: altera Nonio iniungit, vt quemadmodum caſtrorum & cluſuriarum cura procedat, quotannis ſignificet. Scio in libris excuſis legi *Clauſurarum* in *d. l. curæ* quod rectum eſt, *l. 2. §. in Sardinia, C. de offic. præf. præto. Afr.* Sed omnes ferè libri ſcripti habent Cluſuriarum, quidam habent Cl ſuriarum: quod etiam non eſt reiiciendum: nam Sudas ſcribit Romanos χλειστέρας appellare τὰ ὀχυρώματα ἢ διαβάσεων. Procopius quoque lib. 3. περὶ τῶ Ἰουστινιανῶ κθισμάτων, ποταμὸς ἀφῆλίζωνται δύο, ἀγχιστάτη ἀλλήλοιν ὄντα, ἔστ' ἂν νενομίκασι χλειστούρας καλεῖν, & Anna Imperatoris Alexij lib. 10. τὰ γὰρ τέμπη ἀφ' ἑκλείουσι χλειστούρας ἢ ὡς ἔφημεν. & paulo poſt, εἰς φυλακὴν ἢ δι' ἧς εἰώθει ζυγὸν διακλῄοντων χλειστούρων ἐκπέπομφεν. & 2 de bel. Perſ. ἐχόπελοι γὰρ ὑπάρχουσι ἐφ' ἑκάτερα τ χώρας ὄντες στενωπούς ἐπὶ μακρότατον ἐνταῦθα ποιοῦνται χλειστούρας ἑλλιμίζοντες τὰς τοιαύτας ὁδοὺς καλοῦσιν. Dixerunt etiam Cluſuras. Theodericus apud Caſſiodorum lib. 2. Variar. ad Fauſtum præfect. præt. ſcribens, *Præcipimus*, inquit, LX. *militibus in Auguſtanis cluſuris iugiter conſtitutis annonas præſtare.* Sic vero in Vopiſci Bonoſo, pro luxurias legendum, cluſurias. Iam vero nemo eſt, qui non videat quanta emendationis noſtræ ratio conſtet; ſed non illud omittendum, quæ dicuntur caſtra in *d. l. 4. & l. curæ*, burgos appellari in *d. §. in Sardinia*, quæ vox deducta eſt à Græca πύργος. Vegetius lib. 4. *Caſtellum parvum burgum vocant.* Paulus in Valentin. *Crebra per limitem habitacula conſtituta burgos vulgo vocant, l. penult. C de fund. rei priua.* Sunt igitur & burgi ſiue caſtra, & cluſuriæ in limitibus.

CAP. XXV.

In extremo legis, qui ſeruum D. de obligat. & act. duobus in locis negationem ſupereſſe.

SI commodatarius rem deteriorem fecerit, non tantum commodati, ſed etiam ex lege Aquilia tenetur: vna tamen earum ſi actum ſit, altera tollitur, *l. in rebus, §. ſiue autem, D. commod.* idque ſi ex lege Aquilia actum ſit prius, explorati iuris eſt: & ideo commodati actio denegabitur. Enimuero ſi prius actum ſit commodati, non omnimodo legis Aquiliæ actio tollitur. ita namque tunc danda eſt Aquilia, vt ſubducatur id quod actor commodati iudicio conſecutus eſt, *l. vnde quæritur, D. eod. tit.* atque adeo pleniorem legis Aquilię actionem commodati actio delibat, non abſumit. & hoc etiam oſtenditur in *l. qui ſeruum §. vlt. D. de oblig. & act.* ſi quidem abſque negatione auctoribus Florentinis ita legamus, *Sed verius eſt remanere*, intelligit autẽ poſtea, quam commodati actum eſt, legis Aquiliæ actionem remanere. Ratio eiuſmodi ſubiicitur. *Quia ſimplo accedit, & ſimplo ſubducto locum non habet*: quæ ratio niſi & ex ea demendam eſſe negationem dicamus, cum aſſertione ipſa ex diametro pugnabit. Sed tollatur negatio, hic erit ſenſus integerrimus, remanere actionem *legis Aquiliæ*, quia extorto ſimplo commodati actione, accedit adiungiturque *legis Aquiliæ* actio, & deducto ſimplo, quod commodati iudicio actor conſecutus eſt, *Aquilia* in id quod amplius in ea eſt locum habet: vt iam non idem bis, ſed aliud quiddam actione *Aquilia* peti videatur. Dixit autem Subducto, pro deducto, ſiue computato, *leg. 1. D. arbor. furt. cæſa.* Sic igitur cenſeo, aut priore loco in P. Florentinis addendam eſſe negationem, aut ex hoc etiam loco tolli oportere, idque ratio iuris euincit. Eſt in eadem quæſtione de concurrentibus actionibus aliud mendum, niſi fallor, in extremo *l. quotiens, D. de oblig. & act.* Ait lex, eodem ex facto duabus competentibus actionibus, vna ſi actum ſit, & plus ſit in reliqua actione, id actorem ferre: quod veriſſimum eſt. At ſi tantundem ſit vel minus in reliqua actione, id actorem conſequi ait. Imo vero nihil conſequitur: nam actio reliqua omnimodo conſumpta eſt. Itaque perſpicuum eſſe puto ibidem pro *Id* legendum *Nihil*: vt ſi plus ſit in reliqua actione, id actorem conſequi: ſi tantundem vel minus, nihil actorem conſequi lex dicat.

CAP. XXVI.

An de auditione teſtimonium dicatur, & quo verbo teſtes olim in teſtimoniis, iudices in ſententiis vti ſolerent.

IN quæſtione *l. ſi arbiter, D. de probat.* de auditione teſtimonium admitti conſtat & generaliter πεῖρεσιν ζητήσεως καὶ καινοτομίας κτήματος ex auditione teſtimonium recipi Conſtant. Harmenop. ſcribit *1. Epit.* ſed dubitari poteſt, an in aliis quæſtionibus admittatur. Ego non vſquequaque reiiciendum eſſe opinor: nam & apud antiquos teſtimonium de auditione fuiſſe receptum Aſconius Pedianus ſcribit in 3. *Act. contra Verrem.* At recte tamen Seneca *l. 4. naturalium quæſtion.* ſecundæ notæ teſtes eos eſſe dicit, qui vidiſſe quidem ſe negant, ſed audiiſſe. & Demoſthenes in Eubulidem. οὐδὲ μαρτυρεῖν ἀκολὼ ἐῶσιν οἱ νόμοι, οὐδ' ἐπὶ τοῖς φαύλοις πάνυ ἐγκλήμασιν. Hinc id etiam quæri poteſt, an teſtes admittendi ſint qui ſe credere vel arbitrari dicant. nec omiſit hanc quæſtionem Accurſius in *l. 2. §. idem Labeo, D. de aqua & aquæ plu. arcen.* Ego vero etiam eos non omnino ſtatim eſſe reſpuendos puto. Et, vt vetera hoc quoque loco repetantur, Marcus Tullius auctor eſt lib. 4. Academi. & pro M. Fonteio maiores voluiſſe, vt qui teſtimonium diceret, arbitrari ſe diceret etiam quod ipſe vidiſſet. Hoc enim verbo & in re vera ἠθικῶς vtimur: vt & Vlpianus Demoſthenis interpres νομίζειν & δοκεῖν Græcos dixiſſe notat οὐ πάντως ἐπὶ ἀμφιβόλου, ἀλλὰ πολλάκις καὶ ἐπὶ τοῦ ἀληθεύειν. Eandem vero in cognitionibus modeſtiam iudices conſeruaſſe idem eodem loco his verbis ſcribit, Quæ iurati iudices cognouiſſent, vt ea non vt eſſe facta, ſed vt videri pronunciarentur. cuius moris exempla ex *l. Diui §. recte & §. quod ſi ex ſeruitute, D. de liber. cau. l. quid tamen §. ſi arbiter 1. D. de recept. & qui arbit. recep.* & ex aliis auctoribus quamplurima deſumi poſſunt. Apuleius in 1. Apolog. *Cum Lollius teſtamentum verum videri de conſilio conſularium virorum pronuntiaſſet.* Seneca lib. 1. natural. quæſt. *Auguſtus non pronuntiauit iure cæſum videri.* Plinius lib. 14. cap. 13. *Iudex pronuntiauit mulierem videri plus vini bibiſſe quam valetudinis cauſa.* & in decretis Senatus idem quoque verbum non infrequenter vſurpatum eſt, atque inde Senatuſconſulta dogmata Græci dicunt, cum nihil aliud ſit videri quam δοκεῖν. Cornificius lib. 1. *Senatus decreuit, ſi eam legem ad populum ferat, aduerſus Rempublicam videri eum facere.* In legibus etiam & plebiſcitis eodem verbo veteres vſi ſunt. Titus Liuius lib. 25. *Plebs ſciuit videri eum in exilio eſſe.* Atque hac de re ante me vir quidam eruditus ad *l. ob hæc, D. de his qui not. inf. &*

l. proximè, D. de his quæ in test. del. nonnihil adductis quibusdam aliis locis adnotauit. Illud vero Sexti Pompeij verbum solemne in capitis condemnatione, vt ipse ait, *Parum cauisse videri*, credo condemnationum omnium fuisse commune: nam id verbum cum sit iuris, & eo promiscuè vtantur Iurisconsulti cum iustam non esse aduersarij causam significant, *l. si mercedem* §. 1. *& §. vlt. De act. empt.* eo pariter iudices promiscuè vti consuesse verisimile est.

CAP. XXVII.

Explicatur quæstio §. qui Semproniam, l. codicillis, D. de vsu. & vsufr. leg. & in ea ex his duabus dictionibus, Curator ei, vnam faciendam esse ostenditur.

A Tutore instituti pupilli relicta fideicommissa perinde deberi, atque si à pupillo nominatim relicta essent, aperte declaratur in *l. etiam*, C. *de fideic.* quæ lex pars est *legis quintæ C de reb. credit.* Hinc exiit quæstio, an etsi tutor non iure datus sit, fideicommissa veluti ab ipso pupillo relicta debeantur. & receptum est fideicommissa deberi pupilli iure, *l. peto. §. mater*, D. *de legat. lib. 2.* vt puta si datus sit à matre patrono, educatore extraneo, vel si à patre in codicillis non confirmatis, aut testamento non iusto, sed vim habente codicillorum, quod & generaliter in curatore locum obtinet, quandoquidem curator testamento vel codicillis iure non datur, & hoc ita in curatore Scæuola tractat in *l. codicillis §. qui Semproniam, D. de vsu & vsufr. lega.* Ponit educatorem instituisse nutrices duas & alumnum ex certis partibus, alumno curatorem dedisse, & curatoris fidei commisisse ne pateretur fundum quemdam vænire, sed cum nutricibus suis frueretur reditu eius. Adiecit quoque in ima parte testamenti, *Omnem voluntatem meam fidei heredum meorum committo.* In hac specie curator non iure datus est: & hæc proximior est ratio, quia testamento curator non datur. alteram adducit Accursius, quia extraneo curator datus est, sed remotiorem. Sunt vero cum dicti alicuius ratio exigitur, proximiores adducendę rationes, vt cum definitio quæritur, proximiora genera. Ideo igitur alumno curator iure datus non est, quia testamento datus est. Illud non nego alumnum educatori extraneum esse: nam etsi alumnum ex familia & nomine educatoris esse merito quis possit contendere ex *l. Lucius, §. Lucius. 1. D. de legat. lib. 2.* & dubitatum olim fuerit an deberetur alumni hereditas educatori, *l. nutritoribus, C. commu. de successio.* in tutelarum tamen quæstione extraneos dicimus eos, qui in potestate non sunt, cuiusmodi sunt alumni. Sed videamus ex superiore specie quænam in *d. §. qui Semproniam*, quæstio ducatur. *Quæsitum est*, ait Scæuola, *an tertias partes vsusfructus fundi nutrices ex fideicommisso petere possint, quamuis curator eis receptus sit, quem iure dare non potuerit alumno.* vbi Latinus interpres, Ei, scilicet alumno. Ego tamen, vt in *l. is qui fundum eod. tit. Vxorei*, pro *Vxori*, scriptum est in P. Florentinis, quos ego semper sequor, nisi si quid contra admoneo, sic in illo loco ex duabus dictionibus *Curator ei*, vnam faciendam esse reor. vt sit *Curatorei*, pro *Curatori*: & hoc quæratur, an tertias vsusfructus petere nutrices possint, quamuis curatori receptus sit vsus fructus non iure alumno dato. Et ait Scæuola fideicommissum valere, vnaque cum alumno nutrices ad viriles partes admitti.

CAP XXVIII.

De aqua per rotam tollenda, & de rota tormento.

VLpianus in *l. 2. D. commu. præd.* Si conuenerit vt aqua per rotam tollatur ex flumine, vel hauriatur, vel si castello imposita seruitus fuerit, negat hæc iura prædij esse. quæ VIpiani sententia difficilis atque obscura est. Sed cum frustra cedatur aquæ haustus ex flumine publico, *l. 3. §. vlt. D. de seru. rust. præd.* primum aio VIpianum loqui de flumine priuato, ex quo aquæ haustum recte ita cedi constat, vt hauriatur aqua situlis, vrnis, vel vrceis. At non ita recte constituitur aquæ haustus ex flumine priuato, vt hauriatur aqua machinis, vt puta rota, tympano, cochlea. Rota aquam altius extollit, & hoc significat verbum Tollenda apud VIpianum, vel extrahit, vt est in *l. qui fundum §. vlt. D. de contrab. empt.* eandemque Paulus lib. 3. Sentent. numerat inter instrumenta balneatoria. Tympanum exhaurit expeditissimæ magnam aquæ vim, idemque præstat cochlea, vt optime Vitruuius exposuit lib. 10. cap. 9. & 11. & ideo verbum Haurienda apud VIpianum sic etiam accipi conuenit, Haurienda per rotam, vel tympanum. Hæc autem iura ideo seruitutes prædiorum non sunt, quia vix est prædia vt aquæ tanta copia indigeant, vt adhiberi organa oporteat: non possunt autem ipso iure constitui seruitutes vltra quam opus sit ad prædia. *l. ergo in fin. D. seruit. rust.* nec solent aquarum iura ita constitui. Eadem iura non recte constituuntur ex castello. Castellum rotæ mentio proximæ habita facit vt apud VIpianum ita accipiam quemadmodum Vitruuius in cap. 9. dum ait, *quod rota extulerit in castellum infundi.* Ipso autem iure non ceditur ex castello aquæ haustus, quia perpetuam causam non habet. Castellaria enim aqua (quæ causa seruitutis est) cum manu & organis non naturaliter in castellum influat, perpetua, perennis, viua non est eademque ratione recte aquæ haustus vel aquæ ductus ex torrente, cisterna, stagno, lama, fossa non ceditur, *l. foramen, D. de ser. vrb.* Ceterum ibidem VIpianus ostendit, tuitione Prætoris illa prædiorum iura conseruari, & iam communi iure receptum est, vt ex quocunque loco aquæ seruitus constitui possit, *l. seruitus, D. de ser. rust. præd.* Cum dixerim de haustoria rota, non alienum erit hoc etiam loco quæ de pœnali rota obseruauimus appingere. D. Pantaleonem rotam, qua membra comminuuntur, sine damno pertulisse Nicephorus scribit lib. 7. cap. 14. In epistola quadam Luciani ad Stesichorum sic legitur, πινές ὃ ἄκρα ἀπεκόπησαν ἢ ἐπὶ τροχῶν ἐλυγίσθησαν. Sudas sic scribit, τροχοθεῖσα, βασανισθεῖσα ἀπὸ τοῦ τροχοῦ, ὅπερ ἐστὶν ὄργανον βασανιστικὸν καὶ διατεῖνον τὰ σώματα. & paulo post: ξύλινόν τι ἦν ἐφ' τροχὸς ἐν ᾧ δεσμούμενοι οἱ οἰκέται ἐκολάζοντο. Demosth. 111. in Aphob. θῶμαι γὰρ δὴ τοὺς μιλύαν ὑπὸ τοῦ τροχοῦ στρεβλοῦσθαι. M. Tul. *lib. 5.* quoq; Tuscul. rotā genus quoddā tormēti apud Græcos esse testatur. Apuleius lib. 3. *Nec mora cum ritu Græciensi ignis & rota, tum omne flagrorum genus inferuntur.* & lib. 10. *Nec rota vel eculeus more Græcorum tormentis eius apparata iam deerant.* Itaque, vt ex eis locis apparet, supplicium illud quod Franciscus Rex in grassatores instituit, vt fractis membris semianimes in altum elatis rotis supini imponantur, ab rota illa veterum, cui homines alligati crudeliter torquebantur, ac distendebantur, longe dissimillimum est, quod tamen non desunt qui negarint, adducto falso, aut deprauato testimonio ex Ammiani Marcellini lib. 21.

CAP. XXIX.

Cui & quantum emancipatus conferat, exponitur, & emendatur §. si sit filius l. 1. D. de coniun. cum emanc. lib.

EMancipatus suo confert: emancipatus emancipato non confert. Ei autem suo emancipatus confert, cui & aufert aliquid ex causa hereditaria, vt ecce: Filius emancipatus nepoti ex eo suscepto, & retento in potestate confert, non fratri: si non sit nepos, confert fratri, *l. 1. §. emancipatus, D. de coniung. cum emancip. lib.* vel si sit filius, & ex alio filio iam mortuo nepos vnus, & ex alio nepote ex eodem filio nato & mortuo pronepotes duo, vnus in potestate, alius emancipatus, pronepos emancipatus fratri soli confert, quoniam ei soli aufert, non patruo: si non sit frater, soli patruo, non patruo magno: si non sit patruus, patruo magno, id est, filio. & hoc ostenditur in *d. l. 1. §. vlt.* vbi tamen id notandum est, patruum maiorem dici pro patruo magno, contra definitionem Pauli nostri & Sexti Pompeij. Tantum vero confert emancipatus quantum aufert, vt si sit vnus in potestate, vnus emancipatus, hic vt semissem illi aufert, ita & propriorum bonorum semissem illi confert: si duo sint sui, vnus emancipatus, hic illis tertias aufert, confert etiam tertias, *l. 1. §. penult. D. de collat.* sed nonnunquam plus emancipatus confert, minus aufert: vt si duo sint sui, duo emancipati, singuli emancipati auferunt quartas, tertias conferunt ac si ambo vnus essent, ne si viriles partes fiant, & ipsi videantur inuicem sibi conferre. Æque si tres emancipati sint, quintas: si quatuor, sextas auferent, tertias conferent, *l. 1. §. vlt. l. 2. §. si tres, l. 3. §. Iulianus, D. de collat.* Itaque emancipati simul omnes vnius loco sunt in conferendo, non in ferendo, dissimiliter atque nepotes ex vno filio emancipati vel in potestate, qui & in ferendo & in conferendo semper pro vno numerantur. Et ita, si verbi gratia duo sint nepotes ex filio iam mortuo emancipati, & filius in potestate, nepotes vnam partem ferunt, id est semissem, & vnam partem conferunt, licet singulis quadrans dumtaxat cedat, *l. 2 §. si duos nepotes, D. de collat.* Igitur pro modo eius quod simul auferunt, bona sua etiam patruo conferunt: sibi autem inuicem ea conferre non possunt. Dotem sui possunt inuicem conferre, nec vero eam tunc patruo conferunt, *l. 1. §. si sit nepos, D. de do. col.* fratri enim frater si possit conferre, patruo non confert. At quantum auferatur, plerumque obscurum est, vt in hac specie: Filius suus institutus est ex dodrante, extraneus ex quadrante, suo emancipatus quartam aufert, si ad totum assem respicias: tertiam, si ad portionem ei adscriptam. Vtrum igitur suorum bonorum ei quartam an tertiam confert? Et putem conferre tertiam, itaque accipiendum esse §. *si ex dodrante, l. 1. D. de collat.* vt pro rata quadrantis ablati conferat, sed ita, vt cum hic quadrans triens sit portionis suo adscriptæ, & trientem ei conferat. Cur enim suus recte sic non intendat, Vis tertiam hereditatis meæ, confer tertiam tuorum bonorum. Nam & cum pater emancipatus duobus filiis in aui potestate retentis concurrente fratre qui est in potestate, confert, licet quadrantem auferat habita ratione totius assis. tamen quia respectu partis filiorum suorum, dimidiam habet, *l. 1. in princip. & §. inter, D. de coniung. cum emancip. lib.* ideo eis dimidiam partem bonorum suorum confert. & hoc ostenditur in *d. l. 1. §. nunc videamus.* vbi etiam aliis exemplis allatis, & nepotes ex eodem filio & pronepotes ex eodem nepote vnius vice fungi ostenditur quæ quidem Accursius rectissime exposuit. Verum à §. *si sit filius*, qui proxime sequitur *paragraphum Nunc videamus*, an se ipse vel quisquam alius adhuc expedierit, addubito: nam quod in *eo* §. exprimitur, falsum omnino atque vitiosum est. Si sit filius in potestate, alius emancipatus, ex alio filio defuncto nepotes duo, vnus in potestate, alius emancipatus, lex ait, filium emancipatum conferre nepotibus vnam partem. Imo vero nepoti emancipato non confert: nam inter emancipatos cessat collatio. nec quicquam interest siue defunctus filius fuerit suus, siue emancipatus: nam ideo quod fuerit filius suus, nusquam legitur nepotibus ex eo emancipatis conferri. Tum lex ait, eis nepotibus patruum emancipatum tertiam partem dare, quamuis minus quam patruus ex hereditate aui concurrente patre habituri sint. Imo concurrente patre si suus fuerit, nihil habituri sunt, vel si emancipatus fuerit, ipse saltem nepos emancipatus nihil est habiturus. Itaque suadet particula illa, *Quamuis hi minus*, &c. vt initio §. sic legamus, *Si sit filius in potestate, alius emancipatus, ex defuncto alio emancipato duo nepotes in potestate, eleganter Scæuola tractat*, &c. quo casu merito dabitur nepotibus triens, licet concurrente patre emancipato ex hereditate aui non nisi sextantem abstulissent: patri enim ex edicto nouo siue Iuliano in eandem partem coniuncti fuissent.

CAP. XIXX.

Quorum bonorum collatio detur inter liberos.

CAstrensia vel quasi castrensia bona non conferuntur: aduentitia, & profecticia conferuntur: quinimo ex constitutione Iustiniani aduenticia non conferuntur, *l. vlt. C. de colla.* & correcta videtur esse *l. 4. C. de collat. & l. 1. §. si sub, D. de do. collat.* quæ dotem aduenticia conferri aiunt. Ergo sola profecticia hodie conferuntur. Et hæc quidem profecticia bona non modo emancipati, verum etiam sui conferunt. Sui conferunt suis vel emancipatis, quasi à patre ea bona non discesserint. Emancipati quoque suis ea indubitate conferunt. An & emancipati emancipatis ea conferant, magnà est quæstio inter Hugolinum & Azonem, sed negare nemo potest quin emancipati inuicem sibi dotem & donationem propter nuptias à patre profectam conferant. nam & cum succeditur matri, quæ nunquam filios habuit in potestate, fratres inter se à matre profectam dotem vel donationem propter nuptias conferre certissimum est, *l. vt liberis, l. illam, l. pen. C. de collat. & ideo l. 4. C. eod.* facile accipi potest non de filia tantum sua, sed etiam de filia emancipata. Omnes ergo liberi siue sui iuris sint, siue in potestate, à parentibus profectam dotem vel donationem propter nuptias, quæ alia veluti quędam dos est, *αὐπροίκια*, inter se conferunt. Datam cautione conferunt, vel diuisione, vel tanto minus capiendo ex parentum bonis, *l. 1. §. quamuis & §. prox. D. de collat. l. si filia, in princip. D. fam. ercisc. l. dotis, C. de collat. Nou. 97. §. penul.* Promissam liberatis fratribus siue sororibus singulis pro sua parte, *l. 2. D. de collat.* At hic vehementer quęrunt interpretes, an & donationem simplicem liberi conferant, nec possunt expedire se à *l. penult. C. de collat.* & sane, vt verum fatear, abstrusior paulo res est. At si de suis quæras an conferant peculium profecticium, ab eis conferri nemo ambigit, sed & donationem simplicem conferri ostendit *l. si donatione, C. eod. tit.* cui tamen opponitur *l. filiæ, C. famil. erciscun.* idque probabilius eorum, quæ filio donantur, ab his quæ filij nomine comparantur distinctione quidam explicant: quod tamen improbat *l. cum hic status §. 1. D. de donat. int. vir. & vxor.* hæc enim duo paria sunt, Donare, & filij nomine Comparare. Equidem sic accipio *l. si donatione*, vt ab intestato sui donationem simplicem conferant: legem vero *Filiæ*, vt ex testamento instituti donata præci-

puaretineant. nam & dotem præcipuam retinent, *l.* *Pomponius Philadelphus*, *D. famil. ercisc.* Ceterum instituti hodie omnia conferunt ex *Nou. de trien. & sem.* non tamen prælegata, vt opinor: nam & ab intestato succedentes, etsi cetera conferant, relicta tamen in codicillis non conferunt, *l. filiæ 2. l. filiam, C. de collat.* Hactenus de suis. Nunc de emancipatis videamus. Emancipati suis donationem simplicem conferunt, *l. vt liberis ad fin. C. eod.* nec mixtum, cum & olim aduenticia omnia conferrent. Cur ergo profecticiam donationem nõ conferant suis? At certe emancipati emancipatis, vel quotiens de matris aut aui materni hereditate agitur, liberi inuicem sibi donationes simplices ab eis parentibus profectas non conferunt, nisi duobus casibus, qui à Iustiniano exprimuntur in *l. pen. C. eod.* Cur vero potius inter se dotem & donationem propter nuptias cõferunt? An quia hæc videri possunt communia parentum & liberorum, nec omnino adhuc extra rem eorum à quibus profecta sunt, esse videantur? Supereſt adhuc illa quæstio, an liberi conferant ea quæ parentes dedere vel promisere adipiscendi honoris causa, veluti ob munerum editionem, *l. 1. C. de peric. succes. part.* Papinianus ait non conferri, *l. 1. §. nec castrense, D. de collat.* æquum enim esse vt id lucretur filius, cum onera dignitatis sustineat. onera namque honoribus cohærent, *l. 2. §. numerus, D. de vacatio, muner.* Igitur si quid eo nomine pater dederit, nihil is, qui in dignitate est, pro eo fratribus conferet, vel si promiserit, omnium erit onus commune: quod vtique non esset commune, si eam impensam conferri oporteret, verum liberandi esſent coheredes pro rata, *l. 2. C. de collat.* Sed huic sententiæ vehementer obstabit *l. penult. C. de collat.* nisi separentur dignitates à militiis. Et vero hanc induci distinctionem omnimodo necesse est. quod ego in Notis ad tres postremos Codicis libros plenius declarabo. Et hactenus de collatione.

Cap. XXXI.

De salinis & salinarum vectigali.

IN Gallia salinæ omnes propriæ sunt principis, ex quibus ideo amplum sibi princeps vectigal parat, quod suæ cuique regioni deputatæ sint salinæ, nec liceat aliunde inuecto sale vti: est enim salis cõmercium prohibitum. Locantur autem salinæ publicanis ad certum tempus, & ita iam plerisque in locis locari cœpere, vt certo pretio sal à conductoribus emere singuli cogantur. quod si quis ex iure Romano confirmare velit, in promptu est *l. inter publica, D. de verb. signific. l. si quis sine, C. de vect. & com. & l. liber homo* §. *1. D. de hered. instit.* quam nemo adhuc in eam rem adnotauit. & in libris Feudorum inter regalia salinarum quoque reditus computantur, *tit. Quæ sint regalia:* Porro Athenæus etiam refert lib. 3. δειπνοσοφιστῶν, cap. 1. à Lysimacho iam olim in Troade vectigal salinarum constitutum, & natura tamen id quasi refugiente statim exaruisse salinas, ac remisso vectigali rursus prodiisse. Sed possit & hoc genus vectigalis aliis auctoribus atque rationibus comprobari quamplurimis: quæ alij quoniam obseruarunt, ideo dimittimus. Tantum admonebo priuatis etiam Romano iure salinas possidere licuisse, *l. forma* §. *salinæ, D. de censib. l.* 5. §. *1. D. de reb. eo. qui sub tut. l. generali* §. *vxori, &* §. *sequen. D. de vsuf. l* 9. Nec illud omittendum esse duco, propriam hanc fuisse olim feminarum pœnam, vt in opus salinarum damnarentur, vt indicat *l. aut damnum* §. *in ministerium, D. de pœnis, & l. mulier, D. de capt. & postlim.*

Cap. XXXII.

De decemuiris litibus iudicandis, & de Septemuiris.

ATtentius videndum est, an libri singularis Pauli nostri de Septemuiralibus iudiciis inscriptio, quę in Pandectis Florentinis eadem est, cum in Indice Iurisconsultorum, tum in *l. 7. 28. 31. D. de inoffic. testam.* defendi possit. nam etsi querela inofficiosi testamenti apud Centumuiros instituatur, & Centumuirale iudicium sæpe dicatur, vt in Notis Institutionum docui, & ideo damnandos esse non putem eos codices qui Centumuiralibus, non Septemuiralibus habent: cum tamen & Septemuiralis iudicij meminerit Liuius lib. 34. eam actionem forsitan etiam non male quis Septemuirale iudicium dixerit, siquidem, vt verisimile est, ex Centumuiris septem præcipue huic rei diiudicandę operam dederint: sicut hastæ, quam quidam non male Centumuiris attribuunt, siue litibus iudicandis Decemuiros constitutos legimus apud Pomponium in *l. 2.* §. *deinde cum esset, D. de orig. iur.* sic enim legendum est, non Centumuiri litibus iudicandis in *d. l. 2.* Cicero in Oratore, Plane Duumuirorum iudicium, aut Triumuirorum capitalium, aut Decemuirorum iudicandis dico nunquam. Spartianus in Adriano, Nec multo post Decemuir litibus iudicandis datus. Lucanus ad Calpurnium Pisonem,

Seu trepidos ad iura decem citat hasta virorum,
Et firmare iubet centeno iudice cansas.

Hi etiam dicti sunt olim Decemuiri litibus iudicandis, vt ex Sext. Pompeio & Valerio Probo liquet. fuisse autem eos ex xxvi. viris optime indicat Dio lib. 54. ex quibus erant & Triumuiri capitales, & Triumuiri monetales, & Quatuoruiri viarum vrbis, quorum etiam Pomponius meminit in *d.* §. *deinde cum esset.* & Duumuiri qui viarum extra vrbem curam habebant, & Quatuoruiri, qui in Campaniam mittebantur. Sed cum hic Dionis locus multum conducat illustrando illi § ipsius Dionis verba non grauabor apponere. οἵτε δὴ (φησὶν) εἴκοσιν ὅτοι ἀνδρες ἐκ τῆς ἐξ καὶ εἰκοσιν εἰσίν, οἵτε πρῆις οἱ τὰς τῶ θανάτω δίκας προξεταγμένοι, καὶ οἱ ἕτερα πρῆις οἱ τὸ τῶ νομίσματος κόμμα μεταχειριζόμενοι, οἵτε τέτταρες οἱ τῆς ἐν τῷ ἄστει ὁδῶν ἐπιμελέμενοι, καὶ οἱ δέκα οἱ ἐπὶ τῆς δικαστηίων τῆς ἐς τὰς ἑκατὸν ἀνδρας κληρωμένων ἀποδεικνύμενοι. οἱ γὰρ δὴ δύο οἱ τὰς ἔξω τῶ τείχος ὁδὰς ἐγχειριζόμενοι, οἵτε τέτταρες οἱ ἐς τὴν Καμπανίαν πεμπόμενοι, κατελέλυντο.

Cap. XXXIII.

Tollitur mendum è l. 8. D. famil. erciscundæ.

SIqui ex heredibus prælegatæ sint rationes, ex Ponponio Vlpianus scribit in *l. 8. D. famil. erciscun.* non prius ei tradendas, quam coheredes descripserint, eodemque modo seruo actore prælegato, non prius tradendum seruum esse quam rationes reddiderit. Etiam illud adiicit Vlpianus, cauere heredem debere se rationes ipsas authenticas, cum res aliqua exegerit, vel seruum actorem coheredibus exhibiturum: quæ cautio tunc quoque interponitur cum à iudice apud eum, qui maiore ex parte heres est, instrumenta hereditaria collocantur, *l. si quæ sunt, D. eod. tit.* Et vt ostendat Vlpianus coheredum nonnunquam interesse authentica ipsa, eumque qui rationes administrauerit, ipsum exhiberi, *Plerumque enim*, ait, *authentica rationes sunt necessariæ actori ad instruenda ea, quæ postea emergunt ad notitiam eius spectantia.* vbi ego insidere mendum opinor. & cum superius actum sit de seruo actore, nihilque attineat hic aliquem actorem, id est, petitoré affingere,

cuius interſit rationes exhiberi, pro *Actori*, lego & *actor*: vel id proximis verbis exigentibus, *Ad inſtruenda ea quæ poſtea emergunt ad notitiam eius ſpectantia:* notitiam enim ſerui actoris intelligit, ad cuius notitiam ea ſpectant quæ ipſe nouit. & ſic in *l. cum ſeruus, D. de condic. & demonſtr.* actori data libertate ita, *Si rationes reddiderit*, ineſſe his verbis Calliſtratus ait, heredes notitia inſtrui rationum. Quid autem prælegato rationum contineatur Vlpianus non explicat, credo quia id ſatis apparebat: nec enim, vt chirographo vel nomine legato extraneo, actio legari videtur, ita rationibus vni ex coheredibus prælegatis, in quibus non expenſa tantum, ſed etiam accepta, & numerus familiæ omniumque rerum defuncti continetur, vti à veteribus patribusfamilias rationes confici ſolebant, actiones heredi aut ea omnia quæ rationibus continentur, legari exiſtimamus. Et hac in re derogamus fidem Accurſio, veriuſque eſt tabulas duntaxat legari, &, quod plerumque non ſine magna controuerſia inter coheredes diſceptatur, id clare à teſtatore decerni, vt apud eum ſint rationum tabulæ, cui eas ipſe prælegauerit.

Cap. XXXIV.

Momentum moriendi vitæ potius quam morti tribui, variis exemplis demonſtratur.

PRætor iubet ab emancipato fratribus, qui manſerunt in poteſtate, caueri de conferendis bonis, quæ moriente non quæ mortuo patre habuerit, auctore Vlpiano in frag. tit. *de poſſeſſ. dan.* & *l. 6. 13. 15. C. de collat.* Igitur ſi extraneus emancipato ita legauerit, *cum morietur pater:* hoc etiam legatum emancipatus conferet, quia non poſt mortem patris id, ſed moriente patre, manenteque adhuc vita emancipatum habuiſſe interpretamur. Sed ſi poſt mortem patris filio legatum ſit, inter omnes conſtat legatum non conferri, *l. penult. D. de collat.* & hanc verborum differentiam in multis aliis partibus iuris obſeruari, & interdum in aliis quibuſdam non obſeruari facile oſtendam. Primum omnium, iure antiquo poſt mortem ſuam nemo ſtipulari aut promittere poteſt: in hunc modum tamen, *Cum moriar*, recte ſtipulamur §. *ita autem, de inutil. ſtipulat.* Poſt mortem heredis legari non poteſt: cum morietur heres, legari poteſt, auctore Vlpiano in *Fragm. tit. de legat.* ſed eæ duæ verborum differentiæ à Iuſtiniano ſublatæ ſunt in *l. 1. C. vt action. ab hered. & contra hered. incip.* Conſentaneum eſt quod ſequitur, nec tamen immutatum. Poſt mortem ſuam nemo heres aut legatarius recte inſtituitur: cum morietur, rectiſſime, *l. heres meus, D. de condic. & demon. l. extraneum, C. de hered. inſtit.* & extraneum quidem recte, cum morietur, heredem ſcribi placet, non tamen filium, vt opinor. nam hæc inſtitutio præteritioni ob longiorem moram ſimilis eſt: nec dicat quiſquam in extraneo fruſtra id adiectum videri, *cum morietur*, ex *l. hereditas, D. de hered. inſtit.* nam etſi ex die nominatim hereditas dari non poſſit, veluti, *Poſt quinquenium, quam moriar, heres eſto*: tacitè tamen in diem conferri poteſt, veluti, *cum capere poteris, Cum adoleueris, Cum morieris, l. in tempus, D. eod. l. ſi mater. D. de vulg. ſubſt.* & ita ſæpe fit, vt quæ expreſſa non valent, tacita valeant. Porro ex his quæ diximus, cum moriendi momentum vitę potius quam morti dari, & ea quæ poſt mortem recte non conferuntur, in moriendi tempus recte conferri ſatis appareat, merito hic aliquis poſſit quærere, cur ita datam libertatem, *Cum morieris, liber eſto*, Iulianus nullius momenti eſſe conſcripſerit in *l. libertas, D. de manumiſſ. teſtam.* quæ citatur ab aliis in *l. vlt. D. eod.* & *l. cum heres. §. 1. D. de ſtatulib.* rurſus, cur eodem quoque modo vtiliter vſusfructus non relinquatur, *l.* A *heres §. quamuis D. de cond. & dem.* ſed huius quæſtionis diſſolutio facile colligi poteſt ex *l. Titio, D. de vſufr.* Illius autem. ex *d. l. vlt. & l. cum heres § 1.* difficilior quæſtio eſt, Cur patre inſtituto, & ab eo fideicommiſſo relicto filio emancipato, cum ipſe pater morietur, id fideicommiſſum quaſi poſt mortem patris acceptum filius non conferat, *l. 1. §. ſi emancipato, D. de collat. bon.* niſi quis mecum id velit ex fideicommiſſorum iure antiquo repetere: quæ cum valeant ex nuda meraque defuncti voluntate, & vtiliter poſt mortem heredis relinquantur, vt oſtendit Vlpian. n *Fragmentis, tit. de fideicom. & l. ſi fuerit, D. de legat. lib. 3.* nec ſeruatur nec inducitur in eis illa ſubtilis differẽtia verborum, quin imo, vti teſtatorem acepiſſe veriſimile eſt, B ſic illa verba, *Cum morietur heres*, accipimus ac ſi apertiſſime poſt mortem heredis teſtator fideicommiſſum reliquiſſet, *l. fideicommiſſa §. ſi filio, D. de legat. lib. 3.* ſic etiam in directis quoque ſcripturis, in quibus illam verborum ſubtilitatem, non latitudinem voluntatis prudentes intuebantur, interdum fauore libertatis ea verba ex præſumpto iudicio & mente defuncti interpretamur, *l. qui duos §. 1. D. de manumiſſ. teſt.* Quod hodie ſi ſolas Iuſtiniani conſtitutiones inſpicias, facile in ſcripturis omnibus directis eſſe ſeruandum obtinebis.

Cap. XXXV.

Quid ſit ἀνάχρησις, & quam Iuſtinianus vſurarum, quæ ab agricolis exiguntur, rationem conſtituerit, declaratur

ANάχρησις eſt ſpecies pignoris ita dati, vt donec pecunia ſoluatur, pignore creditor vtatur fruatur in vicem vſurarum: verbi gratia, vt domum pignori obligatum vſurarum vice creditor inhabitet, *l. ſi ſeruus, (. quod cum eo, &c.* quæ conuentio licita eſt, etiam ſi pluris domus locari ſoleat, quam efficiat legitimarum vſurarum ratio. vel fundi opignerati fructus omnes vice vſurarũ creditor percipiat, quæ conuentio propter incertũ euentũ fructuũ admiſſa eſt, etiamſi aliquo anno poſſit fructuum emolumentum legitimum modum vſurarum excedere: nam & propter incertum frumenti pretium, fit nonnumquam, vt frumento credito eiuſdem materiæ acceſſiones ſupra legitimũ modum admittantur, quemadmodum Græci recte colligunt ex *l. oleo, C. de vſur.* Lucullum tamen lege Aſianis data, quartam dumtaxat partem fructuum creditoribus permiſiſſe apud Plutar. legimus. & ſunt hæc quæ apposui Plutar. verba, ἔταξε τῶν τὸ χεωφειλέτε πρὸς τὸν τόκον τῷ τετάρτῳ μέρει δεκαπεντάδας τὸν δανειστήν. quæ proculdubio ad hãc ἀνιπχρήσεως conuentionẽ referri conuenit. Et hæc quidem valde pertinent ad *l. ſi ea pactione, & l. ſi ea lege C. de vſuris*, quas de antichreſi accipiendas eſſe vel ex eo apparet, quod eas Conſtantinus Græcus auctor ponat ſub titulo περὶ ἀνιπχρήσεως. Illud notandum eſt, facta oblatione ſortis, creditorem fructus iam amplius non lucrari, ſed in ſortem imputare ex *l. ex prædiis, C. de vſur.* Itemque ex *Nouella 32. 33. 34.* ſi nobis res ſit cum agricola, poſſeſſionum eius, aut ouium, aut mancipiorum ἀνιπχρησιν facere non licere. Etiam illud Iuſtinianus adiungit octauam dumtaxat partẽ modij in ſingulos ſolidos vnam ſiliquam quotannis ab agricolis vſurarum nomine accipere licere. verbi gratia, *Si* ſolidi centum crediti ſint, ſolidos quatuor & ſextantem: quæ vſura trientem vſuram quatuor ſiliquis exuperat. ſed ſi vſuram centeſimam accipiamus, ita vt interpres Theodoſiani Codicis definit in *l. 2. de vſur.* cum tres ſiliquæ annuæ in ſingulos ſolidos, id eſt, in ſingula centena XII. ſolidi & ſemis præſtantur, quæ definitio fuit vſurę cen-

teſimæ Imperatoris Conſtantini temporibus, eiuſque fit mentio in *No.* 130. ad eius centeſimæ rationem illa vſura vere triens vſura erit, atque ita definitur Leonis *Nouel.* 83. Verum quæri poteſt, cur agricolæ credita pecunia, cum Iuſtinianus trientes dumtaxat vſuras admittat, in ſingulos tamen modios octauam modij partem concedat: quæ ſecundum nouiſſimam definitionem vſura centeſima eſt, ſecundum veterem vſura centeſima XII. ſiliquis amplior. Et reſpondebitur, leuiores eſſe pecuniarum quam ceterarum rerum vſuras, propterea quod pecuniarum poteſtas eadem ſemper eſt, ceterarum rerum pretia incerta ſunt & mutabilia: atque ita fit, modo vt acceſſiones frumenti crediti excedant legitimæ vſuræ rationem, modo vt excedantur. & hoc belle confirmat *l. 1. C. Theod. de vſur.* quæ pro pecunia centeſimam vſuram, pro ceteris rebus in duos modios modium tertium quotānis accipere permittit. quæ vſura quatuor centeſimas ad rationem pecunię revocata efficit, videlicet ſecundum nouiſſimam vſuræ centeſimæ definitionem, quæ Imperatoris, vt ſupra dixi, Conſtantini temporibus inoleuiſſe videtur, & plane confirmatur ab ea *l. 1. C. Th. de vſur.* ea enim Conſtantino mens eſt, vt legitimam vſuram pecuniæ id eſt, centeſimam acceſſio frugum tribus centeſimis amplius excedat: quam rationem in Nouellis Iuſtinianus non eſt ſecutus: nam duplo tantum vult acceſſionem frugum vſuram pecuniariam excedere, atque hanc pecunię ac rerum inter ſe differentiam quidam non cernentes, perperam, meo quidem iudicio, in *Nouella Iuſtiniani* pro ὀγδόῳ μοίρᾳ, emendarunt εἰκοστὴν καὶ τετάρτῳ μοίρᾳ. Sed vt ad ius ἀντιχρήσεως redeamus, id extremo loco non inepte adiicietur, an ad ἀντίχρησιν pertineat actio hypothecaria vel pigneratitia. De hypothecaria Marcianus ſcribit in *l. ſi is qui bona, §. 1. D. de pignor.* & ait creditorem qui amiſit poſſeſſionem ἀντιχρήσεως, non hypothecaria, ſed in factum actione vti ſolere, nimirum quod antichreſis proprie hypotheca non eſt. Recte autem ait Solere: nam id quoque tentari poteſt hypothecariam creditori competere: idque Azo notauit, ſicut & debitori pigneraticiam competere idem Marcianus ſcribit in *l. ſi pecuniam, D. de pigner. act.*

CAP. XXXVI.

Quid ſit vltimum aut nouiſſimum ſupplicium, & emendatus locus apud Aulum Gellium de vſu horum verborum Nouiſsime & Nouiſſimus.

IN libris noſtris vltimi ſupplicij appellatione ſola mors continetur: metalli pœnâ, deportatio, relegatio non continetur, *l. vltimum, D. de pœn.* id quod vltimam quoque ſiue extremam pœnam dicimus, *l. 5. C. Th. de offic. rect. prou.* Suetonius in Iulio. *Senatu vltimam ſtatuente pœnam.* Liuius 3. *Virginio remittente vltimam pœnam.* Plinius 2. Ep. *Septem amicorum eius emiſſe vltimam pœnam* Apulcius lib. 10. *Extremæ pœnæ, quæ more maiorum in eum competit.* In Nou. 14. vetus interpres (quem multo antiquiorem eſſe Bulgaro nobis, vt ſpero, breui firmiſſimis argumentis Ant. Contius vir acutiſſimus & doctiſſimus commonſtrabit) non male ἐσχάτας ποινὰς nouiſſima ſupplicia dixit. Horum enim verborum Nouiſſimus & Nouiſſime in ea ſignificatione frequens eſt vſus, cum apud Iuriſconſultos, tum apud omnes Latinos auctores: & merito iam à multis exploſa eſt Auli Gellij ſententia, qui abſtuiſſe his verbis M. Tullium temere affirmauerat, itemque Tironis Tullii à Fl. Capro, vt Chariſius annotauit, qui ſcripſerat in Pandectis Nouiſſime haud recte dici, adieceratque quod ſua cœpiſſet ętate id aduerbium. Ceterum locus ille Auli Gellii qui eſt in lib. 10. cap. 21. A cum ſit valde depraua tus, opere pretium fecero, ſi vti ex bibliotheca Ioannis Biturigum ducis à me reſtitutus fuerit, hic demonſtrauero. Cum igitur id ſcripſiſſet Gellius eo verbo, id eſt, Nouiſſimus & Nouiſſime tanquam non Latino M. Tullium abſtinuiſſe, ſubiecit *Quoniam qui doctiſſimus eorum temporum fuerat Aelius, illo vt nouo & improbo verbo vti vitauerat*, vbi pro *Aelius illo*, ex illa bibliotheca legere malo *Aelius Stilo.* Is fuit magiſter M. Varronis, interpres carminum Saliorum, eiuſque auctoritate veteres Grammatici vtuntur ſæpiſſimè, vt & Gellius idem lib. *16.* cap. 8. vbi tamen corruptè vulgo Lęlius, pro L. Ælius legitur. Verba etiam quæ cap. 21. lib. 10. Gellius retulit ex lib. *6*, de lingua Latina M. Varronis ad Ciceronem, ſic reſtituenda ſunt. *Quod extremum*, inquit, *dicebatur, dici nouiſſimum cœptum vulgo, quod mea memoria, vt Aelius, ſic ſenes alij, quod nimium nouum verbum eſſet, vitabant.* In excuſis libris perperam legitur, *vt Aelius Gallus, ſic ſenes aliquot*, &c. harum rerum ſcientiam non omnes, qui hac noſtra ætate iuri dant operam, quærunt: quibus etiam nos hæc non ſcribimus.

CAP. XXXVII.

Multas eſſe in libris à Iuſtiniano collectis leges fugitiuas ex quibus duæ explicantur.

ENumerauimus in Notis ad *tit. de grad. cognat. Inſt. lib. 3.*, quaſdam leges in Codice & in Pandectis à ſuis titulis reiectas, & in minus proprium titulum tranſlatas: quibus adiungi poteſt *l. ſi de via, D. de aqua quotidiana & æſt. l. de his, D. de tranſact. l. emancipato, D. de coniung. cum emancip. lib. l. dotem, D. de collat. & l. vlt. D. de iur. delib.* & ex eis quidē hoc in capite duas interpretari decreuimus, *l. 1. C. de dolo. & l. vlt. D. de iur. delib.* Quæſtio *l. vlt.* hęc eſt: An filiorum aut liberorum appellatione filij libertini contineantur, id eſt, qui in ſeruitute ſuſcepti & poſtea ſimul cum patre manumiſſi ſunt. Et eos quidem liberorum appellatione contineri Papinianus tradit in *l. cum pater §. volo, D. de legat. lib.* 2. cuius ſententia citatur in *l. ex facto §. ſi quis rogatus fuerit vt ſi ſine liberis, D. ad Treb.* At in hac ſpecie, *Filium libertinum pupillum heredem inſtituo*, deinde ita ſcribo, *Si mihi filius nullus erit qui in ſuam tutelam veniat, tunc Damaſoruus liber & heres eſto.* Quærebatur, inquit Iauolenus in *d. l. vlt.* ſi Dama liber eſſet: vbi Græcorum more, Si pro An accepit, vt in *l. 3. §. emancipatus, 1. D. de coll. bon. l. ait Prator §. præterea, D. quæ in fraud. cred.* & in conſtitutionibus Imperatorum, & apud Cæſarem, Liuium, Columellam. Tertullianum frequentiſſimè. Cicero in Topicis. De expetendo & fugiendo, huiuſmodi, Si expetendæ diuitiæ, ſi fugienda paupertas. Labeo autem exiſtimabat filij appellatione in eo ſermone verum filium contineri, non naturalem & in ſeruitute quæſitum. At Iauolenus in Trebatij ſententiam concedit ſecus exiſtimantis. Filius autem in ea lege libertinus qui ſit, iam ſuperius expoſui: nec enim is quem ex ancilla mea ſuſcepi & manumiſi, eo in loco filius libertinus eſt: quin imo filius idemque libertus mihi eſt. Is vero, quem ſuperius definiuimus, filius libertinus eſt, idemque conlibertus. Nota vero eſt differentia inter libertum, & libertinum, quam & Vlpianum noſtrum commouentē Athenæus facit lib. 3. δειπνοσοφιστῶν cap. 17. Id etiam non probo quod lib. 4. παρέργων Alciatus definit, libertinum filium apud Iauolenum eſſe eum, qui ex ciue Romano & Latina natus eſt: quem ex Vlpiani Fragmentis conſtat Latinum naſci: hic enim liber eſt, non libertinus. Et quod ex Liuio ſcribit Latinæ cuidam coloniæ datum nomen libertinorum, omnes Latinos, & libertinos eſſe, neceſſario

non concludit. Hæc autem eius legis explicatio demonſtrat, nihil prorſus eam legem ad ius deliberandi pertinere: proinde fugitiuam eſſe aut peregrinam. Eiuſdem generis eſt *l. 1. C. de dolo.* quod niſi dicamus, vehementer pugnabit cum *l. mandato Titij* §. *1. D. mandat.* Et ſane non de Prætoria de dolo actione, quæ ſubſidiaria eſt actio, ſed de mandati actione, vt & Ioanni, Azoni, Accurſio viſum eſt, eam *legem primam C. de dolo*, accipiendam eſſe illa verba indicant, *Fidei ruptæ gratia.* in directis enim actionibus bonæ fidei, de fide rupta agitur, *l. ei apud quem, D. depoſ. l. ad comparandas, C. manda. l. non videbitur, D. de ſtatulib.* & ideo actiones de fide mala dicuntur à Marco Tullio in tertio de Natura deorum. Hæc eſt igitur ſententia *d. l. 1.* Ob fidem mandati ruptam debitorem actione mandati (cui, vt in omnibus bonę fidei iudiciis, de dolo actio ineſt) cum fideiuſſore agere, qui pignus emit à creditore, neque id omni oblato debito cum fructibus debitori reſtituit. Et ſic in *l. ſi ſeruus, D. de euict.* hæc verba, *De dolo*, non male interpres refert ad actionem ex empto nomine doli. Atque ex his etiam apparet quam male fuerit illa conſtitutio collocata ſub *tit. De dolo malo*: quæ potius poni ſub titulo Mandati debuerat.

Cap. XXXVIII.

Confirmatur Pandectarum Florentinarum lectio quibuſdam in locis.

QVædam ſunt in Pandectis Florentinis, quibus vt plurimum conſentiunt qui manu exarati ſunt, ita ſcripta, vt vitia eſſe pleriſque videantur, cum tamen antiquam ſcribendi conſuetudinem teſtentur, quale eſt *Em* in *l. ſi fideicommiſſorum, D. vt in poſ. legat. Nihil me per em lædi oportere*, id eſt, per eum, & in *l. ſi filia* § *Neratius, D. fam. erciſ. Id em conſequi poſſe.* Et in *l. ſi totam, D. de adq. hered. An* pro *Eam* quomodo & veteres, *San* pro *Suam*, *Am* pro *Eam*, *En* pro *Eum* dixiſſe Verrius Flaccus ſcribit: & in XII. tab. non eſt ignotum *Im* pro *Eum* vſurpari. Quædam alia in veteribus Pandectis incorrupta cum eſſent, nouis rariſque appellationibus locorum aut hominum commoti quidam audacter deprauarunt: quale eſt illud de columnis Citienſibus promiſſis in *l. 1. §. pen. D. de pollicit.* quod de Republica Citienſium accipiendum eſt, ciuitate Macedonię, vt Liuius ſcribit lib. 42. ex qua Zeno Citienſis dicitur à Gellio lib. 17. cap. vlt. & vulgo tamen perperam legitur circenſibus: vt fruſtra in eo reſcripto explicando Alciatus vir memoria ſempiterna dignus operam inſumpſerit, ad columnas id referre tentans quibus exornatur Circus Maximus. Eodemque errore alterius Reipublicæ appellatio vitiata eſt in *l. regula* §. *pen. D. de iur. & fac. ignor.* ea eſt Reſpublica Cirtenſium, quæ fuit olim caput regni Maſæſulorum, auctore Liuio lib. 30. At pro Cirtenſium, vulgo perperam legitur Cirenenſium.

Cap. XXXIX.

De tempore faciendi iudicati, & reſtituta lex quædam XII. *tabularum.*

TEmpus faciendi iudicati eſt menſis vnius ex XII. tab. ſiue XXX. dierum, qui dies Iuſti appellantur, ea forma qua Sex. Pompeius dies XXX. cum exercitus eſſet imperatus & vexillum in arce poſitum, Iuſtos à veteribus appellatos ſcribit. Ex conſtitutionibus autem iudicati faciendi tempus eſt duorum menſium, vt oſtenditur in *l. 2. C. Th. de vſur. rei iud.* Idem nonnulli male oſtendi putant in *l. debitoribus, D. de re iud.* nam lex non de duobus menſibus faciendo iudicato præſtitutis loquitur, ſed de duobus menſibus qui pignoribus vendundis poſt tempus faciędi iudicati dantur, vt & *l. 1. C. Th. de diſtract. pign. quæ tribut. cauſ. ten.* quod ſimile quiddam habet cum eo quod ex XII. tabulis receptum fuiſſe Gellius ſcribit lib. 20. cap. 1. vt poſt menſem iudicati faciendi, priuſquam pœnas darent rei menſes duos eſſent in vinculis. Ceterum ex nouiſſima Iuſtiniani conſtitutione iudicatis non duo illi, ſed quatuor menſes dantur, *l. 2. C. de vſur. rei iud.* & poſt eos quidem menſes quatuor currere incipit vſura rei iudicatæ, quæ fuit olim duplex centeſima, hodie vna eſt centeſima. Eſt autem hæc vſura ſortis, non etiam vſurarum, quæ in condemnationem deductę ſunt, *l. 3. C. eod. tit.* nam vſurarum vſurę non debentur, etiamſi vſuræ ipſæ in ſortem redigantur, hoc eſt, etiamſi fiat anatociſmus. At tempora illa quæ iudicatis præſtituuntur, confeſſis etiam præfinita ſunt: nam confeſſi pro iudicatis habentur, & nominatim in XII. tabulis æs confeſſum rei iudicatę comparatur. Verba legis XII. tab, quia valde apud Gellium deprauata ſunt ex antiquo & fideli exemplari proponam. *Æris confeſſi rebuſque iure indicatis xxx. dies iuſti ſunto. Pedeinde manus iniectio eſto: in ius ducito. Ni iudicatum facit, aut quips endo eo in iure vindicit ſecum ducito: vincito aut neruo, aut compedibus xv. pondo, ne maiore, aut ſi volet minore vincito. ſi volet ſuo viuito: ni ſuo viuit, qui eum vinctum habebit libras farris endo dies dato, ſi volet plus dato. Tertiis nundinis partis ſecanto: ſi plus minuſue ſecuerint, ſe fraude eſto.* Ait, *Pedeinde* pro *Poſtdeinde*, quod an rectum ſit, neſcio: verum ita ipſe in vetere illo exemplari ſcriptum reperi, vt & *Quips* pro *Quiſpiam.* Ait, *Ni iudicatum facit, aut quips endo eo in iure vindicit, ſecum ducito.* quod ego rectiſſimum iudico, nam ſic veteres loquebantur, In eo agro, in ea gleba, in ea re in iure vindicare, vt ex Gellio conſtat lib. 20. cap. 9. Legis igitur hic ſenſus erit, eum quem poſt XXX. dies manu iniecta in ius duxerit, ni iudicatum faciat, vel aliquis pro eo vindex exiſtat, creditorem ſecum ducere & vincire. Ait autem *Vindicit*, ea forma qua & *Lauit* & *Sonit* veteres dixiſſe Non. Marcellus ſcribit. Rurſus ait, *Ne maiore, aut ſi volet minore.* quibus verbis dantur freni impotentiæ creditorum, vt ne maiore poſſint vincire, minore, ſi velint, vt poſſint. quod non fruſtra adiicitur: nam & cum poſſent latitantis bona diſtrahere, id S. C. adiectum ſimiliter legimus, vt ſi velint honeſtius bona vænire, curatorem conſtituant. *l. cuius, D. de cur. fur.* & paulo poſt, vt ſi velint plus libra prębeant. Antea perperam legebatur, *Ne minore, aut ſi volet maiore*, ac ſi ea in re lex omnem humanitatem tolleret. Cetera, quæ à vulgata ſcriptura diſcrepant, ſatis patent.

Cap. XL.

Indicatur alia quædam lex XII. *tabularum.*

VLpianus ſcribit in *l. 2. §. ſi quis iudicio, D. ſi quis caution* lege XII. tab. cautũ, ſi iudex vel alteruter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, vt ſit dies iudicij diffiſus. Eius legis particulam quamdam apud Sex. Pompeium referri animaduerti, dum Rei nomine ex Ælio Gallo, & actorem, & cum cum quo agitur, ſignificari oſtendit. Hanc enim eius ſignificationis confirmandę cauſa ex ſecundæ tabulæ lege ſecunda partem refert. *quid horum fuit vitium iudici, arbitro ve reove dies diffiſus eſto.* quamquam in libris excuſis mendoſe legatur *Deffenſus* pro *Diffiſus* & *Vtrum* pro *Vitium*: ſed ſic ait, *Quid horum fuit vitium* vt alibi, *Si morbus euitaſve vitium eſcit.* Nec mę

mouet quod Numæ eam legem esse Sextus scribit. nam ex Alicarnassei lib. 2. & 10. constat ex legibus regiis & ex moribus P. Romani multas Decemuiros leges in XII. tabulas transtulisse hoc censente populo, πάντας τοὺς πατρικοὺς ἐθισμούς τε καὶ νόμους ἅμα τοῖς ἐπεισάκτοις, vt Alicarnasseus ait, in foro proponi. Quamobrem existimo A & illas Numæ leges de eo qui sciens hominem liberum morti duit, & de pœna pellicis, & de homine fulmine occiso, & de termino exarato, & de opimis spoliis, & de parricida, ab eodem Sexto relatas, XII. tabulis adscribendas esse.

BARTHOLOMÆO FAYO V. C. SENATORI PARISIENSI, IACOBVS CVIACIVS S.

ETSI, quos tibi libens merito despondi, Obseruationum libros ad annuam diem, qua constitui, singulos non adducam, tu qui omnium quibus cum tibi res est, commodum potius quam ius tuum spectas, mihi arctissima quadam beneuolentiæ colligatione, nec alia causa rem habenti tecum, hanc quoque, si placet, roganti excusationis veniam dabis, quod ante hoc tempus in huius scholæ, in qua versor, cultura & cura nimis anxie laboranti ad meam erga te fidem exsoluendam meo commodo dies vacui nulli adhuc superfuerint. De commentariis autem in tres postremos Iustiniani Codicis libros, quod postrema epistola tibi & publico sum pollicitus, propriam quandam excusationem habet. Vtor in eis sæpe auctoritate librorum Codicis Theodosiani, eorum, inquam, quos habet Lugduni Lud. Miræus vir & eruditissimus & in antiquorum monumentis inuestigandis sagacissimus, quos mihi priuatim hoc anno perlegendos dedit, dabit & breui publice omnibus. Verum id interim dum is aliare districtus non præstat, si in meis commentariis eos qui nondum extant præpropere testes citauero, ferendus forsitan non sim. Prouoces tu modo aliquantum, prouocent studiosi, prodeant testes illi, nec nobis sui copiam eiurent, in me hominum de meo labore subeundi iudicij mora nulla erit. Offertur interea tibi hic Obseruationum quartus, quem quod præclare intelligo tamquam proprie tuum, inter ceteros recepturum te statim, ideo commendatione omni supersedendum videtur. Bene vale. Valentiæ Cauarum XV. Kal. Iul. 1559.

IACOBI CVIACII I. C. OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM LIBER QVARTVS.

AD BARTHOLOMÆVM FAIVM V. C. SENATOREM PARISIENSEM.

CAPVT PRIMVM.

Variasse Scæuolam & deprauatissimum esse §. si quis dolus, l. qui bona fide, D. de adquirendo rer. domin.

QVOD accidisse Papiniano ostendimus lib. 2. Obseru. cap. 37. vt sententiam à se relatam in librum decimum quæstionum lib. 27. mutaret, idem Scæuolæ accedisse ostendit Vlpianus in *l. qui bona, §. si quis duobus, D. de adquir. rer. do.* Quod enim is lib. 2. Quæstionum, de duobus bona fide possessoribus scripserat, quando ex alterius re seruus alienus aut liber homo aliquid adquirit, id resipiscens lib. 13. retractauit. Et quidem lib. 2. partem dumtaxat ei B adquiri, ex cuius re seruus vel liber homo adquisiisset: partem vero alteram, quæ socio adquiri non potest propterea quod ex re eius non est, ad dominum vel ad ipsum, si liber esset, pertinere Scæuola scriptũ reliquerat, vt apparet ex *l. sed & si quid §. si duos, D. de vsufr.* quę Scæuolæ sententia cum repetatur in *d. §. si quis duobus*, vterque locus inter se comparandus est, vt quẽadmodum duo menda, quæ in *§. si quis duobus* inesse existimamus, tollenda sint, intelligatur. His primum verbis quæstio ab Vlpiano proponitur in *§. si quis duobus. Si quis duobus bona fide seruiat, vtrique adquiret, sed singulis ex re sua. quod autem ex re alterius est, vtrum pro parte ei, cui bona fide seruit, pro parte domino, si seruus sit, aut si liber sit, ei cui bona fide seruit: an vero ei debeat adquirere totum, ex cuius re est, videamus.* Hæc eadem quæstio in duobus fructuariis & bona fide possessoribus proponitur in *§. si duos*, videlicet vtrum id pro parte,

parte, an totum quæratur ei, ex cuius re eſt. Quod ſi pro parte quæri dixeris, pars altera ſocio non dabitur (nec enim ex re eius eſt) ſed vero domino ſi ſeruus ſit, vel ſi liber ſit, ſibi. itaque Pandectas Florentinas non ſequor, in quibus, vt ſuperius propoſuimus, ſic habet textus §. *ſi quis duobus. Aut ſi liber ſit, ei qui bona fide ſeruit.* Omnimodo enim legendum eſt, *aut ſi liber ſit, ſibi, an vero*, &c. Tum ſequitur. *Quam ſpeciem Scæuola quoque tractat libro ſecundo quæſtionum. Ait enim, ſi alienus ſeruus duobus bona fide ſeruiat, & ex vnius eorum re adquirat, rationem facere, vt ei dumtaxat in ſolidum adquirat.* Sed falſum hoc eſt, ſi ita legatur. Nam libro ſecundo Quæſtionum Scæuola bona fide poſſeſſori ex cuius re ſeruus quærit, partem dumtaxat adquiri ſcripſit, vt traditur in §. *ſi duos*: ideoque ex eo pro *In ſolidum Partem*, *in* §. *ſi quis duobus*. legendum eſſe omni adſeueratione confirmamus. id enim & quæ ſequuntur exigunt, quæ in P. Florentinis male punctis eſſe diſtincta §. *ſi duos*, indicat, *Sed ſi adiiciat*, inquit, *eius nomen, ex cuius re ſtipularetur: nec dubitandum eſſe ait, quin ei ſoli adquiratur.* Additur alia exceptio in §. *ſi duos*, puta, *ſi iuſſu eius ſtipuletur.* His igitur duobus caſibus exceptis, non ei ſolidum, ſed pars dumtaxat adquiritur ex ſententia Scæuolæ. At vt poſtea ſubiungitur in §. *ſi quis duobus.* quamuis nec nominatim, nec iuſſu eius ſeruus ſtipulatus ſit, Scæuola in inferioribus quæſtionum libris probauit ſolidum ei adquiri. quæ ſententia obtinuit. Id autem probauit *lib.* 13. vt apparet ex *l. ſi alienus ſeruus, D. de ſtip. ſeru.* quæ ex eo libro ſumpta eſt, vt vel hoc ſolo indicio quam ſit neceſſarius nobis à Iacobo Labitto proditi Indicis vſus, ſatis liquere poſſit. Sed hæc ſufficiant. Quod enim inſcriptio huius capitis pollicetur, his pauciſſimis verſibus iam perfecimus, variaſſe Scęuolam oſtendimus, locum deprauatiſſimum emendauimus. Verum & hoc forſitan ſuperaddidiſſe iuuabit, male in eadem *l. qui bona* §. *generaliter* P. Florentinas negationē habere in illo loco, *Quod autem non ex re.* Vt enim quod ex re bona fide poſſeſſoris ei liber homo adquirere non poteſt, veluti poſſeſſoris rem eam ſibi adquirit, *l. liber homo. in princ. D. de ſtipul. ſeru.* non ſic quod non ex re bona fide poſſeſſoris ſibi adquirere non poteſt, id poſſeſſori adquirit: nam etſi non ex re bona fide poſſeſſoris ei nominatim ſtipuletur, non magis ei adquirit, quam poſſeſſori ſeruus alienus, aut fructuario ſeruus, qui ei non ex re ſua nominatim ſtipulatur, *l. ſed etſi quid.* §. *quæſtionis*, *D. de vſufr. l.* 1. §. 1. *D. de ſtipulat. ſeruor.* Denique fieri nullo modo poteſt, vt liber homo poſſeſſori, quod ex re eius non eſt, adquirat. Quinimo inutilem eſſe ſtipulationem, quam poſſeſſori, quod ex re eius non eſt, ideo adquiri quia ipſi nequeat, verius eſt. Ergo non negatorie in eo §. eſt legendum, ſed hoc modo, *Quod autem ex re eius ſibi adquirere non poteſt: ei adquiſiturum, cui bona fide ſeruit.* Confirmatque hanc lectionem *l. liber homo, D. de ſtipulat. ſeruor.* vbi hominem liberum licet Stichum, qui ſuus eſt, ſibi adquirere non poſſit ex re poſſeſſoris, oſtenditur eum poſſeſſori adquirere, non quidem quia in peculio eius ſit, (hic enim Stichus ſi in peculio eſſet, nulli adquireretur) ſed quia ſi hic liber homo eiuſdem ſeruus eſſet, ſibi quidem non poſſet adquirere, illi tamen adquireret. Qui igitur ſibi non poteſt, alij poteſt.

Cap. II.

Iure Romano in aliena ſilua venari, & alieno lacu ſtagnove piſcari licere.

VT in aliena ſilua vel agro venari & aucupari poſſum, ni dominus prohibeat, *l. 3. D. de adquiren. rer. do.* ita & in alieno lacu vel ſtagno piſcari, *l. iniuriarum, in fine, D. de iniur.* nam eorum animalium, quorum fera natura eſt, tamdiu domini ſumus quamdiu ea incluſa habemus, aut manſuefacta, vt feras, ſi in viuariis habeamus, aut piſces in piſcina, aut aues in ornithone, aut apes in alueo: certe eorum domini ſumus. At ſi in ſilua ſint etiam circumſepta, vel in ſtagno, aut lacu, aut in arbore, quia in naturali laxitate ſunt, noſtra non ſunt Et hoc colligo ex *l.* 3. §. *item feras, D. de adquir. poſſeſſ.* Quæ etſi de poſſeſſione loquatur, & eum qui non ſit poſſeſſor conſequens continuo non ſit etiā dominum non eſſe, natura tamen ferarum hoc exigit, vt amiſſa poſſeſſione & amiſſum dominium dicamus, propterea quod ſtatim atque poſſeſſione noſtra abſceſſerunt, omnibus patent iure gentium. Alia vero eſt manſuetorum animalium cauſa. nec enim amiſſa eorum poſſeſſione etiam dominium amittitur. proinde qui in ſua ſilua aprum, vel ſeruum capit, vel in ſuo ſtagno piſcem: non proprium aprum, vel ſeruum, vel piſcem capit, ſed nunc primum occupatione ſibi eius dominiū parat. Similiter qui in agro Titij aprum vel in ſtagno Titij piſcem capit, non proprium Titij aprum vel piſcem capit, ſed iure gentium aper vel piſcis antea cum, nullius eſſet, in capientis dominium tranſit, vt indicat *l. vſufructuarium, D. de vſufruct.* Hæc Romani prudentes, qui ius gentium propius ſubſecuti ſunt, ita cenſuerunt. mores tamen vbique paſſim ius gentium ſubegerunt, adeo vt ne in flumine quidem publico piſcari neque in agris libere venari, aut aucupari liceat. Eum, vero qui non permiſſu domini in alieno quid horum fecerit, puto nihil ſibi adquirere, idque probare *l. in laqueum, D. de adquir. rer. dom.* quæ aprum qui in plagas incidit, necdum apprehenſus eſt, non aliter meum fieri oſtendit, quam ſi in meo vel in alio permiſſu domini laqueum poſuero, cui ita hæſerit aper, vt diu colluctando ſe expediturus non fuerit.

Cap. III.

Quibus caſibus in re præſenti conuenire oporteat, vt eius ſine traditione naturali proprietas & poſſeſſio adquiratur.

SI rem meam quam tu tenes vel poſſides, tibi vendidero, nemo eſt qui neſciat eam pro tradita haberi. Sed in hac re Accurſius, ceterique ſemiiuriſconſulti duobus ſeipſos erroribus inuoluunt. primum in eo, quod rei venditæ præſentiam etiam exigunt, deinde in definitione rei preſentis & abſentis. Dicunt enim præſentem rem eam, quę ſit in poteſtate emptoris: abſentem, quæ non ſit in poteſtate emptoris. Verum rem præſentem eſſe eam, quæ ſit in præſentia & oculis contrahentium conſtat. & hoc ſenſu in re preſenti vindicare, in re præſenti cognoſcere, & in rem præſentem venire dicimus, & creditorem in re præſenti, id eſt, in ipſa pecunię numeratione conſtituere, in quam cauſam ſolutum velit quod qui ex pluribus cauſis debet, ſoluit, *l. 1. ad fin. D. de ſol.* & nuntiationem in re præſenti fieri, id eſt, in ipſa re, in ipſo loco & opere, *l.* 5. §. *nuntiationem, D. de noui oper. nuntiat.* Rurſus quemadmodum traditis clauibus in horreo vinario vinum repoſitum ita demum traditum videtur ſi claues in re preſenti, id eſt, apud horreum traditæ ſint: itemque columnæ quæ propter magnitudinem loco moueri vix poſſunt, ſi in re præſenti, id eſt, apud columnas contractus habitus ſit: parique ratione vt non per procuratorem etſi procuratori res tradita ſit, ſed ipſemet mihi poſſeſſionem & dominium adquiſiiſſe videar, quemadmodum id exigimus, vt præſens ſit res, quæ me iubente

procuratori meo traditur, *l. 1. §. pen. D. de adquirend. poſſeſſ.* non ita quoque puto, vt à me tibi vendita res mea, quæ apud te eſt, tibi tradita videatur rei præſentiam exigendam. Vbi enim emptor rem tenet, quid opus eſt, quæſo, in rem præſentem conuenire? Itaque ſic ſtatuo, vbi emptor rem non tenet, fictam traditionem non admitti, niſi in re præſenti vterque conſenſerit. Vbi emptor rem tenet, fictam traditionem induci, etiam ſi in re præſenti non conſenſerint: nec enim quibus legibus hoc genus traditionis introducitur, in eis rei præſentis vllum verbum, §. *interdum, de rer. diuiſ. l. ſi rem, in princ. D. de euict. l. ſine. §. 1. D. de public. in rem act. l. ſi ſeruus. in fine, D. de adqui. rer. dominio.* Mouetur Accurſius argumento *l. eius rei, & l. proximæ D. de rei vindicat*, ſed infirmiſſimo. nec enim de poſſeſſore lex loquitur, ſed de eo, qui dolo deſiit poſſidere, atque adeo tanti fuit damnatus, quanti actor in litem iurauerat. hæc enim eſt eius, qui dolo deſiit poſſidere, propria condemnatio, *l. qui reſtituere, D. eod.* Et hunc quidem merito ait, ſi res ſit in præſentia, quando litis æſtimatio præſtatur, rei ſtatim dominum fieri: ſin vero abſit, non ante dominium adquirere, quam eius rei nactus ſit poſſeſſionẽ, quam ſe non facturũ quo minus is nanciſcatur, etiam is cauere debet, vel potius & de poſſeſſore loquitur, nec aliam rei præſentiam exigit, quam vt ab eo poſſideatur qui litis æſtimationẽ ſuffert. nam iureiurando in litem contumacia coërceri poteſt, *l. 2. D. de in lit. iur. l. 5. §. Iulianus, Ad. exh.* & omnis contumacia, dolus eſt.

Cap. IV.

An regula Catoniana pertineat ad hereditates explicatur, & l. 3. de reg. Cat. emendatur.

Regula Catoniana pertinet ad ius antiquum, quo dies legatorum cedit à morte teſtatoris. Ad legem Iuliam & Papiam, quo cedit ex apertis tabulis, non pertinet: & ita iam duobus commentariorum noſtrorum in locis *legem vltimam D. de reg. Caton.* interpretati ſumus rectiſſimè: Eadem ratione regula Catoniana ad condicionalia legata non pertinet, *l. cetera, §. 1. D. de legat. lib. 1.* nec ad ea, quæ ab aditione hereditatis cedunt, cuiuſmodi eſt legatum vſus, vſusfructus, habitationis, legatum ſeruo legato relictum, *l. cum legato, D. quãdo dies leg. ced.* Illud quæritur, an pertineat ad inſtitutiones. Et ſane cum ſicut ad legata condicionalia non pertinet, ita non pertinere eam ad condicionales inſtitutiones reſpondeatur in *l. placet, D. de reg. Cat.* quod ſcilicet in condicionalibus inſtitutionibus ſolum exiſtentis condicionis tempus ſpectetur, *l. liber, §. ſi heres, D. de hered. inſtit.* pertinere, idque aperte definitur in *l. penult D. de diuerſ. reg. iur. antiq. & §. in extraneis. de her. qual. & diff. & in l. ſi à primo, D. de lib. & poſt* & veriſſimum eſt. Directo tamen obſtat *l. 3. D. de reg. Catoniana. Catoniana*, inquit, *regula non pertinet ad hereditates.* Sed, vt breue faciam, quod apud Vlpianum *tit. qui hered. inſt. poſſ.* ſæpe accidiſſe librorum ſcriptoribus oſtendimus, vt libertatis & hereditatis nomina inter ſe confunderent. & alterum pro altero ponerent, idem eos commiſiſſe affirmo in illo loco. Itaque ſic lego, *Catoniana regula non pertinet ad libertates*: cuius ſententiæ ratio apertiſſima eſt, Libertates enim ab adita hereditate cedunt, §. *libertatibus, C. de cad. toll. l. nam cum libertus, D. quando dies leg. ced. l. Iulianus, D. de condic. & demonſtrat. l. qui putat §. fin. D. de adquir. hered. l. qui teſtamento domini, D. qui teſt. fac. poſſunt*: & probatur quoq; *l. generaliter §. ſi homini, D. de fideic. lib. l. ſi priuatus §. vlt. Qui & à quib.* Ideoque mox eo in loco iunguntur libertatibus ea legata quæ poſt aditionem cedunt: *Neque*, inquit, *ad ea legata, quorum dies non mortis tempore, ſed poſt aditam hereditatem cedit.*

Cap. V.

De libertinorum condiciene ſublata.

Vt ingenuorum alij ſunt ciues Romani, alij Latini, alij Dedititj, ita & libertinorum. Ciues plena libertate fruuntur: Latini viuunt vt liberi, moriuntur vt ſerui: Dediticij neque vt ſerui, neque vt liberi viuunt, vmbra tantum quadam libertatis vtuntur, *l. 1. C. de Lat. lib. tol. §. vlt. de ſucceſſ. libert.* Apponam verba Saluiani Maſſilienſis epiſcopi ex lib. 3. ad eccleſ. cath. quibus Ciuitas quam ſit melior Latinitate luculenter oſtenditur. *Meliori*, inquit, *condicione quidam relinquunt libertos ſuos quam tu relinquis filios tuos. In vſu ſi quidem quotidiano eſt, vt ſerui etſi non optimæ, certè non improbæ ſeruitutis Romana à dominis libertate donentur, in qua ſcilicet & proprietatem peculij capiunt, & ius teſtamentarium conſequuntur, ita vt & viuentes, cui volunt, res ſuas tradant, & morientes donatione tranſcribant: Nec ſolum hoc, ſed & illa quæ in ſeruitute poſiti acquiſierant, ex dominorum domo tollere non vetantur. Tantum eis interdum gratiæ patronæ liberalitas impartit, vt etiam iure ſuo detrahat quod libertorum dominio largiatur. Quanto, ô quiſquis ille es infideliſſime pater, quanto domini illi melius cum libertis agunt, quam tu cum liberis? illi, quæ donant perpetuo iure donant, tu temporario: illi teſtamenti faciendi arbitrium dant libertis, tu tollis liberis: illi poſtremo ſuos dant libertati, tu quaſi addicis filios ſeruituti. Nam quid eſt aliud quam ſeruituti addicere quos non vis aliquid quaſi ingenuos poſsidere? More ergo illorum vteris, qui ſeruos ſuos non bene de ſe meritos, quia ciuitate Romana indignos iudicant, iugo Latinæ libertatis addicunt, quos ſcilicet inbent quidem ſub libertorum titulo agere viuentes, ſed nolunt quicquam habere morientes: negato enim his vltimæ voluntatis arbitrio, etiam quæ ſuperſtites habent, morientes donare non poſſunt.* Hæc Saluianus. Nemo autem eſt qui neſciat Latinorum dediticiorumque condicionem eſſe à Iuſtinianiano ſublatam: atque adeo ſicut ex conſtitutione Antonini ingenui omnes qui ſunt in orbe Romano, Ciues Romani ſunt. ita libertini omnes ex conſtitut. Iuſtin, ciues Romani ſunt Plus dico ex Nouel. lis Iuſtiniani, qui & teſtatus pridem fuerat ſibi cordi eſſe ingenuis hominibus potius, quam libertis Rempublicam frequentari, *l. 3. C. de bon. lib.* omnimodo ſublatam libertinorum condicionem videri, *Nou.* lxxviii. Manumiſſos enim ingenuos fieri, non libertinos, maxime ſi manumiſſor ius patronatus remiſerit. Priſcis moribus Francorum manumiſſio vel in eccleſia fiebat ſecundum conſtitutionem Conſtantini, aut potius Ludouici Imperatoris: vel ex lege Salicâ, iacto, vt dicebant, denario: vel per charram ſiue epiſtolam, quomodo etiam regis domeſtici propter reginæ partum ſeruos dominicos liberabant, & inde manumiſſi in Conſt. quadam Pipini alij denariales, alii Chartularii homines appellãtur, idq; in manumittẽdo adiiciebatur, vt ingenui ſtatim fierent, perinde ac ſi ex ingenuis parentibus procreati eſſent. interdum tamẽ ea cõdicione mittebãtur, vt quoad viueret domin⁹ ſeruirẽt ei, poſt obitũ ingenui fierent: quæ omnia ex veteribus Francorum ritibus, & ex decretis Burchardi collegimus, & probat Aſtulphus Rex Longobardorum in *tit de manumiſſ.* Hoc autem recepto, manumiſſione ingenuos fieri, conſequens eſt, vt dicamus etiam ma-

numiſſos cognationem recipere: quod tamen vigente A libertinitate non obtinuit, *l. 7. D. vnde cognat.*

Cap. VI.

Explicatur ſpecies l. qui ſe patris, C. vnde liberi.

IMP. Conſtantinus A. *ad Leontium Com. Orientis. Qui ſe patris*, inquit, *poſt auum inteſtatum defuncti negat heredem, mortui aui paterni ſuſcipere facultates non poteſt, maxime emancipatus, niſi per bon. poſſeſſionem ad huiuſmodi beneficium peruenerit.* Hoc reſcriptum vt obſcurum eſſe exiſtimetur, Accurſij interpretatio facit, quæ nutat vacillatque adeo, vt certi ex ea quid ſtatuas, B vix colligere quicquam poſſis. Mihi huius reſcripti ſpecies apertiſſima videtur. Si poſt mortem aui inteſtati filius delata hereditate priuſquam ſe immiſceret deceſſerit, nepos ex eo dubitari poteſt, an auo heres ſit. Si filius micuiſſet ſe, nihil dubitaremus: nec enim tunc niſi per patrem nepos aui hereditatem obtinere poſſet. At ſi filius non miſcuerit ſe, & deceſſerit, dubitatur, an nepos auo heres ſit. Et ſane ſi patris ſui, id eſt, ſi filij hereditatem ſuſcipiat, ſuſcipiet etiam aui hereditatem tranſmiſſionis iure, quoniam ſui etiam ignorantes parentum hereditatem ad heredes tranſmittunt, *l. apud hoſtes, C. de ſuis & legit. lib. l. 2. §. ſiquis ex liberis, D. ad S. C. Tert.* At ſi nepos nolit filio heres eſſe, an dicemus eum auo ſuum heredem futurum? Minimè vero: idque in emancipato nepote dicemus facilius, quam in eo, qui eſt in poteſtate aui. Sed tamen in vtroque idem iuris eſt quoniã in ſuis heredibus ſucceſſio non eſt, *l. 1. §. ſciendum, D. de ſuis & legit. heredi.* Tempore enim delatæ hereditatis eum filius in ea hereditate præceſſit. At defendi poteſt daturum prætorem ei bonorum poſſeſſionem Vnde liberi. & hoc ſentit in eo reſcripto Conſtantinus, cum ſit poſitum ſub *titul. Vnde liberi*, quod tamen in *Cod. Th.* poſitum eſt ſub *tit. de maternis bonis & mat. gen.* quoniam in ea Conſtitutione reliqua pars quæ amplior, eſt de bonis materni generis, cuius particula relata eſt in *l. 15. C. de iu. del.* neque vero poterit nepos aliter admitti ad ſucceſſionem aui, quam ſi bonorum poſſeſſionem Vnde liberi admiſerit. D nec enim iure ciuili inuitatur. Igitur vt emancipatis omnimodo eſt neceſſaria bonorum poſſeſſio *Vnde liberi*, cognatis *Vnde cognati, l. 2. l. vlt. C. vnde legit.* ita hunc nepotem omnimodo neceſſe eſt ſi velit auo ſuccedere, prætoris beneficio vti. Hanc autem bonorum poſſeſſionem prætor dat non tantum ſuis, ſed etiam non ſuis liberis inſpecta natura potius, quam iure legitimo, §. *emancipatus*, §. *minus, de hered. quæ ab inteſt. defer.* Dicet forſitan aliquis huic nepoti recluſo liberorum iure dari potius exſequenti parte bonorum poſſeſſionem, id eſt, *Vnde legitimi.* ſicut poſt mortem fratris inteſtati fratre ſuperſtite moriente delata necdum agnita hereditate fratris, filium fratris conſtat non admitti ex illa parte, vnde legitimi vocantur, cum ideo non ſit legitimus E quod in legitimis ſucceſſio locum non obtineat, nec detur *Vnde legitimi* niſi legitimis legumve tuendarum cauſa, *l. ſed cum patrono D. de bon. poſſ.* Verum mitti ex parte *Vnde cognati*, §. *placebat: de legit. agnat. ſucceſſ.* Sed hæc diſſimilia ſunt: nam qui nõ ſunt legitimi, poſſunt eſſe cognati. At liberi qui non ſunt ſui, nec ſunt agnati, *l. ſcripto, D. ſi tab. teſtam. nulla ext. l. de bonis*, §. *1. D. de Carbon. edict.* Huic igitur nepoti neque vt ſuo Vnde liberi, neque *Vnde legitimi* dari poteſt: vt nepoti tamen ei bono poſſeſſio *Vnde liberi* datur.

Cap. VII.

De precarij varijs generibus.

PRecarium eſt, quod precibus petenti vtendum conceditur, quamdiu is, qui conceſſit, patitur, *l. 1. D. de precar.* Ex eo nulla eſt actio ciuilis, quia ciuile negotium non eſt. Donatio enim magis eſt quam contractus: ſed precarium reuocare volenti interdictum redditur, quod Precarium appellatur. Immo & incerti condictio, id eſt, præſcriptis verbis datur, *l 2. l. duo.* §. *vlt. l. interdictum, l. & habet.* §. *cum quis, D. de prec. l. eum qui* §. *is qui precario, D. de furtis.* Sed hęc actio eſt ex bona fide magis, id eſt, ex bono & æquo tacitoque negotio contracto, *d. l, 2 ſicut conuentiones*, de quibus *lib. 12. Pandectarum* tractatur, omnes magis ſint ex bono & æquo tacitoque contractu, quam ex negotio geſto. Precarium igitur donationis ſpecies eſt potius, quã contractus. At non tantum is qui ita rem accepit, precario poſſidere dicitur: ſed interdum etiam is, qui conduxit, *l. 2. C. de præſc. xxx. anno.* cum tamen hic non tam precibus quam mercede adhibita ad conductionẽ perueniat, ille ex hac ſolummodo cauſa poſſidet quod preces adhibuit. Et ideo id negotii genus propriè precarium appellatur, à Græcis τῆ χῆ παρέχλησιν. Non tam impropriè dicetur Commodatarius precario poſſidere, cum ſit commodatum precario ſimile: & ideo Saluianus *lib. 1. ad Eccleſ. Cath. Commodatis*, inquit, *à Deo facultatibus vtimur, & quaſi precarij poſſeſſores ſumus.* C Adiecit Accurſius, depoſitarium. ſed errore labitur. nec enim depoſitarius vllas preces adhibet. Nouiſſimè in vſum venit quoddam negotij genus, quod Precaria in decretis eccleſiaſticis appellatur, quod τὴ χρήσεως δόσιν appellare videtur Iuſt. in *No. vii. & cxx.* Id vero quẽadmodum geratur, non ſatis conſtat inter interpretes. Accurſius quoſdã id emphyteuſim interpretari refert, quod quæ mox dicturi ſumus refutabunt: Vitus Amerbachius id cuius nomine interdictum precarium redditur precarias eſſe interpretatur in quadam Caroli cõſtitutione: ſed loquitur Carolus de precariis renouandis: Renouari enim ſingulis luſtris precariæ ſolebant, D idque probatum eſt in concilio apud Beluacum habito cui Ludouicus Imperator interfuit. Precarium autem non renouatur. Rurſus precariæ non reuocantur. Precarium voluntate eius qui conceſſit, reuocatur. In precariis plerunque interuenit merces, in precario non item. Nam ex veteribus contractuum formulis ita precarias fieri didicimus, vt is qui prædia ſua eccleſiæ ceſſit, deinde roget, vt ſibi quoad vixerit, vti eis & frui liceat, quod ex *l. 4. de vlt. volunt. lib. 2. legis Longob.* colligitur. vbi tamen vulgo male legitur *precarium*, cum ſit legendum, *per precarias*, vt eſt in veteribus, quos non ita auerſati ſumus, quin diligenter cum impreſſis contulerimus. Sic autem dabatur vſusfructus vel gratuito vel certis ſtatiſque temporibus, conſtituta mercede certa: & vt poſt mortem ipſo iure cum his omnibus quæ interim acceſſiſſent, prædia ad Eccleſiam redirent, cauebatur. Interdum donata prædia ſimul cum aliis à ſe non profectis donator per precarias recipiebat, interdum ea lex precariis addebatur, vt qui rogaſſet ea, quamdiu actoribus Eccleſiæ placuiſſet, retineret conſtituta mercede, in qua præſtanda ſi moram feciſſet, expelleretur: illud quoque, vt perinde valerent precariæ, ac ſi, vt in aliis locis moris eſt, quinto quoque anno renouatæ eſſent. Et hoc negotij genus audio in Italia frequentari.

Cap. VIII.

His verbis, Genere quodam, *quemadmodum noſtri auctores vtantur.*

IN *l.*10.*D. pro emp.* ſic lego, *& genere quodam venditio inter ſeruum & dominum contracta eſt.* quibus verbis ſignificatur, id negotium de quo ibi agitur, venditioni ſimile ac proximum eſſe. Sic in *l. quod ſeruus*, *D. de ſtip. ſer.* nam & genere quodam donatio eſt. & in *l. Pomp.* D. *de adq. re. do.* nam genere quodam venandi id erant nacti. & in *l. quarundam*, *D. de adq. poſſ.* Vtrubique animi quodam genere poſſeſſio erit æſtimanda. Sic Scribonius Largus medicus antiquiſſimus ad G. Iulium Calliſtum: *Quid poſſum vltra dicere, niſi genere quodam parricidium eos committere?* & alio loco: *Nam & hoc genere quodam ex eadem materia conſtat.* & alio: *Mirum itaque manifeſte quidam iugulantur genere quodam incitata eruptione ſanguinis.* & alio: *Antidotus Apulei Celſi praceptoris quam quotannis componebat & genere quodam publice mittebat Centuripas vnde ortus erat.* *Genere quodam* idem valet quod *Quodammodo.*

Cap. IX.

De ſententia l. transfugam, D. de adq. rer. dom. ſiue de transfugis.

TRansfuga eſt proditor, qui fide mutata ad hoſtes tranſit, *l. poſtliminium*, §. *transfuga*, *D. de capti. & poſtlim.* qui idem dicitur & perfuga, vt ex Ælio Gallo Sext. Pompeius refert. Hic ſuo facto mediam capitis deminutionem patitur, *l. amiſſione*, §. *1. D. de cap. minut.* nec ſi redeat ad ſuos poſtliminium habet, *l. item ei D. ex quibus cauſis maior. l poſtliminium*, §. *transfuga*, *D. de cap. & poſtl.* Maximam vero non patitur: nec enim ſi ſeruus hoſtium, *l. ſi quis tutor*, *D. de tutel.* Quidam dicunt eum, ſi reuertatur ad ſuos, ſeruum fieri. quod falſum puto. namque reuerſis aut ex iuſta cauſa venia datur, *l. non omnes* §. *vlt. D. de re milit.* aut viui exuruntur, aut capite puniuntur, aut vt apud Germanos fieri ſolebat auctore Cornelio Tacito, furca vel arboribus ſuſpenduntur, *l. proditores*, *D. de re milit. l. aut damnum*, §. *hoſtes*, *D. de poenis.* Eadem pœna in hoſtes conſtituitur in §. *hoſtes.* Ait enim, *Hoſtes autem, item transfugæ hac poena afficiuntur, vt viui exurantur.* Sed hoc ridiculum & ineptum eſt. Itaque ſic affirmo in eo § eſſe legendum, *Ad hoſtes autem transfugæ.* vt in *l. ſi quis aliquid.* §. *1. D. eod. tit.* Nuſquam verò inuenies transfugas ſeruos effici poſteaquam ad ſuos redierunt. Extat quidem apud Conſtantinum *lib. 6. Epit.* conſtitutio, Si quis ſemel transfugerit, vt veniam conſequatur: ſi iterum, vt triennio ſeruiat: ſi tertio, vt in perpetuam ſeruitutem diſtrahatur. Sed ea eſt ex Leonis conſtitutionibus. At quia, vt diximus, transfuga ciuitatem amittit, quæſo quî fieri poteſt, vt tutor maneat, quemadmodum traditur in *l. ſi quis tutor*, *D. de tut.* Media enim capitis deminutio tutelas ſoluit. Puto non eſſe hoc per omnia verum, vt ſoluatur tutela tutore ciuitatem amittente. nam deportatione quidem ſoluitur, quoniam deportati nullius certæ ciuitatis ſunt ciues, atque adeo ἀπόλιδες appellantur. At ſecus eſt ſi tutor transfugerit, vel ſi deditus hoſtibus & ab eis receptus fuerit. hic enim in aliam ciuitatẽ migrat. Quod ſi non ciuis teſtamento tutor dari poteſt, *l. etiam non municeps*, *D. de tutel.* cur etiam qui deſinit eſſe ciuis, & in aliam ciuitatem tranſit, datus teſtamento tutor non manebit? Hæc cum ita ſint, quid ſentiat Celſus in *l. transfugam*, *D. de adquir. rer. dom.* videamus, dum ait, *transfugam iure belli recipimus*: nec enim hæc verba ſic accipi oportet, vt fiat transfuga ſeruus noſter vel hoſtium. Rurſus nec ita, vt reuerſus poſtliminio recipiatur, niſi transfugæ appellationem velis eo in loco ad ſeruum reſtringere: nam ſeruus transfuga propter dominum poſtliminium habet, ceteri transfugæ non habent. Verum & aliud eſſe reor ius belli, aliud ius poſtliminii. Eſt quidem vtrumque iuris gentiũ, bellum & poſtliminium. Sed ſeparatur ius belli à iure poſtliminij. Iure belli hoſtes cęduntur, hoſtes capiuntur, iure belli transfugæ quaſi hoſtes interimuntur, *l. 3.* §. *vlt. D. ad leg. Corn. de ſicar.* Q. Curtius *lib. 8.* Perſarum regem occidere volumus, & te transfugam iure belli perſequimur. Iure belli transfuga recipitur, id eſt, eum qui ab hoſtibus deſciuerit, non violato iure belli poſſumus recipere. Nec ex Recipiendi verbo poſtliminiũ ſignificari arguamus. nam vt exules & deditos: ita & transfugas Latine dicimur recipere. Res autem hoſtiles, quæ non bello captæ, ſed apud nos deprehenſæ ſunt, vtputa merces, arma, naues, vt ſubiungit poſtea Celſus, occupanti cedunt, nec fiunt publicæ, ſicut & homines, qui bello ſubito exorto apud hoſtes deprehenduntur, ſuo fato & iure belli occupantium fiunt, *l. in bello* §. *1. D. de capt. & poſtl.* Et hæc eſt meo quidem iudicio ſententia *l. transfugam.*

Cap. X.

Ad appellationem hi qui appellantur, quemadmodum reſpondeant.

IS qui appellabatur, ita plerumque pronuntiabat, iuſte recteve appellatum, aut iniuſte appellatum, aut iuſtam iniuſtamve appellationem videri, vt colligi poteſt ex *l. imperatores* §. *1 l. negotiorum*, *D. de appellatione*, *l. maritus*, *D. de quæſtion. l. chirographis* §. *1. D. de admin. tutor*, *l. 2. D. quando appelland. ſit. l. in ratione*, §. *cum quidam*, *D. ad leg. Falcid. l. intra*, *D. de minor. l. 1. l. eos* §. *1. C. de app. l. qui Romæ*, §. *Seia*, *D. de verobl. l. Oſidius*, *De leg. 3.* & ſententiam conſeruabat, vt *l. vlt. D. quod cum eo*, &c. non confirmabat ita vt vis eius retrotraheretur contra *l. furti* §. *1. De his qui not. inf.* Videtur & hæc nouorum Imper. temporibus inſu fuiſſe formula, *A re bene iudicata temere appellaſti furoris audacia.* Sic enim Optatus Afer ſcribit in lib. de ſchiſm. Donatiſtarum. Ad quam appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpondit, *arbita furoris audacia*, ſicut in cauſis gentilium fieri ſolet. vbi ego illud *arbita* (ſic enim malo, quam vt in quibuſdam editionibus *Orbita*) interpunctionibus ita diſtinguendum eſſe cenſeo *A. R. B. I. T. A.* Vt his literarũ initiis hęc vulgaris formula ſignificetur: *A re bene iudicata temere appellaſti.* Proxima certe locutio, *furoris audacia*, illis temporibus ſępiſſime vſurpabatur, *l. ſi quis in tantam C. vnde vi*, *l. 2. C. de Iudæis, Sarmar.* &c. Cochlæus legit, *O rabida furoris audacia*, rectius, hoc ſenſu, Eone furore ducuntur Chriſtiani vt ſicut gentiles ita ipſi appellent ad principem, nec rebus ſemel iudicatis adquieſcant?

Caap. XI.

Emendatur §. *vlt. l. 2. De interdictis.*

PAulus in *l. 2.* §. *vlt. D. de inter.* datis exẽplis interdictorũ apiſcendę, reciperandę, retinendæ poſſeſſionis: *Sunt*, inquit, *Inter. vt diximus, duplicia tam reciperandæ, quam apiſcendæ poſſeſſionis.* quæ verba mihi magni erroris ſuſpecta ſunt. Moueor, quia Paulus ait, *vt diximus*, quaſi ſupra oſtenderit quædam eſſe in-

interdicta duplicia, tam reciperandæ quam apiscendæ possessionis, quod tamen certe non dixit, sed hoc tantum initio legis demonstrauit, quædam esse interdicta duplicia, veluti *Vti possidetis*, & *Vtrubi*. quibus etiam adiungi potest veluti possessorium quod inter riuales redditur De aqua, *l. 1. § si inter riuales, D. de aq. quot. & æst.* quæ tamen non ideo duplicia appellantur quod sint & reciperandæ & apiscēdæ possessionis (nec enim ad has causas vllo modo pertinent) sed quia in eis vterque tam rei quam actoris partes sustinet, *l. si duo*, §. *1. D. vti possid. l. 1. §. proponitur*, *D. de superfic. §. tertia*, *Instit. de interd.* Tum vero quis hoc fando vnquam audiuit, aut quis hoc animo concepit vnquam, dari posse interdicta tam reciperandæ quam apiscendæ possessionis? Non est difficile studioso omnia iuris prætorij interdicta colligere. Colligat igitur omnia, percurrat, excutiat. Vnum si inuenerit quod tam ad reciperandam quam apiscendam possessionem pertineat, nolo posthac mihi credi quicquam de iure ciuili affirmanti, in quo tot iam annos ita me exerceo, vt adsecutus mihi aliquam videar & docendi, & interpretādi, & respondendi facultatem. Apiscimur quod nunc primū nanciscimur. Reciperamus quod amisimus. Quodamisimus, habuimus. Quod nūc primum adquirimus, non habuimus. Igitur dici hoc nō potest quod amissum reciperamus, idem etiam simul nunc primū apisci: aut quod habere incipimus, & reciperare nos. Sed neq; dari interdictum potest, quod partim ad reciperandam, partim ad apprehendendam possessionem pertineat. denique nullum est interdictum duplex tam reciperandę quam apiscendæ possessionis. Fateor esse interdicta tam prohibitoria quam exhibitoria, *l. 1. §. 1. D. de interdi.* vt interdictum *De liberis exhibendis*, quod licet exhibitorū sit, tamen pro prohibitorio est *l. 3. §. 1. D. de lib. exh.* Esse interdicta tam prohibitoria quam restitutoria *l. 3. §. cum prætor*, *D. ne vis fiat ei, qui in poss. miss. erit, l. 1. §. 1. D. de aqua quotid. & æst.* Nego esse tam reciperandæ quam apiscendæ. Nec pugnantia dico: nam apiscendæ itemque reciperandæ interdicta omnia restitutoria sunt. Hoc igitur dico, non posse dari interdictum restitutorium, quod sit & apiscendæ & reciperandæ possessionis gratia comparatum. Quid igitur? An errasse Paulum dicemus? Quinimo errasse potius librarios transportatis his ex *l. 3.* verbis, *Tam reciperandæ, quam apiscendæ possessionis* in eum *l. 2. §. vltim.* de quo disputamus. Hic enim fuit ordo quia esse debuit. Positis interdictis retinendæ possessionis, Paulus scripsit in hunc modum, *Sunt interdicta, vt diximus, duplicia*: vel, vt legitur in quibusdam editionibus, *Sunt autem interdicta, vt diximus, duplicia.* Id vero dixerat in legis initio, interdicta retinendæ veluti Vti possideris esse duplicia. Sequebatur alia Vlpiani definitio his verbis, *In interdictis tam reciperandæ quam apiscendæ possessionis exinde ratio habetur fructuum, ex quo edita sunt, non retro.* quę verba ideo addita sunt, quia in interdictis retinendæ possessionis fructuum ratio non habetur, sed in restitutoriis duntaxat interdictis, cuiusmodi sunt apiscēdæ & reciperandæ, *l. videamus §. in Fabiana, D. de vi.* Sed ea verba cum essent ab aliquo interprete addita in margine, postea in contextum recepta fuisse, aliena tamen sede, vt dixi, coniecturam facio ex *l. 1. §. ex die*, *D. vnde vi & de vi armat.* (ex quo eam Vlp. definitionem ductam esse vt existimem, verborum & inscriptionum similitudo facit) vbi Vlpianus ea verba non vsurpat, nec profecto in interdictis reciperandæ, quæ duo tantum sunt *Vnde vi & De vi armata*, quamuis fructuum ratio habeatur, huic definitioni locus est, sed in ceteris ait interdictis, id est, in ceteris quæ perinde restitutoria sunt atque *Vnde vi*, ex quo edita sunt, non retro ratio habetur fructuum. Itaque ea potius verba vt omnino expungantur auctor sum.

Cap. XII.

Indicatur lex quædam XII. *tab. de indemnato non interficiendo.*

INauditum, indemnatum, incognita indictaque causa neminem interficiendum esse adeo verum est, vt nec possit pater filium, quem in potestate habet, occidere, nisi præses vel præf. vrbi audierit eum prius, & condemnauerit, *l. 2. D. ad leg. Corn. de sicar. l. 3. C. de patr. potest.* Id autem iuris quod in vrbe etiam tum cum reges essent, fuit, postea relatum in XII. tab. fuisse ex Saluiani Massilienſis episcopi *lib. 8. de ind. & prouid. Dei*, didicimus. *Interfici*, inquit, *indemnatum quemcumque hominem etiam* XII. *tab. decreta vetuerunt.* Itaque dum Augustinus sic scribit *lib. 1. de ciuit. Dei*: *Vos appello leges Iudicesque Romani, nempe post patrata facinora nec quemquam scelestum indemnatum impune voluistis occidi*: eum dicemus *leges* XII. *tab.* intelligere. Videtur autem sumptum hoc esse ex Lycurgi legibus, quæ auctore Valerio *lib. 7. cap. Sapienter dicta aut facta*, de indemnatis supplicium sumi vetabant.

Cap. XIII.

Duo loci Pandectarum valde corrupti emendantur.

PErspicua menda est in *l. 4. D. de S. C. Silan.* dum non natis postumis & vxore substituta mortua antequam ei per S. C. Silan. adire liceret, heredes mulieris Papin. ait ex Constitutione actiones habituros; legendum enim est, *ex substitutione*: nulla enim ea de re prodita est constitutio. Et ita etiam libri quidam scripti habent: Florentini eodem vitio laborant, quo ceteri, qui sunt excusi. Dabuntur autem heredibus ex substitutione vtiles actiones, *l. 3. §. eleganter*, *D. eod.* nec enim ipso iure ad eos transmissa est substitutio. Æque euidens est error in *l. Dini fratres*, *D. de iur. patron.* Proponitur in ea rescriptum D. fratrum ad Quintillios, quod etiam citatur in *l. in seruitutem*, *§. si patroni*, *D. de bon. lib.* & eius summa hæc est, vt colligitur ex eo §. calumniam filij aduersus libertum paternum nepoti ex eo nato nihil nocere, quod in eo rescripto hæc verba, quę rem decidunt, potissimum indicant: nepotem neque ex verbis neque ex sententia legis aut edicti prætoris ex persona vel nota patris sui excludi. At initio rescripti sic proponitur dubitatio, an si pater patris libertum accusauerit per calumniam, nepos contra tabul. auiti liberti bon. possess. petere possit. Quæstio igitur est de auo, decisio de patre, quod stare non potest. Tum vero ita ratiocinor: Non solet auus pater patris appellari, expeditior enim est aui appellatio. & eo maxime loco vt dixerunt auitum libertum, sic si de auo quæsissent, proculdubio dixissent auum, non patrem patris. Præterea cum auitus sit libertus, & eum patronus ipse, id est, auus impune accuset, *l. si filius*, §. *1. D. de fideic. lib.* ineptum est quærere, an quæ in auo ipso, qui accusauit, impunita est accusatio, nepoti noceat. At quia in filio patroni impunita non est, merito dubitatur, an & nepoti ex eo suscepto noceat. Et hoc sane eo rescripto agitur. Quis est igitur, qui non videat eo in loco expungendam esse vocem, *patris*, vt superfit tamen altera, nempe *pater*? Sed vt omnis scrupulus discendi studiosis eximatur, velim id quoque in ea *l. Diui*, obseruent, proposito rescripto Diuorum fratrum Vlpianum idem omnino quasi nullum ea de re extaret rescriptum ex se quærere, & in Iuliani, quæ etiam rescripto probatur, sententiam ire. quæ res vt scilicet diuersæ quæstiones tractari viderentur non eadem, illum quem correximus errorem (vt opinor) peperit. Et forsitan per-

uerſo ordine nobis ea ex Vlpiano vt pleraque alia, Tribonianus tradidit. Prius enim erat quæstionem ex ſe proponere, deinde reſponſionem & reſcriptum.

CAP XIV.

Legem vltimam, D. de lege Pomp. de parricid. non ad eum titulum, ſed ad tit. de S. C. Silaniano pertinere.

CRimina fere omnia xx. annorum præſcriptione tolli Imperatores aiunt in *l. querela, C. ad leg. Cor. de fal.* & Conſtantinus probat his verbis *lib.* 1. *Epit.* ὅτι τὰ ἐγκλήματα εἰκοσαετίᾳ σβέννυνται. Idcircoaiunt, *ferè*, quoniam quędam ſunt crimina, quę quinquennij præſcriptione tolluntur, vtputa quæ deſcendunt ex lege Iulia de adulteriis coërcendis, *l. mariti*, §. *hoc quinquennium, D. ad leg. Iul. de adult.* Item quæ ex lege Iulia peculatus, *l.* 7. *D. ad leg. Iul. pecul. & ex S. C. Silaniano, l. in cognitione, D. ad S. C. Silan.* Nulla autem alia eſſe exiſtimo, quæ non vicennij præſcriptione tollantur: quod enim dicitur de crimine ſubditi partus in *l. qui falſam, D. ad leg. Cornel. de falſ.* ſub hac exceptione accipiendum eſt, niſi vicennium præterierit, quæ quidem de crimine falſi conſimili ſententiæ etiam ab Imperatoribus adiicitur *d. l. querela.* Ergo licet mulier adulterij nõ poſſit poſt quinquenniũ accuſari, vel poſt ſex menſes vtiles, ſubiecti tamẽ partus accuſationi illæ præſcriptiones mulieri nihil proſunt. Et hæc proculdubio eſt ſententia Pauli in *d. l. qui falſam.* reſpicit enim ad adulterium ſubiectioni adfine crimen, dum cimini ſubiecti partus nullam præſcriptionem opponi ait. Quo autem reſpiciat idem Paulus in *l. vlt. D. de lege Pompeia.* non video. Verba legis hæc ſunt. *Eorum, qui parricidij pœna teneri poſſunt, ſemper accuſatio permittitur.* Numquid enim eſt aliud parricidio adfine crimen, quod quinquennio, aut triennio, aut decennio excludatur, vt eandem præſcriptionem accuſationi parricidij obiici non poſſe admonere neceſſe ſit? Quod ſi quis contendat nihil tale etiam ſpectari oportere, & hanc Pauli ſententiam eſſe, parricidij crimen non excludi præſcriptione vicennij, id quoque non admittam. nam licet quædam ſint crimina, quæ minori tempore finiantur, nulla tamen quamuis grauia & Reip. perniciosa vltra vicennium porrigi certa auctoritate confirmari poteſt. Sed & de crimine parricidij Paulus non loquitur. Ait enim, *Eorum qui parricidij pœna teneri poſſunt*, non ait, *qui parricidij pœna tenentur.* Quamobrem mihi ita videtur vitiatam eſſe inſcriptionem eius legis de qua agimus: reſtituendam autem eſſe ex *l. in cogitatione, D. ad S. C. Silan.* in qua eadem omnino verba ſunt, nec ad crimen parricidij, ſed ad accuſationem contra S. C. Silanianum apertarum tabularum eius, qui à familia occiſus eſſe dicitur, referuntur. Hac enim accuſatione extranei heredes quinquennio liberantur: hi parricidij pœna teneri poſſunt, non item. Et ideo illinc eruta verba male Tribonianum ad titulum de lege Pomp. tranſtuliſſe ſatis liquet, & eo liquet magis, quo quis attentius locos ſuperiores diſputationemque noſtram examinauerit.

CAP XV.

A quo magiſtratu detur bon. poſſeſſio, explicatur: & Valerij Maximi complures loci purgantur.

DAre bonorum poſſeſſionem eſt iuriſdictionis ſiue imperij mixti, *l. imperium, D. de iuriſdict. omn. iud.* Dat eam Prætor in vrbe, Præſes in prouincia, non duumuiri, *l. ea quæ, D. ad municipalem.* A præfecto vrbi bon. poſſeſſionis datæ exemplum eſt apud Valerium *lib.* 7. *cap. De teſtamentis quæ reſciſſa ſunt.* Refert enim exheredato patri à filio in adoptionem dato G. Calpurnium præf. vrbis reſciſſo filij teſtamento ab inteſtato bonor. poſſeſſionem dediſſe quod certe non eo quidem apud me nouum eſt, quia ob exheredationem patris reſciſſum fuerit teſtamentum filii in adoptionem dati, quandoquidem & is filius viciſſim ſi exheredatus fuiſſet, de inofficioſo teſtamento patris iure experiri potuiſſet: ſed quia præfectum vrbi ait bonorum poſſeſſionem dediſſe. Hoc enim iuris auctoritate caret: At certe apud Valerium in libris veteribus ita legitur, *Egregia G. quoque Calpurnij Piſonis pr. vrb. conſtitutio.* quod ego qui memineram G. Calpurnium Piſonem Prætorem non Præfectum vrbi fuiſſe, nec vſquam à Præfect. vrbi bon. poſſeſſionem datam legeram vel audieram, valde ſtatim comprobaui. Sunt vero in eo auctore & alia errata quamplurima, ex quibus ea potiſſimum in hoc loco notabo quæ ad ius noſtrum pertinere videntur in *lib.* 5. *cap. de ingratis* loquens de Cimone Milciadis filio, *Hanc*, inquit, *hereditatem paternam maximi ducis filius, & futurus ipſe ſuæ etatis dux maximus ſolam ſecreuiſſe, catenas & carcerem gloriari potuit.* vulgo legitur, *ſolum ſeſe ſortitum*: quæ verba ſuppoſita sũt ab his qui hereditatem creuiſſe quid eſſe ignorabant, quod latet nunc neminem, mirorque id neſciſſe Eraſmum in illo Prudentii loco, *Teſtator & ſator iubet Adire regnum & cernere.* In *lib.* 7. *cap.* 2. *AM.* inquit, *Luctatio Pithia ſplendido equite Rom index aditus*, legendum, *additus*, vt & *lib.* 8. *cap.* 2. *de qua re G. Aquilius index additus:* quod probaui *lib.* 4. *Inſtitutionum tit. de offic. ind.* vel potius vbique, addictus. Addicere enim eſt dare, vt addicere bon. poſſeſſionem in 2. *Ver.* & addicere litem in XII. *tabulis* quod alii dare litem. Idem tamen eodem capite, *M. Portium*, inquit, *Catonem inclyti Catonis patrem arbitrum cum Claudio addixit quidquid ſibi dare facere oporteret ex fide bona*, pro quo M. Tullius dixit, adegit arbitrum *l.* 3. *Offic.* vt in *Orat. pro Roſcio Com. Cur non arbitrum pro ſocio adegeris Q. Roſcium*, & in Topicis, *Finibus regundis & aquæ pluuiæ arcendæ adigere arbitrum.* Sic enim libri veteres habent, non *adiicere.*

CAP. XVI.

Explicatur initium l. 3. *D. de bon. poſſeſſionib.*

VLpianus in *l.* 3. *D. de bon. poſſeſſ. Bona autem*, ait, *hic, vt plerumque ſolemus dicere ita accipienda ſunt, vniuerſitatis cuiuſque ſucceſſionem, qua ſucceditur in ius demortui.* Quæ verba nemo recte adhuc, quod ſciam, interpretatus eſt. Animaduerti autem veteres interdum dixiſſe, Hereditatis poſſeſſionem, non bonorum poſſeſſionem, & ita ſæpiſſime loquutus eſt M. Tullius. Plerumque autem, vt Vlpianus ait, ſolemus dicere, Bonorum poſſeſſionem. Idem tamen poſtea vtrumque vſurpat in §. 1. *Hereditatis autem*, inquit, *bonorumve poſſeſſio*, ex quo loco hæc quæ ſequuntur, *Denique etſi nihil corporale ſit in hereditate, attamen recte eius bonorum poſſeſſionem agnitam Labeo ait*, manifeſto perſpicitur ita eſſe reſtituenda vt addita diſiunctione legamus, *attamen recte eius bonorumve poſſeſſionem.* Nec vero vnquam dixere, Hereditatis bonorum poſſeſſionẽ, ſed vel Hereditatis poſſeſſionem, vel Bonorum poſſeſſionem, plerumque autem, id eſt, frequentius Bonorum poſſeſſionem. Ambroſius tamen *lib.* 1. *de Caim & Abel, Teſtamentum*, inquit, *eſt quo defertur bonorum hereditas.*

CAP. XVII.

Explicatur l. cum societas, D. pro socio.

AQuo tempore iuri ciuili operam dare cœpi, nulla me lex diutius torsit quam *l. cum societas, D. pro socio*, nec plane etiam nunc audim dicere eam à me legem intelligi. afferam tantum probabilia quædam. Ait Vlpianus, *Cum societas ad emendum coiretur, & conueniret, vt vnus reliquis nundinas, id est, epulas præstaret, eosq; à negotio dimitteret: si eas eis non soluerit, & pro socio, & ex vendito cum eo agēdum est.* Primū omnium vti nūdinæ pro epulis accipi possint, non video. Tum quid sit, à negotio dimittere, non intelligo. Deinde quod obscurius est non solutis epulis, quorsum detur actio ex vendito, & ei ob eam causam qua ratione locus esse possit, adsequi nullo modo possum. Postremo quia in aliis editionibus ita legitur, *Cum societas ad emendum coiretur, & conueniret, vt vnus reliquis nundinarias epulas præstaret, eosque ad negotium dimitteret*, vtra sit lectio verior, subsisto. Ad hanc tamen posteriorem procliuior sum. nam & Cicero pro Rabirio Postumo, in negotium mittere, eodem sensu dixit, & in Paradoxis ad defenerandas diripiendasque prouincias dimittere, & simili forma Vlpianus *in mercedem mittere* in *l. quæsitum §. si aliqua D. de instruc. vel instrum. leg.* Gellius *l. 5. Adolescentem victus quærendi gratia in mercedem missum.* Tertullianus *lib. de virg. vel. Masculum à duobus amplius ad negotia mittunt.* Inita igitur ad emendum societate, conuenit inter socios vt vnus nundinarias epulas præstaret, reliquos in negotium mitteret. Hi negotiati sunt, non soluuntur epulæ, habent in eum qui epulas non præstitit, ex lege societati addita actionem *Pro socio*: actionem *ex vendito* ipsi non habent. Hæc enim venditori datur: nihil autem ipsi socio vendiderunt. Rursus *ex empto* actionem non habent. Ipsis enim is, qui epulas præstare debuit, nihil vendidit, vt frustra Accursius exponat, *Ex vendito*, id est, *ex empto*. Igitur *Pro socio* dumtaxat actionem habent. Puto tamen eum, qui vendiderit his qui in negotium missi sūt, dum vnus epulas parat, non in eos tātum qui emerunt, sed in eum etiam qui epulas præstare debuit, quasi & ipse emisse videatur, qui hac de re societate contracta socios in negotium misit, ex vendito actionem habiturum, & hanc esse sententiam *l. cum societas*. Nec enim qua fini datur actio *Pro socio*, eadem atque adeo nec eisdem actio *ex vendito* datur. Similiter vero & venditori non in eum dumtaxat, qui alterius mandato emit, sed & in eum, qui mandauit, *ex vendito* actio competit, *l. Iulianus, §. si procurator, D. de act. empt.*

CAP. XVIII.

Quid sit Chartiaticum in l. Diuus, D. de bon. dam. quid pulueraticum in constitutionibus quibusdam.

EX ratione pannicularia officialibus chartiaticum præstari Vlpianus scribit in *l. Diuus, D. de bon. damn.* Ita enim legitur in *P. Florentinis*: quam lectionem confirmant hæc Zonaræ verba in Nicephoro, ἐπόπας προσάλλετο ὁπόσοιπερ ἐπαύξειν σφᾶς τὰ δημόσια. ἀπαιτεῖσθαι δὲ καὶ ταῦτα χαρτιατικὸν ἐπὶ τῇ νομίσματι δύο κεράτια. Est vero chartiaticum id quod quasi pro chartis officialibus datur: sicut Cerarium quod quasi pro cera apud Ciceronem: sicut pulueraticum siue pulueratica honorarium, quod quasi pro labore & puluere agrimensoribus datur, in Const. quadam Theodosij & Valentiniani, quæ apud Frontinum extat. quo nomine etiam à præsidibus singulas prouinciæ ciuitates obeuntibus prouinciales exigebantur. sed abolitum est, Nou. Leonis & Maioriani de Curialibus, de qua intellexit Cassiodorus *lib. 12.* Var. dum ait, *Pulueratica quoque iudicis funditus amputantes, trium tantum etiam dierum præsulibus annonas præberi secundum vetera constituta decernimus.* Sic pulueratici nomine bini solidi dantur seruis, qui se militiæ offerunt in *l. 16. C. Theod. de tironibus.*

CAP. XIX.

Explicatur l. 7. C. de reuoc. donat.

QVædam sunt actiones in personam, quæ non pecuniæ, sed vindictæ tantum persecutionem habent: & ideo heredi vel in heredem non dantur. Huiusmodi est actio iniuriarum, *l. 2. §. emancipatus, D. de collat. l. si eum, §. iniuriarum, D. si quis caut.* & actio de moribus, *l. vlt. C. Theod. de incest. nupt.* Eiusdem ego generis etiam opinor esse eam actionem personalem, qua mater ab impijs & ingratis liberis donationem reuocat, de qua in *l. 7. C. de reuoc. donat.* lex enim ait ita personalem eam esse, vt vindicationis tantum habeat effectum, nec in heredem detur, nec tribuatur heredi: vbi vindicationem pro vindicta siue vltione accipio. Hac enim actione mater suam iniuriam vlciscitur potius, quam rem persequitur. ET vulgo male eo in loco vindicatio accipitur pro actione in rem. Dari namque potest actio mixta tam in personam, quam in rem, nulla tamen dari potest actio in personam, quæ actionis tantum in rem habet effectum. Denique non hic est effectus actionis in rem, vt nec heredi, nec in heredem detur. nam & heredi petitoris & in heredem possessoris eam dari quodammodo constat. At ea actio, qua reuocat mater donata ingratis liberis, nullo modo heredi vel in heredem datur. Effectum igitur vindicationis tantum ideo habere dicitur, quod vindictam tantum persequatur, non pecuniam: atque ita similis est iniuriarum & de moribus actioni actio.

CAP. XX.

De boue aratorio Imp. Constantini duo singularia constituta.

NE agrorum culturæ boues abstraherentur, inuenio Imp. Constantinum duo constituisse. Primum, vt ne ob ciuilia debita boues aratorij pignori caperentur *l. executores, C. quæ res pign. oblig. poss.* quæ lex sumpta est ex *Cod. Theod. li. 2. tit. 30.* & in eo quidem nihil de boue aratorio siue Basilienſem siue Parisienſem editionem consulas: sed, vt Anianus indicat, & compluria Cod. Theod. exemplaria, quæ in manus nostras peruenerunt, legendum sic est vt in Cod. Iustin. *seruos aratores aut boues aratorios.* Quod amplius est de instrumento aratorio in Cod. Iustiniano additum à Triboniano videtur, qui etiam *intercessores* eo in loco interpretatus est *executores* vt in *l. ne quis, C. de offic. rect. prouinciæ.* Eadem vero ratione Attica lege mactari boues aratorios non potuisse Ælianus refert variæ historiæ *lib. 5.* his verbis: βοῦν ἀρότου καὶ τοῦτο ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἀμάξῃ μηδὲ τοῦτον θύειν, ὅτι καὶ ἔτος εἴη ἂν γεωργὸς καὶ τῶν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. Et Plin. *lib. 8.* Iudicio Pop. Rom. in exilium actum eum, qui bouem aratorium occiderat, & ex Varrone socium laboris & agriculturę & quasi colonum occidi, dum bos occideretur: quo spectat etiam Constitutio quædam Valentis, cuius meminit Hieronymus *lib. 2. aduersus Iouinianum. Imp. Valens*, inquit, *nuper legem per Orientem dederat, ne quis vitulorum carnibus vesceretur, vtilitati agriculturæ prouidens.* Deinde id eodem fere tempore Constantinus sanxit, ne boues aratorii etiam

deficientibus his, qui cursui publico destinati sunt, ab his qui iter faciunt, abstrahantur, *l. 1. C. Theod. de cursu pub. ang. & parang.* Iter fit plaustris & vehiculis, hisque iunguntur boues, non tamen aratorij Aristot. *in Oecon.* de boue aratorio scribit in hunc modum, Βῶς ἀντὶ οἰκέτου τοῖς πένησιν ἐστίν.

Cap. XXI.

Emendatur l. post dotem, D. solut. matrimonio.

SI pater post dotem datam & nuptias contractas stipulatus sit voluntate filiæ, diuortio facto dotem reddi, recte stipulatus est, *l. quotiens, D. solut. matrim.* Est igitur patris propria repetitio dotis, denique est vtilis repetitio atque efficax. Pugnat tamen cum hac sententia *l. post dotem, D. eod. tit.* quæ patrem post dotem datam & nuptias contractas stipulantem voluntate filiæ, diuortio facto dotem reddi, ac deinde secuto diuortio viua filia agentem, ait exceptione summoueri, idque iniquum videtur. Recte enim stipulatus est. Quæ interpretes de eius legis sententia scripserunt, non recitabo. nec enim digna sunt opera nostra. πάντα μία κόνις. Hoc tantum dico laborasse eos in loco valde corrupto, quem Græci nobis conseruarunt. namque ex βασιλικῶν libris duobus in locis sub eodem titulo, Græcos ita legisse constat. Post dotem daram & nuptias contractas stipulatus est pater sine voluntate filiæ diuortio facto dotem dari. Perperam igitur stipulatus est: & tamen si filia post diuortium decesserit, conualescit stipulatio. At si viua filia agat pater ex stipulatu, summouebitur exceptione, si non stipulatus est sine voluntate filiæ, argu. *l. si procurator meus*, §. *1. D. de procur.*

Cap. XXI.

Quemadmodum concilianda sit l. si quis officium, D. de rit. nupt. cum l. 1. C. si rector pro. vel ad eum pertin. sponsalia ded.

PRæses prouinciæ ex eadem prouincia vxorem ducere non potest, sponsalia contrahere non prohibetur. Quod si per sponsam stet quo minus post depositam administrationem nuptiæ fiant, quæstionis est, an arrarum datarum nomine in quadruplum vel in duplũ sponsa teneatur. Fuit olim pœna quadrupli, *l. 1. C. Th. si rector prou. vel ad eum pert. l. 1. C. Theod. si nupt. ex rescrip. pet. l. 6. C. Theod. de sponsa. & ante nupt. donat.* Hodie constituta est dupli, *l. vlt. C. de sponsal. & arris sponsal.* Sunt & certi quidam casus, quibus simplum tantummodo redditur, vt si sponsa minor xxv. annis nondum impetrata venia ætatis arras acceperit, nec perdiderit. Item si non per sponsam stet, sed per legem aliquam aut Constitutionem, quæ nuptias prohibeat. Item si sponsa iustam aliquam recusationis nuptiarum causam habeat, *d. l. vlt.* Item in proposita specie si quis in ea prouincia, in qua administrabat, sponsalia contraxerit & arras dederit, licebit sponsæ post depositam administrationem impune nuptias recusare, simplis tantummodo arris, quas accepit, sponso redditis. & ita Paulus scribit in *l. si quis officium, D. de rit. nupt.* Contra Impp. constituerunt in *l. 1. C. si rector prouinc. vel ad eum pert. sponsa. ded.* ne arras quidem inuitam sponsam quas acceperit reddituram. Hæc ne videantur contraria esse, non efficient Latinorum interpretationes. Primum enim quod dicunt in constitutione durante administratione sponsam recusasse nuptias, vt commentitium, & nugatorium est: frustra enim durante administratione recuso quas contrahere nec si velim possum, sicut frustra repudio hereditatem, quam adire non possum. Dicendum igitur & in constitutione post administrationem recusari nuptias, quo tempore mutuo consensu perfici iure potuissent, *l. eos qui, D. de rit. nupt.* ideoque dubitari, an mulier incidat in pœnam legitimam. Deinde quod aiunt in Constitutione præsidem prouinciæ sponsalia ab inuitis extorsisse, non etiam in ea specie quam Paulus tractat, æque falsum & vitiosum est. Mutauit enim mulier voluntatem, vt constitutio ait. Inuita igitur non contraxit sponsalia. denique, nisi specialiter dicatur, vis, metus, impressio nulla vsquam affingenda est. Equidem si præstat magis probabiliter comminisci aliquid, quam id quod verum est fateri, Constitutionem in ea re ius vetus abrogare, sequi malo Cyrilli Græci interpretis traditionem, qui notat Constitutionem loqui de præside prouinciæ, de præsidis filiis, nepotibus, propinquis, domesticis, quibus tamen ipse præses in constituendis sponsalibus operam nauauerit. Item de participibus præsidis, quos recte Tribon. interpretatus est consiliarios, id est, adsessores. quædam enim præsidis pars videtur adsessor, *l. omnis, C. Theo. de his quæ adm. vel offic. pub. ger. trad. sunt*: sententiam autem Pauli loqui de his, qui officium in prouincia administrant, id est, de officialibus, qui vt præsidibus longe inferiores sunt, ita eorum quoque facta leuiora iudicantur. At præsides etiam ipsi passim officium in prouincia administrare dicuntur. & recte Harmenopulus officium interpretatur ἐνέργειαν πνὰ τῆς ἀρχῆς.

Cap. XXIII.

Explicatio l. Babius, D. de pac. dot.

QVa ratione vulgare pactum dicitur in *l. pactum, C. de pign. act.* eadem opinor dici in *l. Babius, D. de pact. dot.* quod scilicet in danda dote filiæ nomine hæc vulgo soleret adiici pactio, *Si in matrimonio filia sine liberis decesserit*, de hac enim pactione intelligendam esse *legem Babius*, explicata eius specie liquido constabit. Marcellus Marullo filiæ nomine dotem promisit, ea tamen lege, vt ne eam Marullus constante matrimonio peteret: Cuius pacti hic est sensus, vt ne Marullus à Marcello petat. Est igitur in personam non in rem: nã si in rem tale pactũ accipiatur, contra dotem & inutile est. Siue igitur dixerit ne petatur se viuo, siue ne petatur cõstante matrimonio, personale pactum est. sed etsi hęc duo coniunxerit, Ne se viuo, neve constante matrimonio, nõ dicemus posteriorem partem priore vberiorem esse, quinimo vberior est prior pars quã posterior, *l. cum pater, D. de pact. dotal.* nam viuo se etiam soluto matrimonio peti non potest. Se tamen mortuo, etiam constante matrimonio ab heredibus peti potest. Igitur pactus est Marcellus ne se viuo constante matrimonio petatur. ideoque mox adiecit, se mortuo forte adhuc manente matrimonio petita dote, vt si postea mortua esset filia in matrimonio sine liberis partem retineret Marullus, partem Marcelli filio restitueret. Et hæc ita fieri stipulati sunt. Decessit porro Marcellus constante matrimonio filio instituto & filiæ per fideicommissum relicta vniuersa dote. Potuit Marullus à filio Marcelli statim dotem exigere, *l. ob res*, §. *vlt. D. eod. tit.* non tamen exegit. Interim vero solutum est matrimonium, non quidem morte filiæ, sed diuortio. Non est igitur Marullo integrum dotem petere & fideicommissi petitio ex paterno testamento mulieri competit. At finge, mulierem decessisse, & ex eo matrimonio susceptam filiam vna cum fratre ex equo heredẽ scripsisse, & hac coniectura Marullum solidam dotem à Marcelli filio petere, quod totam dotem existentibus liberis videatur voluisse Marcellus dari, qui liberis non existentibus partem dari cauisset, *l. inter*, §. *cum inter, D. eod. tit.* De ea re, vt de aliis solet, contesta-

talis est apud prætorem. Petit vero vniuersam dotem Marullus ex stipulatu, id est, ex pacto stipulatione confirmato, non quidem expresso, sed tacito. Heres Marcelli exceptionem opponit ex illa vulgari eiusdem pacti clausula, *Si in matrimonio sine liberis decesserit*, quæ non continet casum diuortij. Denique in casu mortis, id est vulgari casu admittit argumentum taciti pacti, quo Marullus nititur, non in casu diuortij. In hac autem specie, diuortio facto, non morte filiæ solutum est matrimonium. Itaque Marullus neque post diuortium ab vxore dotem petet, neque ea mortua ab herede eius: quia nec ipsa dotem promisit, nec promissori successit. Sed neque superiori argumento fretus ea viua vel mortua dotem petet ab vxoris fratre quasi herede soceri, id est, promissoris. Quia tamen vxor filiam ex eo matrimonio susceptam vna cum fratre ex æquis partibus heredem scripsit, vxori autem ex paterno testamento iure fideicommissi vniuersa dos debetur, Marullus quasi heres vxoris per filiam dimidiam partem dotis petet ex causa fideicommissi. Fideicommissum in ea lege vocat Tryphoninus, quod ante prælegatum appellauerat. Notum enim est in libris nostris legari appellatione sæpissimè fideicommissum significari, fideicommissi vero legatum nunquam. Quod si legati, & prælegati nomine fideicommissum significabitur. Ideo autem prælegatum appellauit, vt in Basilico Stephanus notat: quod sit ei quodammodo sua res legata. Est enim dos proprium patrimonium filiæ: eademque ratione peculium seruo vel filio prælegari dicitur, *l.* 1. §. *si seruus*, *D. de except. rei vend. l.* 10. *l. vlt. D. de pec. leg. l.* 3. §. *cum igitur*, *D. de statul.* & obligatio debitori, *l. non solum*, §. *penult. D. de lib. leg.* Prælegare igitur est alteri rem iam quodammodo suam legare.

Cap XXIV.

Explicatio l. filiusfamil. D. si tab. testam. nullæ ext. & l. filijs, C. de inoff. test.

Filiusfamilias à Titio institutus est, qui & quasi proximus cognatus subducto patre vel omittente successionem ab intestato ei succedere potuit. Institutus autem est sub condicione emancipationis, quæ condicio in eius potestate non est, nec cogitur eam pater implere. Igitur propter hanc condicionem ex testamento filiusfamilias cognato cum effectu succedere non potest, quo fit, vt si patre consentiente, id est, repudiante successionem intestati, ab intestato quasi proximus cognatus bonorum possessionem agnoscat, propter legatorum causam recte Papinianus responderit eum in edictum non incidere, *l. filiusfamilias, D. si tab. test. nullæ ext. l. Mater*, §. 1. *D. si quis omiss. causa test.* nam etsi potuerit pendente condicione bonor. possess. sec. tabul. amplecti, futura tamen hæc erat sine re, propter condicionem non impletam. In edictum vero is demum incidit, qui rem, quam habere potuit, omisit. Ergo agnita bonorum possessione ab intestato non timebit edictum pater, cui omne possessionis emolumentum adquiritur. Verum hæc ita non procederent, si filiofam. cognatus substitutum dedisset, vt Græci recte notant lib. 45. Βασιλικῶν, *tit.* 1. vel si adiectum coheredem habuisset: nam & à coherede sustineretur testamentum. & hæc est species *l. filiis*, *C. de inoffic. testam.* quod ex mentione in ea facta inofficiosi querelæ perspicuè apparet. Nec enim de danda querela inofficiosi aliter quæritur, quam si ab aliquo ex testamento adita sit hereditas. Ergo his duobus casibus ab intestato filiusfam. non veniet, sed neque ex testamento, nisi condicio emancipationis impleatur. Petita autem interim à filio vel à patre, filij nomine bonorum possess. sec. tab. erit sine re. namque condicione non impleta rem coheredi restituet pater. Interpretes neutro in loco hæc viderunt. Memini vero, nec vnquam obliuiscar Petr. Fabrum, priusquam ex studiis iuris, in quibus communiter versabamur, ad Senatoriam dignitatem, quam nunc summa cum laude sustinet, ascendisset, inter cetera, quæ mecum sæpe disputando ex eius ore probitatis pleniissimo dicta prodibant, id quoque me de sententia *l. filiusfa. & l. filiis* excepisse, quod ante proposui, quo neque dici elegantius, neque inueniri acutius quicquam potest. Quid autem sit bonorum possessio cum re vel sine re, in *tit. quib. modis testam. infirm.* exposuimus *lib. 2. Institutionum.*

Cap. XXV.

Quid sit hyperocha in l. quærebatur, D. qui pot. in pig. hab.

Nondum fortasse quisquam adnotauit in *l. quærebatur, D. qui pot. in pig. hab.* Pandectarum Florentinarum auxilio pulcherrimè restitutam vocem, Hyperocha; pro qua antea perperam legebatur, Hypotheca. Est vero digna res, cuius studiosi admoneantur, vt vel hoc exemplo commoti vulgatas receptasque lectiones non vtique semper tueantur nimis. Proponitur eo in loco quidam duobus creditoribus non quidem eundem fundum, sed priori fundum, posteriori ὑπερόχην eiusdem fundi pignori obligasse: & id esse hyperocham manifesto indicatur, quod plus est in pretio fundi, quam in prioris credito, vt si prior crediderit lx. fundus autem sit lxxx. fundi hyperocha est xx. & hæc posteriori obligata est. Obligatio quidem pignoris & obligatum pignus dicitur. Hypotheca pignoris non item. Itaque contra consuetudinem loquendi antea legebatur, *hypotheca pignoris*. Gaudendum vero est quod hanc vocem Pandect. Florentini integram retinuerint, cui parem Latinam qua idem proprie demonstretur vix inuenias. Galli dicunt, *plus valuë*.

Cap. XXVI.

Mercedis, quæ in locatione & conductione interuenit, appellationes variæ.

Non tantum in emptione & venditione, verum etiam in locatione & conductione interuenit pretium. Arra autem in emptione tantum interuenit, non in locatione. Vt autem pretium, ita & arram emptor dat, non venditor: & in sponsalibus sponsus non sponsa. Fallitur enim Accursius in *l. vlt.* §. *penult. C. de sponsalib. & arr.* qui & ab sponsa arram dari putat. In locatione autem & conductione modo pretium dat locator, modo conductor, vt ostendimus *Obseruat. lib. 2. cap.* 28. Pretium dicitur in *l. si quis ante*, D. *de adquir. possess. l. vlt.* §. *vlt. D. de lege Rod.* Et in tit, locati sæpissime, quod alias merces, alias pensio, alias reditus siue redactus. Atque de prædiis tantum pensio dicitur, reditus vel redactus. Pretium & merces etiam de operis. Græci proprio nomine mercedem habitationis ἐνοίκιον appellant, mercedem operæ μισθὸν. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. τῷ μὲν ναυκλήρῳ δοθείσης λέγεται ναῦλον· τῷ δὲ τελώνῃ τέλος· καὶ ἐνοίκιον μὲν, τῷ σταθμέχῃ· μισθὸν δὲ τῷ διδασκάλῳ· καὶ τῷ παράκοντι, ἀρραβῶνα. Sed & στρονόμιον mercedem habitationis, quæ ab inquilino datur, appellat Iustinianus in *Nouel. xliij. & lxxxviij. & cxx.* & Harmenopulus *lib.* 3. ὑποτομῶν, *tit.* 8. Priorem illam vocem, ἐνοίκιον, in Theophrasto & Plutarcho in eadem significatione obseruauit Pet. Victorius *Var. lect. lib. 16. cap. 11.*

CAP. XXVII.

Quid sint Poliptici in Constitutionibus quibusdam Cod. Theodosiani explicatur, & Vegetij locus emendatur.

POliptici non sunt chirographa vel apochæ, vt male Alciatus tradit παρέργων *lib. 3.* sed rationes siue ἀποσεσημειωμένα publica *l. 2. C. Theod. de discuss. l. 13. C. Theod. de ind. deb. & ideo in l. 2. C. de discuss. ratiociniis publicis, id est, polipticis.* Sic plerumque solet scribi, quanquam si origo spectetur scribendum sit polyptychis. Id namque ex eo tractum est nomen, quod eæ chartæ publicæ πολλὰς ἀποκλείσεις οἷον πύχας habeant, qua forma & diptycha dicuntur in *l. 1. C. Theod. de exp. ind. & l. 7. C. de summ. trinit.* & in actione xiiij. Chalced. concilij & in quintæ synodi Act. iiij. & in antiquo interprete Horatij qui tabellas interpretatur epistolas diptychas. Sudas, δυπτύχια, δύο πτυβόλαια ἔχοντα, ὡς τὸ μὴν ὑπερῶσαι, τὸ δὲ ἕτερον ὑποβεβλῆσθαι. Adnotari vero in poliptycis omnia quæ ad rationes publicas spectant. Vegetius indicat his verbis *lib. 11. Totius legionis ratio siue obsequiorum, siue militarium numerorum, siue pecuniæ quotidie adscribitur actis maiore prope diligentia quam res annonaria vel ciuilis poliptycis annotatur.* Vulgo legitur male, *politicis libris annotatur.* Sed cum ab exemplaribus manuscriptis animaduertissem abesse vocem illam, *libris*, statim iudicaui emendandum esse, poliptycis annotatur. Sic Cassiod. *lib. 5. Var. Vt omnibus a te sollicita atque æquabili indagatione compertis poliptyci iubeantur adscribi.* Et alio in loco, *Dehinc non poliptycis publicis, vt moris est, sed arbitrio compulsorum suggeruntur prouincialium subiacere fortunæ.*

CAP. XXVIII.

Prolatæ Iustiniani & Iustini Constitutiones quædam de condicione eorum, qui ex adscripticio & libera muliere nascuntur.

IVre antiquo ex adscripticio & libera adscripticius, constitutione autem Iustiniani liber nascitur, *l. vlt. C de agric. & cens.* quod idem Iustinianus se de eo intelligere, qui natus post eam constitutionem fuisset, exposuit in *Nou.* 54. In his qui iam nati essent, ius antiquum seruari. Ea vero No. edita fuit Imperij Iustiniani anno xj. quam anno xiij. nempe Apione Consule consecuta est alia eadem de re, qua declaratur ex adscripticio & libera, liberum quidem, sed tamen & colonum nasci. Hæc in postrema editione Nouellarum quam Henricus Scrimgerus vir doctissimus, hoc anno procurauit, qua re equidem pro mea parte ei multum me debere confiteor, vltimo, in aliis editionibus alio loco posita est. Sed his id nunc additum velim anno sequenti id est anno xiiij. nempe Iustino Consule more suo mutata sententia Iustinianum ad ius antiquum rediisse. Et hac de re Latinam Iustiniani Constitutionem apud me habeo ad Dominicum præf. præt. Illyrici, (ad quem illa quoque posterior Nouella) scriptam: quam vt non obtinuisse existimem hæc, cuius verba subiiciam, Iustini Constitutio facit, quia is quasi in Illyrico adhuc obtinente Nouella Iustiniani conscripta anno xiij. idem vt in Africa obseruetur constituit. Verba Constitutionis hæc sunt:

IMP CÆS. FL. IVSTINVS fidelis in Christo, mansuetus, maximus benefactor, Alamannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Vvandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, semper Augustus, Theodoro.

Die noctuque pro vtilitate Reipublicæ subtiliter cogitantes, illa properamus renouare quæ in locis oportunis sunt necessaria, & maxime pro tributis atque reditibus, sine quibus impossibile est aliquid agere prosperum. Suggessit autem tua magnitudo maximam partem possessorum Africanæ prouinciæ precibus suis intimare desolatos agros remansisse, cum diuina lex promulgata fuisset, constituens creatos ex libera matre, & adscripticio marito liberos esse, quod contrarium est legibus antiquis: cum illæ manifeste decreuerunt talem sobolem adscripticiam esse: ex hac enim licentia filij adscripticiorum prædia, in quibus nati sunt dimittentes, & in aliis habitantes locis, tam fiscum quam dominos prædiorum minuere. & hæc dicentes supplicauerunt corrigere hoc capitulum apud illam prouinciam, sicut & pater noster prædictæ legis lator in Illyricianam prouinciam fecit, constituens filios, qui nascuntur ex libera matre atque adscripticio patre, liberos esse cum suis rebus: sed tamen colonos, vt non liceat terrulas vbi nati sunt, relinquere, & alienas colere. His igitur nostræ serenitati suggestione tua relatis necessarium esse perspeximus possessores subiectos nostros atque functiones publicas adiuuare. Vnde sancimus in Africana prouincia filios ex libera matre & adscripticio patre productos liberos quidem esse, & res proprias habere, in ordine tamen colonorum esse, & non posse eos prædia dimittere, in quibus nati sunt & excolere aliena, sed vicos ipsos, in quibus orti sunt, cum libertate colere. sic etenim nec fiscus, nec possessor læditur, neque prædicti minuuntur, terras vbi nati sunt excolentes, Theodore parens charissime atque amantissime. Quæ igitur per hanc diuinam pragmaticam sanctionem nostra sanxit æternitas, tam tua magnitudo, quam qui post te eandem administrationem adepti fuerint, vna cum officio suo effectui mancipare, obseruareque procurent. DAT. KAL. MART. CONSTP. IMP. D.N. PP. AVG. IVSTINI. ANNO V. INDICTIONE TERTIA.

Apposuissem & vltimæ Iustiniani constitutionis verba, qua ius antiquum restituit, si proinde atque huius integra ea & incorrupta habuissem. Verum eius est sententia manifesta, verba sunt mirum in modum corrupta. Annorum autem superius ita rationem subduxi, vt Belisarij Consulatum facerem Imperii Iustiniani annum IX. ac consequenter annum secundum post Belisarii Consulatum, Imperii XI. facio, Iustiniano auctore in *Nou.* 47. Sequitur Ioannis consulatus. Perperam enim in *Nou.* 57. legitur post Bilis. v. c. Cons. anno III. ac consimili etiam errore post Lampadii & Orestis Consulatum huius ætatis scriptores quidam tertium annum inuehere conati sunt: Ioannis autem Consulatum annum XII. facio, proximum Apionis, qui corrupte in Nouellis dicitur Arion, annum XIII. Iustini XIV. Basilii XV. Post Consulatum Basilii annum VI. Imperii XXI. post eumdem Consulatum annum XI Imperii XXVI. annum XIII. XXVIII. nam & post eum Consulatum decimusoctauus Imperii est XXXIII. & ad hunc modum censeo restituendas esse omnes subscriptiones Nouellarum, quæ tam varie annorum rationem descriptam habent, vt vel eo subscriptionum earum auctoritati & fidei derogetur satis. Id modo animaduertendum est annos Imperii Iustiniani inc[illegible]à Kal. April. vt idem ipse testatur in *Nou.* 47. quamobrem sub Ioannis Consulatu ante Kalend. April. Imperii annus est XI. vt scriptum est recte in *Nou.* 63. Item in *Nou.* 66. quæ data est Kal. Mart. Sic legendum, non Mai. Eodem Consule post Kal. April. numeratur Imperii annus XII. Similiter sub Apione ante Kal April. Imperii annus est XII. (sic legendum in *Nou.* 88. & 79. vt in *Nou.* 80. in qua tamen pro Maii reponendum Mar.) Post eas vero Cal. Imperii XIII. computatur. Item post Basilii Cons. annus XVIII. recte dicitur Imperii XXXII. ante Cal. April. post eas vero Imperii est XXXIV.

CAP. XXIX.

Explicatur l. noſtris, C. de calumniat.

QVi ſuo nomine omiſſo, alieno ſubſcripto accuſationem inſtituit, Imperatores aiunt eum delatorum numero eſſe in *l. noſtris, C. de calumniatorib.* id eſt, calumniatorum. Herodianus, *συκοφάνται καὶ οἱ μηνύσεσι πολλῶν κατάρξαντες ἀνῃρέθησαν.* quod ſic Iulius Capitolinus interpretatus eſt, *Interfecti omnes delatores, omnes accuſatores.* Ideo autem & illi in ſycophantarum ſiue delatorum numero reponuntur, quod quibus ſuo nomine vti licet, nec tamen ſuum adſcribunt, ſed alieno abutuntur, plane hoc faciunt ſperantes ſuam obtentu alieni nominis impunitam calumniam fore: quod iis verbis Apuleius indicat in *Apologia 1. Dat*, inquit, *libellum nomine priuigni mei Sicinij Pudentis admodum pueri, & adſcribit ſe ei aſſiſtere, nouo more per alium laceſſendi, ſcilicet vt obtentu eius ætatulæ ipſe inſimulationis falſæ non plecteretur: quod cum ſolertiſſimè animaduertiſſes, & idcirco eum denuo iuſſiſſes proprio nomine accuſationem delatam ſuſtinere*, &c. Id vero cum propoſuiſſent Imperatores in *d. l. noſtris*, ſubinferunt, *Atque ideo calumnioſiſſimum caput & perſonam iudicio irritæ delationis infamiæ ſupplicium ſequatur.* Calumnioſiſſimum caput vocant eum de quo fuerant conſulti à Menandro vic. Aſiæ ob alieno nomine inſtitutam accuſationem: eodem modo quo & Græci *φιλὴν κεφαλὴν* & *μαχὴν κεφαλὴν* dicunt. & Iuſtin. lib. XVIII. *Auſuſne es nefandiſſimum caput.* Iudicium autem calumniæ, iudicium irritæ delationis vocant.

CAP. XXX.

Quid ſit ἐπιβολή.

EX Conſtantino Harmenopulo cognoſcimus ἐπιβολὴν eſſe ἐπίδοσιν ἀποῤῥᾠ κλήσεως πρὸς κληρονόμους, ἢ συντελεσὰς ἢ ὁμοχώρους, καὶ ὁμοκήνους. quod Latinus interpres ad eam adiudicationem, quæ in iudiciis duplicibus fieri ſolet officio Iudicis referendum exiſtimauit male. Conſtat enim ex Nou. περὶ τῶν δημοσίων ἀνύσεως, tunc poſſeſſionis ἐπιβολὴν fieri, cum ea ſterilis & à domino deſerta ac deſtituta eſt, & ob id in alium transfertur, ne quid publico depereat. Verum non omnes hanc poſſeſſionis deſertæ ἐπιβολὴν ſuſcipere coguntur, ſed hi dumtaxat, qui conſortes ſunt, id eſt, qui eiuſdem ſubſtantiæ poſſident bona, *l. hac definitione, C. de omni agr. deſ.* Et ideo recte Iulianus anteceſſor ſic eius Nouellæ ſententiam exprimere orſus eſt, Si quis poſſeſſor deſertum agrum eiuſdem ſubſtantiæ coactus fuerit ſuſcipere, &c. Itaque ἐπιβολὴν ſuſcipere dicam συγκληρονόμους & συντελεσὰς ſiue ὁμοτελεῖς, qui ſub eodem titulo vectigal pendunt, & ὁμοχώρους qui communia prædia habent & ὁμοκήνους. ſic apud Conſtantinum lego, non ὁμοσκήνους ex ſupradicta Nouella Iuſtiniani. Extranei autem ἐπιβολὴν ſiue ἐπιβαλλομένην κλῆσιν ſuſcipere non coguntur, niſi forte quis alienos colonos, vel capite cenſitos vel adſcriptitios mala fide ſuſceptos reddere noluerit. Tunc enim ob eorum abſentiam deſertæ poſſeſſionis & τὴν ἀπόφασιν ei irrogatur ὑπὸ τοῦ. *Nou. 27.*

CAP. XXXI.

Monſtratur error creatus ex notis in l. 8. D. qui & à quib. manu. lib. non fiant.

MVltos errores in libros iuris ciuilis attulit vetus per notas ſcribendi ratio, ex quibus nos iam in A ſuperioribus obſeruationibus reliquiſque commentariis multos patefecimus: meminiſſe potiſſimum illius iuuat, qui à me indicatus eſt *lib. Inſtitutionum 1. tit. qui & quib. ex cau. manum. non poſſ.* vbi ex his notis (S.C.) factum eſſe oſtendimus, vt quo in loco legendum eſt, *Sententiam Conſtitutionis*, nunc perperam in omnibus libris ſit ſcriptum, *Senatus Conſultum.* Hoc non inferiorem nunc errorem demonſtraturus ſum, qui ex his ortus eſt notis (F. C.) quibus Valerius Probus auctor eſt & *Fideicommiſſum* & hæc verba, *Fraudandi creditoris* (ſic legendum apud Probum) vel *Fraudandorum creditorum* ſignificari. Erroris locus eſt in *l. 8. D. qui & à quib. man. lib. non fiant. Cum*, inquit, *is, qui ſub conditione debet, manumittat fideicommiſſi cauſa, lex Ælia Sentia locum habet.* legendum autem eſt non *fideicommiſſi*, ſed *fraudandorum creditorum cauſa.* Ad hanc enim causã pertinet *lex Ælia Sentia.* Et ſic quoque noſtri auctores loqui ſolent, *l. ſi cum fideic. §. ne quis*, D. *eod. l. 3. l. ait prætor*, §. *1.* D. *quæ in fraud. cred. l. ſi is qui ſoluendo, 1. D. de her. inſt.* Sic item legitur in Baſilico, & in τῷ καὶ πόδας. Sententia quoque aperta eſt in lege Ælia Sentia, creditores intelligi eos etiam quibus ſub conditione debetur, ideoque in eorum fraudem datam libertatem ipſo iure nullam eſſe, vt & traditur in *l. 27. D. qui & à quib. manum.* Cui igitur ſtatim hoc vel maxime non probabitur? Vulgata ſcriptura aut nullum omnino ſenſum habet, aut ſi quem Acc. vel alius quiſquam commentus eſt, ſolo is videtur ſilentio & contemptu dignus: ita aut ineptus aut veſanus eſt.

CAP. XXXII.

Quid ſit μονομερὴς in l. vlt. D. ad S. C. Trebellianum.

DVæ ſunt agendi formę, vtraque parte præſente, quod eſt cognitionaliter ſiue κατὰ διάγνωσιν in *No.* τοῦ μὴ εἰσιόντων τῶν ἔκκλητον βέων: & in *l. vlt. §. illud, C. de temp. appel. l. 4. C. de accuſat. l. vlt. C. de legib. l. 3. C. de quæſtionib.* Et vna tantum parte præſente, quod eſt μονομερὴς, ſiue κατὰ μίαν μοῖραν in ſupradicta *No.* & *in No. 54.* & xc. vbi & teſtium productiones quæ fiunt abſente altera parte, *μονομερεῖς* appellantur. Illud vero conſtat receptum iure ſingulari, vt cauſa appellationis agi & introduci poſſit *μονομερῶς*, *d. §. illud*, cum ceteras omnes introduci oporteat cognitionaliter: & ideo Phœbus, qui à ſententia Proconſulis Achaię ad principem appellauerat, in ſpecie *l. vlt. D. ad Trebell.* recte egit *μονομερῶς*, id eſt, Polycrate aduerſario abſente. Qui interpretantur, ſine exceptione aut replicatione & quaſi peremptorie, quid eo in loco eſſet *μονομερῶς* intellexiſſe non videntur. Alio ſenſu *μονομερὴς* condictio dicitur in *l. ſi duo, §. idem Iulianus, D. de iureiurando*: nec tamen eo quo à Curio Fortunatiano, Sulpitio Victore & aliis rhetoribus, *μονομερὴς* cauſa dicitur, ſed quod ex hac ſolum parte reo condicatur, qua furis heres eſt, nõ & ex illa, qua & fur eſt ipſe, remque dolo malo contrectauit. Cum enim ita diviſſet Vlpianus, *& quaſi μονομερὴς condictio dari debet aduerſus furis heredem*, adiicit hæc verba, *nec pati eum iudex debet, ſi cœperit temptare probare furem*, non alia de cauſa quam vt cur diviſſet quaſi *μονομερῆ* condictionem furtiuam dari, nobis explicaret. quod & vetus interpres ita excepit recte.

CAP. XXXIII.

In tit. vt in poſſeſſ. legat. mẽnda quædam animaduerſa.

IN *l. 1. §. ei cui legatum D. vt in poſſeſſ. leg.* ſic lego, *Si cui legatum eſt*: ablato verbo, *ſolutum.* De ſoluto enim legato nunquam ſatisdationem legatarius exigit. & idem plane eſt reſcriptum illud D. Pij, quod in eo

§. proponitur, cum eo, de quo in *l. hæc ſtipulatio*, §. *vlt. vt leg. no. tau.* quod ad fideicommiſſa ſiue legata indebita necdum ſoluta, quorum nomine cautio exigitur, pertinere conſtat. Male etiam Flor. *Ei cui*, cum ſit legendum, *Si cui:* & eſt ſimilis in omnibus Codicibus error in *l. heredis*, §. *vlt. D. quan. dies leg.* in illo loco, *vel ei cui ſeruus.* In eod. tit. *l. is cui*, §. *quæri*, ſic lego, *Vt feſtinetur ad ſatisfactionem.* vulgo male legitur, *ad ſententiam.* Agitur enim de reſcripto D. Antonini, quo legatarij poſt ſex menſes quam petere cœperint, in res proprias heredis indicuntur, inde fructus percepturi, non quoad ſententia vlla feratur, ſed quoad ſatisfiat. In eadem lege §. *ſatisfactioni*, cum antea legeretur, *poſſeſſionum*, primus omnium rectiſſime Franc. Zoannetus Doctor Ingolſtadienſis in lib. Reſt. ad Pandect. emendauit, *ſeſſionum.* quam animaduerſionem alii poſtea propriis lapſi iam & defecti ſibi vindicarunt.

Cap. XXXIV.

De contributione legatorum à pupillo ex aſſe inſtituto & à ſubſtituto relictorum.

ID vulgo probatum eſſe traditur in *l. in ratione*, §. *quod vulgo*, & §. *ſi filio, D. ad leg. Falcid.* vt & ſi non patris, ſed pupilli hereditas verſetur in ſecundis tabulis, adeoque ſubſtitutus debeat legata à pupillo relicta, non ex ſua perſona, vt de ſubſtituto vulgari à D. Seuero conſtitutum eſt, ſed ex perſona pupilli, qui ea iam debere cœpit, priuſquam è vita diſcederet, tamen habita ratione hereditatis paternæ non pupillaris, legata primarum & ſecundarum tabularum contribuantur, commiſceantur, confundantur, communi calculo ſubiiciantur, & ex eis vna Falcidia detrahatur perinde atque ſi legata à ſubſtituto in primis tabulis ſub alia condicione quam ſubſtitutionis à pupillo relicta eſſent. Omnia enim ea quæ in ſecundis tabulis ſcripta ſunt, in hac cauſa ad rationem primarum tabularum reducuntur, *d. §. ſi filio.* Id, inquam, vulgo iam conuenit, vt ait *l.* 1. *D. ſi cui plus quam per leg. Falcid.* quia & pro vno id teſtamento haberi conuenit. Proculiani contra ſentiebant. Sed obtinuit Caſſianorum ſchola. Et quidem ſpectari hereditatem patris non pupilli etiam probat *l. in duplicibus, D. eod, & l. ſi filius qui patri, D. de vulg. ſubſtitut.* Secundum quod euenit, vt ſi pupilli hereditas non ſufficiat legatis, cum patris ſuffeciſſet, ſubſtitutus Falcidiam non retineat. Exempli gratia, Pater habet cccc. in bonis, à pupillo c. à ſubſtituto cc. legat, perierunt ex hereditate c. Patris hereditas ſufficiebat legatis, Pupilli non ſufficit ſalua Falcidia. quid fiet? Non vtetur Falcidia is, qui ſubſtitutus eſt, ſed ſolida ccc. dabit. proinde de ſuo quadrante dabit, quem ſcilicet ſuo iure alioquin retinuiſſet, quoniam patris facultates ſufficiebant legatis, quarum rationem haberi oportet non impuberis. Eo quod acceperit amplius, id eſt, de ſuo vel de propriis bonis heres nunquam ſoluit legata, *l.* 1. §. *Marcellus*, *D. ſi cui plus quam per leg. Falcidiam*, niſi non facto repertorio ex Nouella Iuſtiniani. Atque de ſuo quadrante explet ſæpe legata, ceſſante nimirum Falcidia. Itaque male docent quidam in §. *quod vulgo*, hæc verba, *Quadrante nimirum*, ſuppoſititia videri. Ea namque ſi tollas, quod relinquitur falſum eſt. In ea igitur ſpecie de ſuo quadrante ſubſtitutus dabit. Atquin hoc eſt vltra vires hereditatis, quæ æſtimari ſolent deducta Falcidia. qui igitur non retinet Falcidiam, præſtat vltra vires. Immo non eſt hoc ſupra vires hereditatis, ſi paternam hereditatem ſpectas, ex qua omnia relicta videntur perinde atque ſi eſſent in primis tabulis ſcripta. Eadem ratione interdum euenit, vt ſi patris hereditas non ſufficiebat, pupilli ſufficiat, ſubſtitutus longe plus habeat quarta paternæ hereditatis: vt in hac A ſpecie: Pater habet cccc. in bonis, à pupillo cc. à ſubſtituto cc. legat, creuit hereditas in ccc. Itaque D c. ad ſubſtitutum peruenerunt. Si ſpectatur hereditas pupilli, Falcidia ceſſat. Sed quia opes patris ſpectari placet, quæ idoneæ non erant ſoluendis legatis, ſubſtitutus detrahet legatariis c. atque ita habebit ccc. quæ ſumma longe ſuperat quartam paternæ hereditatis. Et hæc eſt ſententia §. *quod vulgo*, in quo male quidam ex duabus particulis *vel vt*, vnam fecerunt, quod & Accurſ. tentauerat.

Cap. XXXV.

De non contribuendis partibus coheredum, earumque partium legatis.

QVi coheredes ſunt, aut ex inſtitutione coheredes ſunt, aut ex ſubſtitutione: in ſingulis inſtitutis B vulgo probatum eſt Falcidiam ſeparatim poni, *l. in ſingulis*, *D. ad leg. Fal.* quod & tunc procedit, cum ex duobus inſtitutis vnus in alterius locum & partem venit ex ſubſtitutione vulgari, vel pupillari, vel adcreſcendi iure, ſi deficientis portio fuerit onerata vel exhauſta, non item ſi onerata tantum fuerit adeuntis vel ſuperſtitis portio, *l.* 1. §. *id quod ex ſubſtitutione*, *l. qui fundum*, §. *qui filium*, §. *coheres*, *l. quod ſi alterutro*, *l. in ratione*, §. *quæſitum*, *D. eod.* Recte enim interpretes, Si, inquiunt, onerata portio accedat non oneratæ, non augentur legata, id eſt, legatorum & portionum ratio ſeparatur. Sin vero non onerata accedat oneratæ, augentur legata, id eſt, legatorum & portionum ratio C confunditur. Sed §. *id quod ex ſubſtitutione* obſtat *l. qui fundum*, §. *qui filium*, *D. eod. tit.* in quo Iulianus coheredem qui ex ſubſtitutione vulgari nactus eſt, portionem oneratam ſolidis legatis obligat: niſi in ea Iuliani ſpecie ſubintelligamus generalem repetitionem legatorum, quæ vulgo in teſtamentis adſcribi ſolebat: & vero neceſſe eſt, vt eam fuiſſe adſcriptam intelligamus: alioquin coheres partis ex ſubſtitutione vulgari adquiſitæ legata non deberet, ſecundum Iuliani diſciplinam, cuius ætate nondum exierat reſcriptum Diuorum Seueri & Antonini de repetitione legatorum, vt oſtendimus in fragmentis Vlp. *tit.* 18. Rurſus *l. quod ſi alterutro* opponi ſolet *l.* 1. §. *ſi coheredis*, *D. eod. tit.* Sed cum dicat, *Sed &*, quibus verbis Proculianorum ſententiam quam & ex Caſſianis Iulianus probauerat, deficientis portione ab eo qui adiit cum onere iure accreſcendi vindicata, & decreto D. Antonini confirmare Paulum voluiſſe plus quam manifeſtum eſt: ideo firmiſſime aſſeuero eo in loco negationem deeſſe, ac ſic legendum, *Sed & Diuus Antoninus iudicaſſe dicitur non commiſcendas*: Verum quemadmodum, vt initio propoſuimus, in ſingulis inſtitutis ſeparatim ponitur Falcidia, ita & in ſingulis pupillo ſubſtitutis habita ratione non totius patrimonii, ſed partium. In hac enim parte ſubſtituti comparantur inſtitutis & rediguntur omnia ad rationem primarum tabularum, ex quibus etiam facultates patris & legatorum in vtriſque tabulis relictorum origo & cauſa eſtimatur omnis. Itaque vnius ſubſtituti parte onerata, vl exhauſta, alterius non item, is qui oneratus eſt, in ſua parte proprio nomine veluti inſtitutus, Falcidiam inducit: is autem qui oneratus non eſt, Falcidiam non inducit, niſi quaſi ſubſtitutus beneficio contributionis, puta ſi ob legata & à pupillo relicta ſupra dodrantem partis ſuæ debeat: cuius rei tale ſit exemplum. Pater cccc. habet in bonis, filiũ impuberem inſtituit, eique ſubſtituit Primum, & Secundum. à filio L. à Primo CLXXX. à Secundo CL. legat, filio decedente intra pubertatem nõdum ſolutis legatis ſinguli ſubſtituti CL. à pupillo legatis debent XXV. ita vero fit, vt Secũdus qui non erat oneratus vltra dodr. portionis ſuę debeat:

& hic quidem in hac ſpecie veluti ſubſtitutus, Primus vero veluti inſtitutus portionis ſuæ quartam retinebit. Quod ſi pupillus priuſquam decederet, à ſe relicta legata ſoluerit, atque ideo cautionem exegerit (alioquin tutores ſubſtitutis tenerentur, *l. 1. §. interdum, l. is cui fideicom. l. reperitur, D. eod.*) vtrique ſubſtituto quaſi heredi ſtipulatoris committetur ſtipulatio, in eam quantitatem quam retinere quiſque debet. Porro L V. Primus, XXV. Secundus retinere debet: quiſque ex omnibus legatis pro rata. & hęc eſt ſententia *d. l. in ratione §. ſi filio.* cui ſolet opponi *l 1. §. Marcellus D. ſi cui pluſquam per leg. Falcid.* eo quod Marcellus ſubſtitutũ oneratum iubet integra legata præſtare: ſed hoc ita ſi dubitetur de lege Falcidia. eo namque ſolo caſu integra legata oneratus præſtat, cautione interpoſita, vtrique ſubſtituto, quæ & vtrique committi poterit, vt puta ſi exiſtente immenſo ære alieno legata omnimodo inutilia reddantur, quia tunc & coheredis intereſt legata reddi, cum ſit æri alieno obſtrictus pro ſua parte. Sed cauſa cognita, id eſt, inſpecto ære alieno, ſi incertum non fuerit, ſuæ partis ſubſtitutus oneratus proculdubio quartam retinebit, quia exemplo inſtitutorum, & in ſingulis ſubſtitutis ſeparatim Falcidiam induci placet.

CAP. XXXVI.

De contribuendis legatis ab inſtituto, & ab eodem impuberi ſubſtituto, relictis.

SI ab inſtituto & ab eodem impuberi ſubſtituto in ſecundum caſum legata relicta ſint, ab impubere forſitan nihil, in Falcidia habetur ratio omnium bonorum, quæ ad eum ex inſtitutione & ſubſtitutione peruenerunt, non ſecus ac ſi primis tabulis ex parte purè, ex parte ſub alia condicione heres ſcriptus fuiſſet, quo caſu nemo dubitat quin partes commiſceantur, & partium legata, *l. coheredi §. coheres in princip. D. de vulg. ſubſtit.* Ideoque inſtitutus, idemque ſubſtitutus à ſe primis vel ſecundis tabulis relicta legata ſolida præſtabit, ſi ex ſecundis tabulis quadrantem ſeruare poſſit: ſin minus, vtetur legis beneficio. nec intereſt ſubſtitutus fuerit pupillo inſtituto, an pupillo exheredato. nam & à ſubſtituto exheredati in primis tabulis ſcripto, legari poſſe Iulianus ſcripſit, *l. in ratione §. vlt. D. ad leg. Falcid. l. plane ſi filium in princip.* D. *de legat. j.* Sed ſi ab eo inſtituto legatum ſit, à ſubſtituto nihil, id quod ex ſubſtitutione accedit, ſane legatariis non proficiet, *l. quod ſupra*, D. *ad legem Falcid.* vbi (vt hoc obiter admoneam) pro, *In pecuniam legatum*, legendum eſt certo, *In pecuniam legatam*: & ſic quoque, vt ſupra tradidimus, patris hereditate legatis non idonea, pupilli idonea, legata non augeri placet.

CAP. XXXVII.

De non contribuendis legatis à pupillo & pupilli ſubſtituto relictis, cum his quæ ab alio quodam coherede pupillli relicta ſunt.

SI ergo à coherede eodemque ſubſtituto pupilli in vtriſque tabulis legatum ſit, habetur ratio vtriuſque partis. Non ſic fit, vt nunc demonſtraturi ſumus ex *l. cohered. §. coheres*, D. *de vulg. ſubſtit.* cum alius pupillo ſubſtitutus, alius coheres adſcriptus eſt. nam legata à pupillo & à pupilli ſubſtituto relicta confunduntur, etiamſi coheres pupilli bonorum paternorum quadrãtem integrum obtineat. Vtrumque fit eadem ratione, quia & illo & hoc caſu ſubſtitutus inſtituto comparatur. In hoc autem caſu inſtitutus ſeparatim Falcidiam induceret, etiam quadrante coheredi relicto. Ergo & inſtituti exemplum ac ſi omnino ſub alia condicione in primis tabulis ſcriptus ſubſtitutus imitabitur: denique coheredis pupilli coheres eſſe videbitur, licet in iiſdem tabulis non ſit ſcriptus. neque hoc nouum eſt. nam & collegatarij ſiue coniuncti videntur, quorum vni res in primis tabulis, alteri eadem res in ſecundis relicta eſt. & hæc eſt ſententia §. *coheres*. Eo fere tẽdunt omnia, quæ de contributionibus traduntur, vt diſcamus ad rationem primarum tabularum conferri omnia & reuocari oportere. Quatuor capitibus hanc quæſtionem concluſimus, vt facilius intelligeretur, nihil nos eorum quæ in ea obſcuriora creduntur, aut negligenter omiſiſſe, aut fraudulenter diſſimulaſſe.

CAP. XXXVIII.

Ad No. Iuſtiniani ὥστε τὰς ἀποκαταστάσεις μέχρι ἑνὸς βαθμοῦ ἵστασθαι.

NOn aſſentior Alciato, qui in *No. Iuſtiniani clix.* ſic legendum putat, ὥστε τὰς ἀποκαταστάσεις μέχρι ἐν δ. βαθμοῦ ἵστασθαι. Primum enim ſic Græci non loquuntur, μέχρι ἐν δ. Sed μέχρι δ. Deinde ex eo quod priore loco in ea Nouella conſtituitur, apparet recte ſcriptum μέχρι ἑνὸς βαθμοῦ, quandoquidem Iuſtinianus conſtituit, ſi inter filios facta ſit precaria ſubſtitutio, vt non porrigatur vltra filiorum gradum, & licet id poſtea adiiciat: Si teſtator in infinitum alienationem extra familiam prohibuerit, vt non valeat prohibitio vltra quartum gradum, à priori tamen Nouellæ parte recte titulus conceptus eſt in hunc modum, *Vt ſubſtitutiones vſque ad vnum gradum conſiſtant.* Nec iuuat Alciatum vulgaris tranſlatio, cuius propter vetuſtatem auctoritas apud me magna eſt, vel eo maxime quod pleraque ex ea Gregorius referat in epiſtolis. Codex enim Græcus quo vſus eſt ille eius tranſlationis auctor plurimum aliam inſcriptionem habuit quam noſter, & ideo ſic vertit, *De reſtitutione fideicommiſſi & nomine familiæ vſque ad quotum gradum locum habeat, & quod familiæ nomine narus continetur.* In libris excuſis legitur, *ad quartam.* Sed omnes ſcripti habent, *ad quotum.* Sic & in contextu eius Nou. vbi eſt ſcriptum, *& aſcenſum & deſcenſum*, legendum ex veteribus, *& aſcenſum* σκαλῶν vbi, *plenum eſſe pietate, plenum eſſe* φειδρίας.

CAP. XXXIX.

Ad l. Balliſta, D. ad S. C. Treb.

NOn rogatur de fructibus reſtituendis, qui ita rogatur, *Quidquid ex hereditate mea bonisve meis peruenerit, l. quod is verbis, D. de leg. 3.* verum huic ſententiæ aduerſatur *l. Balliſta, D. ad Trebel.* niſi dicas eam in ea ſpecie fuiſſe voluntatem defuncti, quod & verum eſt. Ceterum vnde colligitur? An ex eo quod dixit *Pecuniam*? Minimè: nam & cum pecuniam dicit, non hereditatem aut bona, fructus non venire conſtat, *l. ſcribit eod. tit.* quæ proximè iuncta eſt *l. Balliſta* & ex eodem Celſi libro: & in hac quæſtione pecuniæ verbo plus non ſignificatur quam hereditatis, *l. nam quod §. vlt. eod. tit.* Ideoque in *l. Balliſta* verba hæc *Id eſt pecuniam*, mali interpretis eſſe aio. Ne voluntatem etiam colligas ex verbo, *Omnẽ*, quod & peremptoriũ vocabulũ Valent. vocat. Nam etſi dixerit, *Omnem* fructus non veniunt, *l. heredes in princ. eod. titul.* cum etſi non dixerit, intelligatur ſemper, *l. Lucius §. tres eod. tit.* Rurſus id ne colligas ex verbo, *Quantacunque.* nimis de grammaticorum ferula ſecuri animi eſſe videberis, ſi talia dicas. quid enim intereſt dixerit teſtator, *quanta*, an *quantacunque*, *quod*, an *quidquid*? Ne etiam dicas legem *Balliſta* loqui de fructibus perceptis ante

aditam hereditatem. hi namque omnimodo in restitutionem veniunt. nec exigimus, vt de eis specialiter testator rogauerit, vel vt rogasse intelligatur, *l. in fideic. l. ita tamen* §. *1. eod. tit.* Quid ergo dicendum? Ego sic statuo, in specie *l. Balliſta* fideicommissum Coloniæ Philippensium propalam non relinquitur in hunc modum, *Quanta pecunia ex hereditate mea ad te peruenerit, eam omnem restituas*, sed instituitur filius sub hac condicione, Si cauerit quantacumque pecunia ad se peruenerit, eam omnem ad coloniam Philippensium peruenturam. De fideicommisso autem hereditatis cautio prætoria interponi solet, etiam si de eo nihil testator dixerit, *l. hæc stipulatio*, *D. vt leg. no. cau.* quæ non recipit incrementum fructuum, *l. 1.* §. *bellissime, eod. tit.* Huic enim cautioni eadem causa inest quæ fideicommisso, *l. Titius* §. *vlt. D. ad Trebell.* Hac vero cautione Balliſta contentus non fuit, sed voluit conuentionalem interponi & quodammodo non ex testamento, sed ex cautione conuentionali fideicommissum deberi voluit. Huiusmodi autem cautio conuentionalis incrementum fructuum recipit, *l. pecuniæ* §. *1. D. de verb. signific.* quæ pertinet ad stipulationem venditæ hereditatis, *Quanta pecunia ex hereditate peruenerit*, vt ostendimus *Obs. lib. 2. cap. 3.* Denique conuentionalis plenior est prætoria, quoniam id plerunque contrahentes agere videntur. Quamobrem dum ex cautione conuentionali, non ex testamento hereditatem restitui voluit, cum incremento restitui voluit, alioquin frustra iussit caueri cum edictum sufficeret.

CAP. XL.

De aduocatis, & loco quodam deprauato apud M. Tullium Actionis 1. in Verrem lib. 1.

A CORnelius Tacitus in *libro de Oratoribus*, *Horum*, inquit, *temporum diserti, causidici, & aduocati, & patroni, & quiduis potius quam oratores vocantur.* Vocantur & togati in Constitutionibus Imperatorum: & eorum munus causidicina ab Ammiano *lib. 30.* & Theodosio in *l. 188. C. Th. de decur*, ea forma qua Tertullianus iuridicinam, *lib. de Pallio*, & indicinam Apuleius vii. dixit. Abutuntur ea appellatione plerique ignobiles & ignari, litium concinatores ac redemptores, *l. nec quicquam* §. *circa, D. de offic. proconſ.* & qui olim rabulæ ac moratores dicebantur. M. Tullius in diuinatione, *Nisi quem forte ex illo grege oratorum.* Locus est in omnibus codicibus valde deprauatus, præterquã scriptis, in quibus propius vero alias meatorum, alias mercantrum, alias meritorum scriptum legimus: sed B quia obturbatores Asconius interpretatur sordidosque causidicos, qui adhibebantur ad moram faciendam, ac paulo post, Aderant, inquit, his rebus moratores apti talibus negotiis: non dubitauimus, quin esset eo loco pro *oratorum*, legendum *Moratorum*: ac simili forma gregem rabularum Varro dixit auctore Nonio Marcello. Horum caninam facundiam dici ex Salustrio & Hieronymo alii notarunt. Addatur Prudentius in Hamartigenia:

Inde, inquit, *canina foro latrat facundia toto.*

Et Columella in præfatione. *Sed ne caninam quidem, sicut dixere veteres, facundiam*, &c. Vbi vulgo male legitur, *studium*, Quint. xii. *Ea est prorsus canina, vt ait Appius, eloquentia.* C. Cotta apud Sallustium: *Neque ego caninam facundiam, neque ingeniũ ad maleſaciendum exercui.* Iulius Firmicus 4. *Tenuerunt nos caninæ contentionis iurgiosa certamina.* Lactantius 6. *Sed quia ipse caninam illam facundiam, sicut Sallustius ab Appio dictum refert, exercuit.* Ouidius in Ibin. *Latrat & in toto verba canina foro.*

C

IACOBI CVIACII OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

De condicione iurisiurandi.

EDICTO prætoris remittitur condicio iurisiurandi non tantum in heredum institutionibus, sed etiam in legatis & in iis quæ instar legatorum sunt, non in conuentionibus. Nam etsi quod testator testamento remittere potest, possint etiam conuentione ij quorum interest, *l. pactum, D. de pact.* non tamen quod lex, edictum, constitutio in testamento remittit, continuo etiam in conuentione aut contractu remittit, sicut & quod in testamentorum causa admittit, exempli gratia, cautionem Mucianam, eandem in contractibus non admittit. In libertatibus quoq; condicio iurisiurandi non remittitur, *l. 12. D. de man. test.* D quæ *l.* coniugenda est cum *l. 8. D. de cond. instit.* Hæc edictum ponit. illa exceptionem edicti. & huius exceptionis ratione Marcellus in *l. non dubitamus, D. de cond. & demon.* plerunque ait non quidem in turpium, sed in earum quæ remittuntur numerum condicionem iurisiurandi referri. Itaque in libertatibus non reprobatur condicio iurisiurandi, in ceteris reprobatur & remittitur, cuius rei causa olim adeundus erat prętor, vt Cicero indicat in prætura vrbana, dum de P. Trebonii testamento loquitur. Hodie ipso iure remittitur & improbatur, & quod ita relictum est pro puro habetur, *d. l. 8.* §. *vlt.* licet heredi vt diximus non remittatur quod iurisiurandi condicione adstrinxit testator. Ceterum non quod iurare iubetur, sed iusiurandum in condicione est. Hoc igitur circumscripto, pura insti-

tutio purumve legatum relinquitur. Id notandum est, nudam condicionem iurisiurandi nunquam remitti, quinimo ei necessario parendum est. Fac Gaium ita testari: Titius si iurauerit heres esto. Titio si iurauerit x: lego, *l. Antistius, D. de adq. her. l. municipibus, D. de cond. & dem.* His verbis nudum iusiurandum iniungit, cui rei satisfaciet heres si hæc verba fuerit prętatus, quibus & veteres in prosperis rebus exoptandis vtebantur: *Testor diuinum numen, fas mihi sit eam hereditatem idve legatum capere,* vel. *ex animi mei sententia hanc hereditatem hocve legatum habeo,* quæ si vti verisimile est, animo heredis vel, legatarij fuerit præfatus, non dubitamus quin hereditatem eo facto vel legatum agnouerit, quod tamen ceteris condicionibus potestatiuis satisfaciendo non adsequitur *l. ei qui ita D. de condit. inst.* Itaque eius condicionis, *Si iurauerit,* duo singularia recepta sunt, vt explenda sit omnimodo, vt eam explendo statim hereditas vel legatum adquiratur. Id ad extremum adiiciam, *l. 26. D. de cond. & dem.* quę ad hanc quæstionem remittendi iurisiurandi pertinet, deprauatam videri, quod ad hanc scripturā, *Si xx. dederit aut iurauerit se aliquid facturum,* referat vnam condicionem exprimere habentem duas partes. Ea enim scriptura profecto duas condiciones cōtinet disiunctiuo modo præscriptas, quarum vna vnam tantum, altera duas partes habet. Itaque quod & quę in ea lege sequuntur suadent, sic malim, *Hæc scriptura, si iurauerit se xx. daturum aut aliquid facturum.*

Cap. II.

De cautione Muciana.

IN tractatu cautionis Mucianæ valde mihi alias negotium exhibuit §. *vlt. l.* 4. *D. de condicio. inst.* quod huius condicionis nomine, Si seruum hereditarium non alienauerit, coheredem coheredi dicat præstare cautionem Mucianam, quod & de hac condicione, Si seruum non manumiserit, traditur in *l. Mucianæ, & l. cum sub hac, D. de cond. & dem.* quas tamen constat viuo herede vel legatario morte serui expleri, nec eam mortem expectari triste esse, cum & liberi hominis & coniugis in pari genere condicionis mors expectetur, & constitutionibus id tantum periculosum & triste visum sit in liberis, à quorum latere mater vel libertus ne discederent testator iussit, *l. cum tale, in pri. D. de cond. & demonst.* Item quod illam condicionem, *Si seruum hereditarium non manumiserit,* adscriptam heredi ex asse instituto, neget remedio cautionis impleri posse. Cur enim legitimo heredi cauere non poterit, cuius interest eam condicionem non impleri? Sed postea animaduerti in eis condicionibus quæ morte alterius quam heredis vel legatarij, cui sunt adscriptæ, possunt impleri, ideo Mucianam aut velut Mucianam cautionem non interponi, quod omnibus locis, quibus ita respondetur, ea quæ sub eis condicionibus relicta proponuntur, apertè sint relicta post mortem alterius. Ac primum in *l. cum tale §. Titius, D. de cond. & demon.* post mortem heredis nominatim fideicommissum relictum est. Porro mori is potest viuo fideicommissario. Quocirca mors heredis expectatur. In *l. hoc genus, D. eod.* mors Titij expectatur, quia, vti lex ait, legatum post mortem Titij relictum videtur. Eademque ratione in *l. auia §. Titio, D. eod.* mors mulieris expectatur. Et in *l. pater, §. socrus, D. eod.* quid aliud hæc verba significant, *Si cum marito in matrimonio perseuerauit,* quę vi ipsa negantia sunt, quam si vsque ad mariti mortem, vel diuortium culpa mariti factum in matrimonio perseuerauerit? ideoque mors mariti expectatur. Non sic dicemus si hanc testator cōdicionem adscribat, Si Stichum non alienauerit, Si Stichum non manumiserit. Non dicit post mortem Stichi, vel, Si Stichus id non fecerit, vel, Si Stichus id noluerit, vel Si cum Sticho permanserit: verum ita, Si ipse Stichum non manumiserit vel non alienauerit. Aperte legatum in tempus mortis Stichi non confert, ideoque nec eius mors spectatur, & forte cautione non oblata si contingeret eo casu Stichum moti, dicerem adhuc expectandam mortem legatarii aut heredis, perinde ac si testator ita dixisset, Cum morietur Sticho non manumisso vel non alienato. Ac similiter huius condicionis nomine, Si iterum vxorem non duxerit, præstatur cautio Muciana, licet viuo legatario, vt ostenditur in *No. 22* expleri possit, puta si legatario sacerdotium obueniat, ita vt nulla nuptiarum spes superfit. Qua ratione & hanc cōdicionem, Si sine liberis decesserit, sacerdotio expleri verissimum est, vt & Theodorus in eadem No. notauit. Sed ille casus non spectatur, quia solam legatarij mortem, non etiam eum casum testatorem spectasse constat. Quod attinet ad alteram dubitationem, ego ita censeo: Vt in specie *l. Mucianæ §. vlt. D. de cond. & dem. & l. mulier, D. de cond. inst.* hæc condicio adscripta heredi ex asse, Si dotem non petierit, impossibilis est, quod post aditionem non sit à quo petere, atque adeo cui vel cauere vel acceptum facere possit: ita hoc genere condicionis adscripto, Si seruum hereditarium non alienauerit, id impleri nequit, quoniam adita hereditate nullus est futurus seruus hereditarius, atque adeo serui eiusmodi non alienandi nulla cautio interponi potest. Seruum enim hereditarium iacente semper hereditate dicimus, non etiam adita. Atque ita in hac etiam condicione, Si seruum hereditarium manumiserit, seruum hereditarium accipi oportet, *l. mulier §. 1. D. de cond. inst.* Frustra vero eius solius temporis ratione quo iacet hereditas, mox aditurus legitimo heredi caueret se non petiturum, vel se hereditarium seruum non manumissurum,

Cap. III.

Ad §. vtrum, l. si is qui ducenta, D. de reb. dub.

HVius stipulationis, *Si illud aut illud non feceris,* & illius, *Si quid eorum, quæ vt fierent superius comprehensum est, non feceris,* idem est effectus, vt neutri aliter scilicet satisfaciat, quam si vtrumque factum sit, nec prosit aliquid feciſſe, si aliquid factum non sit. & hoc proponitur in *l. si is qui ducenta §. cum ita, D. de reb. dub.* Alius est effectus stipulationis ita conceptæ, *Si quid eorum feceris quæ vt non fierent comprehensa sunt, hæc nempe, vt neutrum fiat, nec prosit aliquid non feciſſe si aliquid factum sit.* quæ differentia traditur in *d. l. si is qui ducenta §. vtrum, vers. Illius effectus,* eiusmodi verbis, vt aliis stipulationum formulis, congruere non possint, quam iis duabus. Si quid eorum factum erit, quæ vt non fierent comprehensa sunt, Si illud aut illud factum non erit. Hæc committitur vtroque facto. Illa non committitur neutro facto. Etiamsi aliquid factum sit. Illa committitur etiamsi aliquid factum non sit. Itaque quod proponitur initio sic necessario restitui oportet, *Vtrum ita concipias stipulationem, Si illud aut illud factum non erit, an hoc modo, Si quid eorum factum erit, quæ vt non fierent comprehensa sunt, hoc interest, &c.* Quid enim interfit deinde explicatur in illo loco *Illius effectus, &c.* & iam ante inter illas, *Si illud aut illud factum non erit,* &, *Si quid eorum factum non erit,* nullum esse discrimen fuerat demonstratum. At committi stipulationem illam, *Si illud aut illud factum non erit,* etiam altero facto, Iurisconsultus ostendit hac ratione in *d.* §. vtrum, quia quemadmodum altero facto verum est illud aut illud factum esse, verum etiam sit,

illud aut aliud factũ non esse. Nec enim semper ex duab⁹ contrariis orationib⁹ vna est vera, altera falsa, sed duæ aduersæ simul possunt esse falsæ, veluti, Omnis actio est in factum, Nulla actio est in factum, etsi ex liberis puberes, alij impuberes decesserint, siue ita statuas, omnes impuberes decessisse, siue omnes puberes decessisse, vtrũq; falsum erit. Nã oratio vniuersalis tota falsa est si in ea sit aliquid falsi. At simul veræ esse non possunt, vt, Omnis heres defendere debet mortẽ defuncti, Nullus heres defendere debet mortem defuncti. Aduersis autem contrariæ simul possunt esse veræ, vt, Quidam tutor à tutela excusatur, Quidam tutor à tutela non excusatur. Et ex duobus quæ fieri oportet altero tantum facto, illud aut illud factum esse, & illud aut illud factũ non esse: Nam oratio particularis tota vera est, si quid in ea sit veri. Falsæ autem simul esse nequeunt, veluti, Quidam curatores testamento dantur, Quidam curatores testamento non dantur. De contradicentibus siue disparatis, quos Aristoteles ἀποφατικῶς ἀντικειμένας, quarum tria genera, nihil Iulianus in hoc loco. Nihil etiam ipse, Nihil, inquam, Iulianus de eis. Itaque perperam Iuliani scripto annectitur à quibusdam exemplũ tale, Si ex iis qui sisti debuerunt, quidam stati, quidam non stati sint, Omnes statos esse, Non omnes statos esse: quæ orationes nec verę nec falsæ simul esse possunt, nec sunt ex genere earum quas Iulianus tractat, qui pugnantia continentes tantum proponit. Hæ sunt aduersæ siue ἐναντίαι. & contrariæ. Hæ sunt aduersis contrariæ siue ἀντικείμεναι, vel, vt recentiores loquuti sunt, ὑπεναντίαι. Idem significationem dicit quod Aristoteles κατηγόρημα, Ex vniuerso quod ille καθ' ὅλου, Ex aliquo quod ἐν μέρει, Cicero de parte, orationes quod λόγους ἀποφαντικούς. Nec vero iis quæ diximus aduersatur vers. *Proinde*. Qui interrogatus an quid eorum quæ obiiciuntur fecerit, respondet, Non feci, hoc respondet, Nihil feci, Itaque si aliquid eorum fecerit, aliquid non fecerit, mentitur. Similiter enim si promiserit quis c. si quid eorum feciſſet quæ superius comprehensum est ne faceret, committit in stipulationem si aliquid eorum fecerit, aliquid non fecerit. Hoc enim promittit, eorum se nihil facturum. Rogerius & Placentinus mendum subesse viderunt, sedem mendi non viderunt. Itaque quo loco non oportuit negationem sustulerunt, ita legentes, *Si illud aut illud factum erit*, & *illius*, male referentes ad priore loco positam stipulationem, *Huius* ad posteriorem. Alij etiam male in eo §. hæc verba, *Si qui liberorum partim puberes partim impuberes decesserint*, grandioribus litteris scribunt quasi testatoris vel contrahentium verba, cum illa potius ita scribi debuissent quasi ἀποφάνσεις, Omnes impuberes decessisse, Omnes puberes decessisse.

Cap. IV.

Quid sit donatio propter nuptias, quid ὑποβόλον, & Harmenopuli definitio quæ depravata est quemadmodum restituenda sit, explicatur.

DOnatio propter nuptias opponitur doti. Dos est quæ datur marito vxoris nomine. Donatio propter nuptias, quæ propter dotem datur vxori mariti nomine. Dos est dotatio propter nuptias vxoris. Donatio propter nuptias est dos mariti, atque ideo quæ donantur propter nuptias ἀντιφερνα vocantur *l. vlt. C. de don. ante nupt. vel pro nupt.* Ea in dotem à muliere plerumque redigebantur, *l. generaliter §. hoc obseruari, C. de sec. nupt. ex quo §. hic. No. 22.* locus sumptus est. καν' εἰ δοκῇ πῶς ζυγανεῖν ἀντιφερνα καὶ ἡ προγαμιαία δοτέα τῇ προικί, ab Eustathio explicatus recte, ab Accursio malè. Porro eodem iure est dos, ac donatio propter nuptias, eadem vtraque pacta recipit, eadem vtriusque quantitas ex *No. 97.* Quibus ex casibus si in persona mariti existant, maritus lucratur dotem, vel aliquam partem ex ea, eisdem si in persona vxoris existant, tantundem vxor lucratur ex donatione propter nuptias. Ei simile est quod posteriores dixere ὑπόβολον, id est, incrementum dotis, vel quod mortuo marito vxori superstiti redditur supra dotem, ἀπὸ τοῦ ὑποβάλλειν, quod est maiori rei vel summæ minorem adiicere. Græci alias reddidere dimidiam, alias tertiam, nisi aliud conuentum fuisset. Moribus Tolosanorum redditur hodie dimidia, vt si c. sint in dote, cl. Est apud Harmenopulum lib. 4. definitio hypoboli, valde depravata. verba eius hæc sunt: ὑπόβολον καλεῖται, τὸ ἐπὶ τῇ ποσότητι τῆς προικὸς, ὅταν ἀποθάνοντος τοῦ γυναικὸς ἡ προῖξ ἀπαιτεῖται παρὰ τοῦ ἀνδρὸς, ταύτῃ ὑποβαλλόμενον ἤγουν ὑποτιθέμενον Sed legendum, ὅταν ἀποθανόντος τοῦ ἀνδρὸς ἡ προῖξ ἀπαιτεῖται παρὰ τῆς γυναικὸς Nam vt quæ in Harmenopulo sub eo titulo περὶ ὑποβόλου sequuntur, aperte, demonstrant: non mortua vxore, sed mortuo marito hypobolo locus est. Quod & iis verbis adnotatum reperi in Harmenopulo Bibliothecæ regię. εἰ γὰρ τὸ προτότυπον ὅπως ὡς εἰκάζω ἐσφαλμένον ἐστὶν ὤφειλε γὰρ γράφειν ὑποθανόντος τοῦ ἀνδρὸς. Confirmatur iis quæ de hypobolo scripsit Georgius Phobenus hoc modo: τὸ ὑποβόλιον ὃ καὶ προγαμιαῖα καλεῖται δωρεὰ ἰδία τις συμφωνία ἐστὶν ὥσπερ καιρὸς τῇ προικὸς συμφωνέμενος ἀπαιτεῖσθαι. διὸ καὶ ὑπόβολον λέγεται. ἔχει δὲ τοῦτο τὸ προνόμιον. θανόντος γὰρ τοῦ ἀνδρὸς ἀπαιτεῖται κατὰ τὸ τῆς προικὸς ποσότητα ἐὰν καὶ εἰ μὴ συμφωνηθῇ ῥητῶς μέχρι τοῦ τρίτου τῆς προικὸς δίδοται τὸ ἔλαττον, εἰ δὲ μὴ συμφωνηθῇ τὸ ἥμισυ τῆς εἰρημένης προικὸς δίδοται. καλεῖται δὲ τοῦτο καὶ πρὸ γάμου δωρεὰ, διότι καὶ πρὸ τοῦ γάμου συμφωνεῖται. Et Demetrius Chartophylax Archiepiscopus Bulgariæ, quem librum habet Petr. Faber vir nunquam satis laudatus, quæst. 55. πλὴν μὲν ἀπαίτησιν τοῦ ὑποβόλου τότε χώραν ἔχειν ὁπηνίκα προτελεσθήσει ὁ γυναικὸς ὁ αὐτῆς. Multum item distat donatio propter nuptias à donatione quę moribus nostris fit respectu matrimonij, cuius fauor nimius est nec iure Romano receptus, & ab eo quod Douarium vocamus, quod etiam Romano iure receptum non est. Id apparebit statim si definitio donationis propter nuptias cum eorum definitionibus conferatur quæ tales sunt: Donatio fauore matrimonij est, quæ alterutri coniugum fit à parente vel extraneo coniugij non coniugis nomine. Douarium est vsusfructus dimidiæ vel tertiæ partis bonorum mariti, qui vxori debetur post mortem mariti. Donationes ergo propter nuptias hodie sunt penitus ex vsu sublatæ.

Cap. V.

De præscriptione C. annorum.

QVæ priuatis competunt actiones excluduntur præscriptione annorum xxx. ex Theodosij illa Constitutione non scriptis modo nostrorum, sed & exterorum, vt alio notauimus loco, celebratissima. Quæ vero ecclesiis vel aliis venerabilibus locis vel ciuitatibus competunt actiones, vel quæ debentur in redemptionem captiuorum quorum exactio plerumque ad episcopos pertinet, non excluduntur nisi c. annorum præscriptione ex *l. vlt. C. de sacr. eccl.* Pertinet ea lex ad Orientales ecclesias. Ad Occidentales *Nouel. 9.* & quidem omnes, ne dum ad Romanam, quod conuersio latina liquido demonstrat. Græca forma deest nec inuenitur in Basilico. Omnes vero fatentur à *Nou. 111.* supradictã *l. vlt.* corrigi introducta in ecclesiarũ ceterorũq; locorũ pietati & Deo consecratorum actionibus XL. sublata c. annorum præscriptione. Introducta iã ante illã quidẽ fuerat xl. annorũ præscriptio. *Nou. 131*, hæc tamen c. annorum non fuerat nominatim sublata. Quæso, cur etiam non fatentur correctam *Nou. 9*? Est

Est namque *Nou. 111.* posterior, nec est cur plus Occidenti quam Orienti tribuatur. Et ita quoque sentiunt ex nostris interpretib⁹ complures, & ex veterib⁹ Iulianus Anteceſſor Constantinopolitanus. Nec igitur placeat Irnerij nec iuris Pontificij conditorum sententia. Extat vero 111. *Nouellæ* summa quædam Grecè conscripta cum hac valde notanda Græci interpretis obseruatione, quam Theodoti esse didici ex libro περὶ χρονικῶν διαστημάτων, vt quæ debentur in redemptionem captiuorum hodie etiam non oporteat excludi nisi c. annorum præscriptione, quòd in ea Nou. de eis nihil meminerit Iustinianus. Qua ratione etiam putem aduersus ciuitates in iis quæ eis legata, per fideicommissum relicta, donata, vendita sunt, non posse opponi nisi c. annorum præscriptionem ex *l. vlt. C. de sacr. eccles.* Ipsa Nouella integra relata est inter edicta Iustiniani sub falso titulo περὶ λειτμώνων. Nouellam Harmenopulus appellat, non edictum *lib.* 1. *tit.* 3. Non video autem cur à Nouellis ea edicta separanda fuerint, cum tamen edicta περὶ ἀπελαινόντων & περὶ πίστεως ὥστε ἁρπαδεμβύους τὰς ἄρχοντας, &c, inter Nouellas referantur. In legibus antiquis Caroli & Ludouici ita est scriptum: *Ne x. anni vel xx. vel xxx. annorum præscriptio religiosis domibus opponatur, sed sola* XL *annorum curricula. & non solum in ceteris rebus, sed etiam in legatis & hereditatibus.*

Cap. VI.

Emendatio §. quoniam l. cum tabulis, D. de his quæ vt indig. auf. siue de concubinis.

QVi dicuntur filij naturales siue nothi, spurij aut vulgo quæsiti non sunt. Nothi sunt qui ex concubina domi sine nuptiis vxoris loco retenta, quam Græci παλλακὴν vocant, nascuntur. Spurij qui & σκότιοι, & terræ filij patre incerto geniti quasi ἀποφάδην (sic legendum apud Valeriũ siue Iulium Paridem lib. 10.) ex scortatione, stupro, adulterio, incesto: quæ vitia in concubinam non cadunt. Est enim legibus probata, & vt eleganter Iulianus Anteceſſor ait in *Nouel.* 18. legitimam vxorem imitatur. Nothi ex constitutionibus ab intestato aliquid iuris in bonis parentum habent, non extantibus filiis legitimis, quin & ex testamento extantibus legitimis vnciæ, non extantibus etiam solidi ex *No.* περὶ νόθων capacitatem habent. Spurii ex vtraque causa incapaces sunt, ac ne alimentis quidem digni, quæ tamen nothi habent etiam ab intestato extantibus filiis legitimis. Nothos nusquam spurios aut vulgo quæsitos appellari dico. Nec proferat mihi quisquam in hanc rem §. *quoniam, l. cum tabulis, D. de iis quæ vt ind. auf.* Est enim meo quidem iudicio nondum is §. bene à quoquam aut restitutus aut explicatus. Restituendum vero ipse ac explicandum ita censeo. Concubinatus pugnat cum stupro, stuprum lege Iulia vindicatur. Concubinatus nulla lege vindicatur. Cum ingenua struprum committitur, nec potest cum ea concubinatus constitui nisi vel testato, vel sine testatione si obscuro loco nata sit vel vulgo quæstum fecerit *l. in concubinatu, D. de concub.* Vulgo, non palam dico. Sunt hæc diuersa *l. probrum, D. de rit. nupt.* Ad hæc stupro cognita, non etiam quæ in concubinatu fuit, nihil ex eius cui benigne fecit, testamento capere potest. Cùm concubina est connubium. Cum stupro cognita non est connubium. Cocceius Cassianus V. C. Rusinam ingenuã honore pleno dilexit. hic est honor maritalis, quo secernitur vxor à concubina, *l. item legato §. penult. De legat. 3. l. donationes, D. de donatio.* Concubina enim matris familias honestatem non habet, nisi patroni concubina sit, *l. probrum, D. de rit. nupt.* Post Rufinæ mortem filiam eius, id est, priuignam suam in concubinatum assumpsit. Non est nouum hoc, vt, cum qua non est connubium, sit concubinatus. nam & cum ancilla, cum adulterii damnata, cum quinquagenaria, cum muliere eius prouinciæ in qua quis officium administrat, est concubinatus, non etiam connubium. Ergo iure priuignam Cassianus in concubinatum habuit. Atqui erat ingenua, vt pote Rufinæ ingenuæ filia. Ceterum eam vulgo quæstum fecisse apparuit. Sic legendum arbitror. Nam & Flor. *quæsitum* legitur. non *quæsitam*, sine verbo tamen, *Fecisse*, quod, vt & alia aliis locis me auctore licebit addere. Iure ergo eam Cassianus in concubinatum habuit. Proinde quod ei sub alumnæ appellatione Cassianus reliquit quasi educasset eam vna cum matre, iure relictum videri, nec quasi cum ea commisso stupro auferendum, Seuerus & Antoninus iudicauerunt. Fuit enim cum muliere ingenua quæ vulgo quæstum fecerat, concubinatus, non stuprum. Hæc est huius §. sententia. Hodie concubinatus non legitimæ coniunctioni, sed scortationi deputatur, quod plerisque placet, & relata hac de re est Constantini Porphyrogennetæ constitutio quædam apud Harmenopulum, quod ius diximus constitutionibus tribui nothis, nullis tribuetur. Ex eo enim necessario consequitur, filios ex concubinatu susceptos spurios esse, concubinas scorta non concubinas vt in *Nouel.* 18. de duabus concubinis eodem tempore domi retentis, & ex eis susceptis filiis Iustinianus dixit. Denique nullos esse hodie nothos, nullos filios naturales.

Cap. VII.

Ad l. cum heredes, C. qui testam. fac. poss.

NOn esse differentiam inter principem & priuatos quod ad ius capiendi attinet ex testamento vel codicillis, Impp. Valens, Valentinianus & Gratianus definierunt in *l. cum heredes, C. qui test. fac. poss.* quod postea Theodosio displicuit, cuius constitutio extat in *l. 2. C. Th. de testa.* Ius enim sibi ipse ex codicillis vel epistolis fideicommissariis capiendi ademit, non etiam priuatis. De ea Theodosij constitutione Symmachus V. C. scripsit in quadam ex eis epistola quæ nondum editæ sunt. Tot vero sunt ferè non editæ, quot editæ, quarum, si quis typographus poposcerit, facturi copiam sumus libenter, vt istius nunc facimus, cuius verba hæc sunt. *Cum ciuiles & bellicas laudes Domini nostri Theodosij stili honore percurrerem, magis eum contigisse in communia, quam satisfeciſſe singulis fateor: & leges eius bonis pacis admiscui, quas vt noueram priscis ademisse admirationem, ita seruasse nobis parem gloriam non putabam. Verum hæc recens cautio de fideicommissis & codicillorum commodis ab optimo principe in æternum repudiatis tantum claritudine egreditur lucem superiorum, quantum augustius est regendis, quam subditis modum ponere. Atque vtinam priuata auaritia mentem intelligat latoris, & mores de legibus trahat. Neque enim latet quid sponte ceteros velit facere qui suspecta compendia primus exhorruit. Ego certe vereor ne improborum sitis ad se existimet peruenire quæstum caducum, fiatque innocentium causa deterior si ad eos tantum falsi redeat occasio, qui neque lege neque pudore cohibentur. Ergo quia dominorum condicio restrictior est: priuatis cupiditatibus, medicina iuris occurrat. Frigentia diu apud homines criminosos vetera decreta, quorum vigor cum latoribus suis occidit. Tantum denuo legibus seueritatis addendum est, quantum flagitia creuerunt. Alioquin si maioris partis deseritur emendatio, frustra se asperis sanctionibus solus Imperator adstrinxit, qui bonus semper & integer fuit.* Imperator autem Iustinianus non hanc Theodosij, sed illam Valentis constitutionem magis probauit. Illam enim retulit in suum Codicem, ex Theodosii eam tantum partem sumpsit, quę pertinet ad quæstionem falsi motam super codicil-

lis aut epistolis, ex quibus relicta priuati petunt, *l. vlt. C. ad leg. Cor. de fal.* Symmacho magis probatur ius vetustissimum, non in principis modo, sed & in priuatorum causa, vt codicillis saltem epistolisque relicta fideicommissa nullo iuris vinculo continerentur. Quod & ipse, cum falsi materiam ingentem submoueat, sequor non inuitus.

Cap. VIII.

Capsarij, Fugitiuarij.

CApsarios esse eos qui in balineis mercede vestimenta seruanda suscipiunt Paulus scribit in *l. 3. §. vlt. D. de off. pref. vig.* quod nullum alium auctorem scio qui dilucidius confirmarit, quam Epiphanium in *Panarij libro secundo*, dum Adamianorum pessimos ac nefandissimos mores describit, quos inter cetera nudis corporibus refert conuentus habuisse in hypocaustis, & ad fores adstitisse ipsis quosdam capsariorum instar, qui eorum vestimenta susciperent & custodirent. Verba Epiphanij hæc sunt: *φεῦτον γὰρ φασὶ τοὺς τοιούτους, τὰς αὐτῶν ἐκκλησίας ἤτοι φωλεὸς καὶ σπήλυγγας ἐν ὑποκαύσοις οἰκοδομεῖσθαι. ἐν ᾧ τῷ εἰσιέναι, ἱματιοφύλακές εἰσί τινες φεὸς ταῖς θύραις δίκην καμψαείων, ὑπ' αὐτῶν ὑποτεταγμένοι.* Pars ea balinei, in qua constituebantur capsarij, *ἀποδυτήριον* dicebatur. Dicuntur alia significatione capsarij, qui pueris euntibus in scholam libros portant, *l. 13. D. de man. vind.* quo pertinet illud Iuuenalis Satir. *10. Quisquis adhuc vno partem colit asse Mineruam. Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.* Suetonius in Ner. Cum pædagogis & capsariis necatos. Fugitiuarij autem in *l. si apud te, D. de præscr. ver. & l. 1. C. Th. si vag. pet. manc.* hi videntur esse qui fugitiuos seruos persequuntur. quod hic L. Annei Flori locus indicat *lib. 3.* dum bello seruili vti capta fuerint prætorum castra, fugatique ciues narrat: *Ita*, inquit, *qui per fugitiuarios detrahi debuissent, prætorios duces profugos prælio ipsi sequebantur.* Sic ex duobus antiquis nostris exemplaribus legimus. Sic ex suis legit Elias Vinetus vir de bonis literis optime meritus. & ita Varro *Aqua finienda ne fugitiuarius sit parandus. Paulus 1. Sent. tit. de fugit. Seruus à fugitiuario comparatus intra x. annos manumitti citra prioris domini voluntatem non potest.*

Cap. IX.

Ad l. si vindicari, C. de pœnis.

QVod constituitur in *l. si vindicari, C. de pœnis*, pugnare videtur cũ eo quod iidem Imperatores ante constituerunt in *l. penul. C. de custo. reo.* vt conuictum velox pœna subduceret. Dantur namque in *l. si vindicari*, conuicto & damnato à principe iusti dies xxx. cui constitutioni quid causam præbuerit ex Theodorito, Sozomeno, & aliis alij notarunt. Nescio an adhuc quisquam indicarit id iuris à Sidonio Apollinari S. C. Tiberiano tribui 1. Epist. *Ex vetere* inquit, S. C. *Tiberiano xxx. dierum vitam post sententiam trahit.* & Corn. Tacitum *lib. 3.* itemque Suetonium in *Tiberio, cap. 75.* non xxx. sed x. tantum dierum spatium S. C. quod auctore Tiberio factum est, damnatis prorogatum scribere. Igitur cum Tacito & Suetonio pugnare Sidonium, nisi quod adiecit dierum Theodosius, id etiam S. C. Tiberiano deputaueris, vt sæpe quod legibus Iuliis additum est posterioribus constitutionibus, nihilominus constat Iustinianum legibus ipsis adscribere multis in locis. Confirmata autem vel restituta stitica Theodosij Constitutio No. Nicephori Botoniati *περὶ τοῦ μὴ ἔσωθεν ἡμ λ' ἡμερῶν γίνεσθαι σωματικὴν ποινὴν*, quam habemus, & ab Eustathio breuiter iis verbis expressa, *μ λ ἡμερῶν ἡ ὀργὴ τοῦ βασιλέως λύεται.*

Cap. X.

Consortes, Sors, Hereditas.

COnsortes cum dicimus, communionem significamus. Atque ita consortes eusdem litis sunt, quorum communis lis est, qui simul litem contestati sunt. Frequenter autem de fratribus hoc dicimus qui pro indiuiso cõmune patrimonium habent, fratres esse consortes. Sic loquitur Paulus in *l. si is qui tres, D. de exc. tut.* Sic Velleius Paterculus. *Fulnij*, inquit, *Censoris frater & quidem consors.* idemque de eodem Liuius xli. Cicero *4. Ver. Cum ex agris tres fratres consortes profugissent.* Plinius 8. Epist. *Consors frater in patris potestate emancipatam filiam adoptionis fraude reuocauerat.* Ausonius in monosyllabis. *Tum Ionis & consors germanus Tartareus Dis.* Prosper Aquitanicus in *Chronico. Attila rex Hunnorum Bledam fratrem & consortem suum perimit.* Horatius. *Consortem socium fallat & hospitem.* Et hæc inter fratres consortio aut voluntaria est, vt si consensu societatem contraxerint, *l. cum duobus §. idem Papinianus, D. pro socio.* aut necessaria, vt si à parentibus indiuisas hereditates acceperint. Non omnes igitur fratres consortes sunt. Hi tantum consortes sunt, quos vel voluntas congregauit, vel fortuna coniunxit. Festus siue Paulus inter consortes ait ercti citum & disertionem fieri. quod fit arbitrio familiæ erciscundæ vel communi diuidundo. Existimo autẽ apud Paulum esse legendum *disortionem.* Vt enim consortem & consortionem dicimus, ita & disortem & disortionem. Augustinus in Grammatica. Consors & disors in genitiuo singularitis habent. Disors autem dicitur dissimilis sortis, Ouidius. *At mea sepositа est & ab omni milite disors, Gloria.* Eadem vera ratione reliquos propinquos & extraneos consortes dicemus: quorum est hoc quoque proprium, vt siue fratres, siue propinqui, siue extranei sint consortes, inuicem habeant ius *φειπώσεως* ex No. Romani Lacapeni, quod non habent qui consortes non sunt, etiamsi propinqui sint. Vt Græcis *κλῆρος*, sic Latinis sors hereditas est. Galli quoque hereditatem vocant *Eschoite*, quasi sorte obtigerit. Appellationis ratio nota est, nec vero eadem cum ea propter quam hereditatem dicimus. Hereditas enim, vt recte Cassiodorus scribit in *Psalmum 2. & 15. & 77.* ab hero dicta est, id est, domino, quod eam iure legitimo dominus possideat. Quod & nos probauimus iam *lib. 2. Institutionum tit. de hered. qualit. & diff.* Si quis vero miretur quod quæ in here-de syllaba producitur, ea in hero corripiatur, legat Gellium *lib. 12. cap. 3.*

Cap. XI.

Loci quidam Cæsaris & Plinij emendati, & quid sint coactilia & impilia apud Vlpianum.

COactilia in *l. argumento, D. de auro & arg. leg.* indumenta sunt strictius compacta ex villis crassioribus, quo ex genere petasi *κυμαῖαι* & galbinæ vel meliora alia quædam quæ ex lanis xylinis, caprinis, ouillis conficiuntur, cuiusmodi sunt Thoracomachi qui loricas superinducuntur. Plinius *lib 8. cap. 48. Lanæ & per se coactam vestem faciunt.* Sic legendum, vt tunicas ex coactis factas apud Cęsarem III. de bello ciuili. Lego ex veteribus coactis, non vt vulgo, sub coactis, Studiosè cum auctorem conferens cum scriptis

codicibus, id etiam reperi *lib.* 2. *de bello Gallico*, dum recenſentur Galliæ populi qui in Cæſarem arma ſumpſerunt, pro Catuacos, legendũ Atuatucos, qui quales ſint non ignoratur. Hi ſunt qui Aduatici dicuntur, à Dione Ἀτυατικοί, in libris ſcriptis modo Atuatuci, modo Atuatici & Atuatuca vrbs. Sic legendum *lib.* 7. *Impedimenta omnium legionum Atuatucam contulit. Tribus horis Atuaticum peruenire poteſtis. Ipſi Atuatucam contendunt.* Catuaci vero illi penitus ignorantur. Inueni quoque *lib.* 5. illo loco, *Omnes vero ſe Britanni glaſto inficiunt, quod ceruleum efficit colorem*, non *glaſtro vel vltro*, vt eſt apud Pomponium Melam ſcriptum, ſed *nitro* eſſe legendum. Quod confirmat Vitruuius *lib.* 7. *c.* 11, qui ex nitri flore ceruleum fieri ait, Aut vitro potius herba infectoria. & ita legendum *Plinij* 36. *cap.* 6. ex Vitruuii 7. *cap. vlt.* Oribaſius. Iſatis quam Gothi viſdilem vocant, tinctores herbam vitrum. Lucianus. ὑάλῳ φαιχρίει. Porro in eadem *l. argumento*, Vlpianus ait impilia veſtis loco eſſe. Plinius *lib.* 19. *cap.* 2. eſſe laneam naturam, ex qua impilia veſteſque quædam conficiuntur. Sic habent manuſcripti. male impreſſi, *mapalia*. Impilia vocat quæ VIII. φελ φυτῶν Theophraſtus, ex quo illa ſumpſit πέδιλα An igitur faſciæ pedules & impilia idem? Pedules ſic dicuntur, vt pedula auctore Feſto, quæ Græci πέδιλα vel πόδια. Gloſſæ Philoxeni empilia interpretantur vdones, à quibus tamen ea ſeparat Vlp. in *l. argumento.*

Cap. XII.

Explicatur §. *vſuræ*, *l. tutor*, *D. de adminiſtrat. tut.*

TVtor primo anno intra ſex menſes pecunias collocare debet, *l. ſi tutor*, *D. de admin. tut.* idoneis ſcilicet nominibus. Sequentibus annis ſingulis duo ei menſes dantur, quorum ratione nullę ab eo pecuniarum vſuræ exiguntur. Detrahuntur hi duo menſes ex ſingulis annis in ponenda vſurarum ratione, quod tantum temporis ad exigendas, & rurſus collocandas pecunias tutori ſuppetere neceſſarium videatur. Dixi, ſingulis annis: idque *l. tutor* §. *vſuræ*, *D. de adm. tut.* adiiciendum cenſeo ex *Nouel.* 72. & ex ſcholio apud Conſtantinum *lib.* 5. *Epit.* appoſito ad ſententiam *l. ſi tutor*, in hunc modum: τὸ ὃ εἰρημένον φελ ἧς δύο μηνῶν, νόησον φελ ἑκάστου τῆς ἐνδεμονίας, vbi φελ ἑκάστου ſic accipitur, φελ ἑκάστου ἐνιαυτοῦ vel χρόνου. Ergo ſingulis annis eximitur illud duorum menſium ſpatium, cuius nullæ pupillo præſtantur vſuræ, atque ita ei vſurę non præſtantur ſtatim, id eſt, perpetuo & perſeueranter, ſine intermiſſione, ſine laxamento. Sic accipi ſæpe in aliis auctoribus duo celebres Grammatici notarunt, Nonius & Donatus. quod ſi pecunias tutor in ſuos vſus conuerterit, ſtatim ab eo exigentur vſuræ, id eſt, ſine illo laxamento duorum menſium. quod Græci his verbis exprimunt, τοῦτο ὃ ἐκ ἔστιν ὁπὶ τῆς συγχρησαμένου.

Cap. XIII.

De ſolemnibus manumiſsionum ex XII. *tabul. & de viceſima manumiſſorum.*

EX veteribus auctoribus quos habemus, circumductiones illas & iniurioſa ῥαπίσματα quæ in manumiſſionibus interueniebant ex XII. tabul. quorum Iuſtinianus meminit in *Nouel.* 81. *& l. vlt. C. de emanc. lib.* nemo melius deſcripſit, quam Claudianus in *libro de IV. Conſulatu Honorij* his verſibus.

Te faſtos ineunte quater, ſolemnia ludit
Omina libertas, deductum vindice morem
Lex celebrat, famuluſque iugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu,
Triſtis conditio pulſata fronte recedit
In ciuem, rubere genæ, tergoque remouit
Verbera promiſſi felix iniuria voti.

Hæc ita legibus XII. tab. agebantur non in ſeruorum modo, ſed & in filiorum manumiſſionibus: atque ideo manumittere ſic dicimus, quaſi palma ſiue colapho infracto dimittere. Ambroſius 2. *Epiſt. Libertas quam manumiſſus accipit, & palma lictoris donatus acquirit.* Cornutus in Perſium. *Quotiens*, inquit, *manumittebant, eos alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant.* Seneca 1. *Epiſt. Qui ſe philoſophiæ ſubiecit & tradidit, ſtatim circumagitur.* id eſt, fit liber. Vnde manumiſſio dicta eſt, eo quod manus ei immitterentur. Quod ait de circumactione quam Iuſtinianus circumductionem, alij vertiginem vocant, Arrianus bellè confirmat in Epictetum *lib.* 2. his verbis: ὅταν τρέψῃ τὶς ἐπὶ τραπηζῆ τὸν αὐτὸ δοῦλον ἀδὲν ἐπιήσειν; ἐπίησε τι, ἔστρεψε τὸν αὐτὸ δοῦλον ἐπὶ τραπηζοῦ. ναὶ, ἀλ' εἰκοστὸν αὐτὸ δοῦναι ὀφείλει. & id maxime notandum quod ait de danda viceſima manumiſſi, quæ introducta eſt lege lata C. Mario & Cn. Manlio Coſſ. vt T. Liuius ſcribit. Ad quam pertinet etiam quod ita ſcribit lib. 3. ὁ δοῦλος ἐνδὺς, εὔχεται ἀφεθῆναι ἐλευθέρος. διάπ, δοκεῖ τι ὅτι τοῖς εἰκοστώναις ἐπιθυμεῖ δοῦναι ἀργύριον. Significat eum qui appetit libertatẽ, pecuniam viceſimariis dare cupere. Redemptores viceſimæ εἰκοστῶναι dicuntur, vt δημοσιῶναι, ἐωνᾶναι, σιτῶναι, ὀψῶναι,

Cap. XIV.

De immodicis & inofficioſis donationibus.

SI parens vni ex liberis vltra dodrantem, vel ſecundum. No. Iuſtiniani, vltra beſſem aut ſemiſſem donauerit, vel etiam ſi totum ſuum patrimoniũ in vnum ex liberis contulerit (quod eſt in Conſtitutionibus poſitis ſub titu. de inof. don. patrimonium exhaurire, exinanire, vacuefacere, euiſcerare, & in *No.* 92. exantlare, ſiue ἐξαντλεῖν) ceteris liberis datur actio, qua donata reuocantur pro quadrantis aut trientis hodie ſemiſſiſve ratione. Donationẽ aſſem in ve partẽ virilẽ reuocari nuſquam legitur. Debitam tantum portionem reuocari aut repleri confirmant admodum multæ conſtitutiones tituli de inoff. donat. & quod Symmachus in epiſtolis ſcribit his verbis: *Actionem ex Placidiani V. C. nomine, qui pater puellæ fuit, immodicarum donationum cauſa manaſſe reſpondit, ſupplementum vero vnciarum ab herede Placidæ aſſeruit poſtulari.* Et quod Iuſtinianus in *No.* 92. cuius ſpeciem ita recte ex Magiſtro Harmenopulus poſuit. Pater quatuor habet filios, Primum, Secundum, Tertium, Quartum, & lx. libras auri in bonis. Singulis ergo pro debita portione debet quinque. Primo & Secundo donat directo xxx. libras. Teſtamento autem reliquorum bonorum diuiſione facta inter omnes liberos Primo & Secundo xxv. libras attribuit, Tertio & Quarto aſpergit quinque. Placet Tertio & Quarto ſupplendarum aliarum quinque librarum aduerſus fratres Primum & Secundum actionem dari, atque adeo in ponenda Falcidia non præſentium modo, ſed etiam ante donatorum bonorum rationem haberi. Subiicit & eius No. ex alio auctore vt breuem & elegantẽ epito. οὐδὲ διὰ τὸ γενομένησε ἴσπνα φελ παίδων ἀμέτρου δωρεᾶς παρὰ τὸ γονέως αὐτῦ, μειῶται ὁ φαλκίδιος τοῖς λοίποις ἀδελφοῖς, εἰ μη ἄρα ἀχάειστοι εἰσίν. Nec huic ſententiæ vllo modo aduerſatur *l. Titia Seio* §. *Imperator*, *D. de lega.* 2. dum extantibus nepotibus duobus, & in vnum ab auia collata donatione immodica, alteri ait donatorum pro dimidia parte reuocationem dari. Dimidiam enim quartæ partis intelligit, idque ita explicari conuenit ex *l. ſi mater*, *C. de inoff. don.* Quod veriſſimum & apertiſſimum eſt.

A

Cap. XV.

Ad l. si de vi, D. de iudiciis.

QVod dicitur mota conuersia proprietatis & possessionis prius de possessione, quam de proprietate cognoscendum esse, malè nostri interpretes probari putant eo quod refertur Adrianum Pium nõ modo rescripsisse, sed etiam decreuisse in *l. si de vi D. de iudic. l. 5. D. ad leg. Iul. de vi publ. Si de vi*, inquit, *& possessione quæratur*. De vi quæritur duobus modis, ciuiliter & criminaliter. Ciuiliter, per interdictum *Vnde vi*: Criminaliter, legibus Iuliis, *l. 1. §. 1. D. vnde vi. l. 4. C. eo. l. 1. C. quan. ciuil. act.* Cum de vi ciuiliter quæritur, & de possessione restituenda quæritur. Est igitur de vi & de possessione tunc vna eademq; quæstio. Cum de vi criminaliter quæritur, diuersæ sunt quæstiones. Nec enim quidquam possessorium iudicium cum criminali commune habet, *l. si quis, C. ad leg. Iul. de vi.* Proinde in *l. si de vi*, fingendum non est de vi ciuiliter quæri: quandoquidem separat in ea Callistratus vim à possessione, & duas quæstiones facit, vnam de vi, alteram de possessione, cui adiungit Martianus in *d. l. 5. vel de dominio.* Fingendum igitur de vi criminaliter quæri, de proprietate vel de possessione ciuiliter. quod & legum ambarum inscriptiones suadent. Vna est ex Callistrati *v. de cognitionibus*, Altera ex *Martiani IIII. Institutionum*, qui libri, vt ex indice Labitti nostri, viri optimi & doctissimi constat, omnino ad res criminales spectant. Restat in eis legibus non hoc proponi, prius esse cognoscendum de possessione. Maiorem quæstionem minori præferri, quod sæpe alias fit *l. vlt. C. de ord. cog.* Ceterum pugnat valde cum ea sententia *l. 1. C. de appel. l. si quis, C. ad leg. Iul. de vi.* & fateri cogimur ita quondam rescripsisse & decreuisse Pium, idque tantummodo à Callistrato & Martiano referri. Nihil vero ab ipsis disputari ea de re atque concludi. Posteriores constitutiones esse sequendas. atque his similia quædam annotauimus in *l. 5. D. qui testam. fac. poss.*

Cap. XVI.

De vicesima hereditatum loco.

SCio multa esse in Pandectis vexata ab interpretibus, quæ nisi ex iure antiquo repetita interpretatione nunquam quisquã liquido explicaturus est, præsertim in libris de legatis, & vnum inter cætera in *l. cum filiof. D. de leg. 1.* quod etiam si indicaui, vix vlli occurret, nisi iuris antiqui peritissimo. Sed hoc nollo. Est aliud in *l. filiusfam §. Diui 2. eod. tit.* quod explicare decreui. Vt ante Iustiniani *Nouellam 119.* præceptũ testatoris alienationem prohibentis non erat fraudi heredi quo minus quartam detraheret ex lege Falcidia, vt non est fraudi creditoribus quo minus pignora distrahant, ita fisco non est fraudi quo minus detrahat vicesimam ex lege Iulia. Bonorum alienatione vetita excipiuntur pignora, excipitur vicesima. & hoc est quod ait in *eo §*, nec creditoribus ea præcepta testatorum, nec fisco fraudi esse, ab interpretibus malè perceptũ. Excipiebatur & Falcidia, quæ tamen hodie cum possit prohiberi, & prohibitione illa comprehenditur. De vicesima scripsi in Sententiis receptis Pauli.

Cap. XVII.

De interdictis, edictis, actionibus.

INterdicta etiam decreta vocantur §. *1. vers. sunt tamen. Instit. de interd. l. 1. D. de tab. exhib.* M. Tullius pro Cecinna: *Nego me ex decreto prætoris restitutum esse.* & paulo post: *Non sum ex decreto restitutus.* Actionis quoque verbo interdicta continentur, *l. actionis, D. de obl. & act. l. 3. D. de mort. inf. l. ob id §. vlt. D. ad l. Aquil.* idem Tullius in eadem oratione: *Hanc puto me habere actionem, vt per interdictum meum ius teneã.* & infra. *Huiusce generis vna est actio per hoc interdictum quo nos vsi sumus.* & paulo post coniunctim, *Huius rei interdictum atque actionem.* Ergo interdictum actio est. Actio formula quædam prætoria. Interdictum quoque formula est siue ὁμωλία, vt Theophilus ait §. *1. & §. pen. de interd.* id est, sermo siue effatum quoddam prætoris. Vtrumque in albo proponitur *l. 1. C. de interd.* Vt interdictum non tantum de possessione editur vel quasi possessione, sed & de proprietate interdum & quasi proprietate, *l. 2. §. quædam, D. eod.* Sic actio non tantum de proprietate vel quasi, sed & de possessione potest esse, vt condictio incerti, per quam possessio condicitur, *l. 2. D. condict. trit. l. heres, D. ad Treb.* Non omnis tamen actio interdictum est. Hinc quæritur quid interdictum distet ab actione, quæ interdictum non est. Ego qua consueui breuitate vtar. summa differentia hęc est, Interdicti & actionis ordinem, solemnitatem, executionem formulam esse diuersam, effectũ eundem. Quod exemplis comprobari facile potest. Possessionem repetimus per interdictum vnde vi, aut per condictionem incerti, *l. 1. §. restituere, D. vti poss. l. vlt. C. de action. empt.* Vtriusque idem est effectus. Tam enim per condictionem, quam per interdictum possessionem, qui agit, adsequitur. Ordo & formula diuersa est. Ad interdictum ibatur vi & deductione quadam moribus facta, aduocatis amicis in rem præsentem, vt constat ex oratione pro Cecinna, quæ obseruatio & diligentia nulla erat in condictione incerti. Interdicti formula hęc erat, *Vnde tu illum vi deiecisti, eo restituas.* Actionis hæc, *si paret illum illi per vim possessionem abstulisse neq; restituetur, L. Titius iudex esto.* Ceterum vtraque actio penitus est in personam. Quod non ita contingit semper. Nam interdicta omnia vi ipsa personalia sunt, licet quandoque non in personam, sed in rem scribantur, *l. 1. §. pen. D. de interd.* Actiones aliæ in rem, aliæ in personam, aliæ vi & scriptura sunt eiusmodi, aliæ vi tantum non scriptura, vt Quod metus causa, quam tamen si malit actor in personam scribere, non prohibebitur, licet contra illas quæ in personam scribi solent, vtique semper necesse sit ita scribi. Sequuntur alia exempla. De arboribus cædendis est interdictũ, est & actio ex XII. eiusdem potestatis, non eiusdem ordinis & formæ. De precario est interdictum, est & condictio incerti, Vtriusque finis & effectus idem, ratio agendi diuersa. De reuocandis iis quæ in fraudẽ creditorũ gesta sunt, est actio in factũ siue Pauliana quæ proponitur, in *l. 1. D. quæ in fraud. cred.* & interdictum fraudatorium, quod proponitur in *l. ait prætor. eod. tit.* vbi quod subiicitur de actione in factum causa cognita in ignorantem danda, referri oportet ad actionẽ Paulianam priore loco propositam. Vtriusque vero idem fere est effectus, executio non est eadem. De tabulis proferendis heredi interdictum datur. datur & actio ad exhibendum. Idem vtraque consequitur, non eodem tamen ordine. De executione interdictorum eleganter Aggenus Vrbicus libro secundo (edito inte-

griorem intelligo) ita scribit. *De loco si possessio petenti firma est etiam interdicere licet, dum cetera ex interdicto diligenter agantur. Magna enimalea est litem ad interdictum deducere, cuius est executio perplexissima. Si vero possessio minus firma est, mutata formula iure Quiritium peti debet proprietas loci.* Illa verborum differentia, cui causam dat varietas illa formularum, omittenda non est. Interdicere commune esse prætoris & actoris. Agere actoris proprium. Prætorem qui interdictum dat, interdicere. Prætorem qui actionem dat, non agere. Nunc de eo videamus quod interpretes quærunt, quare distet edictum ab interdicto. Id quæri censeo perquam inscitè. Cur enim de edicto & actione idem non quærunt? Vt actiones edicto promittuntur, sic & interdicta, nempe his verbis, Interdicam, Decreto comprehendam, Interdictum dabo, iudicium dabo, & inde Paulus 4. *Sent. Edicto*, inquit, *perpetuo cauetur, vt interdicto reddito agi possit. Is vero in quem ex edicto interdicitur si rem velit defendere, de ea iudex sumitur, cuius arbitratu absolutio vel condemnatio fit. Quod si rem non defendat, in bona eius itur.* Vnus est locus in Pandectis, in quo malim pro, *Interdictum*, legere, *Edictum*. Neque enim puto his auctores abuti vocabulis. Locus ille est in *l. prator ait*, §. *1. D. de no. op. nunc.* in quo interdictum, quod ex noui operis nunciatione competit, cuius hæc est formula, *Quod aduersus edictum factum sit*, vti constat ex *l. 5. §. si quis forte, l. si opus, l. adibus, l. pen. l. vlt. D. eo.* Quod aduersus interdictum factum sit competere dicitur, cur ex tot locis vnus ille non emendabitur? Similis error alias insedit in *l. 1. §. 1. D. ne vis fiat ei qui in poss.* & *l. 2. C. quor. bon.* & *l. 1. §. annus, D. vnde vi.* Denique vt contra actionem facere, sic contra interdictum facere vix credam recte dici. Extremum illud est vt moneamus ordinem actionum & interdictorum hodie esse sublatum. Erant hæc duo remedia ordinarii iuris. Inde Frontinus, *De possessione*, inquit, *per interdictum, id est, iure ordinario litigatur.* Et Spartianus in Pescennio, de imperio cum Seuero Iulianum egisse ex interdicto vti possidetis, vt iure scilicet ordinario ad principatum peruenisse videretur. Tribuuntur interdicta iuri prætorio. vere. At Petronius Arbiter in Satyrico, *Dixi*, inquit, *iure ciuili dimicandum, vt si nollet alienam rem domino reddere, ad interdictum veniret.* Ius ciuile pro prætoris ordinatio iure vsurpat: vt M. Tullius pro Cecinna, *Quid denique ad ius ciuile*, inquit, *aut ad actoris notionem & animaduersionem?* Dixi interdictorum hodie nullum ordinem esse. Hoc igitur dixi de possessione & ceteris causis quę interdictis continentur, hodie per formulam & veteri more non disceptari sed extra ordinem, non directo, sed vtiliter, non recto interdicto, sed quasi interdicto siue exemplo interdicti, *l. 2. & 4. C. vnde vi, l. vlt. C. de lib. exh.* id est, actione vtili, extraordinaria, in factum, §. *vlt. Inst. de interd.* Inde titulus *lib. 43. Pandectarum* sic est à Triboniano conceptus, *De interdictis siue extraordinariis actionibus, quæ pro iis competunt.* Addidit Tribonianus illa, *Siue extraordinariis*, quæ absunt ab indice titulorum præposito Pandectis Florentinis. Et vero earum actionum in Pandectis nusquam fit mētio, idque solum in eis proditum est ex causa interdicti de migrando, inquilino extra ordinem subueniri, *l. 1. D. de migr.* ac de eis male fuit semper acceptus §. *nonnulli, l. prætor ait, D. de no. op. nunc.* Nec enim versus ille diuelli debuit ab eo §. qui præcedit, in quo an interdictum, Quod aduersus edictum factum sit, detur aduersus heredem eius qui fecit quæritur, & relata sententia Labeonis, subiicitur (Sic Flor. scriptum ἐλλαττινῶς (*Nonnulli putant in factum esse dandam quam interdictum*, quod verum est. Verum est igitur heredem eius qui contra nunciationem fecit, in factum potius teneri, quam interdicto illo restitutorio, quod ex noui operis nunciatione reddi solet. Neque enim heres qui nihil fecit, opus restituere & in pœnam defuncti succedere debet, *l. pen. D. eod. tit.* Ergo proprie interdicto restitutorio non tenetur, sed in factum actione ob rationem calculi & indemnitatis, vt scilicet eius quod ad eum peruenit ratio subducatur, & ita in heredem eius qui dolum malum aut vim adhibuit, in factum potius, quam de dolo actionem vel interdictum vnde vi dari constat. At de illis extraordinariis actionibus quæ instar interdictorum dantur, agunt Imperatores in *l. vlt. C. de interd.* dum ruptis veteribus ambagibus, id est, misso veteri ordine, actionem vtilem quæ pro interdicto competit, vt puta actionem vnde vi, statim esse proponendam aiunt, & ideo in *l. penult. eod.* cum dixissent de possessione agi competentibus actionibus, id mox ita explicant, vt non interdictis agatur sublato iam iudiciorum ordine, sed actionibus institutis ad exemplum & similitudinem interdictorum. Hæc habui de interdictis, in quibus ad cognoscenda interdictorum iura viam sibi quisque munire facile potest.

Cap. XVIII.

De vi vlciscenda & defendenda.

VT contra vim vi experiri, & arma armis propulsare liceat iure omni comparatum est, naturali, gentium, & ciuili. Noti sunt auctorum cum nostrorum, tum exterorum loci. Id vero fieri debet non supra modum, sed cum modo æquo & pari, vel vt est scriptum in *l. 1. C. vnde vi, cum moderatione inculpatæ tutelæ*, id est, cum defensione æquabili & remota ab omni culpa. Est igitur modus aliquis propulsandæ vis, qui tunc maxime seruatur, cum eam defendendo propulsamus, id est, quatenus nostri nostrumve tuitio exigit, non vlciscendo. Vim manu & viribus defendere licet. vlcisci non licet nisi legitimis actionibus, *l. scientiam*, §. *qui cum aliter, D. ad leg. Aquil.* Ideoque possessionem mihi per vim ereptam confestim vi repetere possum, non ex interuallo. Confestim, id est, inlico, in ipsa concertatione atque congressu, *l. 3. §. eum igitur, D. vnde vi.* Quæ enim ex interuallo vis infertur, cogitate infertur nec tam ad defensionem, quam ad vltionem spectat, & ob id in lege quoque Atheniēsium de vi & contumelia propulsanda apud Demosth. additur articulus ἐυθὺς. Theodorus Hermopolites ad *l. 2. D. quod met. can.* τὸ παραχρῆμα ἐντὸς δύο νύχ ὥρων. Quod sumpsit ex contextu lib. 60. βασιλικῶν *titul. 17. cap. 9.* in quo ita est: ἐυθὺς ἐ μὴν τοι μεταδιωκίαν. Idem & ad *l. scientiam, D. ad leg. Aquil.* Græci ex eodem loco notarunt.

Cap. XIX.

Ad l. 2. C. de interdictis.

CVm *l. 2. C. de interd.* coniungenda est *l. 1. C. vbi de hered. agi.* vtriusque eadem est inscriptio & subscriptio. Est namque in *l. 1.* vt veteres libri docent. pro *Messalæ*, legendum *Messiæ*. Sensus quoque vtriusque congruit & cohæret satis. Si sit controuersia de hereditate inter institutos & legitimos vel substitutos, instituti recte desiderant se interim mitti in possessionem rerum hereditariarum ex edicto D. Adriani. Id vero desiderant à præside eius prouinciæ in qua sunt res hereditariæ. Tum de hereditate litigant apud eundem, si & in ea prouincia is cum quo agitur, degat. Alioquin domicilium sequuntur rei. Nam præses de hereditate atque adeo de proprietate, de iure, non potest cognoscere in eum, qui eiusdem prouinciæ non est.

Hæc *l.* 1. Additur in *l.* 2 ne ex interdicto quidem, id est, de possessione præsidi in eum cognitionem dari, qui eiusdem prouinciæ non est. Grauior est proprietatis quam possessionis quæstio. & possessio quæ addicitur, plerumque momentaria. Proprietatis ius perpetuarium. Vt tamen de proprietate, ita de possessione non cognoscet præses in eum qui eiusdem prouinciæ non est. In *d. l. 2. ex interdicto*, sic interpretor, De possessione. Plerumque enim interdicta sunt de possessione vel quasi. Pauca quædam de proprietate & iure: vt interdictum De itinere actuque reficiendo, in quo vt in actione confessoria docere de iure actor debet, & De aqua castellaria, in quo etiam ius aquæ adsignatum esse probari necesse est, & De mortuo inferendo in locum purum. Nec mirum si sint quædam interdicta rei familiaris causa prodita de proprietate. Nam & diuini iuris sunt quædam de quasi proprietate, veluti De mortuo inferendo in sepulchrum quod quasi meum est, & ea etiam quę ad suum ius tuendum pertinent, veluti de liberis aut libertis exhibendis qui quodammodo mei sunt, *l.* 2. §. *quædam*, *D. de interd.* Et hęc quidem totam litẽ finiunt, nec vllam alteri præstruunt viam. Huius generis interdicto finitur totum. Sic legendum in *l.* 1. §. *vlt. D. de aqua quot. & æst.* Illa quæ sunt de possessione vel quasi possessione præparatoria sunt vbi desierunt, incipit secunda actio *l. vlt. C. quo. bon.* quæ & principalis actio dicitur in *l. nulli, C. de iudic. l. si quis, C. ad l. g. Iul. de vi, l.* 1. *C. Th. vnde vi*, & apud Cassiodorum IV. *Variar. Si partibus vestris in causa momentaria vel principali iustitiam adesse cognoscitis.* Sic legendum.

Cap. XX.

Indicatur Triboniani facinus quoddam in tit. Vnde vi.

INterdictum De vi armata annuum non fuisse, sicut interdictum quotidianũ vnde vi, M. Tull. his verbis significat XV. Ep ad Cassium. *Postulabimus ex qua hæresi vi hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet addi, In hoc anno. Quare si iã biennium aut triennium est cum virtuti nuntium remisisti, delinitus illecebris voluptatis, in integro res nobis erit.* At Tribonianus qui & cetera quibus inter se ea interdicta adstabant omisit aut confudit in *l.* 3. *D. vnde vi*, cuius prior pars est *de interd. De vi armata*, posterior *de interdicto fructuario.* ad finem prioris cum ita duntaxat scripsisset Vlpian. *Et post annum redditur*, adiecit ille, quantum auguror coniectura, *In id quod peruenit ad eum qui prohibuit.* ineleganter. Debuit enim dicere si idem illius interdicti & quotidiani voluit esse ius, *In id quod peruenit ad eum qui armis deiecit.* Verbum enim *Prohibuit*, vnum tantum casum complectitur. Si venientem in possessionem armis prohibuit, *d. l.* 3. §. *si autem.* Tum vero non scripsisset Vlpianus interdictum de vi armata post annum reddi in id quod peruenit, quin prius annotasset id intra annum dari, sicut de interdicto vnde vi scripsit in *l.* 1. post cuius tractationem, sumpto interdicto De vi armata, id tantum ad differentiam superioris interdicti adscripsit, *Hoc post annum reddi*, vt de interdicto precario scriptum est in *l. quæsitum* §. *penul. D. de precar.* Est & tertium interdictum restitutorium *de clandestina possessione*, *l.* 7. §. *Iulianus*, *D. com. divid.* De quo non agitur *lib.* 43. *Digestorum*, quod exemplo interdicti vnde vi, in possessorem perpetuum, in eum qui clam, etiam si sine dolo & culpa desiit possidere, annuum esse reor. Tribus modis mala fide aliquid possidetur, vi, clam, precario, eorumque nomine tria interdicta sunt, *De vi*, *De precario*, *De clandestina possessione.*

Cap. XXI.

Indicatur lex quædam XII. *tab. De duplis fructibus.*

PRædo ex eo die quo rem alienam inuasit, fructus præstat non tantum quos vel inhoneste percepti, sed & quos vetus possessor honestè percipere potuit, *l.* 1. §. *ex die*, *D. vnde vi.* Is vero qui rem alienam simpliciter tenet nec conuentus reddit, & generaliter in ceteris causis possessor rei alienæ, ex eo tantum die fructus præstat, quo res in iudicium deducta est. Qua de re scripsimus *Obser.* 4. *cap.* 11. vterque autem olim duplos fructus præstabat, vt constat ex *l.* 1. *C. Theod. de fruct. & lit. exp.* & Ambrosij *Epistola* 24. Quod ex vetustiore iure manare, quam Codice Theodosiano ex eo intelligitur, quod de iis fructibus duplis Paulus scribat *lib.* 5. *Sentent. tit.* 9. & quod Petro Pithœo viro eruditissimo acceptum fero, ij sint qui ab Vlpiano maiores fructus dicuntur in *l.* 6. §. *vlt. D. mand.* Ac sane id ex XII. tab. originem duxisse puto. Hæc enim verba XII. tab. leguntur in Festo: Si *vindiciam falsam tulit*: *si velit is*, *arbitros tres dato. Eorum arbitrij fructus duplione damnum decidito.* Quæ sic restituenda videntur. *Si vindiciam falsam tulit*, *rei sine litis arbitros tres dato. Eorum arbitrij fructus duplione damnum decidito.* Ex his verbis liquido constat, etiam illo spatio minime impleto, de duplis fructibus actionem esse ex XII. tab. in eum qui rem alienam sibi falso adseruit, & vindicauit. Illud quoque ex eis discimus, quod in legitimis actionibus scribi solebat, *Quam rem sine litem*, auctore Varrone, id sumptum fuisse ex XII. tab. Quod vero de tribus arbitris dandis scribitur, valde congruit cum eo quod M. Tullius in hunc modum scribit I. de legib. *Nec Manilia lege singuli*, *sed ex* XII. *tres arbitri fines regemus.* Sic legendum, vulgo male alij, *Sed nos*, Alij, *Sed ex his.* Sicut & *lib.* 2. alij, vt in veteribus his sacratisque legibus, *Alij*, vt in veteribus ex his: cum sit legendum *vt in veteribus* XII. *sacratisque legibus.* Ergo & in actione finium regundorum, quæ vindicationi cohæret, *l.* 3. *C. fin. reg.* tres arbitri sumuntur ex XII. tabulis.

Cap. XXII.

De interdicto Vti possidetis.

INterdicti vti possidetis hæc ex Ælio Gallo verba prodidit Festus, *Vti nunc possidetis eum fundum quo de agitur*, *quod nec vi nec clam nec precario alter ab altero possidetis*, *ita possideatis: aduersus ea vim fieri veto. Nunc*, inquit, id est, tempore editi interdicti. & sic in *l.* 3. §. *Labeo*, *D. vti possid.* hæc huius interdicti formula proponitur, *Sicuti nunc possidetis eas ædes ex quibus proiectum est*, & in *l.* 1. *D. de interd.* hoc interdictum in præsens tempus referri dicitur. In idem tempus hodie refertur interdictum vtrubi, quod est de rebus mobilibus. Id & vtribi dixeris recte, vt Næuius in Tarentilla, & vtrobi, vt Cato pro Lusitanis apud Charisium. Sunt vero in vtroque indiscretæ partes actoris & rei, cum tamen in aliis soleat prætor singulari, non duplici sermone vti, ex quo fit vt sint illa simplicia, hæc duplicia. Vincit autẽ vtroque alteruter aut neuter. Ac si quidem alterũ possedisse iustae causa alterũ non possedisse liqueat, possessor vincet. Si vtrumque, veluti iuste vnum, iniuste alterum, secundum Trebatii sententiam, qui hoc modo duos in solidum possessores constituebat, quod & similiter in precarii rogatore & rogato domino Sabinus admittebat, *l.* 3. §. *ex contrario*, *D. de adqu. poss.* cuius opinionis vestigium quod restat dissimulare non possumus in *l. & habet* §. *eum qui*, *D. de*

precar. Est enim ex libris Pomponii ad Sabinum. Igitur A licet, si verum prestius intueamur, duos placeat magis pro solido eandem rem possidere non posse, si tamen ex illorum sententia duos in solidum proponamus possidere (erit hæc suppositio potius quam propositio) vt si ponam me animo possidere iusta ex causa, te vi aut clam, si à me possides, ego te vincam, quia possessionem tuam aduersum me nemo tuebitur, meam tuebitur iudex quilibet, qui vel ob id semper pro possessore habeor, quod de reciperanda possessione mihi interdictum competat, *l. si quis vi, D. de acq. poss.* Similiter si à me precario possides, ego vincam te, *l. qui precario, l. 1. §. vlt. D. vti possid.* Quod si ab alio ita possides, vtrumq; prætor tuebitur: proinde neuter vincet, neuter vincetur. Vitiosam ergo possessionem aduersus extraneum prætor tuetur, *l. vlt. D. de acqu. poss.* & in summa hoc interdicto prætor possessorem vel possessores tuetur, dummodo alter ab altero nec vi, nec clam, nec precario possideat. Is vero qui non possidet, nihil hoc interdicto prorsus adsequitur: vt creditor in possessionem missus, *l. 3. §. creditores, D. vti poss. l. 9. D. de rei vind.* Quamobrem non probo quod scriptum est in *d. l. 3. §. item videamus si proiectio*, tam ei qui ex suis ædibus proiecit in vicini solum, quam vicino inutile interdictum esse. Cum enim hæc subiiciatur ratio, *quia vterque possidet*, necesse est vt ante fuerit scriptum, vtrique vtile interdictum esse, id est, efficax, vt *d. l. 3. §. si vicinos.* Et vero confirmatione ea quæ sequitur ex Labeone, qui tamen non eiusdem est familiæ cuius fuit C Cassius, ex quo illud refertur, id ita plane enucleatur. Labeo enim facta ex meis ædibus in tuas proiectione, vtrique interdictum dat. Sunt eo loci hæc verba pro interdicti formula accipienda, *Si eum locum possideamus qui proiectio tegitur, sicuti nunc possidetis eas ædes ex quibus proiectum est*: vt in *l. 3. §. si quis ex mandato, D. de itin. actuque priu. Vt ille vsus est qui mandato meo emit.* quod pauci animaduertunt.

Cap. XXIII.

Interdicturos vtrubi, agere ad exhibendum.

PLerumque vindicaturi ad exhibendum agunt, *l. 1. D. ad exhib.* Nonnunquam interdicturi, *l. 3. §. sed* D *& si quis interdicturus, §. si meum, D. eod.* At quo interdicto? Si dixeris, Precario, vt interpres, somnianti similis videbere. Quid extra interpretem alij dixerint nescio, nec sum admodum solicitus. Quid sit dicendum scio. Formula ad exhibendum agit qui rem suam esse, vsumfructum suum esse, ius pignoris suum esse affirmat. Similiter & qui possessionem suam esse affirmat, *l. 3. §. Pomponius, D. eod.* Hoc vero nec actione affirmatur, nec alio interdicto, quam vti possidetis vel vtrubi. Festus: *In legitimis*, inquit, *actionibus nemo ex iis qui* (deest verbum, possident) *possessionem suam vocare audet, sed ad interdictum venit, vt Prætor iis verbis vtatur, vti nunc possidetis.* quæ verba retulimus cap. superiore, ex quibus colligitur eum qui E agit vti possidetis, possessionem suam vocare, & consequenter eum qui agit vtrubi, quod est eiusdem naturæ & potestatis. Atque ideo possessione euicta, verum est de euictione actionem competere, quæ non competit nisi vindicationis specie euictum sit, *l. 38. §. si quis forte, D. de verb. obl.* Ad exhibendum igitur is tantum ob possessionis causam agit qui eam suam esse contendit, vt est scriptum in *d. §. Pomponius*, id est, qui acturus est vtrubi. Nam præparare actio ad exhibendum, quæ est de rebus mobilibus, interdictum vti possidetis, quod est de immobilibus, non potest. Denique aut propter in rem actionem illa actio datur, aut propter interdictum vtrubi.

Cap. XXIV.

De interdicto Saluiano.

ADuersus extraneum Saluianum interdictum non dari Imp. Gordianus rescripsit *l. 1. C. de preca.* Contra Iulianus in principio *l. 1.* & in eiusdem legis *§. 1. D. de Sal. interd* aduersus extraneum Saluianum dari rescripsit. Gordianus de interdicto loquitur quod omnimodo est in personam. Iulianus de vtili, cuius verba in rem scribuntur: *Vtile*, inquit, *interdictum reddi oportet*, verbis scilicet in rem scriptis. Est alia quædam in eo tractatu longe obscurior quæstio, an inter B ipsos quibus eadem res obligata est, reddito Saluiano aut Seruiano iudicio, possessor vincat: quam nemo quod sciam dilucide adhuc expositit. Ego vero animaduerti *l. vlt. D. de Sal. interd.* coniungendam esse cum extremo *l. si debitor, D. de pign.* Vt enim hæc est ex LXXIII. Vlpiani ad edictum, sic & illa, non si sequamur Florentinam scripturam quæ hac in parte vitiosa est, sed si sequamur alios libros scriptos quos habeo, & ipsum ordinem edictorum. Quæstionem vero ita dirimendam. Aut duobus eadem res in solidum obligata est, aut pro partibus. Si in solidum, aduersus extraneos singuli Saluianum & Seruianam habent, inter ipsos possessor vincit. Ita de Saluiano Iulianus scripsit in *l. 1. D. de Saluia. interd.* Sed de Seruiana quoque idem eum scripsisse reor, quandoquidem de Seruiana idem C eisdem omnino verbis Vlpianus scripsit in *l. si debitor, D. de pignor.* idque vt opinor, ex eo Iuliani libro. Sed Tribonianus posito titulo de Saluiano interdicto, Saluiani nomen reticuit, Seruianæ circumscripsit, non tamen ita accurate, vt non resideat adhuc Seruianæ actionis mentio. Quod enim Iulianus: *Vtilis actio & aduersus extraneos & inter ipsos dari debebit*, non vtile interdictum significat, sed Seruianam, quæ & vtilis Seruiana dicitur, id est, generalem formulam hypothecariam, vt in *d. l. si debitor.* Igitur si duobus res sit obligata pro partibus, actione Seruiana inter ipsos reddita, dimidia pars possessionis auocabitur, sed non (vt hanc persecutus speciem Vlpianus scripsit in *d. l. vlt.*) interdicto Saluiano, quoniam in interdicto Saluiano de solida D possessione agitur, non quæsito partium iure, cuius cum sit par causa, vincere possessor debet. In Seruiana de iure quæritur. Ius autem pignoris singulis pro parte competit. Hoc igitur iure probato, possessionis pars dimidia auocabitur. Sic fit vt qui vincit in Saluiano, non vincat in Seruiana. His cupio adiungi quę de Saluiano interdicto scripsimus *lib. 5. Sent. Paul. tit. de interdictis*, vt sit hic tractatus vsquequaque perfectus, in quo exequendo dici non potest quanta sit Doctorum ἀμηχανία.

Cap. XXV.

Index & quod dicitur, per indicem.

QVod summatim & παχυμερῶς exponitur, id prouerbiali sermone quasi per indicem exponi dicitur: quo vsus est Asconius in III. contra Verrem. *Antequam*, inquit, *causa ageretur quasi per indicem rem exponebant*: & Iustinianus in *l. 1. §. nostram, C. de vet. iur. enucl. & §. vlt. De publ. ind. Vt vobis*, inquit, *possibile sit quasi per indicem ea tetigisse*, quod ita Græce Theophilus interpretatus est, διὰ συντόμου παραδόσεως. recte. Eodem mihi videtur Gregorius Naziazenus vti, & pro indicem σηλογραφίαν dicere in priore steliteutice. Verba eius hæc sunt: ἐ γὸ ἡμῖν γὲ σχολὴ, μακρότερα τ παρέσης ὑποθέσεως ῥαψῳδεῖν, αὐτοὶ δὲ ὀλίγα ἐκ πολλῶν διελθόντες, σηλογραφίαν ὥσπερ πνα τοῖς μὴ ἡμᾶς καταλείψομεν. Index

igitur est ex latiori scriptura breuis subnotatio quædam, nec idem quod exemplum, *l. 2. D. de fid. instr.* Exemplum enim ex integro describitur totum. Puto etiam indicem siue libellum, periculum appellari. nam quod in Apophth. Plutarchus σήλην, Æmilius Probus in Epaminonda periculum vocat: vt in *tit. Codicis De sententiis ex periculo recitandis.* Cicero *1. de legib. Qui in isto periculo, non vt à poëta veritatem exigunt.* & in frumentaria, *Pericula magistratuum.* & in antiquiss. libro notarum, quem habemus, eæ ita iunguntur, *D. P. De periculo, D. L. De libello.*

CAP. XXVI.

Explicatur l. Marcellus, D. de don. inter vir. & vxo. & l. 1. C. de ædif. priuat.

DEleantur omnia quæ Accursius scribit ad *l. Marcellus, D. de don. inter vir. & vxo.* & eius species repetatur ex *l. senatus*, §. *Marcellus, D. de leg.* 1. vbi fusius & dilucidius expositа est. Cum vero ea sit à Marcello tractata *libro 7. Digestor.* in quo is plurima scripsit de donationibus inter virum & vxorem, vt constat ex *l. 5.* §. *vlt. l. 7.* §. *1. l. 49. D. eod. tit.* eamque Marcelli sententiam Tribonianus sub eum titulum posuerit, si quæratur quid ad eum titulum pertineat, dicam: maritum qui quid suo sumptu in re mulieris ædificat, donare videri, quandoquidem ædificium cedit solo. Sed cum placeat donata posse reuocari, an & ædificium reuocare & tollere, ex eove quid detrahere possit quæritur. Mouet dubitationem S C. quod factum est D. Adriani temporibus Acilio Auiola, & Corellio Pansa Coss. At Marcellus negat locum esse S. C. Ea namque non promercij, sed vsus sui causa maritus detrahit, sine tamen mulieris damno, id est, illæsa re mulieris, vt & in specie *l. Iulianus, D. de rei vind.* quæ illi *l. Marcellus*, vel inscriptionum argumento adiungenda est. De illo autem S.C. qui accipiunt *l. 2. C. de ædif. priu.* non animaduertunt id non bene cohærere cum verbis quæ præcedunt. *Edicto*, inquit, *Diui Vespasiani & Senatusconsulto.* Ergo non Aciliano S. C. sed S. C. subsecuto edictum Vespasiani. Edicta namque Senatusconsultis confirmari solebant, *l. 1. D. in qui. cau. pig. vel hyp. tac. cont.* adhibita *l. si ventri*, §. *1. D. de bon. auct. iud. poss.* quod & tradidi *Obs. 1. cap.* 18. Malo errorem esse in nomine Imperatoris dicere. Est enim in propriis nominibus memoriæ lapsus frequentissimus. Nam & quod in ea *l. 2.* exceptum fuisse dicitur, id S.C. illo quod auctore Adriano factum est, proculdubio exceptum fuit, *l. cetera*, §. *item quæri, D. de leg. 1.* Quod item additur, ædes integras dirui non posse materiæ in alias ædes proprias transferendæ causa, id Spartianus Adriano tribuit. Verum vtriusque saluis, ab ædibus in alias ædes, etiamsi in alia ciuitate sint, iure materiam transferri placet, *d. l. cetera*, §. *sed & si quis.* Idem vero error fuisse videtur in nomine Vespasiani *l. Diuus, D. de iure pat.* cum sit verisimile Adrianum libertatis auctorem fuisse tam manus iniectione non seruata, quam seruata.

CAP. XXVII.

Explicatur l. 3. §. si vicinus, D. vti possid.

VLpiani in *l. 3.* §. *si vicinus, D. vti possid.* verba hęc sunt: *Si vicinus meus in parte mea tectoria habeat & in parte sua, vti possidetis interdictum mihi efficax est vt ea tollere compellatur.* Quo loco de communi pariete agit quem vicinus ex vtraque parte opere tectorio exornarit. Ait enim, *In parte mea, & in parte sua*, id est, vt Harmenopulus loquitur, εἰς τὰ ἑαυτῆς μέρη τῆς ἐπικοίνου τοίχου lib. 2. tit. περὶ χρεισεών. Quia vero dum non ex sua tantum, sed etiam ex mea parte eum exornat, vsurpare sibi totius parietis possessionem videtur. ideo placuit mihi in hoc dari interdictum Vti possidetis, vt ea ornamenta tollat. Quæ sententia his verbis exprimitur LVIII. βασιλικῶν tit. 17. Εἰ ὀχείτων μὲ ἐν τῷ τοίχῳ μου κονιάματα ἤτοι ζωγραφίας ἔχει, καλῶς κινῶ ἵνα ταῦτα ἀφέλη του. Daretur communis parietis nomine interdictum *Vti possidetis*, si quis eum me ex mea parte exornare vel reficere prohiberet, *l. si ades, D. Comm. diuid.*

CAP. XXVIII.

Emendatur §. si in sortem, l. solutum, D. de pign. act.

SOrtis & vsurarum ratio inter cetera vel in eo diuersa est, quod propter sortem chirographariam pignus retineri potest per exceptionem doli, vt est constitutum in tit. *etiam ob chirog. pec. pig.* Propter vsuras chirographarias non item, *l. 4. C. de vsur.* Tunc vero vsuræ sunt chirographariæ, cum pignus contractum est in sortem duntaxat. Nam hæc taxatio si defuerit, & in vsuras tacite pignus contractum videri Harmenopulus existimat, qui eleganter ad sententiam *l. si necessarias*, §. *vlt. D. de pig. actio.* hæc adiicit: τὸ δὲ ἐνέχυρον τὸ ὑπὸ τὸ κεφάλαιον ὑποτεθὲν, σιωπῇ καὶ ἐπὶ τοῖς τόκοις ὑπόκειται. At quod diximus ob sortem chirographariam pignus teneri posse, pugnat cum eo apertissime *l. solutum*, §. *si in sortem, D. de pig. actio. Si in sortem*, inquit, *duntaxat vel in vsuras obstrictum est pignus, eo soluto propter quod obligatum est, locum habet pigneratitia.* Certum hoc est, si in sortem duntaxat, *d. l. 4.* At si in vsuras duntaxat, incertum aut protinus falsum. Ita censeo. Ideoque sic lego, *Si in sortem duntaxat nec in vsuras.* Nam & confestim è diuerso ponitur, *Si tamen pignus & in eas obligatum fuerit*: & idem omnino est eius §. tractatus, qui supra dictæ *legis* 4.

CAP. XXIX.

Harmenopuli locus de directa vindicatione & de l. res quæ, D. de iur. dot. & prædiatoribus.

HArmenopulus lib. 4. Epitomarum tit. περὶ ἀφαιρέσεως ἀφετικὸς, rei ex pecunia dotali emptæ directam vindicationem vxori dat. At enim vtilis est. quia & rem eam non dotalem esse, sed videri traditur in *l. res quæ, D. de iure dot.* & generaliter mihi quidem liquet, rei pecunia nostra comparatæ, si emptor soluendo non sit, non nisi vtilem vindicationem dari, *l. vxor marito, D. de don. inter vir. & vxo.* sicut pecuniæ nostræ, quam quis suo nomine crediderit, si is soluendo non sit, & pecunia bona fide consumpta sit, nonnisi vtilis nobis condictio datur, arg. *l. 4. C. si cer. pet. l. sime & Titium, D. eod.* Verum triplex est vindicatio, proprietatis, seruitutis, pignoris, *l. 3.* §. *est autem*, §. *Pomp. D. ad exhib.* Proprietatis vindicatio etiamsi ea vtiliter experiamur, respectu ceterarum directa est, ideoque eam Harmenopulus conferens cum hypothecaria, quæ vxori in ceteris mariti bonis competit, non male directam appellauit. Hæc enim proprie vindicatio est, ceteræ quasi vindicationes. Id vero totum quod eo loco Harmenopulus tradit de *l. res quæ*, sumptum est ex βασιλικῶν libris, ex quibus apud eundem harum notarum loco 5. reponendum Στεφανος. Is fuit iuris interpres quidam, cuius in componendo dissidio *d. l. res quæ, & l. ex pecunia, C. eod. tit.* opinio reprobatur, & merito. Ex tribus enim quæ in eis libris referuntur, postrema verior est, vt non nisi marito non existente soluendo, res ex pecunia dotali comparata pro dotali habeatur, quæ fuit Thalelæi. Est vero ea *l. res quæ*, sumpta

sumpta ex Gaij titulo de prædiatoribus. Ideo & quæri circa eam potest qui prædiatores dicantur. quod Boëtius in *Topicis Ciceronis* iis verbis exposuit. *Vindex est qui alterius causam suscipit vindicandam, veluti quos nunc Prædiatores vocamus.* Sic legendum ex vet. libris, *non procuratores:* vel potius *prædicatores.* nam prædiatores sunt qui ærario obligati sunt.

Cap. XXX.

De prætorio pignore.

PRætorium pignus est, quod missio in possessionem constituit, *l. missio, D. pro emp. & C. tit. de præt. pig. l. 3. §. 1. D. de reb. eorum, &c. l. qui legati, C. vt in poss. leg.* Cur dicitur prætorium? An quia iubente prætore constituitur? Minime. alioquin & quod ab executoribus rei iudicatæ iubente prætore capitur, prætorium dicemus? At prætorium dicitur, quia iure prætorio, id est, ex edicto constituitur, *l. 3. C. vt in poss. lega.* Cicero *vt. ad* Atticum: *Sine edicto*, inquit, *transigi commode non potest.* Missio fit ex edicto. De capiendo pignore nihil edicto comprehensum est. Fit namque extra ordinem pignoris capio, *l. si pignora, D. de euict.* Missus pignus prætorium occupat, *l. 2. & l. cum Remp. C. qui pot. in pig. hab.* Illud quod ex causa iudicati constituitur, ex officio capitur & distrahitur, non etiam occupatur ab eo secundum quem lis data est, *l. 2. C. si in cau. iud. pig. cap. sit.* In prætorio non obseruatur priuilegium temporis inter eos qui eiusdem tituli sunt. Permittitur enim missio in rem non in personam, *l. cum vnus, D. de reb. auct. iud. poss.* & ob id Græci eam τὴν κατὰ δουλὴν νομὴν τῆς δανείσεως appellant. In illo autem quod exequendæ rei iudicatæ causa capitur, vt in conuentionali, priuilegium & ordo temporis spectatur. constituitur enim in persouam, *l. si iure, D. qui pot. in pig. hab. In cuius*, inquit, *persona pignus constitutum est.* Distrahendo pignori capto ex causa iudicati præstituti sunt duo menses, vt ostendimus *Obser. III. cap. 39.* Itaque in ea *l. à Diuo Pio, §. in venditione, D. de re iudic. mox*, id est, deinde, non ex continenti. Constituendo prætorio pignori, id est, possidendis bonis fuit constitutum certum tempus, vt post dies xxx. quam esset vadimonium desertum, quod subindicat oratio pro Quinctio. itemque magistro faciendo, & proscribendis bonis, rursusque legi bonorum venditorum dicendæ, vt Theophilus scribit in *tit. de suc. quæ fie. per bon. ven.* de qua M. Tullius sensit in eadem oratione, dum ait, *magistros qua lege & condicione pereat debitor, pronunciare:* post hæc aliquanto tempore intermisso emptori bona addicebantur. Sed ea tempora arbitratu suo prætorem definiisse reor, quod & interpretes nostri notarunt ad *l. pen. & l. vlt. §. sin autem, C. de bo. auct. iud. poss.* Nam & in causa damni infecti, si post missionem longo tempore non caueatur, secundum decretum interponitur, *l. 3. §. vlt. D. de acq. poss.* cuius temporis nulla est alia definitio quam hæc, *Cum prætori causa iusta videbitur, l. prætor §. 1. l. si finita §. non autem, D. de dam. inf.*

Cap. XXXI.

Explicatur l. debitores, C. de pign. & hypoth.

ERrant qui ex *l. debitores, C. de pign.* colligunt prius debitori denunciandum esse, quam cum eo personali vel hypothecaria agatur: aut nisi errant, pugnabit ea lex cum §. *appellamus, Inst. de action.* vbi nullam hoc tempore debitori denunciationem fieri, qua scilicet status, id est, certus condicatur dies, ni soluerit, Imp. Iustinianus ait. Malim ipse sic eam legem accipere, vt si de pignore non distrahendo conuenerit, vel si pignus simpliciter acceptum fuerit, nulla lege vendendi aut non vendendi interposita, quandoquidem & id tunc agi intelligitur ne vendi possit, *l. Aristo, D. quæres pig. obl. non poss.* non aliter liceat creditori pignus distrahere, quam si præsenti debitori denuntiauerit vt pignus reluat, secundum ea quæ traduntur à Paulo II. *Sent.* & Vlpiano in *l. 4. D. de pign. actio.* quam denunciationem solemniter fieri oportet & testato, *l. 4. C. de distr. pign.* quando licet, εἰ εὐχέρειαν ἔχει, vt Græci vertunt, id est, si debitoris & testium suppetat copia. Etsi autem lex, *debitores*, dicat, denuntiationi non obtemperante debitore, creditori persequenti hypothecam, præsidem suæ auctoritatis auxilium impertiri, non est tamen existimandum ideo denunciationem exigi, vt tantummodum agatur hypothecaria, sed vt ablata hypotheca ius suum creditor solemniter exequatur eamque distrahat. & ita quoque in *l. debitoribus, C. de admi. tuto. Debitoribus*, inquit, *parere solutioni denuncia. qui si satis non fecerint, in venditione pignorum vti communi iure potes.*

Cap. XXXII.

Ad l. 2. C. de luitione pig. species ponitur certa.

NOn proposuisset absolutè ex Gordiani rescripto hanc sententiam Tribonianus, *Intelligere debes vincula pignoris durare, personali actione summota*, in *l. 2. C. de luitio, pign.* quæ aduersatur certissimo iuris principio, quo quidem præcipitur, vt sublata actione personali, tollatur hypothecaria, nisi speciem ad quam ea pertinet, quęstio legis quæ præcedit, suggereret satis. Est autem huiusmodi. Debitori sub pignore duo heredes extiterunt. singuli actione personali tenentur pro hereditariis portionibus ex XII. tab. hypothecaria in solidum, & ideo si vnus soluerit pro sua parte, tollitur quidem omni iure actio personalis, hypothecaria non item. Illa ergo non tenetur, hac tenetur. Non sumantur alia exempla vel ex *l. cum quis, §. vlt. de solut.* vel ex eis quas interpretes attulerunt, in quibus vel omni vel naturali saltem iure, quod consistat in personam obligatio, & pignus perdurat. Vix præter id quod retulimus aliud inuenietur, quo omni iure summota personali, maneat hypothecaria, quod fit propter indiuisam pignoris causam, *l. rem, D. de euict.*

Cap. XXXIII.

Liquido iurare. Operam dare. Dicis causa. Corn. Nepotis loci quidam restituti.

LIquido iurare Vlpiano in *l. alias, D. de iureiur.* idem est quod σαφῶς Demosthenes II. *in Aphobum:* ἢν μηδεὶς ὑμῶν νομίζετω καθ' ἡμῶν ποτ' ἂν ὀμνύναι ταῦτα ἐθέλειν, εἰμὴ σαφῶς. Apud Pet. Diaconum has notas Q. D. R. P. L. IV. ita forte quis interpretabitur, *qua de repeto liquido iures.* Scribendum, Q. D. R. P. L. V. vt in superioribus, Q. D. R. P. G. V. *qua de re peto laudabilitatem vestram, qua de re peto grauitatem vestram*, quod & liber Magnonis de notis mihi confirmauit nondum quod sciam editus, qui dicatus est Carolo regi hoc disticho. *Hæc iuris σημεῖα libens rex accipe Carle, Offert denotus quæ tibi Magno tuus.* At alterum quod huius capitis titulus promittit est huiusmodi, quod iudices dicantur operam dare in *l. si longius, D. de iudic. l. pen. D. de vac. mun.* non esse nouum. Nam & sic M. Tullius 4. *Ver. M. Petilium*, inquit, *equitem R. quem habet in consilio, iubet operam dare, quod rei priuatæ iudex esset.* Dicis causa quid esset, primi Taurellus, Augustinus, Victorius docuerunt. Id nondum fortasse quisquam apud

Cor. Nepotem in Attici vita, sic esse legendum, *Ita vt Brutus & Cassius prouinciarum quæ iis dicis causa datæ erant à Consulibus.* quod est Græce παρὰ δόξαν ἕνεκα, vulgo male, *Neeis causa.* Apud eum, *Cum enim vsuram facere publice necesse esset*, pro *vsuram* legendum *versuram.* & alio loco. *Neque peti more maiorum, neque capi possent conseruatis legibus in tam effusis ambitus largitionibus, neque Reip. sine periculo corruptis ciuitatis moribus.* pro *Reip.* legendum *geri.* Hæc enim sunt consequentia, peti, capi, geri. & alio loco *Scipionis Cornelij & Fabij Maximi Fabiorum.* legito *de Fabiorum*, vt supra, *de Marcellorum.* Sed, vt ad illa verba Dicis causa, redeamus, fuere etiam vsitata in iudiciorum formulis, vt est proditum à M. Tullio in oratione pro Muræna, hoc modo, *Sed an ne tu dicis causa vindicaueris.*

Cap. XXXIV.

De formulis exceptionum.

EXceptionum, replicationum, duplicationum formulis seruiunt hi articuli, *Si non, Si nihil.* exempla adiungerem nisi essent infinita & omnibus nota. Et interdum sine negatione, vt in *l. 2. D. de adult. coër. & l. 2. §. 1. D. de dol. except.* Interdum ita concipiuntur, At si non, *l. 9. §. vlt. l. si quis rem, D. de except. rei iud.* & apud Theophilum sæpe ἀλλ' εἰ μὴ, vel, Ac si non, vt in *l. 2, eod. tit. & l. qui cum herede, D. de obl. & actio.* Interdum ita, Aut si, nulla addita negatione, *l. cum par, D. de diuers. rec. iur. l. itaque, D. de procur. l. vlt. §. item si mulier, D. ad Velleia, l. consilio, §. 1. & 2. D. de cur. fur.* & exemplo exceptionum in *l aitprætor, §. præterea generaliter, D. quæ in fraud. cred.* vel etiam addita, veluti, Aut nisi in *l. 1. §. Labeo, D. de flumin.* & exemplo exceptionum in *l. continuus, §. illud, D. de verb. oblig.* Aut *si non multum referre videatur.* Nec enim assentior accipientibus *Aut* pro *Haut*, nec in *l. 1. D. de solut.* Accurs ita accipienti, *Aut*: in qua potius transposita negatione ita legendum est, *Id est, non in id debitum quod est in controuersia*, Græci ostendunt, qui ita vertunt: ἵνα μὴ εἰς ἀμφίβολον ἢ ἄφα τὸ ἐξεγγύης αὐτῷ χρεωστούμενον, ἢ τὸ ἐπὶ ἡμέραν πρὸ τῆς ἡμέρας. Apud M. Tullium sæpissime, & in *d. l. 1. §. Labeo*, ita enuntiantur, *Extra quam si*, quod idem potest, Interdum sicut actionibus, *Quod*, seruit, vt quibusdam locis prolatis ostendimus in 5. *Sent. Pauli, tit. 1.* quibus addatur *l. 3. C. de transact. l. prætor, §. si dicatur, D. de iniur.* ita & exceptionibus, quo pacto & affirmate proponuntur, *l. fundum, l. fundi, l. si post, l. filius, D. de except. l. si mater, §. item Iulianus, D. de exc. rei iud. l. sed & si lege, §. item si res, D. de pet. her. l. pure, §. si donani, D. de do. excep.*

Cap. XXXV.

Explicantur loci quidam in tit. de duobus reis constituendis.

IVlianus *libro* 22. *Digestorum* tractauit de operis officialibus, easque contulit cum aliis. Cum ergo scripsisset, officiales operas non posse promitti nisi patrono, ac ne adiecto quidem solui, subiecit: *Nemo est qui nesciat alienas operas promitti posse, l. nemo, D. de duobus reis. Alienas* pro *alias*, accipio, vt in *l. 3. D. de rei vind.* sicut *alias* pro *alienas* in *l. famosi, D. ad leg. Iul. maiest.* Falsum enim est non suas operas promitti posse. At aliæ quam officiales, puta fabriles vel pictoriæ vel aliæ promitti cuilibet, & fideiussor accedere in id quod interest, & eodé nomine duo stipulandi vel promittendi rei constitui possunt. In eodem titulo *l. eandem*, male duorum reorum testamento factorum exemplum proponitur tale. *Titius & Mæuius Sempr.* x. *dato.* legendum, *Titius aut Mæuius* ex *l. si ex toto, §. 1. D. de lega. 1. l. 16. D. de legat. 2. l. ille, D. de legat. 3.* quod & verbum, *Dato*, vti Flor. scriptum est, indicat. Item quia si ita dixerit, Titius & Mæuius Sempronio x. dato, cõstat singulos partes debere, nec esse duos reos. ac similiter multum interest vtrum ita stipuler, Mihi & Titio spondes? an Mihi aut Titio spondes; In codicis Iustiniani eodem titulo, quæ primo loco lex posita est, delenda videtur. Nec Accursius nec interpretes eam agnouerunt. abest à Veteribus. Vnum tamen offendi in quo esset tertio loco posita, mutila tamen, & cum hac adnotatione, eam vacare, id est, spuriam & litura dignam esse, & iis verbis: *Si duo plureſve rei eiusdam traditionem communem in solidum acceperint, cuicumque &c.* ex quibus colligitur duos eiusdem rei vindicationem habere in solidum. quod est falsum. Vulgata autem scriptura hoc significat, Re tradita si conuenerint duo sibi vicissim aliquid in solidum dari vel fieri, singulos agere in solidum quo nihil erat notius. Iniecta sunt quoque obscura mihique suspecta admodum verba hæc: *Quandiu res in eadem causa permanserit, si casus obtulerit.* Itaque damnandam delendamque eam legem esse censeo.

Cap. XXXVI.

De acceptilationibus.

VT stipulationis Aquilianæ verbo, & acceptilationem quæ illam sequitur subintelligimus, *l. 3. C. de transact. l. 5. l. pacto, D. eod.* ita acceptilationis verbo plerumque & eam quæ præcessit stipulationem Aquilianam adsignificamus, & hoc sensu acceptilatio ita definitur à Modestino, Liberatio per mutuam interrogationem qua vtriusque contingit ab eodem nexu absolutio. Ea acceptilatio definitur quæ fit proposita stipulatione Aquiliana & quæ non ad verborum obligationem, sed ad contractum refertur. Contractus est vltro citroque obligatio. Acceptilatio est vltro citroque liberatio. σωάλλαγμα illud, hoc vero διάλλαγμα siue distractus, quo nomine etiam solutio continetur, §. *itẽ is cui, Inst. de obl. quæ qua. ex con.* Ex contractu mutua obligatio nascitur, §. 1. *Inst. de act. tut.* Ex acceptilatione mutua liberatio, *l. vlt. D. de accept.* Quæ vero fit non interposita stipulatione Aquiliana, solam verborum obligationem tollit, id est, stipulationem, dictionem dotis, iusiurandum liberti non contractum iurisgentium. Verborum obligatio iuris ciuilis est. Verborum namque solemnium obligatio est. Ergo & acceptilatio iuris ciuilis est, quæ fit etiam verbis solemnibus, *l. 1. C. de accept.* siue τυπικοῖς ῥήμασι, vt Theophilus ait in *tit. quib. mod. tol. obl.* Vt verborum obligatio, ita acceptilatio, non fit inter absentes. Per procuratorem nobis non adquiritur verborum obligatio. Per procuratorem accepto non liberamur, nisi si is nouandi causa nostram obligationem suscipiat, ac deinde acceptam roget. Sed neq; id quod nobis debetur absque nouatione acceptum facere potest, *l. & per iusiurandum, §. tutor, D. de accept.* quam in rem, id est, vt nouare possit, speciale vel generale mandatum exigimus, *l. 3. D. eod. l. 4. C. de nouat.* Porro vt per seruum nobis verborum obligatio acquiritur, ita per seruum accepto liberamur, *l. species, D. de accep.* qui tamen quod nobis debetur acceptum non faciet, ne fiat condicio nostra deterior, nec iussu quidem nostro, *l. pen. D. eod.* nam edictum *Quod iussu*, ad contractus pertinet, non ad liberationes, *l. si dubitet, §. vlt. D. de fideiuss.* Diximus acceptilationem esse iuris ciuilis. Hodie alio iure vtimur. quod quemadmodum fiat exposuimus in *tit. de transs. & de verb. obl.* Græci Iurisconsulti non tantum factæ solutionis professionem, sed &

acceptilationem, ἀποχὴν vocant. Latini differentiam statuunt inter acceptilationem, eo modo quo inter pignus & hypothecam, & medici quidam inter ἄνθρακα & carbunculum. Sed de his hactenus. Pessime alij omnes hæc omnia.

Cap. XXXVII.

Indicantur duæ leges male collocatæ in tit. Pand. De exc.

PRæiudicij nomine actio & exceptio præiudicialis significatur. qua ambiguitate deceptus Tribonianus hanc sententiam posuit sub *tit. de exceptionibus*, male. *Generaliter in præiudiciis actoris partes sustinet qui habet intentionem secundum id quod intendit.* Pertinet namque ea non ad exceptiones, sed ad actiones præiudiciales, & coniungenda est cum *l. vlt. D. si ing. esse dic.* itaque fingendum: vnus in iure contendit se esse ingenuum, alter eius se esse patronum. par omnium videtur causa. Quamobrem sicut in actionibus duplicibus, sic in prejudiciis quæritur quis actoris partes sustineat. Et respondetur, eum esse actorem secundum cuius intentionem data & concepta est actio, vt si ita detur actio, *Si paret Lucium esse patronum*, Lucius actoris partes sustinebit. Quod si ita, *Si paret Gaium ingenuum esse*, Gaius actor intelligetur. Græci ita vertunt lib. 51. βασιλικῶν tit. 1. ἐν τοῖς νομίμοις παραγγέλμασιν ὁ τῷ ὀπτασιν πεπάμψως, ἐνάγοντος ἔχει τάξιν. Male etiam à Triboniano *l. fundum, sub eodem titulo*, adiuncta fuit ex Pauli *lib. 70. ad edictum l. sed si ante.* qua re factum est vt ab omnibus ea Pauli sententia de exceptione præiudiciali acciperetur. & vero id coniunctio illa exigit necessario. Pertinere tamen eam ad exceptionem rei iudicatæ, & inscriptio indicat, & ratio ipsa qua nititur: *Quia*, inquit, *& diuersa corpora sunt, & causæ restitutionum dispares.* Hac ratione vtimur exceptionem rei iudicatæ, non exceptionem præiudicialem negantes, *l. cum quæritur, l. & eandem, D. de exc. rei ind.* Denique si accipiatur ea Pauli sententia de exceptione præiudiciali, pugnabit ex diametro cum *l. fundum*, in cuius specie cum esset controuersia de fundo, lis nondum, prius actum est de via, & tamen præiudicium nocere respondetur. pugnabit cum principio iuris, vt ne iudicium de re minori, sperati futurive maioris iudicij prejudicium sit.

Cap. XXXVIII.

Explicatio §. pro operis, l. 4. D. de nautico fœnore.

QVod scripsi quodam loco videri Tribonianum ex constitutione Iustin. ad Papin. addidisse verbum, *Centesimæ*, in *l. 4. D. de naut. fœn.* nunc mihi non placet. afferam vera, ni fallor, & nondum prodita. In diem præfinitum periculo creditor nauticæ pecuniæ immensam vsuram paciscebatur vel stipulabatur. post cum diem non nisi centesimam in menses singulos stipulabatur, quæ legitima erat vsura: vel si leuiorem, quod huic stipulationi vsurariæ deerat, pœnali supplebatur, *d. l. 4. §. vlt.* Pœnalem voco stipulationem operarum collatam in dies singulos, id est, pro operis & sumptibus serui aut liberti simul cum debitore nauigantis, & pecuniam nauticam sua die cum vsuris repetentis, quem Græci παρμακόλυθον vocant, *l. traiectitiæ, D. de obl. & actio. l. pen. & vlt. D. de naut. fœ. l. debitor, D. de neg. gest. l 3. §. si seruus, D. de peculio, l. 2. §. vlt. D. de eo quod cer. loco.* Sic pœna ab vsura distingui, eamque pœnam non nisi post diem periculi committi & præstari constituendum est, & siue post eam diem vsuram tantum, siue pœnam, siue vtrumque creditor stipulatus fuerit, vtriusque rationem ita iniri oportere, vt vtrumque nec centesimam excedat, nec duplum. & hoc est A quod Papinianus ait in *d. l. 4. pro operis serui traiectitiæ pecuniæ gratia secuti, quod in singulos dies in stipulatum deductum est*, eam scilicet pœnam quæ post diem periculi ob serui operas debetur, *nec supra centesimam, nec supra duplum deberi*: nimirum quia post diem periculi præstatur. Quandiu vero periculum est creditoris, infinitæ vsuræ, id est, etiam supra centesimam vel supra duplum ex pacto debentur. tanti est susceptio periculi. Quod ergo Papinianus ait, *Centesimæ*, non est ex iure nouo, vel specie quadam ei proposita, sed generale, merumque ius vetus. Ne autem vsuræ communes exigantur supra duplum, non Romanorum tantum, sed & Ægyptiorum vetus lex est, quam Diodorus Siculus scribit *lib. 2.* his verbis: τὸς μὴ συγγραφῆς δανείσαντας ἐκώλυε διὰ τὸ τόκος τὸ κεφάλαιον πλεῖον ποιεῖν ἢ διπλάσιον. B Et ad id duplum respexisse opinor Suetonium, dum Augustum scribit pecuniæ vsum gratuitum indulsisse iis, qui cauere potuissent in duplum. At in *l. cum quidam §. vlt. D. de vsuris*, hæc verba, *vsque ad tertiam centesimæ*, affirmamus Triboniani esse, quibus significantur trientes vsuræ, Græcorum more ἄχρι τετάρτης ἑκατοστῆς. & vero sunt eius §. verba ex rescripto quodam D. Pij, quod aliis verbis relatum est in *l. si legatum, D. de oper. pub.* Tribonianus vt erat in eo opere non tam diligens & accuratus, quam se impudenter profitetur esse, sæpissime quod vno in loco mutabat, non mutabat in alio. In *l. cum probatio, D. de probat.* quæ est ex Sententiis Pauli, scripsit, *Quæstioni* pro *Responsioni.* quod omisit in *l. quæro §. vlt. D. de ædil. ed.* & C ex ea re conflatum est ἐναντίωμα inexplicabile.

Cap. XXXIX.

De iuris & facti ignorantia.

NOcere & non prodesse diuersa sunt, sicut nolle & non velle. Nocere est damno adficere, Non prodesse est neque lucro afficere, neque damno eximere. Nolle est palam refragari & contradicere, Non velle, est tacere & pati, vel secundum Aristotelem, nolle dicitur is quem pœnitet eius quod per errorem fecit, quem & nos venia dignum iudicamus, *l. si adulterium, §. incestum, D. ad leg. Iul. de adult. l. aliam, C. de his quæ vt ind. auf.* Non velle is, qui non corrigit factum. D Est item aliud velle, aliud non nolle, vt indicat *l. 1. §. scientiam, D. de trib. act.* cui male quidam adiungunt *l. 3. D. de diu. reg. iu.* cum in ea sit legendum ex *l. 4. D. de acq. her. &* βασιλικῶν libris: *Eius est non velle qui potest & velle.* Item aliud est fateri, aliud non negare, *l. qui tacet, D. de diu. reg. iu.* At sicut nolle sæpe significat non velle, *l. in eo iure §. inuito, D de rit. nupt. l. inuitum, D. de seru. vrb. l. filius §. inuitus, D de proc.* ita & nocere interdum significat non prodesse. Et sane quod dicitur, ignorantiam iuris nocere, ita accipiendum est, Non prodesse, *l. regula, in pri. D. de iur. & fac. ign.* Error facti lucro adficit & damno liberat. Error iuris neque lucro adficit neque damno liberat. Ceterum neque hic, neque ille error damno adficit, & hoc est quod dicitur, Iuris ignorantiam in damnis non noE cere, *l. 7. & 8. D. eod. tit.* nempe damni per eam nihil adferri. Vt ecce, quod quis ius ignorauerit non habetur pro confesso, sed quod ius ignorauerit, non ideo habetur pro non confesso, *l. 2. D. de confess.* Quod quis ius ignorauerit, non ideo non habet condictionem indebiti, sed quod ius ignorauerit, non ideo danda ei est condictio quæ ipso iure non competit. Ne igitur dixeris ignorantiam iuris nocere, id est damnum adferre, sed nocere, id est, non prodesse. Sic in *l. 3 D. ad Maced. l. si fideiussor §. 1. D. mand. l. sicut in fi. C. de præscr. 30. an.* non hoc facit ignorantia iuris vt denegetur actio, sed non obstat quo minus denegetur. Sic &

in aliis ſpeciebus non ſubiicit error iuris pœnæ quenquam, ſed neque ſubducit, Et ab ea regula excipiemus quidem milites & minores, quibus iuris ignorantia prodeſt, non tantum vt ne damnum faciant, ſed & vt lucrentur & adquirant: non tamen feminas vel ruſticos. Nam iis certis tantum caſibus ſubuenitur, *l. 5. §. prohibendi, D. de his quæ vt ind.* vbi, *Prohibendi*, ſic accipiendum eſt, à petitione hereditatis: & de perſona in muliere, de condicione in milite aut ruſtico, de ætate in minore exemplum ponendum, *l. ſi quis in graui §. ſi quis ignorans, D. de S. C. Sillan. l. ſi quis id quod §. doli, D. de iuriſd. om. iud. l. Diuus §. pen. D. ad leg. Cor. de fal.* & de feminis exemplum eſt elegans apud Harmenopulum *lib. 1. tit. 13. in fine.* Regulariter ergo nec ſexui nec ruſticitati iuris ignorantia prodeſt. Gregorius Nazianzenus εἰς τ ἅγιον ἀναστάσιον. Ρωμαίων μὲν νόμον μηδενὶ ἀγνοεῖν ἐξεῖναι, μὴ δ' ἂν σφόδρα ἢ τὶς ἀχρειότατος, μηδὲ ἓν νόμων τὸν βοηθοῦντα τοῖς πραττομένοις δ' ἄγνοιαν. Et hoc eſt quod ait *l. regu. §. ſed iuris*, ſuperiorem regulam ita accipiendam eſſe, ſi ſit Iuriſconſ. copia, vel ſi quis ipſe ſatis iuriſprudentia ſua inſtructus ſit, quaſi ſi diceret, parcendum eſſe ruſticitati & imperitiæ, ſed hoc fieri perraro, id eſt, certis tantum caſibus. Non exigimus quidem vt omnes Iuriſconſultorum artificia didicerint, ſicut vt omnes patresfamilias Magonis vel Caſſij Dionyſij libros, ſed communem eorum quæ legibus continentur, intelligentiam in omnibus exigimus. Hæc oportet ſcire, inquit Ariſtoteles. καὶ μὴ χάλεπα ἐστίν, nec quod ea ſciat quiſquam, ideo Iuriſconſult. eſt. Sunt enim certæ leges & conſtitutiones in promptu publice propoſitæ, vt cuiuis eas cognoſcere & deſcribere liceat, *l. 2. D. de iu & fac. ign.* Contra facta omnia incerta & recondita ſunt, eorum ignorantia ſicut iuris, ſupina non eſt ſemper. Verum tum etiam non exigimus vt ſint omnes veluti Corycæi quidam, vt omnia odorentur, perſcrutentur, inueſtigent. Poſſent his addi alia quædam, ſed hæc ſi tenueris, illa ſponte ſequentur.

Cap. XL.

Pandectarum & Codicis loci quidam reſtituti auxilio βασιλικῶν.

IN *l. Iulianus §. idem Iulianus, D. de act. empt.* iam diu animaduerri pro *legata*, legendum eſſe, *vectigalia*. Veriſſimum id eſſe græca metaphraſis docebit quam ſubiiciam: ὅτι ἐὰν ὁ πρᾶτης εἰδὼς διαφόρως ὑπονοεῖται τέλεσι τ ἀγρὸν, ἐν τῇ ὠνῇ μόνον τὸ ἓν ἀκροᾶται, καὶ ἐπαγάγῃ, εἰ τι ἐστὶν ὑπακείμενον τῷ ἀγρῷ δημόσιον ἢ ἐμφύτευμα ἢ τέλεσμα ἢ ὑπὲρ ὁδοσρωσίας, τοῦτο διδόναι τ ἀγορασὴν, ἐνέχεται τῇ ἀγωγῇ διὰ τ δόλου. In *l. ſi duobus, D. de diu. temp. præſcr.* pro, *Ea poſſeſſio*, legendum, *mea poſſeſſio*, repetita, *m*, litera ex fine præcedentis verbi, & ita 51. βασιλικῶν. *tit. 3.* ἢ νομὴ μὲ, & paulo poſt, *& meam omnem.* In *l. funeris, D. de relig. & ſumpt. fun.* legendum, *Et ſi qua vectigalia ſunt vel ſarcophagi, & veſtiaria.* Sic *lib. 59.* βασιλικῶν. καὶ τὸ τέλος καὶ ἡ σορὸς καὶ ἡ στολή. Et *l. 14. eod. tit.* veſti iungitur marmor, id eſt, ſarcophagus. In *l. liberos, C. de lib. cau.* legendum, *vel actus cuiuſcunque adminiſtrati ratione.* Sic Græci 48. βασιλικῶν. ἢ τ πράξεως ἥν τινα ἐδιοίκησαν λογισμῷ. & Theodorus ad eum locum, ἤτοι ζωτάξου, vel ratione actus. In *l. ſi tibi, eod. tit.* legendum, *De filiis*, ex eodem libro, & ob id Thalelæus notauit filiorum appellatione contineri filias, quod cum prius dixiſſet, *ſcriptæ*, ſubiunxit, *filiis.* In *l. cum procurator, D. de no. op. nunc.* veteres interpretes coniunctim ita legunt rectiſſime: *Cum procurator opus nouum nuntiat & ſatiſdat rem ratam dominum habiturum & remiſſio in domini perſonam confertur, ſi dominus, &c.* quod confirmat ſcriptura βασιλικῶν. *lib. 58. tit. 19.* Ἐὰν ὁ ἐντολεὺς δεδωκὼς τῷ ἐκπροδόσιαν ἐπὶ παραγγελίᾳ λάβῃ ἀσφάλειαν καὶ ὁ δεσπότης μετενεχθήσηται εἰς τὸ πρόσωπον αὐτῷ τ συγχωρήσεως παραγγελίᾳ. In *l. 3. C. de noxal. act.* ſic Græci legunt lx. *tit. 5. Et non eo conſentiente quod intendis commiſſum probaueris.* quod eſt rectius. Grauior in conſentientem quam in ignorantem eſt actio. Sed conſenſiſſe eum actor probare debet. quod niſi fecerit, noxalis actio cõpetit. καὶ μὴ ἀποδείξῃς τοῦτον εἰδότα ὥσπερ λέγεις ἡμαρτεῖσθαι.

IACOBI CVIACII OBSERVATIONVM

LIBER SEXTVS.

Caput Primum.

Vitia Interpunctionum.

SVPERIORIBVS libris quædam expoſuimus Interpunctionum vitia, quibus hæc quæ ſequuntur addi volumus. in *l. inter, D. de furt.* ſic oratio diuidenda eſt. *Nec enim diſſimilis eſt morti manumiſſio quod ad ſubtrahendum domino ſeruum. Apparet itaque, &c.* & ita Græci. οὐδὲν γὰρ ἀπέοικε τοῦ θανάτου τοῦδ' ἅλις τὸ ἐλευθερωθῆναι αὐτὸν, ὅσον ἦκεν εἰς τὸ ἀφαιρεθῆναι αὐ τοῦ δεσπότου αὐτοῦ τ οἰκέτην. ἀποδέδειχται πίνυν, &c. In *l. 1. D. ſi is, qui teſt. lib. eſſe inſſ. erit*, ſicilici male poſiti vitium eſt illo loco. *Sed vbi libertas competit, continuo dicendum eſt.* quem ſic reſtituo. *Sed vbi libertas competit continuo, dicendum eſt*, &c. vt Græci: ὅπου γὰρ ἐλευθερία ἁμύζῃ θάρρημα τ ἀδιπόνου. τοῦτο λέγομεν, &c. In *l. vlt.* ait, *cito*, & in §. *ſi ſeruus l. 1. modicum interuallum:* quod Græci interpretantur duorum, vel trium dierum, fortaſſe an pari fœlicitate, qua & in tractatu de vi vlciſcenda, μὴ διωρείαν, quod eſt ex interuallo, accipiunt pro μὴ διωρείαν. Idem vero in interpunctione vitium eſt *l. pen. D. ſi fam. fur. fec. dic.* quod ſic emendo. *Quod ille præſtiterit, non totius familiæ nomine ab hoc ſocio partem conſequatur.* Loquitur de ſciente, quem negat totius familiæ nomine partem à ſocio ignorante conſequi.

Cap. II.

Furum varia genera, & M. Ciceronis ad Atticum locus emendatus.

FVrum varia ſunt genera. Alij improbiores ſiue atrociores, qui raptores dicuntur, & crimen publicum admittunt, *l. 2. §. vtilius, D. vi bon. rap.* Improbiores

fures Iulianus appellauit, Atrociores Vlpianus in *l.* 1. *D. de effr. & exp.* vtraque appellatione promiscue vtimur. Expilatores Vlpianus atrociores, Imperatores improbiores in *l. si te, C. ex quib. cau. inf. ir.* Alij sunt fures non adeo improbiores, qui non admittunt crimen publicum. Hi clam delinquunt, illi pallam. Hi subripiunt, illi rapiunt. Et hi vero, & illi aut manifesti sunt, aut nec manifesti. Illi si nec manifesti sint, & prætoria, propriaque actione tenentur, Vi bonorum raptorum in quadruplum, & ciuili communique furti nec manifesti in duplum, *l.* 1. *D eod. l.* 52. §. *vlt. D. de fur.* si sint manifesti, prætoriis actionibus tenentur vi bonorum raptorum & furti manifesti, quarum vtraq; est in quadruplum, sed vna mista, altera mera, vna annua, altera perpetua, *l. si vendidero* §. *cum raptor, D. eod.* Tenentur & condictione furtiua vtrique, *l. 10. D. de cond. furt. l. 2.* §. *pen. D. vi bono. rap.* Non semper tamen raptor omnis fur est, vt is, cuius dolo raptū fuerit, raptor est, sicut & is, cuius ope, consilio furtum factum fuerit fur est, eoque nomine tenetur in duplum, *l. vlt. C. de nox. act.* At ille fur non est *d.* §. *cum raptor.* Sed & tam ille raptor quam hic fur dicitur minus propriè: cum in furto rapinaue sit omnimodo contrectatio necessaria, quod & furis à ferendo, & raptoris nomina per se indicant satis. Tagacis item à tangendo quo veteres vsi sunt, id est furunculi, vt Festus interpretatur. Cicero vj *ad Atticum. Quæstorem nemo dignum putat. etenim est leuis, libidinosus, tagax.* vulgo malè, *sagax.* siue *rapax.* Id quoque in furto omnimodo exigitur, vt fiat lucrandi causa. & ideo qui arbores cædit, licet clam & furtim faciat, furtum tamen non facit nisi lucrifaciendi causa cædat, *l.* 8. *D. arb. fur cæs.* Porro crimen ipsum furti, vt initio posui in raptorem publicum est. Est & publicum, atque ordinarium de peculatu, plagio, residuis, repetundis, quæ furtorum genera sunt. Alias vero crimē furti extraordinarium est.

Cap. III.

Aetas quid in iure significet.

Aetatis nomine alias pupillaris ætas significatur, vt cum in pœnalibus iudiciis ætati succurri dicitur, alias pubertas, vt cum suę ætatis factum aliquem dicimus, *l. 3. C. de test. tut.* Dio liiij. τοὺς ἐν τῇ ἡλικίᾳ puberes vocat qui nondum peruenerunt ad annum xxv. Et sic alio loco: καὶ τὴν ἡλικίας τὸ πλεῖον ἐπ' ἐξαγωγῇ ἀπέδοτο. Alias ætatis nomine significantur anni xxv. quo sensu & suæ ætatis esse dicimus eum, qui est maior xxv. annis *l. ex duobus, D. de neg. gest.* Dico, qui est maior xxv. annis, non qui est annorum xxv. Hic enim nondum est legitimæ ætatis. nam eo sermone maior xx. annis, quod ibi quidam ex verbo, *ipsorum* deducunt, quo tamen detracto, idem est sensus, *l. senatus, D. ad leg. Corn. de fal.* Alia est ætatis significatio in *l. domus, D. de leg.* 1. Ædificiorum, ætatibus æstimatis, id est, amplitudine & magnitudine, vt in Euangelio D. Matthæi, ἐπὶ τῷ ἡλικίαν, id est ad magnitudinem corporis. Eusebius iiij. *de vita Constantini,* σωμάτων δ' ἡλικίας τὸ πλῆθος ὑπερβάλλοντα μεγέθη. & alio loco: μέτρον ἀνδρὸς ἡλικίας.

Cap. IV.

De interdicto vnde vi quædam.

De vi duplex est interdictum, *de vi armata,* aliud *vnde vi,* quod & *De vi* simpliciter dicitur à Græcis sæpe, & ab Vlpiano in *l. si quis vi. D. de adq. poss. & in tit. de vi & de vi ar.* nisi mauis legere, *Vnde vi & de vi armata,* sicut *Vi bonorum raptorum, & de turba.* Multum vero ea interdicta distant inter se, vt ostendi *lib. 5. Sententiarum Pauli.* Vnde vi non datur ei, qui vi, aut clam aut precario possidet ab illo, qui vi eum deiecit. quod præter ea quæ retulimus eo Sententiarum, libro bellissimè confirmant duę leges in *tit. De vi,* & *de vi arm.* Vna est *l. 17.* quæ si tu me vi deiceris, illico ego te, deinde tu me, ait, ideo efficax mihi vnde vi interdictum dari, quod & si in ipso congressu initio vi te semel expulero, tamen non videar vi à te possidere: nec enim si vi à te possiderem, mihi deiecto abs te vtile interdictū foret. Altera est ea quæ sequitur de colono, qui prohibuit emptorem, ac deinde ab emptore deiectus est, cui emptorem vnde vi interdicto teneri ait, subdita hac ratione, quam male alio retulit Accursius, non enim ab ipso, sed à venditore per vim fundum esse possessum. Significat ideo recte colonum agere interdicto aduersus emptorem, quod non ab ipso emptore vi possideat, sed à venditore. prohibendo enim emptorem, locatorem siue venditorem deiecit de possessione, non emptorem. Consequens igitur est si ab ipso emptore vi possedisset non habiturum eum fuisse ad interdictū aduersus emptorē. Pertinet vtraque lex ad interdictū vnde vi. ideoque nihil obstat *l.* 14. quæ est de interdicto *De vi armata:* in qua valde placet quod Accursius adiicit, *Forte etiam ab eo, à quo vitiose possidebas.*

Cap. V.

Ad §. hæc autem L. XV. D. de iniuriis.

Non parua est iniuria, si quis se inique, & immerito mœrere fingat nostra causa, vel quasi doleat vicem nostram: cum innocentes simus, & rei per calumniam fortasse iudicio delati, vel quasi opprimatur, & vexetur à nobis. ideoque si ita ficti mœroris indiciis publicè vtatur iniuriæ faciendæ. & inuidiæ nobis concitandæ causa, actione iniuriarum tenetur. Mœroris indicia hæc ponuntur in *l. 15.* §. *hæc autem ferè, D. de iniur.* vt si lugubri, & squalida veste vtatur, & eo habitu sequatur nos assidue, vt apud Senecam proponitur *xxx. Controuersia libri vi.* vel si publice lugeat cōdicionem nostram, qui rei iudicio delati simus, quo genere quodam modo testatur vere nos eo crimine teneri. Item si demittat barbam, submittatve capillos, id est, si non tondeat. quod etiam mœroris & luctus fuisse signum idem Seneca eodem loco declarat: *Barba,* inquit, *demissa sordidatus ad vos veni,* & Suetonius in *Augusto: Adeo consternatum ferunt, vt barba, capilloque submisso, caput interdum foribus illideret vociferans, Quintili Vare redde legiones, diemque cladis quem damnis mœstum ac lugubrē habuerat memorans.* Sic habent veteres libri, quorum auctoritate & superiores Ciceronis locos me correxisse lectorem nescire nolo. Ouidius,

Aspice demissos lugentis more capillos.

Sed sunt hac de re & alii complures auctorum loci. Reis quidem ipsis licet barbam, capillumque submittere, & veste sordida vti atque etiam cognatis, & adfinibus qui in reos inuiti testimonium non dicunt, non tamen ceteris: *l. vestem, D. de iniur.* nam ceterorum mœror in reos tacitum testimonium est. Fuisse autem id summo dedecori Romanis barba & capillo vti maiore interpres Græcus ad eam *l.* 15. adnotauit his verbis, τοῦτο παρὰ Ρωμαίοις αἰσχύνη μεγάλη ἦν quod verissimū est.

Cap. VI.

Quam male plerique vtantur libris Græcorum iuris auctorum.

Non fero Budæum, & alios, qui glossas græcas non satis profecto bona, vt mihi videtur, aui vel

Græcorum ſcripta de iure latina fecerũt, dũ in Pandectis græcis ſcribunt τάξιν ἢ ἱππάρχων eſſe apparitionẽ præſidũ τάξιν eſſe apparitionẽ fateor, ἱππάρχης eſſe præſides nego; τάξιν ἢ ἱππάρχων in Pandectis Græcis legi nego. Dum non intellecta græca tranſlatione *l.* 15. *D. de iniur.* ὀχλαγώγιον, quo verbo conuiciũ ſignificatur (idẽ & σωαγωγὸν vocant) interpretantur eſſe conuentum multorum ciuium ad conſtituendos, & confirmandos bonos mores ciuitatis, & ad declarandam alicuius improbitatem, quem vel inuidia, vel ignominia dignum iudicant. quot ſunt in hac interpretatione verba, tot plagis interpretem dignum eſſe iudico. Dum αἱρετικὰ legata interpretantur eſſe optionis legata, & in Modeſtino αἱρέσεις, diuiſiones. ego condicionalia, & condiciones. Dum ita ſcribẽte Harmenopulo ex libris βασιλικῶν: Εἰ δὲ τελὴς τελέτιον ἀδιαθέτος ἐκ ἢ ἄλλων οὐτελῶν κληρονομεῖται. abiecto & humili viro defuncto ab inteſtato eiuſdem fortunæ homines ſuccedere interpretantur. Vellem ſcripſiſſent, cohortali ex *l.* 3. *C. de her. decur.* ac ſane in Græcorum libris perſæpe οὐτελῶν nomine cohortales ſignificantur, nonnunquam caligati. Dum in Theophilo tutelam οὐτιλεσάτιν, id eſt opulentam. Dum de angaria & parangaria locum male diſtinguunt, quæ iam notaui aliis locis. Dum ἔδνα in libris βασιλικῶν interpretantur dotem, cum ſit donatio propter nuptias. in Nouellis στρωμνὰ cœnacula, quæ ſunt penſiones ædium. Dum in Balſamone φλυαρίαν, qua voce famoſum carmen ſignificatur, vnus tumultuoſam petulantiam, alter ſeditiones ac turbulentas ineptias interpretatur. Dum No. περὶ τρόπων γνησιότητος, id eſt, *de modis ſuitatis*, ſiue *de modis faciendi ſui*, *& legitimi*, de morum ingenuitate nuncupat. quo quid ineptius? Eorumdem in cognatorum vel adfinium appellationibus latine reddendis frequens error eſt. σώτεκνον alii ſororem, alii filii concubinam, alii è ſacro fonte ſuſceptam interpretantur. Balſamo accipit pro matre ſuſceptæ in ſynodi Trullo habitæ *cap.* 53. quaſi ſcilicet cum ea communem filiam ſuſceptor habeat. eſt enim ſuſceptori ſuſceptæ filiæ loco, & ſuſceptoris filius fratris loco. Ἀνεψιὸν plerique conſobrinum interpretantur, perperam, ſi locum ſpectas cui adhibetur ea interpretatio. nam & pro conſobrino veteres dixerunt, vel Zonara teſte in *Baſilij epiſtola ad Diodorum* his verbis, πολλαχῶ ὁ ὅρος παρὰ τοῖς παλαιοῖς τῷ ἢ ἀνεψιῶν ὀνόματι καλύμενοι οἱ ἐξάδελφοι. Alias vero ἀνεψιὸς refertur ad patruum, auunculum, amitam, materteram, ἐξανεψιὸς ad patruum magnum, & ceteros. μικρὸς ἀνεψιὸς ad propatruum, proauunculum, proamitam, promateterteram. Ἐξανεψιῶν nomine vſus eſt Menander, ſed alio ſenſu, pro his ſcilicet qui poſtea dicti ſunt πρωτοξάδελφοι. Sic ἀδελφιδοῦς dici conſtat fratris, vel ſororis filiam. ſed & conſobrina eo nomine ſignificatur, auctore Balſamone in *Clement. cap.* 19. quod in eo canone non admitto. nam & vetus eorum canonum interpretatio, & ipſe perſonarum ordo exigit, vt ſororis defunctę vxoris interdictis nuptiis, conſequenter etiam interdicatur nuptiis filiæ ſororis. ſed de hoc ſatis. Ad alia pergamus, quæ animo occurrunt modo. nam immenſi eſſet operis omnia colligere. Cum de indictione agitur κύκλον appellari conſtat xv. annorum reuolutionem. Attamen menſem interpretatur quidam in No. cxlii. τὸ νῦν παρελθόντος κύκλου, *nunc*, inquiunt, *ineuntis menſis*. dicere debuit, *præſentis circuli*, annorum puta xv. vt Nou. de Alexandrinis, τὸ παρωχημένος κύκλου ἢ περὶ ἐπὶ ις. id eſt præteriti circuli annorum retro xv. Euagrius lib. 4. ἢ κύκλων ἢ ὑπομνημάτων. & infra. ἐπὶ τέταρτος ἀπ' ἀρχῆς διῆλθε κύκλος. In eadem No. cxlii. σωίσεως neſcio cur idem teſtes, quam conſcios malit.

Cap. VII.

Dilectus. Lautumiæ. Lines.

NOn temere recedendum eſt ab ſcriptura Pandectarum Florentinarum, quarum editio fœlix iuris ſtudioſos docuit dedocuitque multa, Bartoli, ſimiliumque interpretum traditiones adflixit maxima ex parte, in *l.* 4. §. *qui poſt. D. de re mil. Qui ad dilectum olim non reſpondebant*, ſcriptum eſt, & *l.* 36. *D. de ſtatulib. & l.* 3. *D. ad leg. Iul. mai.* Recte. Omnes omnium auctorum libri manuſcripti ſic habent ferè ſemper, non *delectum*. & Feſtus confirmat. *Dilectus* inquit, *militum & is qui ſignificatur amatus, à legendo dicti ſunt.* In *l.* 1. *D. de aleat. & l.* 9. *D. ex quib. cau. mai. Lautumias* ſcriptum eſt non *Latomias*. Eam ſcripturam approbat omnino quod de Sabino refert Seneca IX. *Decl. & v. Contr. Cum*, inquit, *quemquam veſtrum decipiat nomen lautumiæ, Illa animo meo lauta res eſt.* Lautumiæ nomẽ ambiguum eſſe ſignificat, pro carcere, an pro re lauta ſiue lautitia ſumatur. In *l.* 16. *D. de act. empt.* Lines & labra. nihil mutandum. Lines rectum eſt, quas ibidem Græci recte λεξαμβύας interpretantur, id eſt, lacus aquam continentes, quo ſenſu & λιμνὰς & λιμνὰς Græci dicunt, vt in Eparchico περὶ φυτῶν φυτεύσεως, quod Harmenopulus refert *lib.* 11. *Epitomarum*, Afranius & Laberius apud Nonium, Labella, leneis.

Cap. VIII.

Recte in l. vlt. D. de abigeis. pro plenius *Græcos legere*, lenius.

EVm *quoque* inquit, Calliſtratus, *plenius coercendum qui à ſtabulo abegit domitum pecus non à ſilua nec grege.* Græci legunt, *lenius.* non *plenius.* Cur enim nocturni effractores grauius coercentur quam diurni? Cur nocturni fures, quam diurni? Cur balnearii, quam reliqui? nimirum quia quo maior delinquendi facultas & occaſio, eo maiore pœna quiſque in officio continendus eſt. Facilius porro eſt noctu & in balneis furari, facilius abigere pecus ex ſilua, vel grege, quam ex ſtabulo quo incluſum tenetur. idcirco maiori pœna coercendi homines ſunt, ne hac ad abigendum occaſione abutantur. Græcorum verba ſubiiciam: ἐκεῖνος ὃ πρᾳοτέρως κολάζεται ὁ ἀπὸ σάυλου ἀφαιρούμενος δεδαμασμένον ἢ δηλαδὴ ζῶον ἢ μὴ ἐκ ὕλης ἢ ἀγέλης. & inferius: ὁ ὃ ζώου ἀφαιρούμενος δεδαμασμένον ἄλογον, πρᾳοτέρως κολάζεται.

Cap. IX.

De auctore Βασιλικῶν.

BΑσιλικῶν libros vulgo ἑξηκοντάβιβλον nuncuparunt, quod ſint lx. diuiſi in τεύχη ſex, non quatuor, vt plerique putant. Auctor eorum eſt Leo philoſophus, vt Harmenopulus ſcribit, & Theodorus Balſamo in verſibus Heroicis aperte teſtatur. Sed adiungit Leoni Photium: quod eodem tempore hic canonibus, ille legibus dirigendis operam impenderet. Baſilius Macedo cum filiis Conſtantino, & Leone philoſopho ediderat iam ante πρόχειρον diſtinctum titulis ſexaginta. Eum conſequutus Leo filius promulgauit βασιλικῶν libros lx. eodemque tempore Photius patriarcha Conſtantinopolitanus, Νομοκανόνα, quo titulo & alii quidam libri ante eũ fuerant, diſtinctũ titulis XIV. quem & πρόχειρα appellatum reor, præponatur is quia Photii liber ca-

nonibus, quod Balsamo in præfatione ad Photium si significat iis verbis, τοὺς τῶν κανόνων συγκεφαλαιωδέντα, qui multo post Photium in eum, & in canones omnes commentaria scripsit iussu Manuëlis Imperatoris vir iuris, & legum peritissimus, vt Nicetas scribit in Isaacio Angelo. At idem ipse Balsamo secum pugnare videtur, dum Leonem in versibus, vt dixi supra, Constantinum Porphyrogennetam in præfatione laudat quasi auctorem βασιλικῶν, si quidem ἀνακαθάρσεως nomine significantur Basilica. Is Constantinus Porphyrogenneta Leonis philosophi filius est, Liutprando, & Balsamone testibus, sic appellatus, quod natus sit in domo imperatoria, quæ Πορφύρα dicebatur in qua natus etiam est Leo, quem & Porphyrogennetam Liutprandus vocat. Incertum porro patri an filio tribuendi sint libri βασιλικῶν. Illorum inepta est opinio, qui auo tribuunt. Nos Leoni adscripsimus initio, cui & debentur vere. Constantino autem Porphyrogennetæ dico Balsamonē non adscribere libros βασιλικῶν, sed postremam legum ἀνακάθαρσιν, id est Basilica repetitæ prælectionis. Neque vero tantum à Constantino libri βασιλικῶν repurgati sunt, sed & Photii Procanon, siue Nomocanon. quod iis verbis Græci interpretes significant ad *l. vlt. C. de cust reor.* Τοῦτο ἐν τῷ προχείρῳ οὐ μὴν ὅμως ὁτιοῦν ἀνακαθάρσιν ποιησάμενοι τὸν προχειρονόμον καταρρώσαντες παρεπέμψαμεν τῷ προχείρῳ.

CAP. X.

Quæ sint Eparchica.

BAsilica libri sunt, qui continent leges ab Imperatoribus promulgatas, vel compositas. Eparchica libri sunt qui continent generales formas, siue edicta præfectorum prætorio, quæ constat legis vim habere, *l. 2. C. de offic. præf. prat. l. apertissimi, C. de indic. l. pen. C. de fideius.* Pessime quidam Prouincialia interpretātur, & ἔπαρχον præsidem prouincię. Ex eis ἐπαρχικῶν libris nonnulla sumpsit Harmenopulus, & inter cetera περὶ ἐργολάβων quædam, in quibus quod legitur, ἐγκαλεῖσθαι δεῖ τῷ ἐπάρχῳ, ἐγκαλείσθωσαν τῷ ἐπάρχῳ, μὴ διαγώσεως τοῦ ἐπάρχου, plane confirmat ἐπαρχικῶν definitionem quā tradidi supra. quibus adungi oportet sententiam ab eodem relatam *lib. vi. tit. xiiij* cuius initium· εἴ τις φορεσθῇ, & sequentem. nam & illa sumpsit ex Eparchicis, & in eis quoque præf. prætorio mentio fit, cognitione rei in eum collata, vel potius ea sibi ab eo reseruata. Et quod ex Eparchi libro (sic enim vocat) Balsamo ad Photium *tit. 8. cap. 13* refert aduocatos creari à præf. prætorio. Inter Nouellas Iustiniani sunt ἐπαρχικὰ quædam. non sunt igitur Iustiniani Nouellæ, licet à Iustiniano comprobentur, vt No. clxvi. περὶ ἐπιβολῶν, quam esse ex Eparchicis vel id ostendit satis, quod in ea ait se misisse ex suo officio Nicomedem. Officium est præfec. prætorio, non Imperatoris. & vero Haloander etiam è formis præfectorum prætorio eam esse scripsit recte, sed illud male περὶ ἐπιβολῶν, quoque accipiendam esse *l. Lucius, in fi D. ad municip.* Loquitur ea lex de adiectionibus quæ fiunt in auctionibꝰ licitandis à quibus longissime distant ἐπιβολαὶ, ad quas illud Eparchicum pertinet. Est & inter Nouellas clxviii. ex eisdem libris, Ἔπαρχικὸς τύπος περὶ δημοσιέλων. Adnotatum quoque est No. clxvii. esse formam præf. prætor. cuius titulus Γενικὸς τύπος περὶ νομῆς πῶς δεῖ στέλλεσθαι εἰς αὐτὴν βίαν ἐνδοξοτάτης ἐπάρχου. Idem censeo & de No. clxv. cuius titulus, γενικὸς τύπος περὶ ἀποψέως θαλάσσης, qua de re etiam apud Harmenopulum extat forma *lib. 2.* quam adnotatum est esse ex Eparchicis in Harmenopulo manuscripto. Fuere & alii libri nuncupati Ῥωμαϊκὰ Magistri siue Patricii distincti titulis, & capitibus, ex quibus A pleraque Harmenopulus sumpsit. Idem quoque vsus est libro, qui inscribitur, μικρὸν χειρόχειον, quem habemus, quemque solum ex Græcis libris iuris Budæus viderat, sic nuncupatus, quod sit paruum Manuale ordine alphabetico titulos dispositos habens quidam vaticinantur eius libri auctorem esse Romanum iuniorē, & hunc Romanum iuniorem filium esse Romani Lacapeni, quem ex Constantino Porphyrogenneta progenitum constat, Nepotem scripsisse debuissent Multa vero eiusmodi Manualia iuris in Oriente fuerunt omnibus fere patronis causarum siue rhetoribus suum sibi codicillum & quasi viæ comitem conficientibus. Paulus Ægineta in præfatione: τὰς ῥητορικὰς τοῖς σωτόμοις τε καὶ συνεκδήμοις ὑπ' αὐτῶν ὀνομαζομένοις χρῆσθαι δικανικοῖς σωτάγμασιν, ἐν οἷς ἁπάντων ἐμφέρεται τὰ νόμων τὰ κεφάλαια πρὸς τὸ τῆς χρείας ἕτοιμον.

CAP. XI.

An liceat de crimine transigere, vel paciſci.

CVm quæritur an liceat tansigere de crimine, hoc quæritur, an transactione, siue pactione iure reus possit se crimine absoluere, quod in crimine inferente pœnam sanguinis, veluti maiestatis & parricidii, iure fieri constat, quia omnis honesta est ratio expediendæ salutis, *l. 1. D. de bon. eor. qui ante sen. mor sibi consc.* cui ex inscriptione coniungenda est *l eius, D. de iure fisci.* atque etiam ex re ipsa, cum vna sit de crimine, cuius pœna mors, & altera de crimine cuius pœna mors non est: de quo propter infamiam, vt Paulus *1. Sent.* scribit, id est quia turpe est, *l. 9. C. de con. stip.* transigi non potest, & qui transigit, fatetur, ac punitur, *l. transigere, C. de transact.* Vt enim præuaricator punitur qui se corrumpi sinit ac deinde vinci, ita & reus qui accusatorem corrumpit. Sed hic etiam nulla sententia lata. Tergiuersator tamen æque talionis aut calumniæ periculo subiicitur. & hoc est quod dicitur in *l. de crimine, C. ad leg. Iul. de adult.* par esse delictum præuaricatoris accusatoris & refugientis veritatis inquisitionem. vbi pro *refugientis*, lego *rei fugientis*. nam & sic in *l. Impp. D. de iure fisci.* reus qui iudicem corrumpit omittere dicitur causæ inquisitionem. At in criminibus, ex quibus pœna mors est, certe par delictum non est, quinimo omissio causæ inquisitionis pro delicto non habetur. Videamus autem in criminibus, ex quibus pœna mors non est, veluti peculatus, aut repetundarum, qua pœna adficiuntur qui transigunt, vel paciscuntur. an falsi? ita plerique accipiunt *l. transigere.* cuius cum sit ambiguus sermo, ambigua etiam, & incerta ex eo ducitur argumentatio. Citra enim duplicem significationem habet. Præterea nusquam proditum est eum, qui transegit de crimine non mortali, quasi falsarium teneri, sed alia est pœna. Tenetur enim quasi conuictus, & confessus eo crimine cuius inquisitionem omisit, *l. vlt. D. de præuar.* quæ lex dum ait pro conuicto eum haberi, palam demonstrat non falsi, E sed proprii reatus, de quo depectus est, eum pœna teneri, & id quidem, inquit, ex S. C. Non ergo ex constitutione Seueri & Antonini, *l. Impp. D. de iure fisc.* quæ nouæ constitutionis faciem non habet. Male etiā in hanc rem adfertur, *l. miles, D. ad leg. Iul. de adult.* quæ de pœna accusatoris, eiusue cuius iniuria est loquitur. nostra quæstio est de reo, non de accusatore. Quid ergo? an de crimine falsi transigere licet? Sic videtur, cum latinis, tum græcis interpretibus, quorum & ipse sententiæ accedo. moueor *l. 2. C. d. iis, quib. vt indign.* vbi qui falsum dicit testamentum retractare dicitur id de quo transactum est. moueor *l. 7. C. ad leg. Corn. de fal.* quæ de falso transactionem compro-

bat. Imo, vt dicunt quidam, non de falso, sed de instrumento dubię fidei. Ego vero circumscribor, dicam, nisi subueniant synceri iudices. quid sit de falso transigere, intelligo. quid sit de instrumento dubiæ fidei transigere, si hoc non est. de falso instrumento transigere, sane non intelligo. Idemque rursus male *l. penul. C. de transs.* eandem esse speciem arbitrantur, cum duæ superiores sint de transactione facta super falso, siue de falso instrumento, *l. penul.* de transactione facta ex falso instrumento. Hic non putabat, aduersarius falsum esse instrumentum, ibi putabat, & dicebat falsum. Porro eadem *l. pen. in fine*, etiam probat de falso transigi, recte. nam quod ait, *decisa*, transactionem significat, & generaliter ex eis tribus constitui hoc potest, transactione finitam quæstionem falsi, nec ciuiliter nec criminaliter rectractari posse. Græci in *d. l. 7.* ita scribunt, ὁ διαλυσάμενος ἐπὶ τῷ De falsis, γυμνάζῃ αὐτὸ: quibus verbis significant in specie eius legis transactum fuisse de falso Et *ad l. transigere*, ita quoque generaliter statuunt, τὸ δὲ πλαστογραφίας ἐγκλημα εἰ μὲν ἐχῃ δὲ αἵματος τὴν τιμωρίαν ὅμως ἔξεστιν ἐπ' αὐτῷ διαλύεσθαι. Verius est itaq; in *d. l. transigere*, excipi crimen falsi, quod videtur lege Cornelia nominatim permissum, propterea quod plerunque ad priuatam causam pertinet, sicut eadem ratione nominatim *lege Cornelia* qua de iniuriis publicum iudicium constitutum est, permittitur iurisiurandi delatio, & pactio & transactio. Capitale sui initio fuisse *lege Cornelia*, nolo dicere, id est, sanguinarium, & illud incerti poëtæ in tabellionem falsarium, τὲς πόδας εἰ φαγεῖες καὶ τὰς χεῖρας εἶχ' ὁλοκλήρους ἂν ἂν τὴν κεφαλὴν εἶχε τοιαῦτα κἀφων, de capitis deminutione, quam amputatione accipio. Porro criminibus non mortalibus adiungimus crimen adulterij. cõstat enim ex eo nec mortem sequi, nec deportationem, sed relegationem, quod omnium optime probat *l. siquis viduam, D. de quæst.* quæ adulterio cum incestu deportationẽ irrogat. Simplex igitur si fuerit adulterium, proximus pœnæ gradus est relegatio, qua etiam non absimilem adultero Adrianus damnauit, qui alienam vxorem domum suã extinere duxerat, & inde repudium marito miserat, *l. 6. de diuor.* & militem adulterum Traianus auctore Plinio in Epist. quem tamen pro adultero *l. miles, D. ad leg. Iul. de adul.* deportandum censet. & sanè aut mendum est in deportandi verbo, quod frequens esse indicauimus in Sent. Pauli, aut dicendum est vt in crimine maiest. *l. 7. §. vlt. D. ad leg Iul. mai.* & aliis quibusdam *l. quædam, D. de pen.* crimen adulterij exasperari in milites. Legitima namque pœna adulterij non est deportatio. idque vel ex eo etiam liquet quod à Lentulo Getulico Aquiliam lege Iulia damnatam, Tiberius dum vult suam aduersus reos inclementiam ostentare, exilio puniuit, auctore Tacito iiij. Exilio, id est deportatione. Id enim exilium proprie est, relegatione grauius. Frustra vero petuntur exempla ab Augusto irrogatę relegationis, vt adulterij pœnam relegationem esse probetur: cum & eo genere mortem esse probari possit. Tacitus de Augusto *lib. 3. Adulteros morte aut fuga puniuit.* & *4.* Iulio Antonio ob adulterium Iuliæ morte punito. At superiora duo argumenta ad id comprobandum validissima sunt. Ergo nunquam lege Iulia tam seuere vindicatum fuit adulterij crimen quã cetera crimina. nam & infinitis præscriptionibus eludebatur, & iustæ ætatis accusatorem exigebat, & non in vicennium, vt alia, sed in quinquennium extendebatur. Primi Constantius, & Constans non Constantinus, id capitale fecerunt. Postremum enim versum *l. quamuis. C. ad leg. Iul. de adult*, cum ex *Cod. Th.* appareat additum constitutioni Constantini, equidem sumptum opinor ex *l. 4. C. Th. quorum app non rec.* & vero Apuleius. Ne iuris quidem, inquit, seueritate lege de adulteriis ad discrimen vocabo capitis, *lib. ix.* Et in *l. 2. C. Th. de indul. rel.* quinque ab eodem Constantio crimina recensentur quæ capite luantur, maiestatis, homicidij, veneficii, adulterii, raptus. Ceterum alulterio capitali, id est, mortali effecto, consequens est de eo transigi posse. quod tamen nequaquam dicemus. Nouæ enim constitutiones strictius accipiendæ sunt, adeò vt & necessario ex eis consequentia contra ius vetus admittenda non sint, nisi nominatim exprimantur. cuius rei innumera exempla suppeditant nouellæ Iustiniani & mores singularum ciuitatum. Olim adulterium capitale non fuit. hoc abrogatum est nominatim. Olim de adulterio transigi non potuit, *l. de crimine, C. ad l. Iul. de adult.* Hoc abrogatum non est nominatim, manet igitur. Quod intelligens volensque Tribonianus etiam adiecit recte, *excepto adulterio*, in *d. l. transigere*, quæ verba proculd. in Codice Hermogeniano non erant Ait autem ea lex, *Trasigere vel pacisci.* Non ergo sordidis certæue pecuniæ pactionibus solũmodo interdicit si crimen non fuerit capitale: quin & generaliter, de quibus transigere non licet, auctore Paulo *1. Sententiarum.*

CAP. XII.

Animaduersio ad L. XII. §. lege, D. de accusat.

EI, qui duos reos habet, non licet tertium accusare. Hoc esse legis præscriptum, siue vt quidam libri habent *præceptum*, Impp. scribunt in *l. cum rationibus, C. qui accus. non poss.* Legis Iuliæ publicorum, vt opinor, coërcetur delatorum auaritia affectãtium præmia non valde honesta, *l. 8. D. de accus.* Itaque merito excipiuntur ij qui suam suorumve iniuriam persequuntur, *l. 11. D. eod. l. 6. §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult.* quia ij. non ducuntur auiditate quæstus, sed ira, dolore, indignatione. Hic negotium facit omnibus, *l. 12. §. lege, D. de accus.* quæ longe diuersum legis Iuliæ pręceptum statuit. Ei, qui vnum reum habet, non licere alterum accusare, sub eadem exceptione, nec minus in eo explicando Græci, quam Latini vaticinantur. sic enim superius præceptũ accipiunt: Ei qui duos reos habet, vnum puta iure publico, alterum suæ iniuriæ causa. quod si ita est, quin potius id ita lex concepit, ei qui x. vel ei qui plures reos habet: nam & numero se nullo ita videretur adstringere. & æque hic liceret diuinare vnum iure publico postulatum, ceteros propriæ iniuriæ causa. Vetus inhæret mendum §. *lege*, quod aboleri forsitan me nihil curante nemo feret, quia res accurate modo non mortalium nullus spectat, & non curantia mea ridiculis reprehensoribus, diruptis imitatoribus audaciam parit. Lege Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne eodem tempore de tribus reis quis queratur nisi suarum iniuriarum causa. Hoc est quod pręceptum legis appellatur in *d. l. cum rationibus*. De duobus reis non habendis nullum vnquam præceptum fuisse arbitror. est modus aliquis legum. vnus tantum permittendus. duo delatoribus inuidendi non fuerunt. hoc fuisset pernimis strictum. Tertium non permitti facile concedemus,

CAP. XIII.

De Ludis iuris studiosis interdictis à Iustiniano Imperatore.

IVstinianus in secunda constitutione de Pandectis iuris auditoribus interdicit ludis quibusdam certis quos exercerimos erat in antecessores & condiscipulos, præsertim nouitios, de quibus adnotatu dignum est

est etiam agi in sextæ Synodi in Trullo palatij *c.* 71. sub eadem interdictione. nominatim vero inhibentur Cyliſtrę, quo verbo palestras significari Sudas indicat, κονίστρα, inquit, ὁ ἀγὼν ἢ παλαίστρα ἢ ἡ κυλίστρα. Hesychius interpretatur ἀλινδήθρας. Hoc malo, quum Balsamonem sequi, qui & Orarium quid sit, nescit, quod ex Vopisco, & Trebellio, Gregorio Turonensi petendum est, quid Kalendæ, Nonæ, Idus, & alia pleraque. Commodissimè autem ad canonem patrum & ad constitutionem Iustiniani iungi potest quod de philosophiæ studiosis Athenien sibus pares aut non absimiles ludos exercentibus, quorum etiam hodie vestigia plerisque locis manent sedente magistratu, retulit Gregorius Nazianzenus in oratione funebri Basilij magni.

Cap. XIV.

Emendatur L. XXII. §. 1. D. ad leg. Iul. de adult.

At Papinianus in *l.* 22. *D. de adult. In accusationem viduæ filiæ non habet pater ius præcipuum.* Si quæratur casus quo in accusationem nuptę habeat ius præcipuum pater, quæretur frustra. nam patri semper maritus anteponitur. Quod si non de adulterij, sed de stupri accusatione hæc Papiniani sententia accipiatur, frustra etiam quæretur casus quo in accusationem adulterij præcipuum habeat ius pater. quia obstat maritus, cum quo, cum de iure præcipuo quæritur, semper confertur pater, non cum extraneo qui remotior est. Stultum est igitur de accusatione stupri, vel de accusatione viduæ hoc monere, non esse in ea vllam prærogatiuam patris, cum & idem sit in adulterio & in nupta. Horum enim in hoc tractatu de adulteriis inter se perpetua collatio est, patris cum marito, adulterii cum stupro, viduæ cum nupta. & quod in vno negatur, cócedi videtur in altero, aut sane perperā in vno negatur potius quam in altero. Itaq; emendare malo Papiniani sententiam hoc modo, *In occisionem viduæ filiæ.* ita suadent consequentia & antecedentia. ita Græci interpretes, (licet Basilicus habeat, *in accusationem.*) ita res ipsa. Pater enim in hoc tractatu ius nullum aliud præcipuum habet præter occisionem nuptæ filiæ in ipsa turpitudine deprehensæ, quod maritus non habet. Idem tamen priuilegium patri non datur in occisionem viduæ filiæ in stupro deprehensæ, quod & in virgine dicendum opinor. Ferrum patri lex Iulia tradit in nuptam, non in viduam aut virginem, licet Marcellum aliud scripsisse referat Paulus *in Fragmentis veteris prudentiæ*, quæ Pithoeus dedit in lucem.

Cap. XV.

De remittenda, & reducenda adultera vel adultero.

Remittitur vxor, quæ repudiatur & in domum parentum suorum mittitur. Reducitur remissa, vel quasi matrimonio nouo contracto, vel quasi eodem durante, *l.* 13. §. *vlt. D. ad leg. Iul. de adult.* Terentius, *Vosmet videte remissan' opus sit vobis an reducta domum.* Remitti etiam & reduci dicitur adulter, *l.* 25. *D. eod.* Et remissus semel reduci non potest, vt scilicet, retineatur testandæ rei causa ex lege Iulia, cum tamen remissa vxor, nec damnata reduci possit. Remitti autem adulter gratis potest, *l.* 29. §. *plectitur, D. eod.* Rursus à patre qui deprehendit adulterium non potest occidi vnus, & alter remitti. nam aut occidendus vterque contumeliave adficiendus est, aut vterque remittendus, Qui euasit & profugit, remissus non videtur *d. l.* 25. Itaque impune vnum occidet pater si alter effugerit sine dolo aut culpa eius. nam si hoc affectauerit pater vt fugeret, lege Cornelia reus erit, quasi non iure alterum occiderit, *l.* 23. §. *vlt. D. eod.* etiamsi fugientem leuiter vulnerauerit. quid enim si vulnerauerit, ne eum occideret, & vt alterum impune occideret? Hi sæpe colores arcessuntur excusandi reatus causa. Eleganter declamatores apud Senecam *Controuersia xxj. Leuiter vulnerata es, quam diligenter seruata es. Ostende vulnus, percussor ille quam timuit, ne occideret. Destricta leui vulnere est cutis, credas factum amatoris manu. Maritum occidit, adulteram strinxit.* Itaque recte in *l.* 32. *D. eod.* exigitur vt grauia vulnera inflixerit pater. Vulnerat quis alias vt occidat, alias vt non occidat, *l.* 1. §. *pen. D. ad l. Corn. de sic.*

Cap. XVI.

An de adulterio sponsæ sponsus iure mariti agere possit.

Sponsam iure mariti accusari posse declarat *l. propter. C. ad leg. Iul. de adult.* & in Digestis *l. miles* §. *quærebatur, D. eod. tit.* quę dum sponsa alteri à patre nuptum collocata iure mariti accusandi facultatem sponso denegat, aliis casibus concedere videtur. Et *l. si vxor, eod. tit.* cuius tractatio omnis summatim hoc ordine procedit. Concubina non accusatur iure mariti. & vxor quæ fuit meretrix. & sponsa ex rescripto Seueri. Ea tamen cum qua incestum commisit uitur, vel quæ vxor esse non potest, non accusatur iure mariti. quod non pugnat cum eo, quod dixit de iniusta vxore. nam iniusta vxor, vxor est: vt quæ non solemniter accepta est aqua & igni: nam vereor ne definitionem alio loco traditam euertat *d. l. si vxor* §. *si quis vxorem.* Tentari ex eiusdem solummodo legis §. *si minor,* potest, non accusari sponsam iure mariti, quod cum neget impuberem iure mariti accusari, adfirmet vero quasi sponsam accusari, plane consequens sit sponsam iure mariti non accusari. Ne adieceris sponsi nam: sponsi nullum ius separatum. Vel enim extraneo comparatur, vel marito. qua de re quærimus. Marito autem in hac causa eum comparari post rescriptum Seueri arbitramur. Sed ne obstet §. *si minor.* explicatione indiget nostra. Impubes vxor esse non potest, sponsa esse potest, si modo infans non sit *l. in sponsalibus, D. de sponsa.* Augustus quidem constituit ne minor x. annis sponsa haberetur, vt Dio, & Zonaras scribunt. vnde explicandum est quod Suetonius ait, eum tempora sponsas habendi coarctasse. Sed alio iure vtimur. nam post vij. annum sponsalia contrahi possunt. Verum enim vero, vt ea nominatim contrahantur exigimus. idcirco si non factis sponsalibus impuberem duxero domum quasi vxorem, nec nuptiæ sunt nec sponsalia. At si sponsalia nominatim contracta sint, erit sane mihi tum sponsæ loco, dummodo sit maior septennio, diemve supremum septennii agat. quod Vlpianus tractat in *l. quæsitum, D. de sponsa.* ex Labeone, & Papiniano, Labeone *Posteriorum libris*, Papiniano *lib. x. quæstionum, l. cum hic status* §. *pen. D. de don. inter vir. & vxor, l. dotis promissio, D. de iure dot.* Aut igitur nondum viripotentem duxi domum factis sponsalibus aut non factis. priore casu est accusatio iure mariti, posteriore iure extranei. & hæc est sententia §. *si minor.* in quo, Sed quasi sponsa, id est si quidem sponsalia præcesserint. Et quod in eo, idem omnino refertur ab Imperatore in *d. l. propter,* si modo ita legatur, vt auctores βασιλικῶν legunt, *Propter violatam virginem quæ adulta postea esse cœpit:* & virgo pro impubere accipiatur, vt *l. præfectus, D. de rit. nupt.* quam significationem Nonius Marcellus notat, atque inde puberes deuirginatos dici. Et violatæ nomen non pro vi accipiatur sed pro stupro sine vi illato. quamobrem conue-

nienter adiicit ipſum perſequi ſuam iniuriam, quod vitiata ſit immatura, & imbecilla ætate. Idem puberi non dabitur, cum in crimen conſenſit robuſta iam ætate. & ita Græci accipiunt *l. j. C. ad leg. Iul de adult.* non male. Nunc videndum eſt, an etiam hodie ſponſus iure mariti accuſare poſſit. & ſane videtur eum neque mariti neque extranei iure accuſationem inſtituere poſſe. quoniam maritum Cõſtantini conſtitutio nominat, & genialem lectum. Et ſicut lex Iulia reſcripto Seueri ad ſponſum, non ita illa conſtitutio ad ſponſum, alia conſtitutione porrecta eſt. Sed non eſt nouum vt priores leges trahantur ad poſteriores. Itaque reſcriptum Seueri trahemus ad conſtitutionem Conſtantini.

CAP. XVII.

Fratrum varia genera, & de patria poteſtate.

EX fratribus alij ſunt ἀμφιδαλεῖς, plerique αὐταδέλφους vocant, id eſt, ex eodem patre, eademque matre geniti, latine Germani, alij ἑτεροδαλεῖς, & ex iis alii ὁμοπάτριοι, id eſt, ex eodem tantum patre geniti, qui & latine Germani dicuntur, alii ὁμομήτριοι, id eſt ex eadem matre geniti, diuerſo patre, latine vterini. Germani etiam conſanguinei dicuntur niſi emancipatione ſoluta ſit agnatio. Conſanguinitas enim ſpecies eſt agnationis. Vterini nunquam dicuntur conſanguinei, quia cognati ſunt, non agnati. Inueni & ὁμοπατρίους vel etiam αὐταδέλφους fratres patrueles dici, & vterinos matrueles in *l. 1. D. de lege Pompeia de parricidiis*, nec enim potes illo loco patruelem, & matruelẽ conſobrinos interpretari, tum quia non debent conſobrini præponi patruo, & auunculo, qui gradu proximiores ſunt, tum etiam quia eodem loco poſt patruum & auunculum collocantur conſobrinus & conſobrina. itaque malõ cum Græcis patruelem interpretari fratrem germanum, matruelem fratrem aut ſororem vterinam. Idem vocabulorum vſus eſt in quarto gradu. nam conſobrini ſimpliciter fratres dicuntur à Comico, & κασίγνητοι à maximo poëtarum, & fratres patrueles ſi orti ſint ex duobus fratribus, hi quod per patres coniungantur, illi quod eundem patrem habeant. ergo & ii ſimiliter non male fratres matrueles, ſi per matres cognatione iungantur. Dicuntur fratrueles Iſidoro teſte, & ita Paulus Valentinianum fratruelem Theodoſii appellat, qui erat amitę filius. Palæmo in gloſſis: *Fratruelis matertera filius.* Non inficior & fratrueles accipi pro ſobrinis. nam & hos plerique conſobrinos vocant. atque ita fratrum appellatio quodammodo meat vſque ad ſextum gradum, imo & ſeptimum. nam ii quoque tertiorum conſobrinorum ſibi appellationem vindicant, omnes autem conſobrini fratres. Eidem inter adfines appellationi locus eſt, nam & vxor fratris, fratria dicitur, & ſororis maritus frater à M. Tullio, qui Q. Metellum P. Clodii fratrem appellat, Gener ſatis noue à Iuſtino 18. dum Pygmalionem Sichæi generum vocat, cui nupſerat ſoror Eliſſa, & ab Æmilio Probo in Pauſania, & à Sophocle in Oedipo. Nunc de patria poteſtate id quod pollicetur huius capituli titulus vt adiiciam aliquid facit. *l. j. D. de lege Pompeia*, quam ſupra attulimus in qua dum quid ſit patruelis & matruelis inquiro obſeruaui etiam ſimul *lege Pompeia de paricidiis* matrem occidente filium puniri, de patre legem nihil loqui. Quid ita vero? nempe quod etiam tum patri ius eſſet vitæ, neciſque in filium. id enim ius conſtitutionibus modo poſtea patribus ademptum, & peremptum eſt, non tamen id quoque per conſtitutiones effectum, vt pater quaſi ſuo iure interficiens filium teneatur lege Pompeia de paricidiis, coërcetur enim alio modo. Vlpianus *lib. j. de adulterijs*, forſitan cum ſcripſiſſet impune occidi filiam deprehenſam in adulterio, atque etiam filiũ deprehenſum cum ſorore iam nupta, adiecit *l. 2. D. ad leg. Cor. de ſic.* inauditum filium, id eſt, cuius auditæ prius defenſiones non ſint (vt Tacitus 4. *Inaudito filio exitium offerret*) non ἀκρίθουῦτα, vt Græci interpretantur, quo tamen ſenſu inauditum veteres prudentes dixiſſe. Nonius ſcribit, patrem occidere non poſſe, ſed accuſare eum debere apud præfectum vrbi vel præſidem. Vel quod magis eſt ſimul ſcripſit ſeruum adulterantem vxorem domini non poſſe occidi, ſed accuſari debere *l. 5. D. de accuſ.* (quamlegem quod quæſtio de perſonis in omni tractatu ſit prior ſumptam ex libro primo reor potius quam ex tertio) ac ſimiliter filium adulterantem nouercam occidi non poſſe. quod & nominatim proditum eſt, *l. 5. D. de leg. Pomp.* ex Adriani decreto, qui & Lampridio teſte, ſeruos à dominis occidi vetuit, eoſque iuſſit damnari per iudices. Itaque ius vitæ, neciſque tam domino, quam patri ademptum eſt conſtitutionibus, & ſicut offerendus eſt filius præfecto, vel præſidi, vt ait *d. l. 2. l. 3. C. de pat. pot.* ita & ſeruus, auctore Gaio *1. Inſt.* nec obiici poteſt beſtiis ſine iudice ex lege Petronia *l. xj. §. vlt. D. ad leg. Cor. de ſic.* Sed in ſuperiori ſpecie de adulterio hoc intereſt inter ſeruum & filium, quod deprehenſum in adulterio vxoris ſeruum dominus occidere omnimodo poteſt ex *lege Iulia, l. marito, D. ad leg. Iul. de adult.* filium non item. hoc enim omiſit lex Iulia.

CAP. XVIII.

De donis & muneribus.

LEx Iulia repetundarum à cognatis, & vxore ei qui in magiſtratu vel poteſtate eſt dona, muneraue in infinitum capere permittit, *l. j. & 7. D. ad leg. Iul. repet.* quod cum moribus pop. Romani non pugnat, quibus prohibita eſt donatio inter virum & vxorem. alia namque eſt munerum cauſa, alia donationum. Quod ex *d. l. 7.* dicimus, in infinitum, non hoc ſignificat immenſa, & immodica munera permitti, quæ inter coniuges prohibita ſunt, quia dona potius ſunt, *l. ſed ſi vir §. ſi vir, D. de don. inter vir. & vx.* ſed à cognatis, & vxore accipere lege permitti, non expreſſa certa quantitate. In aliis exprimi certam qnantitatem, puta aureorum c. in anno *l. 6. §. vlt. D. eod.* Ergo donum, munus magiſtratui capere licet à cognatis & vxore in infinitum, à ceteris vſque ad aureos c. in annis ſingulis. Sũt tamen quædam cauſæ exceptæ legis Iuliæ proprio capite ob quas nihil ne à cognatis quidem vel vxore accipere licet, quæ exprimuntur in *d. l. 7.* in qua pro *ab iis autem*, videtur legendum, *Iis autem.* Et hæc quidem omnia ſunt ex lege *Iulia de vrbanis magiſtratibus, d. l. 6.* De prouincialibus eſt plebiſcitum, de quo in *l. plebiſcito, D. de off. præſ.* & vtraque lex de donis & munerib⁹ & de repetundis. Xeniorũ alia eſt cauſas. Peſſime enim quidãhæcomnia confundũt, donũ, munus xenium. At inter donum & donationem nihil intereſſe puto, ſicut nec inter pactum, & pactionem. quod apparet ex *lege Cintia*, quæ de donis, & muneribus eſſe dicitur ab omnibus auctoribus, & donationum iura continet. nec enim oratores tantum donum, munuſve capere vetat, quod & lege Iulia vetitum poſtea fuit ſub pœna quadrupli, auctore Dione *liij.* Sed & donationibus quibuſcumque modum ſtatuit, & qui modus legitimus donationum inculcatur ſæpe in titulo de donationibus, & de mortis cauſa donationibus, proculdubio referendus eſt ad *legem Cintiam.* Fuit autem cc. aureorum. A quo tamen excepti erant cognati, quibus licebat donare in infinitum, in-

terueniente mancipatione, aut traditione, *l. 4. C. Th. de donat.* indicat palam his verbis, *Collata inter ceteras exceptas Cintia legi personas obtinere propriam firmitatem si vel mancipationis decursa fuerit solemnitas vel certe res tradita doceatur. Exceptas* dicit quibus vt & lege Iulia repetundarum cautum diximus supra, donari aut munera conferri in infinitum possunt. Et quod dicit, *Inter ceteras*, propter parentes & liberos dicit, quos à ceteris discernit constitutio D. Pij, quia inter eos ex nuda voluntate donatio valet ex constitu. D. Pij sicut & fideic. vt Paulus scribit *4. Sent. tit. j.* Inter ceteros ex mancipatione, vel traditione secundum legem Cintiam. Videtur quidem etiam ex lege Cintia nuda voluntate donationem perfici No. clxij, περὶ δωρεῶν comprobari posse, videlicet si legatur in ea τῷ κεντίᾳ νόμῳ, non Σεντίᾳ (quibus nõ ex fide Holoander addidit *Aelia*) id quod olim mihi indicauit Petrus Pithœus Tricassinus vir feliciſſimi & acutiſſimi ingenij, & veriſſimum puto. At ea lege interpres latinus de donationis substantia similia iis, quę Iustinianus nouiſſimè constituit fuisse præscripta exponit male, cum id potius græco sermone significetur, propositam quæstionem, vt constitutione Iustiniani, sic veteri lege Cintia fuisse tractatam, ceteroquin, vt ego adiicio, diuersa ratione. hæc enim generaliter in donationibus mancipationem vel traditionem exigit & locorum rerumque discrimen facit, illa nuda voluntate contenta est. exoleuisse legem Cintiam ait. vere. nam oratoribus accipere licet vsque ad aureos c. in singulis causis, & alius est aliarum donationum modus. & vt iam dictum est, mancipatio vel traditio perficiendæ donationis causa superuacanea est. De iis qui lege Iulia repetundarum continentur, qui in magistratu donum, munusve accipiunt, fuerit quidquam lege Cintia cautum necne, mihi non liquet. Id tamen liquet non fuisse aliam legem Titiam, quæ idem oratoribus, quod lex Cintia interdiceret. nam Ausonij locus de Iurisconsulto est, non de oratore, & lex Titia, cuius meminit, longe alia de re. Et alterum Cornelij Taciti ex *lib. xj.* de Suillij oratoris perfidia, miror de eodem Suillio collato alio loco ex libro xiij. non agnosci esse corruptum. nam vtroque idem narratur, Suillii causa consurrexisse patres, S. C. & legem Cintiam flagitasse, & repetiisse. Flagitarunt sub Claudio, repetierunt sub Nerone, vt initio lib xiii. scriptum est. *Cintiam* eo libro recte, *Titiam, lib. xj.* male pro *Cintiam*. At tandem narratur *lib. xj.* donis & muneribus oratorum modum posuisse D. Claudium vsque ad dena sestertia. ac inde, vt opinor, sequutum est S. C. de quo Plinius in vltima epistola libri quinti. Tacitus ait dena sestertia. Plinius x. milia, sestertium nummum scilicet. Vtroque sermone eadem quantitas significatur, puta c. aureorum, si verum est, quod Budæus & Alciatus scribunt, x. aureos sestertium vnum facere, siue sestertios mille: quæ licita quantitas dicitur in *l. j. D. de ext. cog.* Ex S. C. igitur & constitutione Claudii. Eademque magistratibus vrbanis lege Iulia definita est. prouincialibus æque non putem. Plus enim hac in re semper vrbanis quam prouincialibus magistratibus indultum est, *l. 1. C. de cond. ind.* & vt refertur in supradicta *l. plebiscito.* plebiscitum xenia tantum eis capere permittit: quanquam & hæc ipsa proinde ac dona corrumpant sæpe iudices. Ait namque sapiens, ξένια καὶ δῶρα τυφλοῖ ὀφθαλμὲς σοφῶν.

Cap. XIX.

Explicatur §. in causa L. I. D. de quæstionibus.

Miror non intellexisse interpretes in *l. 1. §. in causa, de quæst.* idem contineri quod *l. 1. C. eod. l. vix, D. de indic.* in crimine fraudati census seruos audiri contra dominum, cum certo constet census fraudationem nihil aliud esse, quam tributorum fraudationẽ, de qua agitur in supradicto §. Ait enim, *In causa tributorum.* & inferius. *Fraudis conscio.* Significat fraudati tributi conscium fuisse seruum, non auctorem. Auctor fraudis fuit dominus serui. Porro huius fraudis conscio seruo ait periculum capitis imminere nisi rem patefecerit & in publicum detulerit: hanc rationem seruum ad delationem domini compellere, & eiusdem serui professionem, id est, indicium (dicimus namque indicium profiteri) extruere. Cur vero tam acerbè in hac causa? Quia in tributis, inquit, esse Reip. neruos nemini dubium est, quibus scilicet incisis summam Remp. dissolui necesse est. itaque tuendæ caulæ tributorum omnes admitti, non habita ratione veteris S. C. quo seruus in dominum audiri vetatur, publice omnium interest. Florus ærarium neruos Reip. Leo philosophus Nou. LII. pecunias νεῦρα τῶν πραγμάτων vocat, vbi etiã miror cur emendet Agilæus νεῦρα τῆς χειμάῤῥου. Plutarchus in Cleomene. ὁ πρῶτος τὰ χρήματα νεῦρα τῶν πραγμάτων προσειπών: quod Diogenes Laërtius Biantem tribuit. Demosthenes. ἀφαιρήσηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων, Æschines ἀφαιρήσηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων. Nicetas in Emanuele Comneno. τὴν χρημάτων ἐπιῤῥοὴν οἷόν τινα καὶ νεῦρα τῆς πραγμάτων ἀεὶσως τῆς πάλαι τὶς κατονόμα[illegible]. Eustathius *2. Iliad* τὸ νεῦρα πραγμάτων εἰπεῖν τὰ χρήματα οὐκ ἀληθὲς, ἀλλὰ καὶ δύσχρηστον. & *4.* ὅτε ὃ τις ἀκολουθῶν παλαιᾷ χρήσει νεῦρα πραγμάτων ἐρεῖ τὰ χρήματα. Constantinus in *l. lex, C. de adm. tu.* *In pecunia*, inquit, *robur omne patrimoniorum veteres posuerunt.* Quæri potest an & in crimine fraudati vectigalis seruus audiatur contra dominum? quod videtur. nam vectigalia quoque neruos esse Reip. M. Tullius ait. Vectigalia autem vocat portorium, scripturam, decumas. Sed inter ea tria distinguendum esse arbitror, vt fraudati portorii nomine mercibus improfessis, à domino seruus accusari non possit, ſi fraudatæ tamen scripturę pecore non professo deferri, & iudicari possit, fraudatarum decumarũ fraude & mendacio professionum, id est agrorum modo omni non professo, & hæ quidem professiones in censum referebantur, non mercium professio. Lex autem census dumtaxat fraudem coërcet, in quo etiam potissimum firmamentum Reip. consistit. Portorium vectigalium pars minima est quæ censu non continentur. & vero non dicerem recte, Portoria neruos esse Reipub. Nam quod dissuadet Senatus Neroni apud Tacitum lib. 13. ne portoria tollat, dissolutionem imperii docens, si fructus quibus Resp. sustinetur, diminuantur, hanc dissolutionem inde non nisi per consequentiam contingere mox declarat dicens, Sublatis portoriis sequi, vt tributorum abolitio postuletur. De fraudato portorio est *l. fraudati, D. de public.*

Cap. XX

Clandestinæ nuptiæ.

Vetus lex esse videtur, quæ exigit nuptias fieri palam teste populo, & damnat furtiuas, clandestinasue, quas quidam κλεψιγάμους vocant. Cuius sententiæ argumentum vnum præbet *l. vxor, C. de repud.* alterũ quod Apuleius *lib. 6.* scribit in hæc verba. *Impares nuptiæ & præterea in villa sine testibus, & patre non consentiente factæ legitimæ non possunt videri.* Tria notat vitia nuptiarum, vnũ imparitatis, vt in ea fabula si mortalis immortali nupserit, vel missis fabulis si maior quinquagenaria minori sexagenario nupserit, non è contrario: nam sexagenario quam lex Papia fibulam imposuerat, vt Seneca & Lactantius loquuntur, ad quam respicit *l.*

ſi pater §. *vlt. D. de adopt.* S. C. Claudianum ſoluit, auctore Vlpiano in Fragm. & Suetonio in Claudio. Item ſi ciuis Romanus Latinam, aut peregrinam, aut eam, quæ Dedititiorum numero eſt vxorem duxerit, vel contra. Alterum, diſſenſus parentum, de quo ſatis conſtat inter omnes. Tertiũ eſt clandeſtini. & hoc eſt quod ait, *In villa.* Eſt enim villa receſſus & ſecretum. & ita *l. ego cum in villa, D. de man. vind.* in villa dum dicitur rectè manumiſſionem fieri apud prætorem ſine lictore, inter parietes, & ſecreto eam fieri poſſe ſignificatur, nec publicam conteſtationem requiri. Idem vero clandeſtini vitium interpres Ptolomæi notat εἰς πῶ τετρᾶβιβλον iis verbis: Τὰ ὃ μὴ νόμιμα πολλάκις εἰς νόμιμα μεταπίπτει. τὸ γὰρ ὅπ λάβρα Ϛωνελθῶν πρὸ τῦ ἐλθόντος χρόνυ νομίμως ζεύγνυται. In concubinatu idem vitium non notatur, niſi mulier ſit ingenua claraque, *l. 3. D. de concub.*

A

CAP. XXI.

De occiſo infante.

IMperatores capite puniendum cenſent eum qui infantem occiderit, *l. pen. C. ad leg. Corn. de ſic.* qua pœna etiam plectitur qui virum occiderit. homicidas enim lex vltore ferro perſequitur. De infante dubitari poterat, quoniam lex Cornelia ait, Qui hominem occiderit, & inde crimini nomen, Homicidium ſiue ἀνδροκτασία. Simili modo de femina dubitari potuit. Infans homo nondum eſt. Femina item propriè non eſt homo, *l. ſi quis aliquid* §. *qui abortionis, D. de pœnis.* Sed vt in lege Iulia & Papia hominis ſignificatio augetur à Iuriſconſultis, *l. hominis, D. de verb. ſign.* ita & in lege Cornelia, vt feminam quoque demonſtret. Et infantem *d. l. pen.* nam & Homerus *Iliad. xxiii.* eis verſibus qui referuntur in *l. aut facta*, D. *de pœnis*, infantis cædem ἀνδροκτασίαν vocat, ſed καταχρηστικῶς, inquit Euſtathius. παῖδα γὰρ κατέκτανε καὶ ἀτέλεστον ἄνδρα. ἔστι δὲ ἕτερος ἀνδροκτασία καὶ ἡ παιδοφονία λέγεται καθ' ὃν ἀπὸ μέρους δήλωσιν τῦ παντός, ἀνδροφόνος γὰρ ὁ ἁπλῶς ἀνθρώπων ἀναιρῶν εἴτε παῖς ἐστιν ὁ πεσὼν εἴτε ἀκμαῖος εἴτε καὶ γυνῆ. Sic edicto Publiciano hominis appellatione continetur etiam infans, *l. cum ſponſus* §. *Publiciana, De Pub. in rem. act.*

B

CAP. XXII.

Impuberes doli capaces vel incapaces.

LEgis III. §. 1. *D. de ſep. viol.* verba punctis diſtinguenda eſſe in hunc modum reor: *Si igitur dolus abſit, ceſſabit eiuſdem. Perſonæ igitur doli non capaces vt admodum impubores excuſati ſunt.* Ceſſabit autem eiuſdem ſcilicet edicti pœna, ius, iudiciumque. Græci ſimpliciter ἀφεῖ καὶ ἡ ἀγωγή, Illud eſt quod admodum impuberes doli nõ eſſe capaces ait. nam pubertati proximi doli capaces ſunt, atque etiam ex XII. tab. puniuntur ſi furtum fecerint. puto & ex ſuo delicto de eis quæſtionem haberi. Ita vero cum ſe admodum impuberem ſiue μειρακύλλιον κομιδῆ Demoſthenes dixiſſet, recte eo dixiſſe notauit Vlpianus, vt intelligeretur non fuiſſe doli capacem. Verba Vlpiani hæc ſunt. Τὸ κομιδῆ προσπεμφθὲν ἔμφασιν δίδωσιν ὡς οὐδὲ μιᾶς ἔχθρας λαβεῖν παρέχειν ἢ ſωμάτων οὐδὲ ἀδικίας ὁτοιαύτην ἄγων τὴν ἡλικίαν. Vulgo male legitur in eo §. primo, *quemadmodum impubere.* Florentinam ſcripturam approbant Græci, qui ſic vertunt, ἐὰν ὁ παῖς ἄκ ὁπωσέχητε δόλον ὁποῖοι εἰσιν οἱ πάνυ νήποι. Sic admodum iuuenis dicitur, qui non ita dudum factus eſt pubes, *l. ſicum dotem*, §. *eo autem, D. ſolut. mat.*

C

CAP. XXIII.

Indicium aliud imperfectarum Pandectarum.

VNum protuli indicium Pandectarum imperfectarum in commentariis de verborum obligationibus. Aliud profitebor hoc loco. Nemo eſt qui *l. 7. D. de bon. dam.* inſpectum finem non ſtatim imperfectum eſſe cognoſcat. his ſane aut ſimilibus verbis deſinebat, *Quamuis iuſſu patris cuius in poteſtate eſſet, adierit hereditatem, vindicari eam fiſco.* egregia vero ſententia, Hereditatem à filio vel filiaſ. ſcelere partam patri quæſitam iuſſu eius adita hereditate patri eripi ex eo ſcelere damnato filio filiave, cum tamen cetera, quæ filiusfam. patri honeſte quæſiuit eo damnato patri non eripiantur. Male Accurſius ſubintelligit *necauerit*, pro *adierit.* Male notat inde iuſſum patris non excuſare, notare debuit, ſcelere filiiſ. quæſita quamuis patri adquiſita ſint, fiſco peti. At quod dixi finem *l. 7.* non eſt finis. Deſideratur alius paragraphus: cuius hęc eſt ſententia. *Poſt deportationem adquiſita mortuo deportato ad fiſcum pertinere, quia deportatus eſt capitis minor, & heredem habere non poteſt. Poſt relegationem, & publicationem bonorum quæſita, in fiſcum non tranſire, quia relegatus ex teſtamento, vel ab inteſtato heredem habet.* quod plane confirmat conciliationem *l. 2. C. de bon. poſ. cum l. ſi mandauero* §. *is cuius, D. mand.* à nobis traditam in *tit. qui teſt. fac. poſſ.* Mortem deportati nec reſtituti, & reuocati exigimus, vt poſteà quęſita fiſco obueniant. viuus namque eis vtitur ſuo iure, *l.* 15. *D. de interd. & releg.* Ab eo deſideratur *l.* 8. *Marciani*, qua hoc primum cauetur, vt patronis damnato liberto *l. 7.* §. *ſi in libertinum eod.* ita liberis patronorum ſeruari partem debitam, id eſt dimidiam, ante Iuſtinianum, de qua Suetonius in Nerone, *Vt è bonis*, inquit, *libertorum pro ſemiſſe dodrans cogeretur, l. 1.* §. *pen. D. ſi cui plus quam per leg. Falc.* Deinde ſi damnatus ſit filius & filius patroni, filium patroni fiſcum excludere in partem dimidiam, excludit autem ipſum à filio proſcripti. qua ratione fit, vt filius proſcripti, cui ſi ſolus eſſet, quadrans duntaxat concederetur, ſemiſſem obtineat, cui non abſimilis ratio proponitur, in *l. æquiſſimum, D. ad Tertyl.* Puto autem exemplo patronorum quibus conceditur portio debita, filio proſcripti non concedi amplius portione legitima. Sed conceduntur iura libertorum benigniſſime ex conſtitutionibus, *l.* 4. *D. de in. pat.* non iure, *l. 3. D. de interd. & releg.* Conceduntur & vniuerſa bona, quæ matris aut aui ſucceſſione, filio obuenerunt. Corn Tacitus XIII. *Adempta bonorum parte* (nam filio & nepti pars concedebatur, eximebanturque etiam, quæ teſtamento matris aut aui acceperant) *in Inſulas Baleares pellitur.* Ex *l. pen. C de bon. proſ.* hodie liberis conceditur ſemis indiſtincte, Ex Nouella, as. Boni quoque principes iam olim modo aſſem concedebant, vt de Antonino Pio eſt proditum, modo ſemiſſem, vt de M. Antonino. Hadrianus tantum duodecimas. Triumuiri R. C. decimam maribus, viceſimam feminis. Ex iure autem veteri Falcidia conceditur. Excipitur ſemper perduellionis cauſa, in qua nihil neq; ex dãnati patris, neq; ex matris, vel aui bonis liberis conceditur, niſi filiab⁹ quadrans eorũ, quæ acceperunt ex ſucceſſione matris, *l. quiſquis, C. ad leg. Iul. maieſt.* Liberti beneficio conſtitutionum conceduntur. Tum adiicit Marcianus in partem dimidiam à filio patroni fiſcum excludi, licet filius mediæ partis bonorum poſſeſſionem non petat. Satis enim eſt eſſe delatam. qua ratione etiam olim in legitimis hereditatibus non erat ſucceſſio. Poſtea, bona relegati non publicari, niſi ſpecialiter ſententia adempta fuerint

D

E

vt *l. deportatorum*, *C. de pœn. l. 4. & 14. D. de interd.* A *& releg.* Adimi bona ſententia poſſe, adimi ſententia iura libertorum non poſſe, ſolum principem relegato iura libertorum adimere. Quod ergo Cornelius Tacitus ſcribit XVIII. reuerſis ab exilio iura libertorum conceſſa, de deportatis accipiendum eſt, quibus tacite & bona, & iura libertorum adempta cenſentur. Sed reſtituti recipiunt iura libertorũ *l.* 1. *D. de ſen. paſ. & reſt.* Poſtremo ait Marcianus: *Licet mortua in matrimonio filia dos profectitia ad patrem redeat, non ideo & poſt damnationẽ patris mortua in matrimonio filia ad fiſcũ eam redire.* manere igitur apud virũ potius, quam fiſco peti, vel eo maxime quod damnationis tempore non fuerit dotis actio in bonis patris. & hoc ita, vt *l.* 9. ſubiicitur ex Calliſtrato, niſi in fraudẽ fiſci dos data fuerit. tollitur fraus fiſci, vt in *l.* 7. §. *ex bonis*. Sequitur ex eodẽ Marciano in *l.* 10. ex promiſſione dotis factæ à ſocero ante proſcriptionem, genero actionẽ in fiſcum dari. Et diuortio ſoluto matrimonio, quo caſu dotis repetitio patri non datur, niſi agat voluntate filiæ, ſi damnetur pater nondum extorta voluntate filiæ, filiæ actionem eſſe, vt *l. inſulam*, *D. ſol. matr.* Sed ſi iam ante conſenſerit ei filia, quaſi ſucceſſione fiſci actionem eſſe, hoc modo, ſicut interpres græcus notat, vt quod facere debuit pater, fiſcus faciat, id eſt, mulieri dotem conſeruet, & ſecundo nubenti reddat. quæ legis ſententia deſtruit omne id quod Accurſius ad *l. in inſulam.* ex- C truxerat: citatur ea *l.* 10. ab auctore ἐναυτοφανῶν ad *l.* 31. *D. ſol. matr.* corrupto numero tituli & libri, cum debeat ſcribi *tit.* 52. *lib.* 60. Sequitur *l. vltima*, *ſiue* 11. eiuſdem Marciani, ſiue Macri, vt damnati, & pendente appellatione, mortui bona non publicentur. quia non habetur pro damnato. ideoque eius teſtamentum manet, idve mutat recte. quod etiamſi appellatio non ſit recepta, locum habet, vt perſpicue declarat *l. 6.* §. *hi autem*, *D. de ini. rup. teſt.* Vt poſt crimen contractum alienare reus poſſit, vtque ei ſoluatur recte. fieri hamque poteſt vt non condemnetur, vt in reatu moriatur. Ceterum poſt condemnationem fraudis cauſa & metu accuſationis alienata reuocantur. Excipitur crimen maieſtatis. qua de re tractatur multis locis *l. vlt. C.* D *ad leg. Iul. mai. l. ex iudiciorum*, *D. de acc. l. poſt contractum*, *D. de don. l. reo*, *D. de ſol. l. aufertur* §. *in reatu*, *D. de iure fiſ.* Et hæc quidem quæ deerant titulo *de bon. dam.* ita reſtituimus ex *libro* 40. βασιλικῶν.

CAP. XXIV.

Deeſſe negationem videri initio L. II. D. de bon. eorum qui ante ſent.

REus qui ſibi mortem conſciuit pro confeſſo & conuicto habetur. Reus qui accuſatorem criminis non capitalis corrupit, pro confeſſo habetur. Ille defenſionem relinquit heredibus, *l. 3.* §. *vlt. D. de bon. eorum, qui ante ſen.* Cur & hic non relinquet defenſionem heredibus, vt proditum eſt in *l. eius*, *D. de in. fiſ.* E Neuter enim pro damnato habetur. Nominatim confeſſus pro damnato habetur. Silentio confeſſus, ſiue qui habetur pro confeſſo, non vtique habetur pro damnato. itaque cauſa adhuc, iudiciumve eſt in integro, & ſuſcipi ab heredibus defuncti poteſt. Verum huic ſententiæ obſtat *l.* 2. *D. de bon. eor. qui ante ſent.* cuius ſententia & ſpecies hæc eſt. Latrocinium mortis pœnam non ſemper continet, quo caſu reus qui delatorem corrumpit pro confeſſo habetur. Nunc finge: latrocinij rei alios quaſi participes nominauerunt. in quæſtionibus forte vel interrogationibus, vt *l. libertus* §. *in quæſtionibus*, *D. ad mun. l. 1.* §. *cum quis*, *D. de quæſt.* Nominatores indices ſunt. Plinius *x. epiſt. Ab indice nominati Chriſtiani.* Suetonius *in Iulio. Inter ſocios Catilinæ nominatus ab indice.* & *in Tiberio*: *Strictim nominatos ab in-* A *dice ſcripſerat.* Metu indicij ait Tacitus 2. quod *d.* §. *cum quis*, dum metuunt ne eos nominent. Plerumque vero alius index, alius accuſator, *l. Aithales*, *D. ad leg. Corn. de fal.* & qui index eſſe poteſt, accuſator eſſe non poteſt. Cicero in *Diuinatione*: *Si tibi indicium poſtulas, dari concedo. ſin autem de accuſatione dicimus, concedas oportet aliis.* Sic in hac ſpecie latrones indices ſunt qui accuſatores eſſe non poſſent. Alij igitur accuſatores, quos nominati corruperunt, atque ita de ſe quodammodo ſententiam tulerunt, cum ſanguinis cauſa non ageretur, tum vita deceſſerunt. *Eos*, inquit lex, *quaſi confeſſos non relinquere defenſionem heredibus rationis eſt.* Imo vero iniuriæ. Inducor itaque, vt legam, *rationis* B *non eſt.* Male Accurſius latrones pro furibus accipit. male in latronibus ſpeciale eſſe ait, cum non ſint maiore odio digni, quam illi, qui ne ſibi quidem parcunt. Veriſimile illud potius eſt, quod coniunctim Vlpianus tradidit *eodem lib. l. 1. D. de bon. eor. qui ante ſen. & d. l. eius*, in capitalibus impune accuſatorem corrumpi, in non capitalibus non item, ſed defenſionem heredibus relinqui, idem quoque ex diuerſis auctoribus conſequenter proditum ſub eodem titulo, ex diuerſis potius quam ex eodem, quod reſcripti auctoritatem attulerit vnus, puta Macer, quam Vlpianus omiſerat.

CAP. XXV.

Capitis deminutionem non fieri ad tempus.

CApitis deminutio triplex eſt, maxima, media, minima, harum nulla fit ad tempus. Adoptio non fit ad tempus, *l. ſi tibi*, *D. de adopt.* Emancipatio non fit ad tempus, *l. actus*, *D. de diu. reg. in.* In manum conuentio non fit ad tempus, ſed perpetuæ conſuetudinis cogitatione, & voto. Hæ ſunt minimæ capitis deminutionis ſpecies. Deportatio non fit ad tempus *l. 7.* §. *hæc eſt l. 18. D. de interd. & rel.* Hæc eſt media. In metallum vel in opus metalli damnatio, quæ eſt maxima, non fit ad tempus *l. capitalium*, §. *Diuus*, *D. de pœn.* In contrarium adferet forſitan quis *l. ſine præfinito*, *D. eod. tit.* cui ita reſpondendum cenſeo. Seruus qui damnari in opus publicum non poteſt, in id quandoque damnatur per errorem *l. ſeruus*, *D. eod.* Similiter per errorem fit nonnunquam vt damnetur quis in metallum vel in opus metalli ad tempus *d.* §. *Diuus.* vt relegato ad tempus adimantur bona *l. 7.* §. *ad tempus*, D. *de interd. & releg.* vt damnetur quis ſimpliciter in metallum, eo non adiecto, in perpetuum, vel ad tempus, *d. l. ſine.* Reprehenduntur eæ ſententiæ & reprimuntur quoad eius fieri poteſt, non reſcinduntur *d.* §. *ad tempus.* Proinde interpretatione coarctata pœna, damnatum ſimpliciter in metallum, pro damnato ad tempus accipimus. rurſus damnatum ad tempus, pro capite deminuto non habemus. nam (vt ait *d.* §. *Diuus*,) huius libertas manet. Libertatis verbo & ciuitatem ſignificari puto, cum in *l. aut damnum*, §. *in miniſterium*, *D. eod.* ita ſit ſcriptum, *retinent ciuitatem*, & cum ſequatur in §. *Diuus*, *quemadmodum etiam his, qui non in perpetuum opus damnantur*, quos conſtat capite non minui, cum tamen non idem conſtat in damnatis in opus metalli. Lego negate, non in perpetuum, vt Flor. quod alioquin fieret inconcinne comparatio damnati ad tempus cum damnato in perpetuum. Lego aliter quam Florentini, pariter ac Græci, *quemadmodum etiam his.* Rurſus vero dicet quis, imo iam eſt qui dicat ex Dionis XXXVII. ambitum aquæ & ignis interdictione decennali coërceri. quod eſt præciſe negandum. nec enim δέκα ἐτῶν φυγὴ de deportatione ſiue interdictione aquæ & ignis accipere debemus contra ius potius, quam de relegatione, quam conſtat recte fieri ad tempus. Relegatio non eſt capitis deminutio, & recte fit ad tempus. Manumiſſio quoque non eſt capitis deminutio. Sed hæc etiam ad inſtar ca-

pitis minutionum non recte fit ad tempus *l. libertas, D. de man. test.* itaque quemadmodum libertas, & ciuitas non datur ad tempus, ita nec adimitur. Verum ad alia transeamus. Idem qui ambitum deportatione in x. annos coërceri lege Iulia scripsit, dum, vt est in prouerbio, faber cum sit, alia tractat, quam fabrilia, edito de legibus libello, Deus bone, quam errat sæpe. Iuuat referre insigniora quædam. Lege Romuli adulteram priuato mariti & cognatorum iudicio morte puniri. quem errorem hausit ab iis qui hanc quasi Romuli legem condiderunt, *adulterij conuictam vir & cognati vti volent necanto.* non ego credulus illis. Halicarnasseus ζημιοῦν dixit, quod est multam infligere, non mortem. Gellius quoque multare, non necare. *Lege Iulia* eandem pœnam esse constitutam. quod refutauimus supra. Eadem lege stuprum coërceri relegatione quinquennali, vel si per vim commissum sit, tempore non præfinito. quo etiam alienius à vero nihil est. videtur auctor huius erroris non intellexisse quod Accursius scripsit titulo vltimo Institutionum, stupri pœnam quinquennalem esse, qui hoc sentit, non in quinquennium relegari stupratorem, sed quinquennio finiri crimen stupri. Suspecti tutoris crimen esse capitale. falso adiicit ex Cicerone id cognosci, cũ nullus sit in Cicerone locus de crimine suspecti tutoris. De tutelæ, & rationibus distrahendis fareor esse. Simile est illud ex Suetonio *lege Cornelia de falsis solos senatores teneri.* Signatores Suetonius scripsit, non senatores, nec adiecit solos. Legem Æliam Sentiam iubere, vt si esset donatio facta inter virum & vxorem, maritusque re nondum tradita, vita excessisset, ne mulier rei vindicationem post obitum mariti haberet. de quo rideo maxime: quia & donatio fieri, re non tradita, non potuit: & vt potuisse ponatur, rei quoque traditæ ante Orationem Seueri, viuo, mortuove marito, mulier vindicationem non habuit. & No CLXI. quæ huic commento causam dedit, alium sensum esse ostendimus supra *cap. 18.* Non omnem causam capitis esse capitalem. repugnat coniugatorum ratio. cogit in hanc absurditatem vocabuli capitalis ad variam significationem inanimaduersio. Vel sanguinis causa eo significatur tantum, vel etiam mediæ capitis deminutionis, vel latius quælibet criminalis, vel latissime quælibet famosa etiamsi ciuilis sit. sed huic recte M. Tullius adiicit, *Pene priuata*, inquit, *iudicia summæ existimationis & pene dicam capitis.* itaque causa Quinctiana pene capitalis est propter infamiam, qua notatur is cuius ex edicto bona possidentur. Idem ille miratur, cur maiestatem & proditionem Asconius separatim nominet, qui vbi intellexerit proditionis siue perduellionis (idẽ & tyrannidis dicitur & impietatis & rebellionis) crimen proprium esse, quod propria quædam & singularia iura habeat, & ab Imperatoribus quoque separari *l. 3. C. de abolit.* qua ratione etiam ab iniuriis famosi libelli separantur, tum vero ὅτω θαυμαζέτω.

CAP. XXVI.

Desertor, Emansor, Transfuga.

NOn ea est differentia inter emansorem, & desertorem, quod hic reducatur, ille reuertatur. nam & qui reuertitur, quandoque pro desertore habetur *l. qui commeatus, D. de re milit.* & qui reducitur pro emansore *l. qui cum vno, §. edicta, D. eod.* Differentia tantum est in tempore, *l. aut facta, §. tempus, D. de pœnis, l. 3. si ad diem, D. de re milit.* Emansor est qui diu abfuit, Desertor qui perdiu, siue prolixo tempore *l. 3. §. emansor, D. eod.* Diu, aut perdiu noli accipere pro decennio, aut vicennio, aut tricennio: nam & qui quinquennio abfuit pro desertore habetur *l. milites, §. vlt. D. eod.* sed temporis obseruatione iudici relicta, hoc A satis est notari, tempore solo discerni emansorem à desertore, quod desertor perdiuturno tempore absit, emansor non ita prolixe. Neglexit hanc differentiam Germanicus Cæsar Ti. Imperatoris filius adoptiuus, cum præesset exercitui Pop. Romani: vt refertur in dicto §. *edicta*, & edixit se habiturum pro desertore eum qui diu abfuisset. *Vt is*, inquit, *inter emansores haberetur.* quo loco *vt* pro *Quamuis* accipere oportet. Quin & Mennium castrorum præfectum duce eodem Germanico, eum qui agmine decessisset pro deserto habuisse apud Cornelium Tacitum legimus, de quo in *l. 3. §. sed qui agmen. D. de re milit.* eum ex causa castigari, vel mutare militiam. Referuntur edicta Germanici in eo §. quasi optimi ducis exempla. Desertor comparatur seruo fugitiuo. imo fugitiuus appellatur B dicto §. *tempus.* Itaq; exemplo seruorum recte dices emansorem esse pusillum desertorem, desertorem vero esse magnum emansorem, longe grauius esse deserere, quam manere. discriminis notam præcipuam tempus esse. Transfuga peior est his omnibus. patriam enim oppugnat propalam. denique hostis manifestus est. & in *l. liberorum §. non tamen, D. de iis, qui notant. infa.* hostes pro transfugis dici puto, atque adeo potius esse legendum in *l. aut damnum, §. hostes, D. de pœn. Hostes autem, id est transfugæ.* Sed & in hac transfugarum causa in *l. non omnes, §. qui captus, D. de re mil.* corrupte scriptum opinor pro transfuga haberi eum qui in præsidio captus sit, id enim ratione caret. Lego, *in profugio.* Græci habent, ἐν τῇ βαρβάρων γῇ, id est in hostico. In C profugio autem, id est dum transfugit ad hostes, si ab eisdem captus sit, pro transfuga ex prima animi destinatione non pro captiuo habetur. secus est, si captus sit cum non transfugisset, *d. l. non omnes, §. pen.* Cetera exposui *Obseruationum 4. cap. 8.*

CAP. XXVII.

Inaudire causam in l. Diui, D. de lib. cau.

VLpianus in *l. Diui, D. de liber. cau. Si is*, inquit, *qui pro sua libertate litigat, desit, contradictor vero præsens sit, melius erit inaugeri causam eius sententiamque proferri. si enim liquebit contra libertatem dabit* Hic primum quæret statim aliquis, quid sit causam inaugeri. D Diuino sic legendum, *Inaudiri causam eius, sententiamque proferri.* nam & ad hunc modum supra auditioni causæ prolationem sententiæ iunxit his verbis, *An audita causa sententiam proferri.* Sequitur. *Si enim liquebit.* Iudex sententia quid sibi liqueat prodit *l. vbi, C. ad legem Corn. de fal.* Certe si non liquet, sententiam non profert, sed dicit, iuratve sibi non liquere *l. Pomponius, D. de re iudic.* quod pro sententia nequeas accipere, cum neque absolutionem, neque condemnationem contineat, verboque vtatur, vt Seneca ait 2. *Controuersiarum*, non damnantis, sed dubitantis. Idem 8. *Epistolarum. Aut fer sententiam, aut quod facilius in eiusmodi rebus est, nega tibi liquere.* Sequitur. *Contra libertatem dabit.* Contra libertatem dare est sententiam proferre contra libertatem. Sic Plinius VII. *Epist. Finem* E *cognitioni quæstio imposuit quæ secundum reos dedit.* Suetonius *in Claudio. Absentibus secundum præsentes dabat.* Tacitus 4. *Ita secundum Messennios datum.* Omittitur hoc genere loquendi litis nomen, quasi notum, etiam si non apponatur. nam ita solebant pronuntiare, *secundum te litem do*, vt ex Valerij *2. cap. 3.* constat. Cicero *pro Roscio Comœdo. Quominus secundum eas lis detur non recusamus.* Gellius 5. cap. 10. *si contra te lis data erit.* Lucanus 5. *Secundum Æmathiam lis tanta datur.*

CAP. XXVIII.

De vectigali Centesimæ, Ducentesimæ, Quadragesimæ, Quinquagesimæ.

MAlè Accursius in *l. 17. D. de verb. sig.* vectigal rerum venalium octauam fuisse dicit. Fuit quidem ea rerum vænalium, sed portorij nomine exigebatur. Illo autem loco portorium separatur à vectigali rerum vænalium, quod exactum opinor ab emptore aut venditore ob venditionem proponendam, & de eo agi in *l. 1. C. de veteranis & l. 4. C. de prox. sac. scr.* Id vero mancipiorum vænalium quintam, & vicesimam fuisse Tacitus scribit *lib. 13. Vectigal*, inquit, *quintæ & vicesimæ vænalium mancipiorum remissum*. Sed puto locum esse corruptum, & legendum, *quinquagesimæ*. Dio §. τὸ τέλος τὸ πεντηκοστὸν ἐπὶ τῇ πρᾶσει ἀνδραπόδων πράσει εἰσήγαγε. Idemque Tacitus *eodem libro* postea abolitæ quadragesimæ quinquagesimæque mentionem facit. Quadragesima non fuit rerum vænalium, sed litium siue summarum, de quibus litigaretur, vt Suetonius scribit in Gaio. Cæterarum autem rerum vænalium vectigal Centesimum fuisse idem Tacitus scribit *lib. 1.* post bella ciuilia ab Augusto institutam, sicut & quinquagesimam. Quadragesimam instituit Gaius Caligula. Centesimam vero postea Tiberius ad ducentesimam redegit, Tacito *lib. 2.* ac deinde etiam ducentesimam Gaius Italiæ non etiam prouinciis remisit, Suetonio auctore. Sed in eo quod Tacitus de Tiberio scribit mutasse eum centesimam in ducentesimam, dissentit Dio, qui contra pro ducentesima à Tiberio centesimam inuectam refert *lib. 57.* ac deinde à Caligula sublatam centesimam *lib. 58.* ac similiter Tacitus nullam eum adiisse hereditatem, nisi cum amicitia meruisset, Dio, omnium adiisse. Sed Dio de conuersis iam moribus Tiberij loquitur: aut certe verior Taciti, & Suetonij narratio est.

CAP. XXIX.

An vitrico priuigni tutela vel educatio permittatur.

EDucationem pupillorum lex sub hac condicione permittit matri, si secundas non contrahat nuptias, *l. 1. C. vbi pup. edu. deb.* No. XXII. Ex eo colligunt vitiose educationem pupillorum vitrico permittendam non esse: aut etiam cum hodie tutela filij deferatur matri sub eadem condicione, colligam similiter ex eo recte vitricum priuigni tutelam gerere non posse, quod tamen est falsum *l. vlt. C. de contr. iud. l. nonnunquam, D. de adop.* Porro à tutela ad educationem argumentamur recte *l. 1. §. vlt. D. vbi pup. educ. deb.* adeo vt quicunque dari tutor potest, videatur etiam pupillum educandum suscipere posse. atque ita etiam Dio G. Octauium impuberem apud vitricum educatum refert. Sed non è contrario, cuicunque educatio permittitur, & tutela: vt iure antiquo matri tutela filij non permittitur, nisi eam à principe impetrauerit, educatio permittitur. Loci legum notissimi sunt. Seneca de consolatione ad Marciam: *Pupillus relictus sub tutorum custodia vsque ad 14. annum fuit sub matris custodia.*

CAP. XXX.

Sententia Lentuli & S. C. quædam.

VEnuleius scribit in *l. hos accusare, D. de accus.* præsidem prouinciæ accusari non posse ex sententia Lentuli dicta Sulla & Trione Coss. vbi sententiam non oportet accipere quasi iudicis, sed quasi Senatoris in senatu dictam. Fuit is Lentulus sub Tiberio ex Senatoribus vnus natura bonus, vt Dio scribit 57. Consules quoque illi sub eodem. De Fulcinio Trione constat ex Tacito. igitur collega erit Memmius Regulus Sulla. Porro Senatoribus licebat more maiorum etiam relationem egredi, & quod in commune conduceret loco sententiæ proferre. Ita Lentulus loco sententiæ forsitan extra relationē censuit non esse accusandos præsides prouinciarum. excipitur repetundarum crimen *l. 4. C. ad leg. Iul. rep.* No. VIII. Refertur in eadem lege eodem Imperatore factum S. C. M. Aurelio Cotta, & M. Valerio Messalla Coss. vt in seruo accusando eadem obseruentur quæ si libet esset, puta vt ne accusetur à muliere vel pupillo, vel ab eo qui duos reos habet. Eisdem Coss. refertur in *l. 4. D. de offic. proc.* Senatum censuisse vt proconsul quem vxor comitaretur ex delicto vxoris teneretur. quod tamen Tacitus lib. IV. Cethego, & Varrone Coss. factum ait ex sententia Cottæ Messalini, qui Senator fuit sæuissimæ cuiusque sententiæ auctor, vt idem ait *lib. 5.* Quare ita forsitan scripserat Vlpianus in *d. l. 4.* Senatum Cotta Messalino consulente censuisse. Consulere dicuntur Senatores *l. 2. D. ad Velleian.*

CAP. XXXI.

Auro legato, an debeantur aurea emblemata.

AVro legato, certum est inaurata, vel auro inclusa, id est, auro cooperta & vestita vasa argentea non deberi *l. pediculis §. 1. D. de auro & arg. leg.* vbi, *alioquin*, pro, *ceterum*, accipi debet. Non æque certum est, an emblemata aurea, quæ sunt in apsidibus argenteis debeantur. & vt in consultatione Demiphonis ex tribus Iurisconsultis, vnus negat, alter adfirmat, tertius cunctatur, ita in hac quæstione Gallus deberi emblemata ait, Labeo negat, Tubero in facto atque adeo in incerto rem esse positam ait. Dubitandi causa hæc est, quod inauratis vel auro inclusis argenteis vasis aurum ita illigetur ne detrahatur quasi confusione facta, Emblemata vero aurea plerunque exemptilia sint. Verius tamen est omnia argento legato cedere, nihil eorum auro legato cedere *l. cum aurum, §. item Pomp. D. eod.* Similique modo respondendum erat, S. C. facto ne vasa aurea ministrandis cibis fierent, quærentibus, an interdictum esset vsu argenteorum in quibus essent emblemata aurea, interdictum scilicet eis non esse. qua de re voluisse Tiberium & aliud S. C. fieri Dio scribit 57. iis verbis. ἀπεῖπε μὴ χρυσῷ σκεύῃ μηδένα νομίζειν. ἐπεὶ δὲ διηπόρησάν τινες εἰ μὴ τὰ ἀργυρᾶ τὰ χρυσοῦν τὸ ἔμβλημα ἔχοντα ἀπηγορευμένον σφισιν εἴη κεκτῆσθαι, βουληθεὶς καὶ περὶ τούτου τὸ δόγμα ποιῆσαι ἐκώλυσεν ἐς αὐτὸ τὸ ὄνομα τὸ τοῦ ἐμβλήματος ἐμβληθῆναι. Et vero factum opinor, propterea quod Tacitus decretum scribit, ne vasa auro solida fierent. vetita igitur non sunt inaurata, vel inclusa, vel quæ emblemata aurea haberent, quia hæc vasa auro solida non sunt. Et quod Suetonius scribit in quodam decreto patrum cum emblema recitaretur, commutandam vocem censuisse Tiberium. Id enim S. Consultum intelligit de argenteis vasis habentibus emblemata aurea. quo plane corroboratur, confirmaturque sententia Galli. Illud non omittam in *d. l. pediculis §. 1.* vocem, *lapidibus*, delendam esse. varie legebatur, alias *lapidibus*, alias *apsidibus*. Vtramque lectionem scriptor retinuit, cum posterior tantum retinenda esset.

CAP. XXXI.

De luctu mulierum & festinatis nuptiis.

AVt diuortio aut morte mariti soluitur matrimonium. Si diuortio, mulier alij nubere potest sta-

tim, nisi prægnans sit, vt in libro de præscriptionibus docui cap. 20. Refert Tacitus *lib. 1. & Dio* 48. abducta Neroni vxore prægnante consultos à Tiberio pontifices, an concepto necdum edito partu rite nuberet, respondisse si dubitetur an sit prægnans non rite, si certum sit non esse prægnantem, ritè. Consuluit Pontifices, quod ritus nuptiarum à iure Pontificio peterentur. Est titulus De ritu nuptiarum, cuius conceptio satis demonstrat, pontificij iuris hoc esse, quo iure nuptiæ fiant. sicut & illud quo ritu funesta desinat esse familia, de quo ex eodem iure nonnihil scriptum est in *l. si ex re*, §. *vlt. D. de stip. ser.* qua sanctitate muri, quo iure portæ, qua religione monumenta, quo ritu res sacræ fiant, §. *sacræ Inst. de rer. diuis. l. hereditas*, *D. de pet. her. l. ossa*, *D. de relig.* atque ideo iis rebus omnibus adiri solebat collegium Pontificum. Sed ad propositum redeo. Si morte mariti soluatur matrimonium, aut more maiorum lugeri debet maritus, aut non. Si lugeri non debet, vt si damnatus sit perduellionis, potest etiam tunc mulier statim alij nubere, nisi prægnans sit *l. liberorum*, §. 1. *D. de iis, qui not. inf.* Si lugeri debet, siue sit prægnans, siue non, nubere alii non potest intra legitimum tempus, olim x. menses, hodie annum, nisi hoc à principe impetrauerit, vt sibi intra legitimum tempus nubere liceat *l. solet, D. de iis qui not. inf.* Addo, *vel à Senatu*. Plutarchus *in Antonio*, ἐπ ἐῶντος μὴ νόμῳ πρὸ δέκα μηνῶν ἀνδρὸς τελευτήσαντος γαμεῖσθαι, τ ὃ συγκλήτῳ δόγματι τ χρόνον ἐκείνης ἀνεῖσης. Id tamen mulier non impetrabit si prægnans sit. Recte enim Gaius Imperator cum publicæ lætitiæ causa luctus cohibuisset, viduis permisit nubere intra legitimum tempus sub hac exceptione, nisi prægnantes essent, Dio 58. ἡ τὰ πένθη πάντα ἐπέσχεν ὥστε καὶ ταῖς γυναιξὶ ταῖς ἐπ' ἀνδράσιν ἐστερημέναις γαμεῖσθαι καὶ πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου ἄν γε μὴ ἐν γαστρὶ ἔχωσιν ἐξεῖναι. Igitur soluto matrimonio hoc, vel illo modo prægnans nunquam rite nubet alteri. Diuersum est in non prægnante, nisi si mortuus vir lugeri debeat, & non sit remissus luctus beneficio principis, vel senatus.

CAP. XXXIII.

Speculatores, Scultatores, Tesserarij, Optiones.

SPeculatores dicuntur non Spiculatores in *l. Diuus, D. de bon. dam.* Sicut Flor. scriptum est, & *l. 7. C. de cohor. prin. cor.* & in sacrosancto Euangelio, ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτορα ἐπέλευσεν ἐνεγκεῖν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, & à Cornel. Tacito sæpe secundum veterem scripturam, cuius testis est Beatus Rhenanus, & à Suetonio speculatoria caliga. Sed vno Taciti loco scriptum est in hunc modum, *A quo Barbium Proculum Tesseranum speculatorem & Veturium Othonem eorundem productos.* mendose. Puto Proculi nomen esse delendum. probo coniecturam Alciati, vt legatur, *Tesserarium.* probo veterem scripturam à Rhenano relatam, vt legatur *Optionem* non Othonem. Confirmor Plutarchi auctoritate, qui ita scribit in Galba: ἐν ᾧ τόπῳ ἱτύφλος ἡ βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δ' πανσεφέλιος. ac mox subiicit Optionis & Tesserarij nomine significari eos, qui nuntiorum & ὀπτίωνων, id est speculatorum ministerio funguntur. ex quo loco apparet non mutatione literarum speculatores dici, quasi ab spiculis potius ea appellatio ducta sit, sed quod ii sint in speculis, posterior ætas Scultatores nuncupauit quasi Auscultatores. quo fit, vt nocturnarum excubiarum tesseras tractent ex eo ordine, qui Tesserarii dicuntur. Sumuntur & ex eo ordine qui in capitis reos lege agant, vt Euangelii locus aperte demonstrat, & ad *d. l. Diuus*, τῶν βασιλικῶν interpretatio, τῶν σωλῆν τὸ φονευομένον ἦν ἐν τῷ συλληφθῆναι φυσεφέρητο, ἔτι ὁ ἄρχων κεφαλαίνῃ, ἔτι ὁ ἀποτίμνων, ἔτι ὁ ἀποτμήματοφόρος, & Iulius Firmicus *lib. 8 cap. 26. Speculatores*, inquit, *faciet, qui, nudato gladio, hominum amputant ceruices.* Porro Scultatores dixit non Leo tantum philosophus τακτικῶν 3. Sed & Vegetius 2. *cap.* 15. *Ferentarij*, inquit, *& leuis armatura, quos nunc scultatores & armaturas dicimus.* & *cap.* 17. *Ferentarij autem, armaturæ, scultatores, sagittarij, funditores, hoc est leuis armatura.* Sic lego ex veteribus libris. noui vno loco habent *auxiliatores*, altero *scutatores*. Optionum inferior est gradus. Sunt enim ordine & promotione antecedentium militum adiutores, auctore Vegetio, & dum iunguntur speculatoribus in *d. l. Diuus*, Speculatorum adiutores significare videntur. Iunguntur Tesserariis, quos speculatores esse diximus supra, in antiquis inscriptionibus, quarum vna sic habet, *Tesserario optioni fisci curatori.* altera, *in eis Tesserarius optio vexillarius.* Ministrasse interim eos decurionibus & centurionibus Festus scribit, ac deinde annonam diuisisse, ac pleraque alia de optionibus *lib.* 10. *Codicis* exposuimus.

CAP. XXXIV.

Legis Iuliæ iudiciariæ caput vnum.

LEges Iuliæ iudiciariæ ab Augusto latæ sunt, quas, & edicta Macrobius vocat *1. Sat. cap.* 10. Hoc vero eis inter cetera cauetur, *ne reus vel accusator domum iudicis ingrediatur l. 1. D. ad l. Iul. de amb.* Puto idem de actore præceptum non esse. At Impp. Arcadius, Honorius & Theodosius litium non obseruata differentia præcipiunt, ne meridianis horis, quod tempus scilicet vacuum est à iudiciis, iudices à litigatoribus adeantur, *l. 1. C. Th. de off. iud. ciuil.* quod & antea cauerant apertius Valens, Gratianus & Valentinianus. Verba constitutionis hæc sunt. Impp. *Valens, Gratianus & Valentinianus A A A. ad Antonium P P. Ne quis domum iudicis ordinarij postmeridiano tempore ex occasione secreti ingredi familiariter affectet, eiusdem duntaxat prouinciæ (siue notus iudici siue etiam ignotus est) & tum honoris auctoritatem præferens. dat. 5. Kal. Aug. Morantiaco Gratiano A. IIII. & Merobaude Coss.* Liber, ex quo hanc constitutionem edo, habebat. *Siue etiam ignotus, gestet tamen honores*, &c. Emendaui, *Siue etiam ignotus est, & tum honoris*, &c. nam & hæc & superior Arcadii & Honorii constitutio honoratis tantum litigantibus interdicit iudicum domo. Contra vero eadem lege Iulia iudiciaria cautum est, ne iudices domos alienas introëant. ita enim de Augusto Dio scribit 54. τοῖς δὲ δικάζειν ἀεὶ λαγχάνουσιν ἀπεῖπεν ἐς μηδενὸς οἰκίαν ἄνευ τ ἐκείνου εἰσιέναι. Fuit & sub Tiberio S. C. ne Senatores domos pantomimorum ingrederentur, & sub Claudio ne milites domos senatorias salutandi causa.

CAP. XXXV.

An Senatoribus sine commeatu res suas inuisere liceat.

DE hac quæstione lib. XII. Codicis ex *l. 15. & l. vlt. de dignit.* ita constitui, Clarissimis vel Spectabilibus licere, Illustribus non licere, hac scilicet ratione, quod illustrium quo maior potentia, & dignitas, eo Reipubl. aut principi periculosiores eorum recessus. Quibus hoc loco addere libet, distinctionem etiam olim hac in re Senatorum quandam fuisse. ex Sicilia primum, deinde ex Gallia Narbonensi Senatoribus ius fuit abeundi sine commeatu, ceteris non item ex constitutione Augusti. Cornelius Tacitus XII. Galliæ Narbonensi ob egregiam in patres reuerentiam datum, vt Senatoribus eius prouinciæ non exquisita principis sententia, iure quo Sicilia haberetur, res suas inuisere liceret.

licere. Dio LII. καὶ προσαπεῖπε πᾶσι τοῖς βουλεύσι μὴ ἐκδημεῖν ἔξω τῆς Ἰταλίας ἄν μὴ αὐτός τινι κελεύσῃ ἢ καὶ ἐπιτρέψῃ. καὶ τοῦτο καὶ δεῦρο ἀεὶ φυλάσσεται. πλοῦ γὰρ ὅπη ἐς τὴν σικελίαν καὶ ἐς τὴν γαλατίαν τὴν πρὸς ναρβωνα ἐδαμόσε, ἄλλοσε βουλευτὴς ἀποδημῆσαι ἔξεστιν. Deinde subiicit rationem differentiæ. qua etiam fit, vt Constitutione Augusti seiungatur Ægyptus à ceteris, ita vt non regatur à Senatoribus Pop. Romani, sed ab equitibus. quod & ab Arriano est relatum his verbis 3. de exp. Alex. καὶ Ρωμαῖοι μοι δοκοῦσι παρ' Αλεξάνδρου μαθόντες ἐν φυλακῇ ἔχειν Αἴγυπτον, καὶ μηδένα τῆς ἀπὸ βουλῆς ἐπὶ τῷ ὃ ἐκπέμπειν ὕπαρχον Αἰγύπτου, ἀλλὰ τῶν ἐς ἱππέας σφίσι ξωντελούντων. Suspecta enim fuit principibus Ægyptus semper propter opulentiam, & rerum nouarum studia. nam & Diocletiano hac ratione maxime inuisa fuit Ægyptiorum peritia admirabilis neque vana περὶ χυμείας ἀφύρου καὶ χρυσοῦ, vt Sudas scribit, sumpto supplicio de libris huius artis præcepta continentibus. Et nō licuit Ægyptiis alienæ ciuitatis ciuibus fieri. Iosephus contra Appionem, καὶ τοῖς μόνοις Αἰγυπτίοις οἱ κύριοι νῦν Ρωμαῖοι τῆς οἰκουμένης μεταλαμβάνειν ἧς ἴνοσοῦν πολιτείας ἀπειρήκασιν. Ceterum, vt ad rem redeam, post Augustum Claudius sine permissu principis Senatores vrbe excedere vetuit vltra septimum miliarium. Sudas *in Claudio*. Κλαύδιος ὁ βασιλεὺς τῆς Ρωμαίων νόμον προσύθηκε μὴ δύνασθαι βουλευτὴν ὄντα ἐπὶ σημεῖα τῆς πόλεως ὁδεύειν.

CAP. XXXVI.

De refugis pœnarum, & iis qui in custodia pœna sua funguntur.

REfugarum pœnam augeri constat varie. Refugæ ex opere metalli, in metallum dantur. Refugæ ex metallo vel deportatione, extrema pœna adficiuntur. Refugæ ex relegatione temporaria, in perpetuum, ex perpetua, in insulam relegantur *l.* 4. *D. de pœn.* in cuius legis initio vel abundat negatio, vel legendum, *indictis locis*. plerumque & ex temporaria, statim in insulam *l. capitalium* §. *in exulibus*, *D. eod. l. qui cum vno*, §. *temporarium*, *D. de re mil.* Ex relegatione autem in insulam, deportantur, & ex opere publico temporario, duplicato tempore damnantur. Sed, vt ait *l. aut damnum* §. *quisquis*, *D. de pœn.* duplicare id temporis oportet, quod ei cum superesset, fugit, scilicet ne illud duplicetur quo apprehensus in carcere fuit. Itaque si damnatus sit in quinquennium, & triennio transacto fugerit, in quadriennium damnari eum oportet. *Scilicet*, inquit, *ne illud duplicetur quo apprehensus carcere fuit.* quæ verba male Accursius refert ad tempus quo causam ex carcere dixit ante condemnationem. id enim forsitan fuit perbreue, sane debuit esse. id quoque pœnæ non adnumeratur, vt si quinquennio in reatu & carcere fuerit, post damnetur in quinquennium, nihilominus quinquennii pœnæ parere debet contra quam si post damnationem quinquennio in carcere fuerit. denique illud tempus in pœnæ tempus non cedit. quāobrem eius haberi ratio certe non debuit, cum de duplicando pœnæ tempore ageretur. Putem Iurisconsultum eis verbis tempus id spectasse potius quo refuga pœnę obtemperauit. nam & relegati, & deportati & in opus damnati carcere contineri plerumque solebant, atque ita custodias accipio in *d.* §. *in exulibus*, nimirum qui in custodia pœna sua funguntur. Liuia apud Dionem LV. τὸ γὰρ ἄν ἀδικήσει τις ἐς νῆσον καταχλωθεὶς ἢ καὶ ἐν ἀγρῷ πόλῃ τέ τινι οὐχ ὅπως ἄνευ πλήθους οἰκετῶν ἢ χρημάτων, ἀλλὰ καὶ μὴ φρουρᾶς ὢν ἄνηρ καὶ τότε δείσει. Id tamen postea fuit prohibitum, *l. vlt. C. de pœn.* ea est constitutio Græca, quæ in fine eius tituli desideratur.

CAP. XXXVII.

Prætermissa quædam in Frag. Vlpiani.

IN formula nuncupationis testamenti relata ab Vlpiano *tit.* 20. forsitan rectius legeretur, *perhibetote*. Apuleius 2. *Vos in hanc rem, boni Quirites, testimonium perhibetote*. Ex *tit.* 24. sententia hac, *Ei cuius in potestate, manu, mancipione est heres scriptus legari non potest*, tollenda negatio est, *l. à filio*, *D. de leg. 1.* In *tit.* 17. adnotandum non temere dixisse Vlpianum, *ex parte*, vt *l. multum*, *D. de cond. & demon.* nam ex asse heres scriptus etiam ante apertas tabulas heres fieri potest, *l.* 1. §. *vlt. D. de iur. & fac. ign. l.* 3. *C. de iure delib.* In *tit.* 7. probo coniecturam Petri Fabri V. C. qui legendum censet, quasi ciuem per ignorantiam vxorem duxerit. In *tit.* 6. forsitan legendum, *tectoriis*, potius quam *pictoriis* vel *picturis*. In *tit.* 14. cum tractetur de vacatione feminis data lege Iulia & Papia, adnotari debuit tempus vacationis maribus datum. Videtur triennij fuisse lege Iulia, vt Suetonius scribit, anni lege Papia: nam ipsemet Augustus apud Dionem ait, iis, qui cœlibes essent se primum dedisse triennium, deinde biennium lege Iulia, vt opinor, tum annum lege Papia. Sed hoc tempus numerari existimo à lege lata. A die diuortij vel mortis vxoris, cuius temporis vacatio data sit maribus *lege Iulia vel Papia*, ignoro. Forsitan nulla, quoniam de feminis tantum Vlpian. scribit, in quas mitiores, quam in viros leges fuere semper. In *tit.* 10. Erepticium forsitan dici verius est, quod quasi indigno aufertur, *l. pen. D. de in. fisc.* Quadrans eripiatur, *l.* 25. *D. ad leg. Cornel. de fal.* Hereditas eripietur. vtrumque eripitur vt indigno.

CAP. XXXVIII.

Qui naues habere non possunt.

SEnatoribus ex lege Iulia repetundarum nauem habere non licet *l.* 3. *D. de vac. mun.* nec licuit olim ex lege lata à Q. Claudio Trib. plebis maiorem trecentarum amphorarum, teste Liuio *lib.* 21. Præsidibus quoque prouinciarum, etiamsi ex senatorib⁹ non sint, vel procuratoribus Cæsaris, nauem habere non licet, quia & nihil in prouinciis habere & parare licet, *l. aufertur* §. *quod à præside*, *D. de iur. fis.* Ratio hæc est, vt quæstus & prædationes cohibeantur, quemadmodum M. Tullius indicat De suppliciis, & Liuius supradicto libro. Porro lex Iulia interdicit tantum naue maritima, non fluuiatili. Vt enim ex initio liquet *d. l.* 3. tota ea lex de nauibus maritimis accipienda est. Putem & *lege Iulia* nauium interdictarum modum definitum fuisse. nam Senatoribus fundos maritimos habentibus, ad fructus deportandos capacem nauem in Italia habere licuit. Eadem vero ratione & deportatis, quamuis negotia iurisgentium contrahere possint *l.* 15. *D. de int. & rel.* ex lege Augusti non licet habere nisi naues actuarias duas & onerariam vnam, quæ non sit plus quam amphorarum mille. Coërcetur adquirendi & negotiandi libertas. nam & seruos aut libertos ex eadem lege plus quam xx. & in bonis plus quam cxxv. millia sestertium habere non possunt. auctor Dio 56. Vnde explicari debet quod Liuius ait 55, *nec familiam*, *nec facultates amplas deportatum habere*. Itaque negotia iurisgentium deportatus contrahere nisi vsque ad certum modum non potest. Leges modum imponunt donationibus, testamentis, emptionibus.

Cap. XXXIX.

Quomodo aut qua lege successerit deportatio in locum aqua & igni interdictionis.

QVod in libris nostris scriptum est, hodie deportationem in insulam successisse in locum aquæ & ignis interdictionis ex Augusti lege descendere videtur, qui, vt Dio scribit 56. primus constituit, μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰργόμενα, ἐν ἠπείρῳ διαιτᾶσθαι. erat olim & interdictis aqua & igni libera vagandi facultas. hodie insula concludúntur. quamobrem à Græcis φρουριαμοὶ vocantur. Insula, inquam, quæ à continenti distet quadringentis millibus, excepta Co, Rhodo, Sardinia, & Lesbo, in quibus interualli huius rationem obseruari Augustus noluit.

Cap. XL.

Graduum agnationis vetustissima descriptio.

DE gradibus librum singularem Paulus scripsit qui totus fere continetur notissima *l. Iurisconsultus.* vt mihi adfirmauit vir fide dignus, in cuius manus liber ille venerat integer. Scripsit & Varro, quem librum citat Seruius *v. Aneid.* Mos erat eiusmodi libris subscribere εἰκονισμοὺς siue formas, graduum facilius percipiendorum causa, quas disponebant scalarum, vt Paulus ait, locorumve procliuium instar. Duos ascendendi aut descendendi modos notat, scalas & cliuos. In *l.* 20. §. 1. *D. de ser. vrb. præd.* dixit gradus & cliuos. In scalarum igitur aut cliuorum modum gradus describuntur. & inde ascendentium & descendentium appellatio. Antiquam eorum formam oculis, animisque subieci, quam habebat à fronte Codex Theodosianus quidam ab Æmaro Ranconneto V. C. paulo ante, quã optime de Rep. meritum spiritum Deo redderet, mihi commodatus. Ea est agnationis tantum, & parentes complectitur ac suos heredes tam non naturales, veluti matresfamilias, quæ in manum conuenerunt, quam naturales, & ceteros qui in transuersa linea sunt ex virili sexu, quos omnes agnatorum appellatione comprehendi certissimum est, & eo iure eis omnibus legitimam hereditatem obuenire. In linea inferiori locantur non tantum mares, sed & feminæ, non in transuersa vel superiori, quia lege hereditas ad feminas ex transuerso vel directo sursum non redit, excepto secundo gradu ex transuerso. Id in ea descriptione obseruandum est maxime, inter superiorem & inferiorem lineam poni eum de cuius agnatione quæritur, & hoc prænomine designari, *Ego*, quod & aliæ tres antiquæ graduum cognationis formæ habent, quæ Deo faciente in lucem edentur alio tempore.

Tritauus	*Patruus maximus*				
Atauus	*Patruus maior*	*Patrui maioris filius*			
Abauus	*Patruus magnus*	*Patrui magni filius*	*Patrui magni nepos*		
Proauus	*Patruus*	*Patrui filius*	*Patrui nepos*	*Patrui pronepos*	
Auus	*Frater*	*Fratris filius*	*Fratris nepos*	*Fratris pronepos*	*Fratris abnepos*

LEGE HEREDITATES — *Pater* — QVEMADMODVM REDEANT

EGO

Vxor quæ in manu viri est — *Filius qui ex potestate non exijt* — *Filia quæ in potestate est*

Nurus quæ in manu filij est — *Nepos qui ex potestate non exijt* — *Neptis quæ in potestate est*

Pronurus quæ in manu nepotis est. — *Pronepos qui ex potestate non exijt* — *Proneptis quæ in potestate est*

Abnurus quæ in manu pronepotis est — *Abnepos qui ex potestate non exijt* — *Abneptis quæ in potestate est*

Adnurus quæ in manu abnepotis est — *Adnepos qui ex potestate nō exijt* — *Adneptis quæ in potestate est*

Trinurus quæ in manu adnepotis est — *Trinepos qui ex potestate non exijt* — *Trineptis quæ in potestate est*

CONSANGVINEI. SVNT INTER SE.

HI QVOQVE SVNT. INTER SE CONSANGVINEI

ITEM CONSANGVINEI. SVNT INTER SE.

ET HI INTER SE. SVNT CONSANGVINEI.

SVNT QVOQVE INTER SE CONSANGVINEI.

ITEM IJ SVNT INTER SE CONSANGVINEI

IACOBI CVIACII OBSERVATIONVM

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Adoptionem non tantum ius agnationis, sed & ius patronatus adferre.

CERTVM est adoptionem ius agnationis adferre, *l. qui in adoptionem, D. de adopt.* De iure patronatus dubitari potest, puta an liberi adoptiui eadem iura habeant in bonis liberti paterni quæ & ipse pater adoptiuus. quoniam hac de re locus in libris nostris qui mihi quidem occurrat, in præsenti nullus est. Sed vt legitima hereditas adoptatoris ad eos transit, existimandum est etiam B iura libertorum paternorum transire. atque etiam viuo adoptatore, eis quasi liberis patroni omnem à libertis paternis honorem deberi. quod Appianus *lib. 3. ἐμφυλίων* de adoptatis lege curiata nominatim scripsit iis verbis, *καὶ δύναται μάλιστα αὐτοὶ ἴσα τοῖς γνησίοις παισὶν, ἄγειν τὸς συγγενεῖς τῆς θεμένων καὶ ἀπελευθέρους*, i. eo maxime genere adoptionis idem adoptiuis quod naturalibus liberis ius dari in cognatos & libertos adoptantis. Maxime ait excludendæ testamentariæ adoptionis causa. testamento enim iure adoptio non fit, & cognatos pro agnatis accipit. Nam adoptio ius cognationis non adfert. Sed hæc Iustinianus mutauit constitutione illa græca de iure patronatus, quæ desideratur in fine tituli de bonis libertorum Hodie igitur filij adoptiui adoptatoris libertos non habent.

CAP. II.

De Minicio, Messio, Tryphonino, Tertulliano, Africano iurisconsultis.

QVo tempore Iurisconsulti quinque vixerint, cognoscere est operæpretium. De Atilicino, & Fufidio, & Gaio alibi scripsi. Alios quosdam, quorum æque ætates notatæ non sunt, visum est hoc loco proponere, Minicium puta & Messium & Tryphoninum, & Tertullianum & Africanum. Minicium natalem ad quem Iulianus libros sex scripsit, constat fuisse Traiani temporibus ex *l. pen. D. de fer.* Messium autem & Tryphoninum Antonini ex *l. vlt. D. de iur. fis.* qua ex re simul & ex *l. 4. D. de ext. cr.* intelligitur Diuos, vel Optimos principes in *l. Cicero, D. de pœn. l. qui sine, D. de neg. gest.* esse Seuerum & Antoninum, quod etiam constat ex *l. 44. D. de exc. tut. l. 12. §. si deportatum, D. de cap. & postl.* & in *l. rescriptum, D. de distr. pig.* Seuerum significari, sub quo Papinianus fuit magister libellorum, & præf. prætorio. Libellos enim agere, & apud Dionem epistolas agere est fungi officio magistri libellorum, vel epistolarum, quod mandari Iurisconsulto solebat, & ad libellum apposita subscriptione principis, magistri libellorum vel promagistri subscriptio sequebatur. Ex eo etiam intelligitur Bæbium Marcellum, de quo in *l. Bæbius, D. de pac. dot.* esse illum senatorem, quem Dio scribit sub Seuero capite damnatum. Africanum ad Adriani imperium refero, A & eum esse opinor quem A. Gellius & ceteri Iurisconsulti Sex. Cęcilium vocant. moueor *l. 3. D. de agn. lib.* in qua Iulianum Sex. Cæcilio Africano respondisse scriptum est. Solebant enim & se inuicem Iurisconsulti de iure consulere. Sic Proculum Atilicinus, sic Paulum Rufinus. Lampridius Africanum ponit sub Alexandro non minus falso quam Alphanum, quamque Vlpiani libros ad Sabinum, dicatos fuisse Sabino cuidam V.C. quem Heliogabalus occidi iusserit. Tertullianum fuisse sub Seuero & Antonino constat, si quidem is est qui de religione Christiana complures libros scripsit: cuius rei iidem illi libri indices clari sunt, translationibus ex iure sumptis confertissimi, & testis Eusebius *lib. 2. cap. 2.* qui eum fuisse Iurisconsultum scribit. Fuere etiam Christiani Licinius Rufinus & Aurelius Arcadius Charisius.

CAP. III.

Stipendium, & tributum.

SI verum est quod Theophilus noster scripsit, stipendium populo, tributum principi præstari, sicut fisci & ærarij, ita & stipendii ac tributi differentia hodie nulla est, quia tandem ad extremum sensim infracto populi iure prouincias omnes sibi sepositit princeps. C An igitur ea ratione Vlp. in *l. ager, D. de verb. sig.* stipendium tributum etiam appellari ait? Sumpta ea lex est ex *lib. 17.* ad edictum, quo Vlp. tractauit de rei vindicatione & varia proposuit agrorũ genera, ex quibus Italicos cõstat rei vindicatione peti. De vectigalibus. i. emphyteuticis & de stipendiariis & de tributariis dubitari potest, propterea quod emphyteuticarii, vel prouinciales eorum domini non sunt ex iure Quiritium. Sed & horũ placet vindicationẽ esse *l. cum sponsus, §. in vectigalibus, D. de pub. in rem. act.* vbi quod ait, & in aliis prædiis, de stipendiariis & tributariis accipio. Vrbicus *lib. 2. Stipendiarij*, inquit, *agri nexu non habentur.* Sed nec D mancipatio eorum legitima esse potest, possidere enim priuatis quasi fructus tollendi causa & præstandi tributi condicio concessa est. Vindicant tamen inter se non minus fines ex æquo ac si priuatorum agrorum. Id quoque placet eis prędiis possessores seruitutem imponere *l. 3. C. de ser. & aqua.* Nouum opus nuntiare *l. in prouinciali, D. de noui oper. nunc.* Ex quibus liquet quo sit referenda ea agri & stipendii finitio quæ in supradicta lege ab Vlpiano proponitur. Sed, vt ad propositam quæstionem reuertamur, an quod princeps occupauit tam stipendia, quam tributa, ideo Vlpianus ait, stipendium etiam tributum appellari? Equidem existimo hoc minime omnium sensisse Vlpianum, sed promiscuum vsum vocabulorum notasse. nam ætate Vlpiani nondum erat ea differentia sublata, quæ ab eodem retinetur in *l. 7. D. de vsufr.* Eutropius, vt abusio vocabulorum aliquo testimonio comprobetur, Galliæ Cæsarem tributi nomine annum H. S. CCCC scribit, Suetonius stipendii nomine, Britannos tributarios fecisse Sex. Ruffus, stipendiarios Eutropius,

Cap. III.

De publicanis, & vectigalibus.

SVperiori cap. non intempestiuè subtexturi videmur tributi, & vectigalis differentiam. Stipendium & tributum onera sunt fructuum *l. 7. D. de vsufruc. l. neque. D. de imp. in res dot. fac.* Mæcenas apud Dionem 52. φόρον ἐπιτάξαι πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς ὑπηκόοις πλὴν τῷ πενταδράχμῳ αὐτὸ παρέχεσθαι. φόρον tributum vel stipendium vocat. Vectigalia quæ τέλη dicuntur propriè sunt portoria, quæ in itinere præstari solent *l. si quis pro vxore. D. de don. inter vir. & vxor.* quæ fructuum onera non esse constat. Phauorinus. φόρος κυρίως τὸ ὑπὲρ τῆς ἰδίας εἰσφερόμενον γῆς, τέλος δὲ τὸ ὑπὲρ τῆς ἐμπορίας σωτέλεια. Sunt tamen & alia vectigalium loco, veluti vicesima hereditatum & manumissorum, centesima, ducentesima, quinquagesima rerum vænalium, quadragesima litium, quæ onera prædiorum non sunt. Item reditus ex metallis, salinis, picarijs, cretifodinis, cotoriis, *l. inter. D. de ver. sign.* quæ etiam onera prædiorum dici non possunt, cùm sint in iure Pop. Romani aut principis. nemini autem res sua debet onera. At sanè vectigalia prædiorum emphyteuticorum onera prædiorum esse videntur, quia in eis prædiis ius, eorúmque vindicationem emphyteuticarius habet. item scripturæ & decumarum vectigalia, onera fructuum, siue prædiorum sunt. Sed hæc publicanis locantur, & prædia emphyteutica emphyteuticariis dantur. Tributa vel stipendia publicanis locari non solent. proinde alia sunt prædia vectigalia. i. emphyteutica, vel quorum vectigali publicani fruuntur, alia stipendiaria, alia tributaria. eadémque prouinciarum diuersitas, quod Cicero indicat in Frumentaria Prætereà verò latissimè vectigalia etiam pro tributis, & stipendiis accipiuntur, & vectigales prouinciæ agrive pro stipendiariis vel tributariis, non in nostris quidem, sed in aliis auctoribus. Festus. *Vectigalia dicitur, quod ob tributum & stipendium & extraordinarium* (sic lego) *populo debetur.* Eadem latitudine non tantúmque populo Romano, vel principi, sed & quæ ciuitatibus vel priuatis debentur, vectigaliorum nomen admittunt. & vectigales agri sunt ciuitatum agri, aut virginum perpetuarum, aut sacerdotum accepti iure emphyteuseos. Vectigal dum separatur à tributo, aliàs est emphyteuma *l. cum seruus. §. heres. D. de leg. 1.* aliàs portorium *l. 1. §. 1. D. de pub. & vect.* & tributum latè pertinet, soli vel capitis, populi vel principis, aliàs stipendium, *l. 2. §. si quid publici. D. de her. ven.* Varia itaque & multiplex est huius vocabuli significatio. Ac similiter vectigaliarij, qui & publicani, & telonæ dicuntur, propriè ij sunt, qui vectigalia P. R. aut principis veluti portoria conducta habent, non tributa *l. 12. §. vlt. D. de publ. & vect. l. cùm qui. D. de ver. sig.* qua de causa Cæsar dum vult leuare Asiam publicanis apud Dionem 42. quod redigebatur ex vectigalibus in tributi collationẽ transformat. Verùm ij etiam qui salinas, cotorias, picarias, cretifodinas, metalla conducta habent, & qui ciuitatibus debita portoria conduxerunt, publicanorum loco sunt, *l. 13. D. de publ. & vect* & si qui quandoque tributa vel stipendia conducant *l. 1. §. 1. eodem.* Liuius 39. *Vectigalia summis pretys, vltrotributa infimis locauerunt. quas locationes Senatus precibus & lacrymis publicanorum victus induci iussit.* est & similis locus *lib. 43.* Emphyteuticarios, non ausim publicanos appellare, quia ius in prædiis habent, quod publicani non habent. Sed neque eos quibus priuati homines fructus, quæstus, reditus suos locant, qui & vectigalia dicuntur, quia publica conducta non habent. Salinarum vectigal inter alia prouinciarum vectigalia posui. A Cicero *pro lege Manilia.* Publicani maximas familias in salinis habent, *l. 13. d. l. inter. d. l. liber homo. §. 1. D. de her. inst. l. si quis sine. C. de vect. & com.*

Cap. V.

De decima litium.

ACtione calumniæ tenebatur olim actor qui temerè litem instituerat in decimam partem litis, §. *hæc autem. Instit. de pœna tem. lit.* Erat ea actio ex stipulatu, nam initio litis cauebat actor, ni vicisset, reo decimam præstitum iri. Et erat repromissio, non satisdatio, vt ex Codicis Hermogeniani *tit. De calumniatoribus* B constat. in quo Diocletiani & Maximiani ad Quintianum est constitutio in hæc verba. *Iudicio tutelæ conuenit excipi actionem, ad quam respondere debes, quippe si per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromissionis initio postulatæ, calumniæ in decimam partem eius quod petiit tibi condemnari eum desiderare potes. Dat.* XI. *Kal. Nou. AA. Coss.* Ait, *calumniæ condemnari.* nam inde nomen habet, sicut actio de dote, licet vtraque sit ex stipulatu, non specialis quædam actio. Eam actionem decimariam non vtendo extinctam restituit Iustinianus Nou. CXII. hoc addito, vt decimæ cautio satisdationem habeat. Excipit tamen argentarios edicto VIII. quibus agentibus repromissione decimæ rei contenti esse debent. Hac autem actione solus actor tenetur iure nostro.

C

Cap. VI.

Curatorem testamento non dari.

CVratorem testamento non dari constat *l. 1. D.* de confir. tut. quia lex XII. tab. de tutela loquitur non de cura. *Super pecunia*, inquit, *tutelaue suæ rei.* Tutoris autem, vel curatoris datio iuris est, non patriæ potestatis, vel iurisdictionis. eadémque ratione ventri tutor dari non potest. quia scilicet de cutatore lex loquitur, non de tutore, *l. ventri. D. de tut. & cur. dat.* Atquin testamento Cæsaris Dio scribit Decimum Brutum & percussorum alios quosdam G. Octauio ἐπιτρόπους datos, quo nomine curatores significantur. nam D & tutores dari non poterant Octauio firmata iam & plena pubertate. ideóque eosdem non in secundum, sed in primum casum Octauio substitutos refert, si ad ipsũ non perueniret. hereditas quo genere primis heredibus adscribi alios, in more Pop. Romani positum Appianus scribit iis verbis, ἔθος ῥωμαίοις ὑφηγεῖσθαι τοῖς κληρονόμοις ἑτέρους εἰ μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι. Constat tamen ex lege XII. tab. vulgarem substitutionem introductam, pupillarem moribus tantùm. Verùm, ne aberremus à proposito, siue tutores siue curatores Octauio, datos Dio scribat: id quia iure fieri non potuit, vix etiam factũ crediderim: & Suetonio potius accesserim, qui non Octauio, sed postumis à Cæsare tutores datos refert. Dedit igitur exhereditatis aut certè in rumpen- E di periculum testamentum deduxit, aut malè vterque recitant testamentũ. Illud notandum censeo quod Appianus scribit Brutum in secundis heredibus scriptum, & filium nominatum fuisse. qua re, quantum opinor, in ferientem vocem illam emisit, καὶ σὺ τέκνον.

Caput VII.

An iure fiat adoptio in testamento.

VVlgò traditur adoptionem duobus modis fieri, Populi vel principis auctoritate, & magistratus imperio. Videtur & testamento fieri rectè. Velleus Paterculus *lib. 2. Cæsaris testamentum apertum est, quo C. Octauium adoptat.* Eutropius *7. Vindicaturus patriæ,*

ſui mortem, à quo per teſtamentum fuerat adoptatus. Suetonius *in Tiberio. Teſtamento adoptatus, hereditate adita, mox nomine abſtinuit.* Cicero *in Bruto. Qui Craſſi teſtamento fuit adoptatus.* Nepos *in Attico. Cæcilius moriens teſtamento adoptauit eum, heredémque fecit*, quod & Valerius VII. Similes auctorum locos complures colligere, nihil negotij fuerit. Sed his contenti ſimus. Porrò teſtamento adoptatur qui in bona & nomen teſtatoris vocatur, id eſt qui heres ſcribitur & nomen teſtatoris ferre iubetur: cui præcepto parendum eſt adita hereditate ſimul ac nomine, niſi famoſum ſit nomen, vel quæ alia remittendi eius cauſa ſubſit. *l. facta. §. ſed ſi nominis. D. ad Treb.* Verum enimvero & ſi ita quidem adoptetur quis in nomine, & familiam teſtatoris, non tamen iure adoptatur, quia legati verbo in ea *lege* XII. tab. quæ teſtamentorum ius & libertatem conſtituit, adoptiones non ſignificantur. Sed quemadmodum curator teſtamento datur, id eſt, non iure, à prætore confirmatur, ita adoptio non iure facta veluti teſtamento, à populo vel principe confirmari poteſt, *l. adoptio. D. de adop.* & ita non ſatis fuit Octauium teſtamento Cæſaris adoptari, ſed confirmata eſt adoptio lege curiata. Confirmationem vocat Dio *lib.* XLVI. ſicut *d. l. adoptio.* Iterationem Appianus *lib. 3.* dum teſtamentariam priorem adoptionem vocat, legitimam poſteriorem. proinde ſicut confirmatus tutor datiuus eſt, non teſtamentarius *l. iure. §. vlt & ſeq. D. de teſt. tut.* qua de cauſa cautionem ab eo magiſtratus exigunt. *l. 5. D. de conf. tut.* ita confirmata ſiue iterata adoptio legitima eſt, non teſtamentaria. idem de iterata libertate iudicium eſt, vt ſi quem inter amicos manumiſiſti, poſteà vindicta liberes. At iuſta libertas non iteratur. iuſta adoptio non iteratur. & generaliter actus legitimi non iterantur, veluti aditio, *l. ſi ſolus. §. vlt. D. de adq. here.* & ſerui optio, *l. ſerui. D. de leg. 1.* Iterari ſiue confirmari Octauij adoptionem neceſſe fuit quaſi non iure factam. quod quantum potuit Antonius traxit, ne Octauius Cæſaris filius legitimus cenſeretur, vt Dio ſcribit XLV. Bruti adoptio (nam & hic quoque teſtamento Cæſaris ſecundo gradu adoptatus) non potuit confirmari, quia inerat ei tacitè condicio ſubſtitutionis vulgaris. nec enim adoptatur venítve quis in nomine, niſi qui & in hereditatem vocatur.

CAP. VIII.

Ad L. latæ. D. de verb. ſign.

CErtum eſt libro ſecundo Sententiarum tractaſſe Paulum de tutelis. quamobrem ſumptam ex eo libro, *l. latæ. D. de verb. ſign.* ſoleo totam ad tractatum tutelarum referre. Definitur in ea lata culpa. definiuntur amici. Vtrumque in tutelarum tractatu in diſquiſitionem venit. nam oblatam culpam remoti tutoris multò grauior eſt condicio quàm remoti ob culpam leuem. & quandoque ſolam culpam latam præſtat tutor, non leuem, *l. tutor. §. competit. D. de adm. tut.* Et abſentes tutores ex cauſa remouentur, vel alius eis adiungitur arceſſitis cognatis, adfinibus, amicis tutoris, edicto propoſito *l. vlt. D. vbi pup. educ. deb.* quo loco, quos amicos appellare debeamus, ſi quæratur, Paulus definit, non leui notitia coniunctos amicos appellari, ſed quibus fuerint iura cum patrefam. honeſtis familiaritatis quæſita rationibus. Ergo non leui notitia coniunctos amicos dicimus, nam nec beneuolos, & alij ſunt amici, alij beneuoli, ſed eos quibus cum iuſtæ, honeſtæ & magnæ neceſſitudinis cauſæ interceſſerint. Cum patrefam. id eſt, cum tutore vel etiam cum patre pupilli. nam & præſentibus cognatis, propinquis & amicis paternis ſolet prætor pupillo decernere alimenta, & ſtatuere vbi potius alendus ſit. Solent & amici parentum pupillis tutorem petere & tutorem ſuſpectum facere, *l. 2. D. qui pet. tut. l. is qui. D. de neg. geſt.*

CAP. IX.

Miniſterium publicum.

MIniſterium publicum in *l. 1. D. ad leg. Iul. repet.* non accipio pro ſcribis, viatoribus, præconibus, aliiſve miniſtris magiſtratuum, ſed pro iis qui ſub titulo miniſterij in prouincias mittuntur cum iure prætorio, aut conſulari, vt de M. Catone Velleus ſcripſit lege lata à P. Clodio miſſum eum fuiſſe in Cyprum publicandæ pecuniæ regiæ, & conſtituendæ prouinciæ cauſa ſub honorificentiſſimo miniſterij titulo. quo loco puto delenda hæc verba, *in ſenatu*, ex ſuperiore clauſula repetita. Puto & paulo ſuprà vbi eadem de re ſcribit Velleus pro *Plebiſcito* corruptè legi *S. Conſulto. Cypri*, inquit, *denictæ nulli adſignanda gloria eſt, quippe Senatuſconſulto, miniſterio Catonis, regis morte facta prouincia eſt.* conſtat enim Clodiano plebiſcito non S. C. huiuſmodi miniſterium Catoni mandatum. Sic & alio loco apud Velleum cùm de bello piratico ſcribit Pompeio demandato lege Gabinia, vulgò malè ita legitur. Quo S. C. penè totius terrarum orbis imperium vni viro deferebatur, emendo, PS. niſi dixeris vtrumque interueniſſe. Miniſterij autē verbo id ſignificari quod initio propoſuimus, etiam indicio ſunt in ea lege verba quæ ſequuntur, *vel cùm ex cohorte cuius eorum eſt.* igitur qui miniſterio funguntur, cohortem & officium habent. & ſic *l. 38. §. vlt. De adult.*

CAP. X.

Extraordinary, & Euocati milites, Comites Conſiſtoriani.

IN *l. 2. C. vt nem. lic. in coëmp.* &c. milites ὁπισάκτους interpretatus ſum euocatos. Forſitan rectius, externos & aduentitios, quos & extraordinarios & ὁπλέκτους vocant. Dio LV. ξένοι ἢ ἱππεῖς ὁπλέκτοι. eodémque ſenſu leges externas Dionyſius, ſeruos barbaros Plutarchus in Gracchis ὁπισάκτους, & in conciliis mulieres ζωνεισάκτους, & in epiſtolis D. Pauli παρεισάκτους, id eſt extrarios. Euocati milites, ſiue ἀνακλητοὶ appellati ſunt veterani, quos poſt patris cædem Auguſtus exciuit ex Galatia & Caſilino, quorū fuit certum corpus ferentium vites centurionum more, vt Dio ſcribit LV. Vites ῥάβδους vocat, vt & auctores Baſilicorum ad *l. milites. §. irreuerēs D. de re milit.* Proinde & Centuriones appellātur rectè, cùm vite honorati ſint. Euſebius VII. πρὸ πάντων ἐστὶ παρὰ ῥωμαίοις τὸ κλῆμα ἧς τὰς τυχούσας φασὶν ἑκατοντάρχας. & ita Titinnium, quem Velleus Paterculus G. Caſſij euocatum Dio LVII. & Valerius IX. Centurionem vocant In *l. vlt. C. qui mil. paſſ.* τὴν ἀξίαν τοῦ κόμητος τοῦ ὑψηλοῦ βήματος, dignitatem Comitis primi ordinis, comitis conſiſtoriani, quamquam & is comes ſit primi ordinis; & ſic Nou. XIII ſecundum Baſilica, quæ coniunctione tranſpoſita Haloander ſequutus eſt, ἢ τὴν προβλέπτων κομήτων τοῦ ὑψηλοτάτου βήματος ἢ τὴν λαμπροτάτων, &c.

CAP. XI.

De tutela feminarum.

DAbatur olim tutor feminis etiam puberibus ex *lege Attilia* à Tribunis & prætore, vt Liuius ait

xxxix. & Vlpianus in *Frag.* non negotiorum gerendorum, ſed auctoritatis interponendæ gratia quæ finiebatur conuentione in manum, auctore Boëtio in Topicis. erat enim conuentio in manum ſpecies capitis minutionis. conſtat vero capitis minutione omnes tutelas ſolui. qua de cauſa & conuentione in manum rumpebantur teſtamẽta quaſi agnatione ſui heredis. quia quæ conuenit in manum viri, viro ſuus heres eſt, & filijs ex eo matrimonio ſuſceptis conſanguinea, non naturalis. naturales conſanguinei, ſunt ſoli fratres vel ſorores. itaque facta in manum conuentione mater, & filius inuicem ſuccedunt iure legitimo, quaſi conſanguinei, quod vetus deſcriptio graduum agnationis quam libri ſuperioris capite vltimo poſui, apperte demonſtrat, & S. C. Tertulliano vel Orfitiano locus tantum eſt ſi defuerit conuentio in manum, auctore Vlpiano *tit.* 26. Porro, vt prædiximus, quæ maritum habet, & in eius manu eſt, tutorem non habet, ſicut qui patris eſt in poteſtate, tutorem non habet. & vt teſtamento patris filiofam. tutor dari poteſt, ita teſtamento viri matrif. optio tutoris dari poteſt, vt ipſa ſibi tutorem eligat quem velit, & hic tutor is eſt quem *pro Murana* M. Tullius ait poteſtate mulieris contineri. Dabatur quoque eadem optio lege ſpeciali, vt ob indicata Bacchanalia auctore Liuio latum eſt ad plebem, vt Hiſpalæ tutoris optio eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet. Liberantur & tutela præter conuentionem in manum, libertinę liberorum iure, auctore eodem Vlpiano, & lege ſpeciali, vt Liuiæ & Octauiæ datũ Dio ſcribit LVIII: τὰ ὀρφανὰ ἄνευ κηδεμόνων διοικεῖν, id eſt ſine tutore. Poſt conuentionem in manum, quia tutore carebant, & ea in re tutoris auctoritas neceſſaria erat. non obligabantur ciuiliter, ne marito quidem auctore. quod notaſſe Vlpianum in *l. 2. §. his qui, D. de cap. min.* vt mihi perſuadeam articulus, *Interdum*, facit, quo ſignificatur non eſſe id perpetuum, vt quis poſt capitis deminutionem iure ciuili obligetur, nimirum quia etſi adrogatus vel emancipatus obligetur, ea tamen quæ conuenit in manum non obligatur. & hoc quidem ita conſtituto exemplo pupilli, qui tutore quidem auctore obligatur, *l. vlt. §. pupillus, D. de verb. obl.* Nec mouetor argumento teſtamenti quod conſtat, mulierem, quæ eſt in manu viri iure facere. nam recte Vlpianus *tit.* 20. fœminam dum ſcribit teſtamentum facere tutore auctore, adiicit, donec in tutela ſit, & in *tit.* 11. dum cauſas enumerat in quibus tutoris auctoritas mulieribus neceſſaria eſt. teſtamenti cauſam prætermittit. quia & ſine tutore quæ conuenit in manum iure teſtamentum facit. Puto & in edicto propoſito *l. 2. D. qui ſatisd. cog.* de in manum conuentione egiſſe prætorem, & ſcripſiſſe in hunc modum, Eamve, quam in poteſtate habebit, vel vxorem, vel nurum, arg. *l. 2. D. in ius voc. vt eant.* nam etſi proprie vxor vel nurus in manu, filij in poteſtate, ſerui in mancipio eſſe dicantur, vt tamen ſerui paſſim in poteſtate & in manu eſſe dicuntur, & filij in manu & mancipio, ita & vxores vel nurus non male in poteſtate & in mancipio eſſe dicuntur, vt Gellio XVIII. *cap.* VI. ex quo apud Nonium ita eſſe legendũ arbitror. *Fidelius locupletiores*, inquit, *matronam quæ in matrimonio ſit mariti etiam ante ſuſceptos liberos dictam, meliore tamen matris futura ſpe à matris nomine nuncupatam. Matrem vero familias, quæ in familia mancipioque ſit mariti, aut eius in cuius manu maritus eſſet.* Vterque dicit eſſe in familia, vt *l. pronuntiatio §. familiæ, D. de verb. ſign.* vterque nurum eſſe in manu, mancipio, familia ſoceri. recte. nam etſi in manum mariti conuenerit, atque ea ratione dicatur ſæpe in manu mariti eſſe, licet ſui iuris maritus non ſit, familiam tamen ſequitur ſoceri, & eo mortuo plane mariti, *l. ſi maritus, D. famil. erciſc.*

A B C D E

CAP. XII.

Explicatur L. Titio §. Titium, D. ad municip.

SI probatum eſt nomen debitoris à nouiſſimo curatore, fruſtra tutorem de eo conueniri, qui ſcilicet nomen contraxit, Vlpianus reſpondit, *l. ſi probatum, D. de tut. & rat. diſtr.* cui addatur, Fruſtra etiam priores curatores de eo conueniri. Quia enim ait, à nouiſſimo curatore, ponendum eſt & alios fuiſſe antea curatores, ſed eſſe deſiiſſe poſtulatione ſuſpecti aut morte. Eodem modo Modeſtinus reſpondit in *l. Titio §. Titium, D. ad municip.* ſi probatum ſit nomen, & pignus debitoris Reip. à nouiſſimo magiſtratu, fruſtra priores de eo conueniri. Hæc enim eſt ſumma res. Latior ſpecies, quę ſequitur. Titius in magiſtratu pecuniam publicam credidit, & a debitore fundum pignori accepit câ lege, vt non ſoluto debito, is diſtraheretur ſine vlla repromiſſione, id eſt creditoris iure, non communi iure, hac ſcilicet fini, ne euictionis nomine, vel quo alio ſe venditor obligaret, atque ita vt ne indemnis vlla ex cauſa Reſp. vel magiſtratus à debitore præſtaretur. Titio ſucceſſerunt alij magiſtratus, qui nomen probauerunt, id eſt nominis periculum agnouerunt. & hi contra legem pignoris de modo fundi repromiſerunt, quo non inuento, damnantur quanto minoris, & conſequenter eo minus ex ſorte Reſpub. conſequitur. Hiſdem porro Mæuius ſucceſſit, qui & ipſe nomen probauit. Poteſt vnus ex collegis nomen probare. quæritur quis indemnitati Reip. ſatisfacere debeat. In debitorem non eſt regreſſus per contrariam pigneratitiam, qui ſibi lege pignoris eadem de re conſulte cauit: Fruſtra ſucceſſores Titij in magiſtratu. denique Mæuius qui nouiſſimus nomen probauit ſolus tenebitur, ſi idoneum ſibi ſucceſſorem non nominauerit. Ait, *ſuccedentes gradus.* Compendio ita cum fuiſſet ſcriptum, *magratus, gratus* ſolum manſit, quo poſtea, *gradus* reſtituamus ergo veterem, *magiſtratus.* compendia huiuſmodi ſunt antiquiſſima, quæ qui neſcit, rationem corrigendorum librorum neſcit. Ait, *à magiſtratu vendentibus*, legendum à magiſtratibus vendentibus, Ait, *poſt magiſtratus*, legendum *poſt magiſtratus*, vt ſit hyphen, ſicut *poſt factum, poſt delictum.*

CAP. XIII.

Fugitiuorum notæ, & ſupplicia.

FVgitiui compungi ſolent notis vel litteris, quibus perſæpe dignoſcuntur & deprehenduntur, *l. 2. D. de fugit.* Petronius Arbiter: *Notum fugitiuorũ epigramma.* Quintilianus. *Si quis fugitiuo ſtigmata ſcripſerit.* Clemens Alexandrinus *3. παιδιας.* τὰ δραπέτῃσι στίγματα δείκνυσι. Solebant & ita plerique reorum frontibus notari, veluti lege Remmia calumniatores, quod tollitur, *l. ſi quis. C. de pœn.* Boëtius *de Conſolatione. Edixit vt notas inſignitis frontibus pellerentur.* Seneca *de ira. Varia vinculorum genera, varia pœnarum, laserationes membrorum, inſcriptiones frontis, & beſtiarum immanium cauernæ.* Solebant & fugitiui pedum amputatione coërceri, atque adeo qua parte peccaſſent, eadem multari, *l. 3. C. de ſer. fug.* ſicut falſario inciſos digitorum neruos Alexandri decreto Lampridius, Claudij præciſas manus Suetonius ſcribit. idem Galbam nummulario non ex fide verſanti pecunias, manus amputaſſe menſæque eius affixiſſe. & Gallicanus in Caſſio, multis deſertoribus à Caſſio crura inciſa & poplites. Heraclides Ponticus. ὥσπερ οἱ νομοθέται τοὺς πατροτυπίας χιεθλοπῶσι, τὸ δυσκηδῆσαι αὐτῶν μέρος ἐξαιρέτως ἀποτεμνοντες, οὕτως

ὅμηρος ἐν ὕπατῳ κολάζῃ ἢ δι' ἣν παρέστρεβλησαντα. Iustinianus Nou. xvii. exactori non ex legis præscripto apocham conficienti manus abscindendæ ius dari præsidibus prouinciarum. & No. xlij. eandem pœnam indicit scriptori librorum hæreticorum. Constantinus lenoni & persuasori iubet liquido plumbo meatus oris claudi, *l. j. C. Th. de rap. virg.* quæ pœna etiam olim in vsu fuit. Et ex No. quadam Leonis & Constantini periuro lingua præciditur. Sed de omni hoc genere pœnarum eleganter Galenus vj de Hipocratis, & Platonis placitis his verbis. Εἰώθασι γὰρ νῦν πιεῖν οἱ τὸς ἀμβλύνοντας οἰκέτας καταδικάζοντες τὴν μὲν ἀποδιδρασκόντων τὰ σκέλη κόπτοντες τε καὶ κατασχάζοντες καὶ παίοντες, τὴν δ' ὀκλεπτόντων τὰς χεῖρας ὥσπερ γε καὶ τὴν γαστριμάργων τ' γαστέρα καὶ τὴν φλυαροῦντων τ' γλῶτταν. ἁπλῶς δ' εἰπεῖν ἐκεῖνα κολάζοντες τὰ μοχθηρὰ ἐνεργήσαντας τὰς μοχθηρὰς ἐνεργείας.

CAP. XIV.

De iure aureorum annulorum, & iure tribus vrbanæ.

LIbertinis dato iure annulorum aureorum equestrem dignitatem dari constat, quæ res efficit, vt in multis iuris partibus donati anulis libertini pro ingenuis habeantur. Cor. Tacitus *xviij. Postulante exercitu, vt libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, impetrauit anulis.* Ex Constitutione autem Iustiniani ius annulorum hodie non petitur, sed vltro generaliter defertur omnibus libertinis, sicut & ciuitas Romana, siue ius Quiritium, quod etiam pro beneficio dabatur olim. Vtrumque consentiente patrono, *l. 3. D. de iure an. aur.* Plinius *x. Epist. Rogo illis indulgeas ius Quiritium, quod à te volentibus patronis peto.* & alio loco, *Rogo des ius Quiritium libertis, quod à te petente patrona, peto.* Denique Iustinianus promiscuum & commune facit quod olim dabatur parcissimè, Vitellio etiam qui Asiaticum anulis donauit censente commaculari eo equestrem ordinem, vt Suetonius scribit, & Alexandro Seuero, vt Lampridius, adfirmante seminarium senatorum equestrem locum esse. qua de causa libertinos nunquam in equestrem locum redegit, id est nunquam honorauit anulis aureis. Plinius *xxxiij. cap. xj. Passim ad ornamenta anulorum etiam seruitute liberati transiliunt.* Referebantur etiam libertini ciues Romani in tribus vrbanas, sed non simul ac libertatem nacti erant, sicut L. Cornelio tribus concessa non fuit statim ac ciuitas, vt Cicero scribit pro L. Cornelio. Ideoque liberto patronus tribum emi mandat, *l. patronus, D. de leg. 3.* quo iure, vt lex ait, ferret, commoda, id est, annonas, tesseras frumentarias, liberalitates principis, ad quem locum proprie pertinet hæc vetus inscriptio vrbis Romæ. TRAIANO AVG. GERMANICO DACICO PONT. MAX. TRIB. POT. VI. IMP. IV. COS. V. P.P. TRIBVS XXXV. QVOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS COMMODA EARVM ETIAM LOCORVM ADIECTIONE AMPLIFICAVIT.

CAP. XV.

Lex xii. Tab. De denunciatione testimonij, & denuntiationibus quæ fiunt ad domum

PAulus *lib. j.* ad edictum scribit neminem de domo sua extrahi debere, *l. 12. D. de in ius voc. l. nemo, de dam. inf.* Tractauit eo libro de damno infecto, quo edicto ei qui non est in iure prætor domum denuntiari iubet, verecundè, vt Vlpianus ait, non extrahi de domo sua, *l. 4. §. prætor, D. eod. tit.* quod & ad eundem modum ad idem edictum Paulum scripsisse, argumento sunt *d. l. 21. & l. 19. & d. l. nemo.* quæ omnino referendæ sunt ad edictum de damno infecto. Constat vero ex Vlpiano in *d. l. 4.* eam denuntiationẽ vel in personam fieri eius, qui domi suæ est, vel si domo absit, ad domum præconis voce, & libello ædibus adfixo, quod in aliis in causis frequenter fit, *l. vim §. nupta, D. ad leg. Iul. de adul. l. 13. D. de excus. l. 5. §. 1. D. quod vi aut. clam, l. 1. §. 1. D de agnos. lib. l. 2. C. de annali excep. l. C. Th. sicer. pet. chir. No. Theod. de Inuas.* 1. Denuntiatio quoq; ea de siue citatio absentium reorum quæ per triduum fit ex *l. inter, D. de pub. iud.* ad domum fieri clamore vel buccina publice debet. Gaius Gracchus apud Plutarchum: καί τοι πάτριόν ὄζιν ἡμῖν εἴπερ ἔχων δίκλω θανατικλῶ μὴ ὑπακούσῃ, τότε πρὸς τὰς θύρας ἕωθεν ἐλθόντα σαλπιγκτλῶ ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι. Item denuntiationes testimoniorum, quibus scilicet testes euocantur, ad domum fieri iubent xij. tab verba legis hæc sunt: *Cui testimonium defuerit is tertiis diebus ob portum obuagulatum ito.* Portum Festus, & Donatus domum interpretantur recte. Vagulationem quæstionem cum conuitio. puto à vagore siue vagitu vagulationem dici, quoties testes citantur, quæruntur quemagna voce & amplo boatu, quod conuicium Festus vocat quasi conuocium, vt quodam loco Vlpianus noster ait, quo sensu & Cicero cantorum conuitium dixit. Articulus autem *Ob* primo loco pro *ad* sumitur, secundo pro *circum*. Notandum est valde quod dicitur de tertiis diebus. nam ex eo constat vetus hoc ius esse, vt per triduum testimonij denuntiatio fiat, sicut & reatus *d. l. inter.* Notandum quod ait, *Ob portum*, id est ad domum, ad quæ verba idem quod Vlpianus & Paulus ad edictum de damno infecto, Gaium adnotasse opinor, Verecunde Decemuiros ob portum denuntiari testimonium iussisse, non extrahi testes de domo sua *lib. 1. ad legem 12. tab.* ex quo sumpta est *l. 18. & 20. D. de in ius voc.*

CAP. XVI.

Lex xii. Tab. de antestatione.

NOn omnes qui in ius vocantur nec sequuntur, manu iniecta duci in ius possunt. Ex domo sua vocati non ducuntur, *l. 21. D. de in ius voc* Ex asylo vocati non ducuntur, No. xvij. Qui satisdant, non ducuntur. inde titulus, *In ius vocati vt eant vel satisdent.* quo significatur non ire eum qui satisdat, & inuitum ire eum qui non satisdat. Id vero certum est nunquam duci quemquam nisi testato. recte enim apud Horatium qui trahit in ius, antestatur prius, quod & eo loci relatis à Porphyrione verbis xij. tabul significatum reor. Sed sunt valde corrupta. *Si in ius vocati* (alias, vocationi) *Testamenti igitur en capito antestari.* forte legendum, *Si in ius vocat, ni eat, manum inicito, en capito antestari.* Si in ius vocat, ni eat. sic quoque forsitan legendum Ciceronis 2. de legib. De manus iniectione loquũtur sepe xij. tabulâ vt alio capite, *Si caluitur, pedemue struit, manum endo iacito.* & alio. *deinde manus iniectio esto, in ius ducito. Encapito* id est incipito. Sensus hic est, vt qui reum in ius vocat non euntẽ ducat manu iniecta, & antestetur. nec enim iure ducitur quis nisi antestatus. Porro sicut denuntiatus dicitur, cui fit denuntiatio, *l. venditor, D. de iudic.* ita antestatum dicimus eum qui testato conuenitur, qua ratione & pater fiduciarius antestatus dictus est olim auctore Gaio in Institu-

in Institutionibus. Et vt paucis duplicem tam veterũ quam nouorum errorẽ perstringuã, superstites siue testes non dicuntur antestati & antestatorũ non attrectatur auris, sed testium. Lex Baiuuaria, *testis*, inquit, *per aurem trahi debet*. At sicut is, qui aduersarium ex domo sua in ius educit, iniuriarum tenetur, *l. qui in domum, D. de iniur.* & is qui satis offerentem trahit, *l. 5. §. vlt. D. qui satisd. cog.* ita eum qui intestatum in ius ducit, iniuriarum teneri recte Acro & Porphyrio scribunt. Intestatum oppono ántestato, vt Plautus, quod antestati definitionem meam plane confirmat. Ceterum sunt, vt prędiximus, qui in ius vocati sequuntur vltro, non deducuntur, veluti è domo sua vocati, vel satis offerentes, vel intestati. Sunt qui ducuntur, vt ceteri fere omnes, qui in ius vocari possunt. Est & tertius ordo eorum, qui neque sequuntur neque ducuntur, id est qui in ius vocari non possunt, quos enumeratos fuisse reor notissimo titulo, *Qui neque sequantur neque ducantur*, quo demonstratum est inter cetera ductos iam ab aliquo & vinctos neruo aut compedibus secundum xij. tab. necdum solutos, ab alio in ius vocari non posse, arg. *l. 4. in prin. D. de in ius voc.* sicut & ij qui religione loci quasi vincti tenentur in ius vocari non possunt, *l. 2. D. de in ius voc.* & ob id ad eum titulum solutus quis sic necne Gaius expositit, *l. solutum, D. de verb. sign.* Illud non est omittendum quod ex Liuio Priscianus scribit, impuberem libripendem esse non posse neque antestari. quo loco antestari passiue accipitur, & significat vt idem Priscianus ait μεσιαμάρτυρησθαι. vnde apparet antestari dici ab ante & testari, quod Porphyrio probat. *Est ergo antestari*, inquit, *scilicet ante, quam manum iniiciat.* Vt vero impuberem in emancipationibus antestari non licet, vt sit pater fiduciarius quem patrem esse ætas non patitur, an & in ius vocatum antestari & ducere non licet? quod non puto, nisi sit infans, *l. 4. in princ. D. de in ius voc.* vel virgo filiaf. *l. neque, D. eod.* Infantes pueri puellęve filiæf. neque sequuntur, neque ducuntur. Pueri qui excesserunt infantiam vel puellæ sui potentes vel puberes nuptæ, aut innuptę antestari & duci possunt, non tamen manu iniecta, vt Valerius Maximus scribit. qua de causa etiam à magistratibus vel lictoribus non submouentur. quin & testimonij dicendi causa virgines Vestales in forum & iudicium venire cogebantur vetere instituto, vt Tacitus ait. Sed hodie domum mitti solet tam ad testimonium dicendum quam ad iusiurandum, *l. 2. §. sin autem. C. de iureiur. prop. cal.* Ceterum litis causa vocatæ in ius id est ad prætorem, si non defendantur, venire debent, imo, & in comitatum, nisi viduæ sint, *l. 1. C. quando imp. inter pup.* Sed & si aliud sit in maribus, qui licet ab aduersario domo non extrahantur, ab executore maxime publici debiti causa extrahuntur recte. matresfam. tamen ne ab apparitore quidem domo abstrahi & in publicum educi possunt, *l. j. C. de off. omn. iud.* prętertim cum hoc maxime mulierem deceat, domo se tenere. qua de causa οἰκουρὸς à D. Paulo vocatur, & ab Augusto *apud Dionem* οἰκουρὸς, οἰκονόμος, παιδοτρόφος. Philo. Θηλείας οἰκουρία ἡ ἔνδον μονὴ πρέπει. notum etiam illud est οἰκουρίας symbolum, Venus testudinem calcans. Id quoque ad extremum adiiciam ex loco Institutionum Gaij superius allato esse quod idem Priscianus *lib. 6.* retulit iis verbis, quæ subiiciam ex fide manuscriptorum, quod hac in parte Priscianus valde corruptus sit. Gaius, inquit, in primo Institutorum: *Adhibitis non minus quinque testibus puberibus, item libripende.* In eodem. *Qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens.* Quæ cum non ita sint in Gaij Institutionibus, quæ vulgo circumferuntur, apparet interpretationem Aniani ad illas eam esse, non ipsum Gaij contextum. quod & argumento manumissionis factæ in ecclesia, quam manumissioni censu facta substituit Anianus, & adfiliatorum appellationis, qua etiam vtitur in *l. 2. C. Th. de leg. her.* & multis aliis comprobari potest.

Cap. XVI.

Proferre & differre.

Differentia est inter proferre, & differre. Proferrẽ est diem prodictam prorogare. Differre est rem in aliud tempus conferre, nulla cum dies ante prodicta fuisset. & hoc sensu Paulus in *l. vnius §. pen. D. de quæst.* Adeo vt propterea & differantur, & proferantur custodiæ. Et in tit. de receptis, vel arbitrium differri vel diem compromissi proferri. Sed qui profert, & differt, non contra, itaque latius patet dilationis nomen. quo modo Corn. Tacitus res prolatas easdem & res dilatas vocat. Sunt autem res prolatæ feriæ iudiciorum & litium. Seneca *de breuitate vitæ*. Diripitur ille toto foro patronus & magno concursu omnia vltra quam audiri potest, complet. Quando, inquit, res proferentur? Significat rebus prolatis cessare patronos. quod & de Iurisconsultis M. Tullius scribit in oratione *pro Muræna*. Hoc toto *cap. xxiij. lib. vj.* παρέργων Alciatus pessimè exposuit, deprauata etiam *l. Aurelio, D. de lib. leg.*

Cap. XVII.

An collega tutor dari, vel apud collegam manumitti possit.

Puto differentiam esse inter tutelam & manumissionem, quod prætor collegam tutorem dare possit, Duumvir, sicut ordo vnum ex suo corpore vel Duumvirum, *l. vbi, D. de tut. & cur dat. l. pe. D. quipet. tut.* nam se tantum prohibetur prætor tutorem dare, *l. 4. D. de tut. & cur. dat.* non collegam, longe aliud est in manumissione. nam prætor vel consul apud se manumittere potest, *l. 5. D. de man. vind.* etiamsi minor sit xx. annis, *l. si rogatus §. vlt. D. eod.* Sed hoc casu causam probabit collega non ipse, *l. 1. D. de offic. cons.* ac similiter præses apud se manumittit, *l. 2. D. de offic. præs.* & magistratus municipalis, *l. 4. D. de adopt.* Sed non apud collegam, *l apud eum, D. de manumiss. l. apud filiumfam. §. j. D. de man. vind.* & omnino sicut per procuratorem non fit manumissio, *l. 3. C. de man. vind.* quod nemo alieno nomine lege agere possit, causa tamen probatur recte per procuratorem, *l. etiam, §. absens, D. eod.* quod & vetus hæc inscriptio docet, *Priscus manumissus ad consilium procuratorio nomine apud Domitianum*: Ita vero apud collegam non manumittimus, sed causam apud eum probamus recte, ac deinde causa probata, nos ipsi apud nos manumittimus. Causam nos ipsi non probamus, ne videamur rei nostræ cognitores esse. Manumittimus apud nos, quia domini sumus, & detracto quoque magistratu seruum ad libertatem perducere possumus. Differentiam superiorem inter tutelam, & manumissionem, confirmat coniunctio *d. l. vbi, cum d. l. apud eum & l. apud filiumfam.* quæ omnes sunt ex eodem auctore & libro. Sed quæ sit eius differentiæ ratio, plane nondum expositi. In collegam iurisdictio non est. Vacat iurisdictioni, qui vacat manumissioni, & ideo non recte collega apud collegam manumittit. Tutoris datio non est iurisdictionis, & ideo recte datur tutor collega, quia & cogi non potest, vt munus iniunctum agnoscat, cum iure magistratus se excusare possit, & alios qui excusationem non habent in hoc tantum exigimus dantis iurisdictioni esse subiectos, vt captis pignoribus alijsve remediis delatam tutelam agnoscere compellantur. quod sine iurisdictionis officio fieri non potest.

CAP. XVIII.

Adire hereditatem, bona, institutionem, testamentum, nomen.

ADire hereditatem est suscipere hereditatem ex testato vel ab intestato & quasi aditum in eam facere, vt in *l. filius* §. *penul. D. de lib. & postu.* aditus est ad hereditatem, id est adiri hereditas potest. Cernere autem est quasi decernere se heredem esse velle, vt *l. is qui heres* §. *penul. D. de adq. hered.* Antequam heres institutus decernat de hereditate, & *l. pupillus eod. tit.* Neque scire neque decernere talis ætas potest. Respicit ad formulam cretionis, *cernito cum scieris.* Vterque actus legitimus est, & ideo pure fit, *l. actus, D. de diu. reg. in.* & semel, *l. si solus* §. *vlt. D. de adq. her.* & per se non per alium, *l. per procuratorem, D. eod.* & verbis conceptis, *l. eum qui* §. *vlt. D. eod.* & testibus præsentibus. Cicero XIII. *ad Atticum, Cretionem testibus præsentibus* LXII. Varro. *In cretione adhiberi iubent testes.* Vtriusque symbolum, digitorum percussio, vt antestationis, aurium attrectatio, manumissionis, palmæ ductus. Dixi, vterque actus. nam fuit aliqua differentia inter aditionem & cretionem, quam ex Vlpiani Fragmentis cognosces. Ceterum non adire tantum hereditatem auctores dicunt, sed & subire tam græci quam latini, vt docui *Obs. 3. cap. 6.* & obire, Agraria prima, Hereditatum obeundarum causa. Festus. *Obitu dicebant pro aditu. Obescit, oberit, vel aberit.* sic lego, obescit, vt superscit pro supererit, escit pro erit, etiam in XII tabul. *ast ei custos nec escit.* & alio loco. *Si morbus ævitasve vitium escit.* & alio. *Cui suus heres nec escit.* & alio. *Si adgnatus nec escit.* & Lucretij 1. *Ergo rerum inter summam minimamque quid escit.* Dicebant & adire bona, *l. 1. C. de test. mil.* Symmachus *in epistolis. Aditione bonorum successit,* Lucianus. παρελθόντα εἰς τ' οὐσίαν. Et adire testamentum. Ambrosius *Psal.* 118. *Nouum testamentum singuli adeunt, & omnes possident.* Græci interpretes ad *l. 4. D. de fid. lib. & ad l. 31. D. de excus.* ἐὰν ἀδιτεύθη ἡ διαθήκη. & ad *l. 31. D. de excusat.* ἡ διαθήκη κληρονομηθεῖσα. qua forma & repudiare testamentum Pomponius dixit in *l. illud dubitari, D. de adq. hered.* Testamentum pro hereditate accipitur, vt & institutio & substitutio, *l. 10. D. de cond. inst.* Institutio data, & *l. ex facto* §. *vlt. D. de vulg. subst.* substitutio relicta. Græci ad *l. 56. D. de statulib.* οὐδὲ γὰρ ἠδιτεύθη ἡ ἔνσασις ἐξ ἧς προσδοκᾶ τὴν ἐλευθερίαν. Adire autem nomen dicitur is qui testamento adoptatus nomen suscepit quod ferre iussus est. Velleus Paterculus, *lib. 2. Non placebat adiri nomen inuidiosæ fortunæ Cæsaris.*

CAP. XIX.

De iuris & constitutionum differentia.

SEparatur sæpe ius à Cnostitutionibus, vt *l. falsa, de cond. & demon. l. 4.* §. *contra, D. de doli excep.* quia multa constitutiones benigne, aut seuere contra ius introduxerunt. Ius veteres leges appellamus aut plebiscita, aut edicta, aut Iurisconsultorum auctoritates. Iure liberis damnatorum non seruantur libertorum iura, Constitutionibus seruantur. Iure ad tempus ordine motus ex crimine famoso, etiam post tempus infamis manet, Constitutionibus post tempus labes pudoris eluitur. eodem genere multæ aliæ leges, quæ inter se pugnare videntur in concordiam adduci possunt. Hanc quoque differentiam iuris, & constitutionum belle comprobat quod de Macrino Capitolinus scribit, fuisse eum in iure non incallidum, adeo vt statuisset omnia rescripta veterum principum tollere, vt iure, non rescriptis ageretur. Longe alia mens fuit Caligulæ, qui de Iurisconsultis quasi scientiæ eorum omnem vsum aboliturus sæpe iactauit se effecturum, ne quid præter se id est, præter id quod ipse constituisset, respondere possent.

CAP. XX.

Vulgaris clausula, Annua, bima, trima die.

QVod est scriptum in *l. 1. D. de do. præl.* annua die pecuniam dotalem reddi, aut ex Iustinianiconstitutione est, aut compendium orationis affectauit Iurisconsultus annuam, bimam, trimam diem dicere volens, vt in *l. talis, D. de leg. 1.* Vtrum, inquit, annua die dabuntur. & Vlpia. *in Frag.* in ea dote, quæ annua die reddi debet. & Suetonius *in fine Augusti.* Produxit quædam ad vicena sestertia, quibus soluendis annuum diem finiit. Annuum diem pro tribus pensionibus, & summis accipio. nam hæc erat vulgaris clausula testamentorum, *d. l. talis, l. cum vulgari, D. de do. præl.* erat & ceterorum negotiorum. Alia legata, vt idem Suetonius ait, Augustus repræsentari iussit, hoc scilicet adiecto verbo, præsentia, quod efficit, vt vulgari clausula non contineantur ex Seruij, & Labeonis sententia, *d. l. talis.* Alphenus contra. Sic enim legendum est in *l. Titio, D. de leg. 2.* Non est verum quod Alphenus retulit *C. præsenti* (sic Flor. *præsenti* pro *præsentia* aut *præsenti die,* vt in *l. 1.* §. *si legata, D. si cui plus quam per legem Falc. l. 11. de cond. & demon.*) non deberi: vt subiecta ratio demonstrat: Quia diem proprium habuerunt. Seneca in Suasoriis. *Dicito illo tibi annùm biennij triennij diem debere.* lego, *annua, bima, trima, die debere.* Vtraque emendatio est satis clara. Legatum autem ita relictum, Annua, bima, trima die legata annua appellari in *l. 15.* §. *non idcirco, D. ad leg. Falc.* vellem ne vir doctus scripsisset. est enim vnum legatum, non plura. & tribus pensiones plures esse constituendas hæc verba, in ceteris annuis legatis, indicãt satis in *eo* §.

CAP. XXI.

Legatum Proconsulis habere propriam iurisdictionem.

LEgatus proconsulis nihil proprium habet antequam à proconsule ei mandata sit iurisdictio, *l. legati, D. de offic. proc.* ergo ἐξ ἀνταδιασολῆς mandata iurisdictione aliquid proprium habet. A legato proconsul appellatur, *l. 2. D. quis, & à quo ap.* Hoc est absurdum, nisi legatus proprium aliquid habet. videtur enim idem à seipso appellari. quamobrem & ab eo cui prætor mandauit iurisdictionem, qui eam sane suo iure non habet, prætor non appellatur, *l. 1. D. eod.* Sed legatus proconsulis eam habet suo iure, licet non ante, quam sit ei mandata iurisdictio, quam vtique ei mandare cogitur proconsul. nec enim optat ipse sibi legatum, sed ei datur quasi adiutor ex S. C. vt de Fonteio Appianus scribit 1. ἐμφυλίων à Senatu Seruilio dato, qui tum proconsul erat in Italia: nam & olim in Italiam proconsules mittebantur cum legatis, postea desiere mitti vsque ad Adrianum, deinde Marcus iuridicos dedit, vt Spartianus, & Capitolinus scribunt. Verba Appiani hæc sunt. ἐπανηρέθη ὑ αὐτῷ ἡ φοντήιος ὃς ἐπαρέσβευεν αὐτῷ. καλέσαι δ' ὅπως τὸς τοῖς ἡγεμόσι πρὶν ἐθνῶν ἐπ τ βελῆς ἐπομβύους ἐς βοήθειαν. Vt autem proconsul suos comites habet, ita & legatus, *l. 6.* §. *pen. D. de pœn.* Comites, id est, adsessores iurisperitos. sic in libris nostris Comites accipiuntur semper. eodemque sensu Plinius 13. 10. *Non sunt,* inquit, *prætereunda &*

L. Luculo proconsule Beticæ comperta de polypis quæ Trebius Niger è comitibus eius prodidit. Hos autem sibi proconsul, vel legatus adoptat suo arbitrio *l.* 10. §. ὁμοίως, *D. de excus.* Habuit etiam legatus proconsulis Africæ, vt Spartianus scribit, lictores cum fascibus & sellam. Non est omittendum, posteriores legatum appellasse ἀντεφώτας, puto quod cuius legatus est personam repræsentet: Theophilus in *tit. De susp. tut.* & Balsamo *ad Synodum VI. in Trullo*, & sæpe interpretes βασιλικῶν.

CAP. XXII.

Fugæ argumentum.

QVantum sit fugæ argumentum, vsus rerum docet, & leges demonstrant multis locis. In *l. si in libertinum, D. de bon. lib.* reus qui fugit damnato comparatur, eiusque bona publicari significatur. atque ita olim Romæ sæpius qui in exilium voluntarium ierant, postea aqua & igni interdicti sunt, vt M. Tullius. & Metellus Numidicus, & de Metello adiicit Appianus *lib.* 1. ἐμ φεύγης, quæ vulgaris erat adiectio, vt ad legem Iuliam de vi publica *lib. v. Sententiarum* exposui. Interdictionem porro sequebatur publicatio bonorum omnium sicut hodie deportationem, cuius ipsum per se nomen bonorum omnium spoliatio est *l. vlt. C. de sent. pas.* In Nou. CIII. sui propemodum ipsius accusator dicitur is, qui est in fuga. In *l. 7. §. præterea, D. de susp. tut.* sua sententia esse suspectus. notum etiam illud, *Fatetur facinus is qui iudicium fugit.*

CAP. XXIII.

De alienatione prædiorum dotalium & pupillarium.

VLpianus Protribunalium scripsit libros x. quibus tractauit de causis, quæ nec mandantur, nec delegantur, sed à Prætoribus ipsis præsidibusve pro tribunali expediuntur, veluti de salariis, mercedibus, nutriciis, proxeneticis, de restitutionibus minorum, de tutoribus aut curatoribus dandis. de transactione alimentorum, de prædiis pupillorũ alienandis. & de hac postrema causa tractans, definiuit vrbana & rustica, & suburbana prædia, *l. 198. D. de verb. sign.* Id etiam scripsit quod est in *l. 5. D. de fun. dot.* Iulianum *lib. XVI. Digestorum*, ex quo est *l. 7. eod. tit.* in eam sententiam, in fundo dotali, cuius lege Iulia alienatio prohibita est, scribere, ei fundo seruitutem imponi, vel remitti non posse. quo exemplo & in Oratione D. Seueri de prædiis pupillorum sine decreto non alienandis VIpianus *lib.* 2. Protribunalium, ex quo sumpta est *d. l. 5.* scripserat, alienatione prohibita, seruitutum quoque remissionem vel impositionem prohibitã videri. quod & libris ad edictum scripsit, *l. 3. §. pen. D. de reb. eor. qui sub. tut. vel cur.* sunt Et sane vt in lege Iulia, ita & in Oratione Seueri alienationis verbum accipitur eodem modo, pro voluntaria primum non pro necessaria: nam vt ex causa damni infecti vicinus fundum dotalem possidere iuberi potest, *l. 1. D. de fun. dot.* sic & fundum pupillarem, *l. 3. §. 1. D. de reb. eorum &c.* in illo loco, vt procedat, iuberi etiam possideri poterit: qui vsucapionis vel dominij verbo mutilus videtur. vnde sic lego, vt dominium procedat, iuberi etiam possidere poterit. Græci, ὁπὲρ τῷ δεσπόσαι. Item in vtroq; iure non tantum dominij, sed & iuris alienatio prohibetur, puta seruitutis, vel emphyteuseos. & ideo rectè in *l. 16. C. de præd. min.* dominium siue ius. Ex vtroq; quod culpa mariti vel tutoris vsucaptum amissumve non vtendo est, restauratur *l. si fundum, D. de fun. dot. d. l. 3. §. pen.* Eodem modo & in solutum datio-

A nem & cautionem dandi vtroque iure infringi dico. Sed excipitur vbique prouocatio quæ fit iudicio communi diuidundo, *l. 2. C. de fundo dot. l. si pupillorum, D. de reb. eor.* &c. *l. pen. C. de præd. min* Verum dissident etiam in aliis plerisque. Lege Iulia vrbani & rustici prædii alienatio prohibetur, *l. 13. D. de fun. dot.* Oratione Seueri rustici, & suburbani, non vrbani. Sed ex constitutione Constantini etiam vrbani, *l. lex, C. de adm. tut.* In lege Iulia abscisè & destrictè inhibetur alienatio. In Oratione Seueri, sine decreto. Et hoc decretum à Prætore Constantiniano interponi Constantinait in *l. vlt. C. de præd. min.* scribens ad Senatum (vitiata enim eius constitutionis inscriptio est) in vrbe scilicet Constantinopolitana, quæ modo tres Prætores habuit, Flauialem, Constantinianum, Triumphalem, B modo quatuor, modo quinque, modo octo, Constantinianum, Constantianum, Theodosianum, Arcadianum, Triumphalem, Augustalem, Romanum, Laureatum, vt ex C. Theodosiano didicimus, ad extremum tres tantum ex constitutione Martiani, *l. 1. C. de off. præt.* Decretorum interpositio proprie pertinuit ad Constantinianum, *d. l. vlt.* Valde autem notandum quod ait *d. l. vlt.* Duntaxat vt *l. 12.* Tantum: nam & Orationis verba docent, ob æris tantum alieni causam decreto prædiorum pupillarium venditionem vel obligationem permitti posse quod declaratur aperte in *l. 5. §. si æs alienum, de reb. eor.* &c Recte, venditorem vel obligationem. nam & citra hanc causam donationem propter nuptias, vel dotis dationem ex vtilitate C minoris decreto permitti constat, *d. l. lex, C. de admin. tut. l. vlt. C. si maior. fac. alien. rat. hab.* Neque obstat *l. 8. C. de præd. min.* quoniã donauerat maritus sine decreto. id que Basilici ad eam legem Synopsis expressit. rursus, *d. l. 8.* nihil obstat *l. 1. C. si aduer. donat.* duæ enim sunt vnius constitutionis partes, quarum vna est de prædiis, altera de rebus mobilibus, cui etiam congruit *l. j. C. Greg. si aduer. don. spons. fac.* Ceterum & ex *No.* 115. obligatio prædiorum ipso iure permitti videtur minori XXV. annorum, eius à qua heres institutus est ab hostibus redimendi causa.

CAP. XXIV.

D *Explicatur & emendatur l. quo condicionis, D. de mor cau. don.*

EXistimaui alias *l. quod condicionis. §. j. D. de mor. cau. don.* de lege Falcidia accipiendam esse. & sane communis opinio hæc est. Sed videamus an melius sit secundum inscriptionem totam eam legem accipere de lege Iulia & Papia, vt vna sit oratio, quæ quod proponit à primo, condicionis implendę causa data, licet non ex bonis mortui proficiscantur, capere tamen supra modum legitimum solidi incapacem non posse, id deinde adhibita distinctione iis verbis, *Certe quod* &c. ita emendat, vt data à statulibero condicionis implendæ causa ex peculio, quod is habuit mortis tempore, supra modum capere non possit is, qui ex bonis testatoris solidum capere non potest, quia scilicet hæc videE tur esse ex bonis defuncti, qua ratione verum est etiam ea heredi in Falcidiam imputari quasi hereditario iure percepta. Verum ea quæ dat statuliber, si ad quisierit post mortem testatoris vel si alius pro eo dederit, quæ legatarius, quæ fideicommissarius, quæ coheres, quæ ex bonis testatoris, non proficiscuntur, cur non capiet is qui ex bonis testatoris certo capiendi modo coërcentur, qualis fuit coniux legibus illis, cum & ex substitutione pupillari non iudicetur incapax, *l. 6. D. de vulg. substit. Certe* ait, quasi superiori sententia falsa, ex alio forsitan auctore ab VIpiano relata cuiusmodi ἀντιλήψεις multæ sunt in legibus sumptis ex

Pauli & Vlpiani libris, eadem ratione conflatæ. insignis est in *l. j. D. de inst. leg.* Ait, *modo legati concesso.* malim, *modo legi concesso.* Quod Basilica confirmant, & superiora verba, *is cui certum modum lex concessit.* & ita ad easdem leges Terentius Clemens in *l. sed si hoc specialiter, D. de condit. & demon.* Amplius legi conceſſæ portionis. & *l. 67. D. ad leg. Falcid.* Statutam legi portionem.

CAP. XXV.

Iurisconsultorum appellationes variæ.

IN archetypo Pand. Florentinarum, ita est conscriptus titulus secundus IIbri primi περὶ τῶν, *De origine iuris, & omnium magistratuum & successione eorum.* legendum puto. *& successione auctorum*, vt in *l. 2. §. post originem eod. tit.* Constat vero Iurisconsultos auctores dici locis quam plurimis simpliciter, vel iuris auctores, Velleus Paterculus: *Domitium Scævolam diuini, humanique iuris auctorem celeberrimum.* In §. *responsa, Instit. de iure nat.* scriptum est, iuris prudentibus esse permissum iura condere. quam scripturam nimis delicato fastidio respuunt quidam. Eutropius *Vlp. iuris conditorē vocat*, Iustinianus Sex. Cœciliū *l. j. C. de com. ser mā.* idemque alibi passim iuris conditores, & legumlatores, iurisconsultos, & *l. vlt. C. de cur. fur.* iuris interpretes, alij Iuridicos, Plutarchus Scævolam νομοθετικῶ in Gracchis. In *l. 4. D. de ext. cog.* Paulus scribit ex rescripto D. Pij iuris studiosis salaria petentibus extra ordinem ius dici. itaque eo rescripto corrigitur quod ex veteri iure, vel more Vlpianus scribit in *l. j. §. proinde. & §. sed & si comites, eod. tit.* nam iuris studiosos constat pro iuris professoribus, & adsessoribus, comitibusve iudicium accipi *l. j. D. de offic. adsess. l. mortis, solet, D. de pœn.* Est igitur hæc appellatio communis tam præceptorum quam discipulorum, & auditorum iuris. quo nomine, vt de his quoque aliquid adscribam, censentur qui iuri discendo dant operam intra decennium iā non discipuli, sed incolæ censentur ex epistola Adriani *l. 2. C. de incol.* Seneca *xix. Epist. Non nouimus quosdam qui multis apud philosophiam annis persederint, & ne colorem quidem duxerint? Quid ni nouerim? Pertinacissimos quidem & assiduos, quos ego non discipulos philosophorum, sed inquilinos voco.*

CAP. XXVI.

Pauli sententiæ quædam.

ANtonius Loisellus Bellouacus vir iuris scientissimus & mihi summus amicus superiori anno antiquissimi cuiusdam Iurisconsulti Consultationem, quam meas colligendi otium nactus cum eis pro exemplo fortasse an quandoque editurus sum, ad me misit, in qua consultationis singulis capitibus reddito responso, non, vt fit, consultor ad auctores transmittitur, sed ipsa auctorum verba proponuntur ex Codice Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano, & ex Pauli Sententiis, quibus suum Iurisconsultus ille responsum comprobat atque confirmat. qui mos & in iudiciis olim seruari solebat. edebant namque litigatores & producebant integra legum verba, pro se quisque. Porro inter Pauli Sententias, quarum auctoritate vtitur, quædam sunt nondum editæ, quas vt mihi Loisellus non inuidit, non debeo etiam ipse ceteris inuidere. proponam igitur eas hoc capite, & apponam singulis interpretationem. Ac primum quidem ex *lib. j. tit. j.* duæ sunt quæ sequuntur. *Functio dotis pacto mutari non potest, quia priuata conuentio iuri publico nihil derogat.* Fungi dicitur dos cum datur, vel cum redditur, *vt tit. de dotibus in Frag. Vlpiani.* Functionis huius certæ sunt leges, quæ pactis priuatorum mutari non possunt, vt si conueniat dotem reddi quadrima die, *l. vt autem, D. de pac. dot.* Non potest etiam ius publicum testamento mutari, *l. j. §. illo proculdubio, C. de lat. lib. l. 5. §. Iulianus, D. de adm. tut. l. cerdonem, D. de op. lib. l. nemo, D. de leg. 1.* & generaliter quemadmodum id quod fit testamento, fit & conuentione recte, vel contra, *l. 46. D. de pac.* ita plerumque quod non fit conuentione, non fit & testamento. vtrumque enim ad res priuatas actusque priuatos pertinet. *De criminibus propter infamiam nemo cum aduersario paciscipotest.* De hac quæstione satis scripsi *lib. vj. cap. xj.* Sequuntur sententię quatuor *ex eodem libro tit. 3. Voluntarius procurator qui se alienis negotiis offert rem ratam dominum habiturum cauere debet.* Voluntarius procurator est qui se alienis negotiis offert sine mandato, qui voluntarius amicus in oratione pro Cęcinna, voluntarius procurator in Bruto, procurator simpliciter in Pandectis sæpe, cum tamen proprie simplex appellatio ei tantum conueniat, qui mandatum habet. Is vero cauere de rato omnimodo debet. Verus procurator de quo non dubitatur, an procurator sit cauere non debet. *Actoris procurator non solum absentem defendere, sed & rem ratam dominum habiturum satisdare cogitur.* Actoris procurator verus satisdat de rato, si dubitetur de mandato, *l. si is à quo §. si procurator, D. vt in possess. leg.* Dominum defendit, veluti si duplicia iudicia sint, *l. 15. §. vlt. D. de procur.* vel si mutuæ petitiones, *argu. l. 34. D. eod.* & hoc totum est ex edicto prætoris, *l. 33. §. ait prætor, D. eod. Petitoris procurator rem ratam dominum habiturum desiderante aduersario satisdare cogendus est: quia nemo in re aliena idoneus est sine satisdatione.* Superior sententia est de actore. Hæc de petitore. Actor est, qui agit in personā, petitor qui agit in rem. Vtriusque procurator si de mādatu dubitetur satisdat de rato. §. *si vero in personam, Instit. de satisdat.* Quia nemo, inquit, in re aliena, &c. Hæc regula vulgo enuntiatur de defensore. sed hoc loco constat eandem de procuratore constitui oportere. *Si satis non det procurator absentis, actio ei absentis nomine non datur.* Voluntarius procurator etiamsi satisdet actio ei absentis nomine non datur, Verus procurator, id est, qui se mandatarium profitetur, si satisdet de rato, actio ei absentis nomine datur, *l. non solum §. 1. D. de procurat.* Eodem *libro Sententiarum* Pauli post titulum *de iudicato.* ab hac sententia *In petitione hereditatis,* &c. dari titulus debuit, *De petitione hereditatis*, vel vt in consultatione est, *Si hereditas vel quid aliud petatur:* cui tres sententias eadem consultatio adscribit, quarum vnam sequenti capite exponam, sequuntur aliæ. *Qui petit hereditatem, probare debet eam ad se magis quam ad eum qui possidet sive ex testamento sive ab intestato pertinere.* In petitone hereditatis actori incumbit onus probandi, *l. si scriptum, C. de probat, l. quidam, D. eod. Eas res quas quis iuris sui esse putat petere potest, ita tamen, vt ipsi incumbat necessitas probandi eas ad se pertinere.* Vt in vindicatione hereditatis, sic & in vindicatione singularum rerum petitori non possessori incumbit onus probandi, *l. is qui D. de rei vind. l. 2. C. de probat.* & hæc est regula vetus, *l. 1. C. Th. de fide instrumenti.* Ex *lib. 2. tit. Ex empto & vendito*, est hæc sententia. *Heredibus debitoris aduersus creditorem, qui pignora vel fiducias distraxit nulla actio datur nisi à testatore inchoata ad eos transmissa sit.* Hæc sententia de creditore accipienda est, qui pignus fiduciamve non iure vendidit. quo nomine debitori ita demum tenetur, si debitor ratam venditionem fecerit. quod vtique videtur facere si pretij nomine cum creditore experiatur. antequam ratum habeat, actio non est. ergo nec trans-

miſſio in heredem. itaque prudenter in ſecunda parte, *l. 2. C. ſi vind. pig. ag. non repetit, vel tu*, quod poſuerat in prima parte. Ex *lib. 3. tit. De legatis*, hæc eſt ſententia. *Poſt diem legati cedentem actio, quæ inchoata non eſt ad heredem non tranſmittitur.* De legato vindicationis contra idem ſcripſit eodem titulo. An igitur huic ſententiæ locus eſt in legato damnationis, ſi id nondum legatarius agnouerit? Obtinuit certe in legato optionis, quamuis per vindicationem relinquatur, ſi nondum elegiſſet. Habemus & ex aliis quibuſdam antiquitatis reliquiis alias ſententias Pauli, quas alio loco explicabimus.

CAP. XXVII.

De plus petitionibus.

CAuſa cadere eum, qui plus petit, Paulus docuit in Sententiis ſæpiſſimè. *Lib. 1. tit. de plus petendo.* Cauſa, inquit, cadimus aut loco, aut ſumma, aut tempore, aut qualitate. & *lib. 2. tit. de pignorib.* Plus petendo cauſa cadis. & *lib. 3. tit. ad legem Facidiam*, in periculum plus petendi vocat, vt Plautus *in Querulo*, Si paraſitus amplius quam præfinitum eſt poſtularit, plus petiti periculo ſtranguletur. & idē Paulus *l. 1. tit. Si hereditas, vel quid aliud petatur.* Hereditas, inquit, pro ea parte peti debet pro qua ad nos pertinet. alioquin plus petendi periculum incurrimus, & cauſam perdimus. & hæc eſt ſententia ſuperiori capite ex antiqua conſultatione promiſſa. Eadem conſultatio eadem de re has habebat Imperatorum Diocletiani & Maximiani conſtitutiones ex *Codicis Hermogeniani tit. de calumniatoribus, & plus petendo. IMPP. Diocletianus & Maximianus AA. Aurelio Dextro. Si tutor vel curator plus petierit, cauſa cadit. quod cum factum eſſe dicas, fruſtra à nobis remedium quæris, quia te ratio iuris impugnat. PP. IV. Id. Dec. Nicomediæ. Conſtantio & Maximo Coſſ. II DE MAA. ET CC. Claudio Minandro. Quotieſcunque ordinatis actionibus aliquid petitur, ideo petitor cogitur ſpecialiter genus litis edere, ne plus ab eo quod competit poſtuletur. Vnde iſtius lege reſcripti excipe aduerſarium apud iudicem competentem, quem ſi index plus petiiſſe perſpexerit, extinctis aduerſarij tui petitionibus pro partibus tuis ſententiam dicet. PP. Mediolano XII. Kal. Apr. Tuſco & Aquilino Coſſ.* Eadem vero pœna plus petitionis à Iuſtiniano reducta eſt, Nou. xv. hoc vno caſu, ſi quis apud defenſores plebis plus petierit litis ad præſidem transferendæ cauſa. quod & ad Duumuiros, & ad ceteros qui vſque ad certam ſummam iudicant trahi poteſt.

CAP. XXVIII.

Præmium delationis ex lege Iulia de ambitu.

LEge *Iulia de ambitu* damnatus ſi alium eiuſdem criminis reum conuicerit, in integrum reſtituitur, *l. 1, D. ad leg. Iul. de amb.* quod ex iam ante latis legibus de ambitu traſlatitium eſt. idem namque fuit delatoris præmium ex lege Calpurnia, vt alij diligentes doctique viri notarunt ex Oratione Ciceronis *pro Cluentio*, vbi refert quoſdam ex damnatione ambitus in integrum reſtitutos fuiſſe, quod in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent. & hæc eſſe præmia *legis Calpurniæ de ambitu.* Eadem fuerunt & *legis Pompeiæ.* Appianus 2. ἐμφυλίων, Μέμμιος ὁ ἁλὲς ἐπὶ δεκασμῷ τὸ νόμε τὸ Πομπήϊε διδόντος αὐτῷ φήναντι ἕτερον ἀφεῖσθαι τ κατεδίκης &c. Sed hoc ita, vt Dio refert *lib xl.* Si in pari minorive delicto duos conuiciſſent, vel vnum in maiori. quæ diſtinctio forſitan fuit etiam in lege Iulia eodē A exemplo transfugæ alios trāsfugas indicanti parcitur, aut reſtitutio in integrum datur ex reſcripto Adriani, *l. non omnes §. vlt. D. de re milit.* Eodem non vtemur in aliis cauſis, ſine lege, aut conſtitutione.

CAP. XXIX.

Vulgaris clauſula, Vnde de plano rectè legi poſſit.

VLpianus in *l. xl. D. de inſt. act.* proſcribere palam ſic accipit, claris literis, vnde de plano rectè legi poſſit. quæ vulgaria eſſe legum verba Valerius Probus docet. eſt & in regis noſtri opulenta & incomparabili bibliotheca antiquæ legis in æs inciſæ fragmentum vetus, ex quo hæc verba retineo memoria, *apud forum palam vnde de plano recte legi poſſitur proſcriptam habuerint.* Et apud Ioſephum *lib.* 19. in Conſtitutione quadam Claudij Cæſaris, ὅθεν ἐξ ὑπαίθρε καλῶς ἀναγνωσθῆναι δύναται. Ἐξ ὑπαίθρε. id eſt, de plano, quod & χαμόθεν in *l. 13. D. de excuſ.* Definiuntur & dies xxx. ea conſtitutione quibus proſcripta maneat. vnde de plano recte legi poſſit. Hæc eſt proponendarum legum condicio vulgaris, quamobrem culpatur merito Caius Cæſar, qui de vectigalibus quibuſdam, vt Suetonius ſcribit, legem propoſuit minutiſſimis litteris, & anguſtiſſimo loco, vti ne cui deſcribere liceret.

CAP. XXX.

De Collegiis.

COllegia ſunt cœtus, & coitiones ſodalium, quæ in *l. j. D. de colleg.* dicuntur collegia ſodalicia, & ſimili forma à Dione *xxxviij.* collegia ἑταιρικὰ, id eſt ſodalicia, in βασιλικῶν libris ἑταιρικὰ συνήματα. Ex iis certa tantum quædam licita, & legitima ſunt, alia illicita. Et religionis quidem cauſa tam exteræ, quam patriæ plerunque collegia Senatus & principes Populi Romani permiſerunt, *l. j. D. eod.* Patriæ religionis fuit collegium Dendrophororum, & collegium Centonariorum, de quibus eſt *tit. in Codice Theodoſiano*, & ne quis an ad religionem paganam ea pertinuerint ampli⁹ dubitet, hæc verba ſufficient ex conſtitutione Honorij, & Theodoſij ad populum Carthaginenſem de paganis ſacrificiis abolendis, quæ eſt *l. 20. C. Th. de pag. ſac. & tem. Omnia loca quæ Frediani, quæ Dendrophori, quæ ſingula quoque nomina, & profeßiones gentiliciæ tenuerunt ephodiis vel ſumptibus deputata fas eſt hoc errore ſubmoto compendia noſtra domus ſubleuare. Chiliarchas inſuper & centonarios, vel qui ſibi plebis diſtributionem vſurpare dicuntur cenſuimus remouendos.* Chiliarchis iunguntur Centonarij. An igitur *centonarij* pro *centenarij*, vt *l. 162. C. Th. de decur* & Hecatontarchæ *ſynodi ſextæ in Trullo cap. 61.* Exteræ religionis fuit Iudeorum collegium, quod inter legitima habuiſſe Cæſarem ex actis publicis Ioſephus ἀρχαιολογίας xiiij. his verbis refert. ὃ γὰρ Γάιος κῶσαι ἐν τῷ διατάγματι κωλύων διάσες συνάγεσθαι κατὰ πόλιν, μόνες ἰεδαίες οὐκ ἐκώλυσεν ὅτε χρήματα συμφορὰν ὅτε συνδεῖπνα ποιεῖν. Ait non prohiberi Iudæos ſtipem conferre, aut agitare conuiuia. hæ collegiorum condiciones ſunt. itaque, *l. j. D. eod.* tenuioribus quorum collegia illicita non ſunt ſtipis collatio conceditur, & nominatim à Traiano apud Plin, *lib. x. Epiſt.* de petitione Amiſenorū. & auctore Dione à Claudio dū collegia diſſoluūtur, nominatim de comeſſationib⁹ exprimitur ne fiant, & ea re ne ſint popinæ, ne caro elixa aſſaue, ne calida publicè væneat. cui conſequenter Nero quoq; & Veſpaſianus ne quid væneat in popinis

præter olera & legumina. & in eundem finem aliud quiddam Ampelius præf. vrbi apud Marcellinum *li.* 28. quod edicto Franciſci regis de tollendis artificum collegiis etiam addi iuſta interpretatione poteſt. & vero id fuit ſemper collegiorum maximum vitium. Philo in Flaccum de Alexandrinorum collegiis. θίασοι κ᾽ τ᾽ πόλιν εἰσὶ πολυάνθρωποι ὧν κατάρχει τ᾽ κοινωνίας ἐδὲν ὑγιὲς ἀλλ᾽ ἄκρατος κ᾽ μέθη κ᾽ παρανία. & initio libri. τὰς τ᾽ ἑταιρείας κ᾽ συνόδους αἰ ἀεὶ ἐπὶ πρᾳφάσει θυσιῶν εἰσιῶντο τοῖς πρώγμασι ἐμπαρανίνᾶσι, διέλυε. Ex quo apparet non tam factionum metum quam commeſſationũ & compotationum intemperãtiam, quæ parit deterrima, inutiliſſima, nefandiſſima quæq;, cauſam fuiſſe primam non admittendorum collegiorũ omniũ qua de re & vetus fuit lex 12. tab & innumeræ conſtitutiones, innumera S.C. Inde in antiquis inſcriptionib⁹ taxatio hæc, *Collegio dẽndrophorum quibus ex S. C. coire licet. menſoribus mach. quibus ex S.C. coire licet.* Sed, vt ad Iudæor. collegia redeamus, ſimulque cauſam inhibendorum collegiorum confirmemus, mouet me ratio quam Aug. apud Philonem in ſuis exprimit edictis, collegia, & coitiones Iudæorum (ſynedria quædam lex Codicis vocat, qua voce & Iudæorum doctores in ſuis libris vtuntur) ea ſe ideo permittere, quod non ſint crapulæ primum & vinolentiæ, deinde quod non ſeditionum nutriculæ, ſed ſcholæ temperantiæ, & iuſtitiæ ſummo ardore animi hominum omne virtutis genus amplectentium. itaque hodie non modo diſſoluta eorum collegia, ſed eiectos etiam eos & capite deminutos ſane non probo, quos vetus Chriſtianorum eccleſia non reiecit, quos Deus Opt. Max. præ ceteris diebus extremis ad gloriam elaturus eſt. nec enim donationes ſuas reuocat Probari Iudæorum collegia antiquis conſtitutionibus oſtendit. *l.* 15. §. ἤδη ὃ κ᾽ ἰουδαῖοι, *D. de excuſat. l. 3. §. vlt. D. de decur. l. circumcidere, D. ad leg. Corn. de ſicar.* Et quamuis *l. 1. C. de Iudæis*, inutiliter eis legari probet, non ideo pro illicitis habenda ſunt. alioquin pugnaret ea lex cum ſequentibus: & par eſſet cauſa collegiorum Chriſtianorum, quibus relicta legata quandoque principes Chriſtiani inutilia eſſe cenſuerunt. Hieronymus *de vita clericorum. Non de lege*, inquit, *conqueror, ſed doleo quod meruimus hanc legem. Pronida, ſeueraque legis ſanctio, & tamen ne ſic quidem refrenatur auaritia. Per fideicommiſſa legibus illudimus.* quod valde pertinet ad *l. 27. C. Th. de epiſc. & cler.* Sed de his ſatis. lex modo Solonis de ſodaliciis, vti eſt relata in libris βασιλικῶν hanc tractationem cludat. Ἐὰν ὁ δῆμος ἢ φράτορες, ἢ ἱερεῶν ὀργίων μύσται, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται, ἢ ὅπλειαν ἐρχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν ὅπ ἂν τούτων διάθωνται πρὸς ἀλλήλους κύριον εἶ, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύη δημόσια πρᾴγματα. quæ longe aliter referuntur etiam in *Pand. Flor. l. vlt. D. de coll. & corp.*

Cap. XXXI.

Noui errores quidam.

INdignor quoties *l.* 3. §. *vlt. D. de pecul.* verba hæc, *Quoniam Remp. ſaluam fore pater obſtrictus eſt*, virum doctiſſimum ſic interpretari lego, Pater decurio qui ſalutem Reipu. ſuæ conſeruaturum ſe iurauerat, ordinem augere debuit eum, ex quo magiſtratus creari poſſent, ſine quibus Reſpu. ſalua eſſe nullo modo poteſt, vt ei imputari non poſſit quod eius voluntate factus decurio filius eſt. ſpecioſa hæc dictu ſunt, non vera. Accurſius veriſſime. *Quoniam*, inquit, *Remp. ſaluam fore pater obſtrinctus eſt non rem pupilli*: idque loci ab Accurſio notati comprobant manifeſto. *Pater*, inquit, *alius decurio.* imo & non decurio. Qui iurauerat. Iuriſiurandi nouum genus. Ordinem augere debuit. Qui nominat, auget ordinem, non is, qui nominato quaſi fideiuſſor accedit. Indignor quoties lego, Abſentibus Reipu. cauſa non dari actionẽ reſciſſoriam, quod refellitur primis edicti verbis *& l. ab hoſtibus, C. de poſt. reuer. l. nullo, C. de rei vind. l. non quocunq;*, §. 1. *D. de leg.* 1. ideo non dari abſentibus quod procuratorem habere potuerint, quam rationẽ refutat *l. ab hoſtib. D. ex quib. cau. maior.* Aduerſus abſentes præſentibus opus non eſſe reſtitutione in integrum. differentiã eſſe inter actionem reſciſſoriam & reſtitutionem in integrum. quod non inſectabor. εὔηθες γὸ τὰς ἐυήθως τῶν λόγων λίαν ἐξετάζειν. Non eſt igitur alia ſententia *l. necnon*, §. *exemplo, D. ex quib. cau. ma.* .i quam hæc, Non tantum ſubueniri abſentibus, præſentibuſve data actione reſciſſoria, ſed & ſi forte amiſſæ rei poſſeſſionem nacti ſint, data exceptione: At ſi non abſente me rem meam vſucepiſti, vel, At ſi non cum abſens non defendebaris rem meã vſucepiſti. nam cui damus actionem, eodem exemplo dabimus & exceptionem. Id etiam indignationem mouet quod ſcribit ad *l. 13. & 67. D. ad leg. Falcid.* Legata incapacibus relicta ad fiſcum pertinere: quæ certi & explorati iuris eſt, quod ſint pro non ſcriptis, apud heredem remanere & *l. 1. D. de iure fiſ.* quam adfert, de tacito fideicommiſſo loquitur, non de legatis, non de fideicommiſſis palam, vel citra fraudem relictis. Vnde conſequens eſt, falſum etiam eſſe quod ſubiecit in eis fiſcum Falcidiam pati, perperam in eam rem allata *l. 3. C. ad leg. Falcid.* quæ hoc tantum dicit, legatis & fideicommiſſis teſtamento relictis & præterea tacito fideicommiſſo exhauſta hereditate, heredem ex iis quæ teſtamento relicta ſunt, Falcidiam retinere, ex tacito nihil retinere, quod quidem ſolidum fiſco vindicatur.

Cap. XXXII.

Nullos eſſe in Pandectis titulos generales.

VVlgo exiſtimant omnes titulum Pandectarum *De iudiciis* ad vniuerſum corpus ſecundæ partis pertinere: idemque ſentiunt de partis tertiæ titulo primo, quod ſinguli eius libri dicantur de rebus, ſicut & ſecundæ ſinguli de iudiciis. ab hac ſententia longiſſimè abſum. Primum enim quæro, ſi tertia & ſecunda pars habent titulum generalem, cur non & reliquæ: quæ nullum generalem habent ſane. nam temere quidam ad partem quintam adſcribunt titulum De teſtamentis quaſi generalem. repugnant Pandectæ Florentinæ, repugnat conſtitutio Iuſtiniani quæ à tertia reliquarum partium ſingulos libros ſingulares facit. Tum vero non poteſt titulus De iudiciis generaliter ad omnes libros ſecundæ partis pertinere. Quid enim iudicia vocamus? Diſceptationes illas ſcilicet, quæ fiunt apud iudices, & adſeſſores adhibitis litigatoribus & aduocatis vel procuratoribus eorum à litis conteſtatione vſque ad ſententiam. Theophilus *tit. Inſtitutionum De officio iudicis*, appellat De Iudiciis in §. *quædam, de act.* Porro de iudicis in eo tantum titulo tractatur, qui partis ſecundæ primus eſt. Specialis ergo eſt, non generalis. Idem dico de titulo tertiæ partis primo. nihil enim pertinet ad *tit. De iureiurando*, nihil ad *tit. De in litem iurando*, nihil ad condictiones, veluti indebiti, ob rem dati, ſine cauſa, quæ ſunt ex bono, & æquo, non ex contractu. Aut ſi adeo generalis eſt ille titulus, cur ei etiam non ſubiectus eſt liber de pignoribus, de ædilitio edicto & euictionibus, de vſuris? Dico igitur fuiſſe in edicto perpetuo ſpecialem titulum, De rebus creditis, ſi certum petetur, & de condictione. ſub quo prætor de actione Si certum petetur, quæ ex variis contractibus datur, & de commodato etiam ac pignore nonnihil edixit, vt eſt ſcriptum in *l. 1. &* de ſpeciali condictione creditæ pecuniæ, quæ ex mutuo naſcitur. Verum enim hic maxime intereſt ſcire, quam ob cauſam tamen ſecundæ par-

tis libri omnes dicantur de iudiciis, tertiæ omnes de rebus? Id Iuſtiniani conſtitutio indicabit, ex qua auditores iuris primo anno diſcunt Inſtitutiones & Pandectarum primam partem, ſecundo ſecundam vel tertiam continuata ſerie, nullo, vt ipſe ait, penitus derelicto, tertio tertiam, vel ſi anno ſecundo acceperint tertiam, ſecundam, eamque ſimiliter vno contextu ab initio ad finem, quæ tradendi ratio facit, vt prima pars habeat vnam appellationem πρώτων, ſecunda à primo titulo, vnam De iudiciis, ac ſimiliter à primo titulo, tertia de rebus. Reliquarum partium libri, quia auditoribus ſigillatim & abrupte traduntur, ideo ſingulares nuncupantur. nam ſi, exempli gratia, quarta pars Digeſtorum æque ac tres primæ traderetur integra vno tenore, eius ſinguli libri nuncupationem pariter accepiſſent à titulo de pignoribus non quaſi generali, ſed quaſi eius partis primo, & non ex tractationis, ſed ex recitationis ſiue auditionis ordine continuo. Solet tamen à Græcis interpretibus ea pars ἐνπαπαπαν῀ appellari, quod tradatur iuris diſcipulis vice librorum Papiniani, ex Iuſtiniani conſtitutione. Vir quidam clariſſimus dicere ſolebat ſe putare in edicti perpetui digeſtis ante Iuſtinianum non *de iudiciis*, ſed *de vindiciis* ſcriptum fuiſſe generali titulo, quandoquidem proponuntur in ea parte vindiciæ, ſiue vindicationes de vniuerſitate & vindicationes ſingularum rerum tam corporalium, quam incorporalium, quam coniecturam probaui nunquam. idem namque eſt ordo in Codice Theodoſij, idem in ſententiis Pauli, præcedit titulus *De iudiciis*, ſequuntur vindicationes.

Cap. XXXIII.

De varia Aſſis, æriſque ſignificatione.

CVm de menſura agitur, non vtimur aſſis appellatione, ſed cum agitur de diuiſione ſolidi hereditatis puta vel fundi, aſſem pro ſolido accipimus, quod ſcilicet ſoli capimus vt Palæmon ait. Cum de pondere æque as ſolidum, id eſt libram ſiue pondo ſignificat. Cum de numerata in ære pecunia, as eſt minimus æris nummus, eodemque modo variatur dupondij ſignificatio. & in numerata pecunia dupondius duos aſſes valet. quo ſenſu Pli. Var. Chariſ. ſcribunt ſeſtertium æſtimari dupondio & ſemiſſe, id eſt duobus aſſibus & ſemiſſe. perite vetus ac diuinus interpres Euangelij duos aſſarios dupondium interpretatur. Aſſarius enim & as idem eſt, vt Chariſ. ſcribit. Clemens Alexandrinus in v. ζυγὰ ἢ ἀσσαρεια, quod Suetonius aſſem & libram, alii æs & libram. nam & æs, & raudus pro aſſe dixerunt antiqui, vt in mancipationum formulis. *Hoc ab ære, aneaque libra, rauduſculo libram ferito.* adiicit & Var. aliud exemplum, Mille æris legaſſe, quod puto eſſe ex lege Furia teſtamentaria, quæ plus quam mille aſſium legatum prohibebat capere, in capientem conſtituta pœna quadrupli, quæ non tollitur lege Falcidia, his verbis, *Sine fraude*, quia iam fuerat lege Voconia ſublata. & vero etiam ſi nunquam fuiſſet lex Furia, extremo legis vulgaria verba, *Sine fraude*, Falcidius adſcripſiſſet, quibus ſignificaretur ſine deminutione vlla dodrantem integrum capi. verum ad rem. Treſſis nummus eſt, qui tribus aſſibus æſtimatur. Minora hæc ſunt æris vocabula. inde illud, *Rumores ſenum ſeueriorum vnius æſtimemus aſſis*, & treſſis agaſo, & vetus Dupondiorum appellatio impoſita nouis auditoribus iuris. Cœpit tamen poſtea aureus quaſi res ſolida as appellari. inde treſſis verbo tres aurei ſignificantur, No. 58. corrupte Iulianus habet tremiſſem pro treſſem. Treſſis ſunt tres aurei. Tremiſſis, tertia pars vnius aurei. Similiter aureos etiam æs dicimus *l. etiam, D. de verbo. ſign.* quæ cum ſit ex Vlpiani *lib. 1. ad Sabinum*, quo tractauit de teſtamentis, vel ad mancipationis familiæ formulam referenda eſt, quæ fiebat per æs & libram, vel ad prodigos quibus conceptis verbis ære, commercioque interdicitur. qua de cauſa teſtamenti factionem non habent. Et *l. cedere, D. eod. tit. æs alienum*, id eſt nummi quos debemus, æs ſuum, nummi ſui, id eſt, qui debentur nobis. Recte etiam æs alienum meum, id eſt, quod ego debeo. & ſic apud Senecam rogante Senſu, *Morieris*, reſpondet Ratio, vt habent optimi libri, *Æs alienum meum noui. hoc equidem cum meo creditore contraxi, cui decoquere non poſſum.*

Cap. XXXIV.

Explicatur l. collegarum, & l. abſentem, D. de verb. ſignif.

VT in tractatu de procuratoribus, hoc poſito, dari procuratorem etiam abſentem poſſe, Iuriſconſulti porro explicarunt, quis diceretur abſens, ita in tractatu de tutoribus dandis quem Vlpianus attigit *lib. 8. Protribunalium*, cum ſcripſiſſet, & abſenti & abſentem tutorem dari poſſe, *l. 6. coniuncta l. 5. D. de tut. & cur. dat.* deinde expoſuit id quod proponitur in *l. abſentem, D. de verbo. ſign.* abſentem dici eum, qui non eſt in eo loco, in quo petitur, tutor ſcilicet, etiamſi non abſit peregre, vt ſi ſit extra continentia vrbis, nam qui eſt in vrbe vel in continentibus, nec latitat, præſens habetur. Furioſus quamuis in pleriſque aliis cauſis habeatur pro abſente, in hac tamen pro abſente non habetur, vt dari tutor poſſit. Is etiam qui captus eſt ab hoſtibus, cum non ſit ciuium numero, & captiuitate tutoris ſoleat tutela finiri, non habetur abſentis loco. Cum ergo abſentem dicimus tutorem dari poſſe, furioſum vel hoſtium potitum in hanc appellationem non includimus. Recte tamen dabitur tutor is, qui à latronibus detinetur, quia ciuis manet. Idem Vlpianus ſcripſit in *l. collegarum, D. eod.* quam inſcriptionem periti ſciunt etiam ad tutelas pertinere, in quo tractatu cum tradi id quoque ſoleat collegam à magiſtratu tutorem dari poſſe, vt expoſui ſupra *cap. 17.* eodem tradito *lib. 38. ad Sabinum*, ſubiecit Vlpianus collegarum definitionem. Itaque exiſtimo vtramque legem ad tutelas pertinere. Abſentis, & latitantis tutoris eſt pœna quædam *l. impuberibus, §. vlt. D. de ſuſp. tut.* Alias vero abſens dicitur qui à tribunali abeſt, licet vrbem non exceſſerit, vt in edicto de damno infecto & S.C. Daſumiano. Alias qui à campo & comitiis abeſt, quo ſenſu abſentem ab aliis auctoribus creatum Conſulem, vel prætorem dicitur ſæpe.

Cap. XXXV.

Confirmantur ex libris βασιλικῶν emendationes quædam.

MVltis abhinc annis Fr. Zoannetus ex ingenio ita correxit *l. 5. D. ſi menſ. fal. mod. dix.* vt pro *liberetur* reponeret *laederetur.* quod inſpectis libris βασιλικῶν hominem doctiſſimum bene excogitaſſe cognoui. eodem namque modo prorſus eſt in contextu βασιλικῶν. verba ipſa proponam. Ἐὰν μὴ ὁ μετρητὴς ἐκφωνήσῃ, ἀλλ' ὑπερθέμενος βλάψῃ τὸν πεπράκοτα, ἴσως γὰρ ὁ πεπράκως ὡμολόγησε τὸ μέτρον ἐμπροθέσμως παραδιδόναι, τῇ πρὸ δόλου ἀγωγῇ κατέχεται. Sic etiam legit interpres vnus, qui ob dilatam renuntiationem fingit venditorem in pœnam incidiſſe. Nec ſane ſi legas, *liberetur*, conuenit ſpecies ab omnibus recepta, quia promiſiſſe vēditorem adſignationem modi lex ait, ſpecies ponit, promiſiſſe emptorem. Scio auctorem τὸ πλάτος legiſſe, *liberetur.* Sed antiquior eſt auctoritas βασιλικῶν, vel eo maxime quod ei & ratio accedat & vnius interpretis approba-

tio. Altera emendatio vel restitutio est Petri Fabri meo iudicio in iurisprudentia prope singularis, qui in *l. pœnales*, §. *honorariæ*, *D. ad leg. Falcid.* legit, *cum bonis actoris defuncto eo augmentum, tum rei decessionem, si* &c. quam comprobat textus βασιλικῶν: Καὶ αἱ προῖκαι ὃ προικῶσαι ἢ τιὼ τὸ ἐναγοντος ὑσίαν ἄυξουσι ἢ ἢ τὸ ἐναγομένυ μειοῦσι, ἐὰν εἰς κληρονόμυς διαβαίνωσιν. Addam de meo & in eodem tit. *l. si pupillus*, §. *vlt.* sic esse legendum. *Eodem exemplo Falcidianam quartam*, &c. quod nisi satis per se indicium claret, alio loco comprobabo.

Cap. XXXVI.

Ad l. xix. D. de diu. reg. iu. ant. species ponitur certa.

QVi cũ alio contrahit, vel est vel debet esse non ignarus condicionis eius. heredi autem hoc imputari non potest, cùm non sponte cum legatariis contrahit. Hæc Sabini sententia est de reo debendi, non de reo credendi. nam cum heres qui cùm eo qui cum alio contrahit confertur, reus sit debendi, & hunc qui cum alio contrahit, ex contractu reum esse debendi dicendum est. Reus ergo debendi ex contractu, vt qui stipulanti promisit, scire potest, vel ignorare non debet condicionem stipulatoris. Proinde si filiofamil. promiserit, patri eius soluere debet, non filio sine patris voluntate, quia patris propria actio est. idémque dici de seruo potest. Sed si filiofam. soluerit, cùm ignoraret eum esse filiumf. an liberatur? Minime. quia certus esse debuit de condicione stipulatoris antequam contraheret. itaque patri integrà est actio, pecunia deperdita. Fateor nonnunquam ex parte creditoris iustam esse huius rei ignorantiam, *l. j. in prin. D. de exer. act. l. 3 D. ad Maced.* ergo & ex parte debitoris. Sed culpatur frequentius & reprehenditur. Similiter vero si ab herede filiof. legatum sit, heres soluere patri debet, non filio, nisi nominatim filio solui iusserit testator, quo casu heredi constat non imputari, cur potius filio soluerit, *l. si vsusf.* §. *si ita quis*, *D. quando dies leg. ced.* Sed si cum id nominatim non cauisset testator ignorans legatarium esse filiumfam ei soluerit, heredem liberari placet, quia heredi hæc ignorantia imputari non potest, cum non sponte cum legatariis contrahit, id est, quia non ipse legatarios facit, sed in eos incidit per aditionem hereditatis, sicut simili forma dicitur cum defensore rei non sponte contrahi, *l. defensor*, *D. de tut. & rat. distr.* Cum tutore pupillum non contrahere, *l. vlt. D. rem pup. sal. fore*, & ita huic sententiæ Sabini coaptandi est *d. l. si vsusfr.* §. *si ita quis*, quo nihil neque certius neque euidentius est. ait Sabinus, *Condicionis*. Condicio pro statu accipitur, puta paterfam. sit, an filiusfam. seruus,, an liber. Ætatem, valetudinem, facultates, mores non significat. Itaque Bulgarus recte. Heres, inquit, soluens legatum seruo, liberatur. At idem non recte, Heres soluens legatum pupillo, furioso, prodigo, liberatur. nam præterquam quod verba Sabini protendi eo non possunt, harum personarum fauor, tutelaque publica, potior est ignorantia heredis: cum & quo casu cessat condictio indebiti, hæc sola personarum ratio locum condictioni faciat, *l interdum*, *D. de cond. ind.* Plus est fauendum his personis, quam heredis ignorantiæ, nam & maior est ratio, quæ pro his personis, quam quæ pro herede facit. Bulgari verba quæ retulit Accursius, sunt ex Commentario ad *Tit. De diu reg. iu. ant.* non ita dudum formis cuso & recuso Lutetiæ à Carolo Stephano, sane & laudabili propter scribendi puritatem, si menda tollas, quæ sunt non pauca, & commendabili, mea sententia, eo præcipue, quod is solus superfit ex Bulgari lucubrationibus. nam Placentini esse qui suspicantur, errant. Placentinus nõ ad eum titulum commentarium scripsit, sed notas ad Bulgarum, quas additiones vocat & exceptiones regularum, omissas scilicet à Bulgaro. & hæ quidem Placentini notæ nondum editæ sunt. Nos vtrumque habemus, beneficio Io. Breuedentij Rothomagensis viri nulli patriæ suæ ingenio, aut probitate secundi, Bulgarum scilicet adiunctis Placentini notis. Habemus & Ioannem longe peritiorem elegantioremque Bulgaro in eundem titulum, omnes collaturi in commune, si quis poscat. nam etiamsi maxime omnium publicæ vtilitatis & restituendæ veteris prudentiæ studiosi simus, otium nobis non est ambiendi typographos.

Cap. XXXVII.

Tentatur condictionem furtiuam in heredem in solidum non dari,

VIdeamus, an verum sit, condictionem furtiuam in heredem in solidum dari. Omnibus placet dari, secundum *l. 9. D. de condict. furt.* quæ si deesset, omnibus placeret non dari. Nam & in patrem in solidum peculium non datur *l. 3. §. pen. D. de peculio*, cuius eadem per omnia est in cæteris, quæ heredis causa. Heres non tenetur ex pœnali causa. Pater non tenetur ex pœnali causa. Heres tenetur post condemnationem vel post litis contestationem defuncto testatore. Pater tenetur post condemnationem mortuo, aut viuo filio, vel post litis contestationem mortuo filio. Heres mera pœnali non tenetur etiamsi quid ad eum peruenerit. Idem est in patre. Heres actione, quæ ex delicto videatur esse, licet rei tantum persecutionem contineat, non tenetur, nisi in id quod peruenit, veluti condictione rerum amotarum, *l. vlt. C. rer. amot.* Cur & idem non statuemus in condictione furtiua, cum & hanc constet in patrem non dari nisi in id, quod peruenit, cum & ad eundem modum dicatur in heredem dari vtraque? *l. contra*, §. *si post*, *D. rer. amot.* cum & aperte dicatur *l. 9. §. vlt. adhibita l. 10. D. de tut. & rat. distr.* condictionem furtiuam morte furis interire. Cur dabimus potius condictionem furtiuam in solidum, quam condictionem rerum amotarum, de dolo malo, quod iudicij mutandi causa, quæ eiusdem condicionis sunt, id est, ex delicto, & ad rem persequendam. Putem & in actionibus mistis eandem esse causam heredis, & patris, excepta actione Bonis raptis. Sed quid est igitur quod ait *d. l. 9. in condictione ex causa furtiua non pro parte qua peruenit, sed in solidum tenemur, dum soli heredes sumus*, &c. Hic sane ad tempus subsistere libet.

Cap. XXXVIII.

Ad l. naturaliter § nihil commune, D de adquir poss.

NIhil commune habet proprietas cum possessione. Stulta, inquit Seneca, mortalium auaritia proprietatem, possessionemque discernit. Sane permisceri hæc non debent, *l. pen. in prin. D. de adq. poss. l. 1. §. huius*, *D. vti poss.* Agi tamen simul de recuperanda, vel apiscenda possessione & de proprietate potest, ac si priꝰ actum sit vindicatione, ea pendente. nec intermissa, proponi interdictum vnde vi, *l. cum fundum* §. *vlt. D. de vi.* & si actum sit interdicto vnde vi, etiam de proprietate probationes adferre actorem inutile non est, vt Quintilianus exposuit *lib. 7. cap. 6.* Existimo & de retinenda possessione per interdictum vti possidetis simul agi posse, & vindicatione, si modo non constet actorem possidere. Ei enim quem possidere constat vindicatio non datur, sed ad interdictum venit, vt Festus ait, quo possessionem suam vocat. qua de causa & interdicturus vtrubi recte ad exhibendum agit, vt Obseruationum quinto docui. sub incerto igitur, id est, si non

conuenit ex duobus vter poſſideat, ſimul agi poteſt, vti poſſidetis, vel vtrubi, & in rem ſpeciali actione. iudex vero eas diuidet. aut ſi malit, ſimul de vtraque cognoſcet. quod conſtitutionibus licere Symmachus in epiſtolis docet, ſicut & criminalem, ciuilemque cauſam ei coniungere licet *l. pen. C. de ord. iud.* Ergo & ſi egero vindicatione ac ſi non poſſiderem, cur non meo iure melius cognito licebit mihi tantiſper dilato illo iudicio, mutata formula vti poſſidetis experiri? quæ eſt ſententia *l. naturaliter* §. *nihil commune*, *D. de adq. poſſeſſ.*

CAP. XXXIX.

Ad l. in naue, D. locati. Siue de actione oneris auerſi.

ACtione oneris auerſi tenetur nauta, qui onus quod vehendum conduxit auertit, de qua Alphenus tractat in *l. in naue, D. loca.* in hanc ſpeciem. Plures in nauem Saufeij frumentum contulerunt, & confuderunt. Commune eſt frumentum, aut communiter datum. Nauta vni ex eis frumentum reddidit de communi. deinde nauis cum onere reliquo periit. Naufragij periculum pertinet ad locatores, ſi ſine dolo, & culpa nautæ naufragium contigerit, & repetere duntaxat poſſunt vecturas, ſi quas dederint in anteceſſum. Sed in ſpecie propoſita, an vel actione oneris auerſi aliis locatoribus tenebitur nauta, quaſi videatur onus naui impoſitum auertiſſe ex eo partem vni ex locatoribus reddendo: quo factum eſt, vt hic ſaluam ſuam partem habeat, alij non habeant naue amiſſa. Huic quæſtioni priuſquam reſpondeat Alphenus, duo oſtendit eſſe genera rerum locatarum: nam vel id agitur, vt eadem res, quæ locatur reddatur, vt cum domus locatur, vel cum fulloni veſtimenta lauanda locantur, quo caſu domus, aut veſtimentorum dominium non mutatur. vel vt non eadem res, ſed eiuſdem generis reddatur, vt cum fabro aurum datur quo faciat anulos, vel cum argentum puſulatum fabro datur, vt vaſa fiant. Alciatus legit, *poſtulatum*. alii *puſtulatum*. vtrumque idem valet quod puſulatum. nam & puſtula, puſula dicitur & poſtula. Tibullus.

Læderet aut teneras poſtula rupta manus.

Feſtus Hettam, alii puſulam dixerunt eſſe. & apud Plinium *lib. 22. cap.* 25. quatuor locis quibus ſcriptum eſt puſtulas vel cruſtulas, veteres libri habent *puſulas* & *lib. 21. cap. 15.* Argentum igitur puſulatum eſt quod Suetonio, & Martiali puſtulatum vel poſtulatum, non Alciati ſenſu, ſed quod ſoleat argentum merum in coquendo in puſulas adſurgere. *Gallice* dicitur, *argent de coupelle*. Cum vero id locatione agitur, vt non eadem res, ſed eiuſdem generis reddatur, veluti argentum pro argento, factum pro infecto, argenti dominium transfertur in fabrum, ſiue conductorem, & in creditum itur, id eſt, mutuum quodam genere contrahitur. Non auſim dicere mutuum abſolute, propterea quod operæ merces intercedit. quamobrem locatio conductio potius eſt, ex qua dominium mutatur. proinde vſuræ veniunt ex mora, quæ in mutuo non veniunt. veniunt & ex pacto. Et ita cum id in depoſito agitur, vt non eadem res, ſed ſimilis reddatur, quaſi genus eſt mutui, ſed quia deponendi animus eſt, depoſitum potius eſſe cenſetur, & ideo ex mora veniunt vſuræ. Veniunt & ex pacto ſine mora, ſicut in emptione & ceteris bonæ fidei iudiciis. In mutuo neque veniunt ex pacto, neque ex mora. Nunc redeamus illuc vnde cœpimus. Si nauta frumenti onus vehendum de pluribus conduxerit, & locatores frumentum non confuderint, ſed ſeparatim ei ſuum quiſque frumentum dederit tabulis aut heronibus aut alia cupa cluſum. Sic Flor. *heronibus*, rectiſſime. alii male, *beronibus*. Donatus in Phormione. *Phormio à phormione ſparteo dicitur, quem nos eronem dicimus.* Vitruuius ad finem v. *Eronibus ex vlua.* vbi vulgo male *meronibus* aut *beronibus* pro *heronibus* ſcilicet, facili lapſu. Sic & legendum Plinii *lib. 30. cap.* 14. in hanc legem Græci interpretantur, *cophinis*. Redeo, vnde abii rurſus. Si ſeparatim ſuum quiſque frumentum dederit, & vni ex locatoribus nauta ſuum frumentum reddat, recte quidem. ſed ſi alienum reddiderit, domino vindicatio contra poſſeſſorem competit & actio Oneris auerſi contra nautam. Onus enim auertere, hoc eſt diſtrahere & permutare. Hoc igitur caſu nauta onus auertit. cuius rei coërcendæ cauſa propoſita eſt ciuili an prætorio iure? actio Oneris auerſi, quam veriſimile eſt eſſe in duplum, vt actionem furti. quia auerſio hæc proxima eſt furto. qua de cauſa & neceſſaria non videtur fuiſſe actio Oneris auerſi, maxime cum nihil eam proprium habuiſſe conſtet, ſicut habet actio in factum De publicanis, quæ & ea ratione quamuis ſuppetat actio furti, ſuperuacua non videtur. Sed fortaſſe ſpecialiter leges Oneris auerſi actionem dederunt non alia de cauſa, quam vt innoteſceret curæ legibus eſſe improbitatis hoc genus hominum coërcitionem, quod ſolum & prætorem ſpectaſſe alia in cauſa Vlpian. ſcribit *l. 3.* §. *1. D. nau. cau. ſtab.* Et quod non idem prorſus eſt auertendo quid diſtrahere, & contrectando ſibi habere. Sed ſi locatores confuderint frumenta, vt in ſpecie initio propoſita, atque ita in creditum ierint communiter, frumenta facta nautæ videntur, & ideo vni dando pro ſua parte, onus auertere non videtur, recte dare videtur, actione Oneris auerſi aut furti non tenetur. Si culpa eius naufragium factum ſit, ex locato tenetur. Ceterum culpa non eſt vigilanti pro ſua parte ſoluere, dormientibus non ſoluere.

CAP. XL.

Emendantur tres loci ex tractatu de actione Pauliana.

IN *l. 1. C. de reuoc. iis quæ in frau. cred. alie. ſunt.* vetuſtiorum librorum ſcripturam ſublata parentheſi ſequendam cenſeo, *Viſitatis actionibus ſicut negotium fuerit geſtum*, id eſt, actionibus in factum, quæ rem geſtam demonſtrant *l. cum mota, C. de tranſ.* In *l. ait prætor*, §. *ſi quid in fraudem*, *D. eod.* omnes libri habent, *Et quaſi in creditum habuerunt nomen eius, vel dulcitudine vſurarum, vel qua alia ratione ſecuti ſunt.* manifeſta menda eſt. ſtatim enim vt indicauero fatebitur quiſque eſſe legendum, *Et quaſi in creditum abierunt, vel nomen eius dulcitudine vſurarum vel qua alia ratione ſecuti ſunt.* In creditum abire *l. 5.* §. *ſed ſi dedi, D. de trib. act.* quod eſt mutuum contrahere, vel quaſi mutuum. Nomen ſequi *l. 1.* §. *illud*, *D. de ſepar. l. tut.* §. *cum haberes*, *D. ad Vell.* In *l. 8. D. de tutel.* legendum, *In fraudem creditorum*, non, *In fraudem debitorum*. Quod ex libris βασιλικῶν didici, in quibus ita eſt. χρὴ τὸ πρόξεν εἰς ἀφειλεφλὼ τῆς δυνειῶν, ἀναγέπται. Senſus hic eſt, vt ceteri tutores, ita patronus tutor liberti fidem exhibere debet. Ceterorum fraus reuocatur, ſi quid fecerint in fraudem creditorum pupilli, *l. ait prætor*, §. *ſi impubes*, *D. quæ in frau. cred.* Sic & patroni tutoris fraus reuocatur, ſi quid fecerint in fraudem creditorum pupilli liberti.

IACOBI CVIACII OBSERVATIONVM

LIBER OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

Synopsis quid sit, acta, cista.

SYNOPSIN Latinis litteris, quamuis Græcum sit vocabulum, animaduerti semper Latinos auctores scribere, credo, quod iam vsu factum esset latinum, vt in *l. 5. §. requirat, D. de reb. eorum qui sub tut.* Synopsin bonorum pupillarium: & in constitutione quadam Valentinian. vt synopsis operis construendi fideli tendatur examine. in *l. 5.* pro breui descriptione bonorum pupillarium, in constitutione Valentiniani pro orthographia, sciographia siue forma futuri operis, vt apud Frontinum de limitibus agrorum, *Nam quod ad synopsin pontium pertinet.* Ab Statio synopsis Herculei templi significatur his verbis. *Conscripta formatur imagine tecta.* Sic alij auctores *actæ* vocabulo quasi latino vtuntur passim. Æmilius Probus in Agesilao. *Cum in acta cum suis adcubuisset sine vllo tecto.* Prudentius contra Symmachum. *Inuenit expositum secreti in littoris acta.* Seruius Honoratus actam, secretum, & amœnum littus interpretatur. corrupte in Ciceronis libro de suppliciis, quod nemo adhuc animaduertit ita scriptum. *Quod vbi isti nuntiatum est, tametsi in actu cum mulierculis iacebat ebrius.* legendum, *tametsi in acta cum mulierculis iacebat ebrius.* quem Verris luxum lib. his verbis exprimit Ipsam illam ad partem littoris, vbi iste per eos dies tabernaculis positis castra luxuriæ collocarat. Eodem modo *cistam*, quod Græci κίστην dicunt nomen, ἀπὸ τῆς ἐγκείσθω, Latini suum fecerunt. Vas esse vestis ponendæ causa Iulius Pollux scribit *lib. 7. & 10.* & Hesychius, quod belliſſime congruit cum *l. 1. §. si cista, D. depos.* quæ deposita cista in actione depositi adiiciendas esse vestis species ait. Idem de *risci* nomine Pollux scribit, sed porrigitur etiam ad alia, *l. argumento, §. mundus, D. de auro & argent. leg.* & in veteri contractu emptionis, *Supellectilem & cum ea basem, cosinum, riscum.* vet. glossæ, Riscus κίβωτὸς μεγάλη. Hieron. *in Ezech. Cludunt foribus, continent armariis, risco, loculis, omnemque supellectilem tribuunt.* Ita vero cistæ nomen porrigitur etiam ad alia.

CAP. II.

Lege Falcidia quartæ retentionem dari, non vindicationem.

LEge Falcidia retentio tantum datur quartæ, non vindicatio *l. 14. §. 1. l. 15. §. 1. l. 30. C. ad leg. Falc. No. 1.* idque ex secundo capite, in quo ait, Capiant, iure nimirum retentionis. Itemque S. C. Pegasiano. nam quod in legatis lex Falcidia, idem in fideicommissis S. C. Pegasianum subsequitur §. *sed quia, Inst. de fid. her. l. heres, D. ad Trebel.* Hodie est vindicatio ex constitutione Iustiniani *l. pen. C. ad leg. Falcid.* Non fuit A igitur ante Iustinianum vindicatio, sed retentio tantum, & ideo legatario occupante vacuam possessionem rei legatæ sine voluntate heredis, heredi datur interdictum Quod legatorum, vt recipiat rem legatam, sibique Falcidiam seruet per retentionem *l. 1. C. quod leg.* ad quam Theodorus, Ὁ Φαλκίδιος νόμος διαγράφειν μόνον δίδωσι τὸ δ.' ἐν ἔτι ᾧ κὴ ἀγωγήν. Vel si per errorem soluerit integrum legatum heres, datur condictio indebiti *d. l. heres, l. 1. §. si legatarius, D. ad leg. Falc.* Constat etiam ex stipulatione Falcidiæ, si interposita fuerit, condictionem esse. Sunt qui vindicationem esse putent ex *l. in quantitate §. vlt. & l. lineam, D. ad leg. Falcid.* quibus respondeamus. Ait *l. in quantitate §. vlt.* per legem Falcidiam ipso iure minui legata. Sed minui eadem lex interpretatur detrahi, quod est retineri, deduci, recidi. & sane ipso iure minui legata, nihil aliud est quam ex lege Falcidia quartæ retentionem esse, *l. seruus, quem, D. de act. emp,* qua heres vtitur suo iure, quasi heres, & dominus, & ideo retineri dicitur Falcidia iure hereditario, *l. 14. D. ad leg. Falc.* & iure testamenti *l. qui duos D. de vulg. subst.* eaque ratione admissa Falcidia seruus legatus, vel quæ alia res communis sit inter heredem & legatarium *l. Plautius, D. ad leg. Falcid.* Sunt qui putent hanc retentionem fieri nulla exceptione opposita. quod minime verum est. & forsitan est verius, licet addubitauerim alias, omnem retentionem fieri ope exceptionis doli, vel in factum. Constat sane ad remouendam Falcidiam apud arbitrum legis Falcidiæ opponi exceptionem doli *l. 12. 22. 23. D. ad leg. Falc.* Sic & ad retinendam Falcidiam generaliter dico apud iudicem legis Falcidiæ opponendam esse exceptionem doli, quod probo *d. l. heres, & l. 15. in prin. & 16. & 80. in fin. D. ad leg. Falc.* Itaque. herede per errorem soluente integrum legatum, puto ex causa indebiti non esse condictionem certi, quoniam obstat regula *l. ex quibus, D. de cond. indeb.* sed esse condictionem incerti, qua repetit heres, quod retinere potuit, vt sit etiam in specie *l. qui exceptionem §. si pars, D. eod.* & his conuenienter nominatim dicitur in *d. l. heres,* heredem qui solidam hereditatem restituit, perperam possessionem repetere. Repetere ergo condictione incerti. nam possessionis, certi condictio esse non potest. & ita recte omnes in *d. l. 1. §. si legatarius,* condictionem indebiti competere interpretantur, incerti scilicet non certi. Sequitur vt *l. lineam,* examinemus, quę lineam margaritorum (ornamentum est, quod mulieres inserunt collo ex margaritis contextum, Græci τραχηλικὸν κόσμον interpretantur) quæ apud legatarium fuerat mortis tempore, ait heredem consequi posse, vt sibi restituatur, interdicto scilicet, Quod legatorum, quod in eius possessione sit legatarius sine voluntate heredis, non per arbitrum legis Falcidiæ, vt quidam existimant, quia arbiter Falcidiæ quadrantem restitui iuberet, non lineam: & adiicit, heredem etiam, si malit, in ea linea vindicare Falcidiam posse. Sed hoc speciale arbitror esse in eis legatis, quæ apud legatarium fuerunt mortis tempore, non in ceteris. Ra-

tio vt intelligatur, ſciendum eſt hac in quæſtione differentiam eſſe inter legata, & donationes cauſa mortis. Donationum enim cauſa mortis quæ ſcilicet iam ſunt viuo teſtatore naturaliter tranſlatæ in donatarium, heres retentionem habere non poteſt, ideoque conſtitutionis Seueri quæ legem Falcidiam produxit ad donationes cauſa mortis, ſententia hæc eſt, vt cum iam retentionis modus nullus ſit, vindicetur Falcidia & reuocetur à donatario *l. pen. C. ad leg. Falc. l. cum pater, §. mater, & §. Mœuio, D. de leg. 2.* qua de cauſa donatarius, licet non voluntate heredis teneat rem donatam, non tenetur interdicto Quod legatorum *l. 1. §. ſi quis, D. quod leg.* nam hoc interdictum heredi datur, qui Falcidiæ retentionem tantum habet, veluti ex legatis aut fideicommiſſis, ne ei Falcidia depereat, quam alia ratione ſeruari non poteſt, quam ſi apiſcatur poſſeſſionem rei legatæ. Ex donationibus cauſa mortis perfectis viuo teſtatore, vindicationem habet. ac ſimiliter lex Falcidia ob vim æris alieni legata inutilia facit. Conſtitutio Seueri donationes cauſa mortis non poteſt inutiles facere, quæ iam ſunt traditione perfectæ, ſed reſcindit eas & reuocat, *l. Etſi debitor, D. de mor. cau. don.* Porro donationibus cauſa mortis arbitror comparanda eſſe legata, quæ viuo teſtatore legatarius conſequutus eſt, vt quæ teſtator ipſe præſtitit, quod fit plerumque, *l. Lucius, D. de leg. 2.* vel quæ viuus apud legatarium eſſe paſſus eſt: nam & videtur præſtitiſſe, §. *interdum, Inſtit. de rer. diu.* vel quæ caſu aliquo apud eum fuerant mortis tempore. Quamobrem vel ex eis quaſi ex legatis Falcidiam ſibi retentione ſeruabit heres, poſſeſſionem adeptus interdicto Quod legatorum, in qua eſt legatarius ſine voluntate heredis, maxime ſi caſu aliquo apud eum fuerint mortis tempore, vel potius exemplo donationum cauſa mortis, cum eam poſſeſſionem legatarius iure nactus eſt dante aut concedente teſtatore, non auocabitur poſſeſſio, ſed vindicabitur Falcidia. & ita ſua ſpecie continendam eſſe exiſtimo *l. lineam*: non ad alias ſpecies proferendam, vt finge. Qui cccc. habebat in bonis, heredem ſcripſit ſub condicione, ſi Titio dediſſet CCCLXXX. Heres, quod, niſi impleta condicione, adire non poſſet, dedit Titio CCCLXXX. Quæritur an poſt aditionem ea repetere poſſit? Minime vero. quia debitum ſoluit. An in eis vindicare quod Falcidiæ deeſt, puta LXXX. Et videtur etiam Falcidiæ locus non eſſe, quia illa CCCLXXX. à Titio capiuntur mortis cauſa, & in mortis cauſa capionibus Falcidiæ locus non eſt *l. 1. §. item ſi ita legatum, l. acceptis, D. ad leg. Falcid.* quia mortis cauſa capiones legati vel teſtamenti iure non capiuntur, *l. 8. D. ſi quis omiſ. l. Mœuius, D. de condit. & dem.* Sed verius eſt hoc caſu Falcidiæ locum eſſe. alioquin inuenta erit ratio tollendæ legis Falcidiæ, quam teſtator priuato conſilio tollere non poteſt. & vero eam ſibi ſeruabit heres, ſi qua ratione forte nactus ſit poſſeſſionem eius pecuniæ. Sed cum neque eam habet, neque eius repetendæ facultatem, an ſaltem in ea vindicabit Falcidiam? Minime. quia Falcidia retentione ſeruatur non actione. & hoc ante Iuſtinianum obtinuiſſe conſtat ex *l. pen. C. ad leg. Falcid.* ex qua hodie generaliter vindicatio Falcidiæ heredi datur non minus ex legatis, quam ex donationibus cauſa mortis.

CAP. III.

De duarum portionum deductione.

FIlius rogatus hereditatem reſtituere ex decretis Pontificum Romanorum, quibus vtimur, primum trientem, vel ſemiſſem detrahit, deinde quadrantem: vt ſi duo ſint filij, Primus, & Secundus, & vna filia, & XC. in bonis, Secundo & filiæ ſatisfaciet pater ſi ſingulos heredes fecerit in X. id eſt, in trientem legitimæ portionis, atque ita poterit Primum inſtituere ex reliquis LXX. quem tamen ſi rogauerit portionem hereditatis ſuæ fratri reſtituere, iure filij primum detrahet trientem legitimæ portionis, id eſt, decem iure ſcripti, deinde ex reliquo detrahet quadrantem, id eſt XV. & reſtituet XLV. Quod ſi ſex ſint liberi & MCC. in bonis, ſatisfaciet eis pater, ſi ſingulos inſtituerit in ſemiſſem legitimæ portionis, id eſt, in C. atque ita in reliquis iure extraneum heredem inſtituet. Sed ſi eo modo quinque liberis ſatisfecerit, & ſextum in reliquis bonis heredem inſtitutum rogauerit Titio hereditatem reſtituere, detrahet primum ſibi C. pro ſemiſſe legitimæ portionis, deinde reliqui quartam ex lege Falcidia. i. CL. Reſtituet CCCCL. Hæc duarum portionum deductio iure ciuili non congruit, &, vt ingenue profitetur Cynus, ea decreta Pontificum ex falſo iuris intellectu proceſſerunt, & Fulgoſius. Error eorum originem habuit ex errore noſtrorum commentariorum. Quamobrem etiam merito ea decreta ſiue reſcripta Pontificum accipiuntur ſtricte in filio rogato hereditatem reſtituere, ſicut in eis proponitur, non etiam in filio onerato legatis, licet conſequens eſſe videatur, vt & hic duplicem deductionem faciat. quod & Baldo videtur. Sed alio iure vtimur, neque ea reſcripta producimus ad conſequentias. Congruere ea iuri ciuili male tentat Accurſius ex *l. quoties, D. ad leg. Falcid.* In cuius ſpecie deductio fit ex vno legato duabus legibus, lege Falcidia & lege Iulia: quaſi eodem exemplo in fideicommiſſaria hereditatis reſtitutione deductio fieri poſſit, tam lege Glicia quam lege Falcidia. Sed hoc diſſimilis deductionis cauſa fieri vetat. In ſpecie *l. quoties*, partem retinet heres ſuo iure, partem vitio legatarij. in ſpecie propoſita vtramque ſuo iure habere contendit, vt filius, & vt ſcriptus. quod certe leges non ſinunt. nam & patronus heres inſtitutus non deducit portionem ex lege Papia & portionem ex lege Falcidia, ſed ex lege Papia tantum *l. 1. §. pen. D. ſi cui plus quam per leg. Falcid.* Et nepos ex filia impubes ab auo adrogatus & exheredatus, non exercet querelam, quaſi non habeat quartam ex lege Glicia, cum habeat quartam ex conſtitutione Antonini *l. Papinianus, §. ſi quis impubes, D. de inoff. teſt.* Igitur & in propoſita ſpecie filius non detrahet quartam ex lege Glicia, ſed ex lege Falcidia. nam & Glicia non deducitur, ſed relinquitur tantum, & relicta excludit querelam inofficioſi teſtamenti. Et etiamſi liceret duas facere deductiones, hodie non tertiam & quartam deduci oporteret, ſed duas tertias vel dimidias. quia Iuſtinianus non tantum eam auxit, quam filius habet, vt filius, ſed etiam eam, quam habet ſcriptus. Non vtor vulgari regula qua vtitur Accurſius huius ſententiæ comprobandæ cauſa, in tabulis patris, & filij vnam Falcidiam ſeruari, nam ſine offenſione eius regulæ poſſent ex fideicommiſſis duabus legibus deductiones fieri. ea enim regula vnam ex vna lege deductionem fieri præcipit commiſtis vtrarumque tabularum legatis, vnã ex vna lege, & alteram ex altera ſimul fieri non vetat. Explodenda autem eſt eorum opinio qui in hac quæſtione ita diſtinguendum putant. Aut filius heres inſtitutus rogatus eſt pure hereditatem reſtituere, aut in diem vel ſub condicione. Si pure, vna dumtaxat deductione vtitur, quia eodem tempore videntur duæ deductiones concurrere non poſſe. Si in diem vel ſub condicione, ſtatim deducet Gliciam, exiſtente die vel condicione Falcidiam. quæ diſtinctio iuris auctoritate caret. & ſi diuerſis temporibus duæ deductiones fieri poſſunt, quæſo, cur non etiam vno, eodemque tempore? Eademque vulgo male refellitur per *l. filium, C. de fam. ercis.* ac ſi lex diceret filium oneratum fideicommiſſo

condicionali reddere compelli quod supra quartam habet, cum hoc lex potius dicat simpliciter, existente condicione fideicommissi, filium portionem hereditatis coheredibus quibus eam restituere rogatus est reddere compelli, fundi prælegati partem, quam iure hereditario capit, imputare in Falcidiam, partem, quam iure legati capit à coheredibus, quibus vice mutua portionem suam restituit compensare, partem quam iure legati capit à ceteris coheredibus, quibus nihil restituit supra quartam habere, id est neque imputare, neque compensare. & sic extra quartam accipitur in *l. in quartam, D. ad leg. Falc.* & supra quartam in *l.* 15. §. *pen. D. eod.* Notanda est differentia inter imputare, & compensare, quam auctores nostri confundunt nunquam. Quæ non imputantur, ne dixeris etiam non cõpensari. ratio vtriusque, & modus idem non est. sic fructus fideicommissi in Falcidiam imputantur, cum eo quod defunctus heredi debuit, compensantur.

Cap. IV.

In quartæ deductione, idem omnino esse ius legatorum, & fideicommissorum.

VEreor, ne deceperit nos omnes hactenus *l. in quartam, D. ad leg. Falcid.* ex qua hanc differentiam admittimus esse inter eam quartam, quæ ex legatis deducitur, & eam quæ deducitur ex fideicommisso hereditatis, quod in illam ea tantum imputentur. quæ iure hereditario, in hanc etiam ea, quæ legati, vel fideicommissi vel condicionis implendæ causa capiuntur. Primum enim constat mihi ex *l. in ration*, §. *tametsi D. eod. tit.* vt in quartam, quę ex legatis, ita in quartam, quæ ex fideicommisso hereditatis deducitur, heredi data condicionis implendæ causa non imputari. & locum illum, *Sed & quod implendæ, l. in quartam*, qui huic sententiæ obstat, merito & à Basilicis, & à Pandectis Florentinis abesse. Fateor ea, quæ heres retinere, deducere, præcipere, accipere iussus est, in fideicommissaria hereditatis restitutione, ei in quartam imputari, quasi hereditario iure capiantur. Nego ea imputari, quæ condicionis implendæ causa dantur. Nego ea imputari, quæ legati, vel fideicommissi iure capiuntur, vt probat *l. filium, C. fam. ercisc.* quam exposuimus superiore capite, & latius in *l. qui non militabat, D. de hered. instit.* Et quod ait *l. in quartam, Sed in fideicommissaria*, &c. generalis sententiæ prioris explicandæ causa subiectum opinor, vt in fideicommissaria hereditatis restitutione imputet heres in quartam ea quæ præcipere, retinere, deducere iussus est, tanquam ex hereditate ea capiat, & legatum siue fideicommissum ei datum, pro sua scilicet parte, quoniam pro ea parte res legata iure hereditario capitur, pro ea vero parte, quam accipit à coherede, vt consequenter lex subiicit, *extra quartam*, id est, quod à coherede accipitur, id est non imputatur in quartam, quia iure legati capitur, compensabitur tamen cum Falcidia si quã desideret à coheredibus à quibus legatum accepit, & quibus vicissim ipse hereditatem restituere rogatus est. Quartam ex legatis deduci lex Falcidia voluit. Ex fideicommissis omnibus, & particularibus & vniuersalibus S. C. Pegasianum, §. *sed quia, Instit. de fid. her. l. successores, C. ad leg. Falc. l. 1.* §. *hodie, D. si cui plus, quam per leg. Falcid.* Id est, S. C. Pegasianum legem Falcidiam porrexit ad fideicommissa à testato relicta, sicut constitutio D. Pij ad fidecommissa ab intestato relicta, constitutio Seueri ad donationes causa mortis. Hoc igitur Senatus effecit, vt in quartæ deductione, eiusque ratione ponenda exæquarentur legata, & fideicommissa, tantum abest, vt discrimen vllum inter ea constitui voluerit, quod Vlpianus lib 67. ad edictum, palam edicit, iis verbis, *Per omnia exæquata sunt legata fideicommissis.* in quartæ deductione scilicet, & exæquata sunt S. C. Pegasiano, ideoque interdictum Quod legatorum dabitur etiam hodie fideicommissorum nomine, propter Falcidiæ retentionem, de quo cum Vlpianum eodem libro tractasse constet ex *l. 1. D. quod leg.* inde liquido apparet eam *l.* 1. *D. de leg. 1.* pertinere ad tractatum de Falcidia. Risi legens in hac vrbe librum manuscriptum, in quo ei lege præpositum erat hoc nomen, Imperator, sicut & *l. 1. D. de verb. obl. l. 1. de imp. in res dot. l. 1. de excus. tut.* cui errori plausum dedisse quosdam risi vehementius, à quibus etiam in hac quæstione non fero differentiam fieri inter quartam hereditatis & quartam bonorum. nam in tractatu legis Falcidiæ constat promiscue hereditatem dici & bona, & ea quæ ex legatis deducitur, si volumus verborum proprietati insistere, sane appellanda etiam est quarta bonorum, quod in eius ratione prius deduci æs alienum oporteat *l. 8.* §. *vlt. & l. 9. D. de leg. 2.* Pegasianam vero aut Trebellianam dici nolo, sed Falcidiam, quandoquidem post S. C. Pegasianum lex Falcidia in omnibus fideicommissis locum habet.

Cap. V.

Duobus locis hoc articulo Hodie significari S. C. Pegasianum.

TRebellianum prius fuit Pegasiano, de transferendis actionibus in fideicommissarium, nulla cum adhuc esset ex fideicommissis quartæ deductio. Post S. C. Pegasianum quartæ deductionem dedit ampliata lege Falcidia, & ideo cum tractaret Vlpianus de ratione ponendæ Falcidiæ vel interponendæ stipulationis Falcidiæ *l. 1.* §. *hodie, D. si cui plus quam per leg. Falcid.* Hodie, inquit, subsimile aliquid fit in fideicommissis. Hodie id est post S. C. Pegasianum. Ex eodem S. C. heres qui suspectam hereditatem dicit, cogitur adire & restituere ex Trebelliano S. C. non deducta Falcidia. & hoc est quod ait Valens in *l. si heres, D. ad Trebel.* Dubium non est quin hodie coactus ex Trebelliano S. C. restituere possit. Hodie, id est, post S. C. Pegasianum. Hæc duo capita S. C. Pegasiani demonstrant quamobrem veteres de S. C. Pegasiano promiscue tractarint tam sub tit. *Ad legem Falcidiam*, quam sub tit. *Ad. S. C. Trebellianum.*

Cap. VI.

S. Consulta circa legem Papiam.

VT circa legem Falcidiam factum est S. C. Pegasianum S. C. Plaucianum, & id, de quo in *l.* 33. *D. ad leg. Falc.* & circa legem Æliam Sentiam pleraque *l. 1. C. qui manu. non pos. l. 1. D. de off. cons. l. sic collactaneus, in fin. D. de man. vind.* ita & circa legem Papiam multa, auctore Iustiniano in *l. vnica*, §. *cum igitur, C. de cad. tol.* ex quibus referam, quæ nunc mihi ostendunt se, & occurrunt. Vt incapaces legatorum sint etiam incapaces donationum causa mortis, *l. Senatus, D. de mor. can. don.* Ante hoc S. C. non erant incapaces donationum causa mortis, sicut & ante constitutionem Seueri lex Falcidia, quæ de legatis loquebatur, non pertinebat ad donationes causa mortis. Vt pars legatarij viuo testatore defuncti non fiat caduca *l. idque & in legato, D. de her. instit.* Vt fideicommissum relictum à legatario, herede instituto filio, fideicommissario decedente antequam dies legati cedat, non apud filium remaneat iure antiquo, sed apud legatarium *l. Iulianus, D. de leg. 2.*

CAP. VII.

Ad §. vlt. l. si duo, D. de iureiur.

QVod ait, *l. si duo §. vlt. D. de iureiur.* eum, qui per principem peierarit, fustibus castigari, ei nihil obstat *l. 2. C. de reb. cred.* quæ de eo loquitur qui calore quodam peierauit. *L. si duo*, de eo, qui mala mente, consulto: nam προπετῶς in ea non est temere, sed perperam, quod ei superdici ait, per præconem scilicet interea dum fustibus cæditur, vt *fustibus*, in *l.* C. *ex quibus caus. inf. ir. Fustibus*, inquit, *cæsum, cui per preconem ita dictum est.* Lampridius B *in Alexandro, Turinum necari iussit, præcone dicente, Fumo panitur, qui vendidit fumum.* Spartianus *in Seuero. Fustibus eum sub elogio præconis cædit, legatum P. R. homo plebeius temere amplecti noli* Zonaras *in Valentiniano*: κελεύσῃ ὃ δεδέντα ἐν τῷ θεάτρῳ προαχθῆναι ἀγῶνος ἱππικοῦ ἀγορμὸν κηρύκων αὐτῷ προαγόντων καὶ τὸ εἰς τὴν γυναῖκα βοώντων ἀδίκημα. Xiphilinus *in Iuliano*, τὸν Νέρωνα θείοις ἔδωκεν αὐτὸ τοῦτο κηρύξας, ὅτι ἔτις ἐστὶν ὁ Κόμμοδον ἀποπίξας. & in Seuero, καὶ θείοις μὲν τοῦτο ἀνακηρύγματος ἐδόθη. Præconis vox legis vox est, vt Nou. LXIX. τῷ νόμου φωνῇ, præconis voce Iulianus interpretatur. ad eundem vero modum Vasconiæ quibusdam regionibus dum publice traducuntur fures, & cæduntur, præit præco clamitans, *Talia patietur, eadem qui fecerit, imo grauiora.*

CAP. VIII.

Africani ab Vlpiano dissensio.

IVre communi mutuum non contrahitur, nisi nummos meos acceperis. iure singulari debitorem meum tibi iussero soluere pecuniam, dum eam tibi creditam volo, mutuum contrahitur, licet nummos meos non acceperis. Ex eo Vlpianus colligit in *l. singularia, D. de reb. cred.* mutuum etiã contrahi si pecuniã quam mihi debes ex causa mandati in causã crediti te habere volo. nam si dum mihi ab alio debitos nummos accipis, meos videris accipere, cur à te mihi debitos vsurpans meos non videris vsurpare? Quod fit per debitorem meum, cur non fiet per teipsum, si debitor meus es? Dissentit ab Vlpiano Africanus in *l. qui negotia, D. mand.* & vere dissentit, vt ex veteribus Fulgosius, ex nouis Molinæus censuerunt rectè, cuius rei duo argumenta habeo. Primum quod Africanus rationem palam refellit qua vtitur Vlpianus, deinde quod alia etiam in re Africanus eadem lege ab Vlpiano dissentit. quod exposita specie & sententia legis liquido constabit. Pecuniam mihi debes ex causa mandati, & negotiorum meorum administratione, vt quia debitores meos exegisti. conuenit, vt eam quasi creditam, mihi deberes sub vsuris. Quæritur an sit credita? Respondet Africanus nuda E conuentione non fieri creditam. Obstat, quod si pecuniam quã mihi debes ex causa depositi creditam volo, mutuum contrahitur, *l. certi §. vlt. D. de reb. cred.* Sed hoc casu nummi qui mei erant, tui fiunt. Ex causa mandati nummi nondum erant mei. Obstat, quo Vlpian. vtitur, mutuum contrahi, si à debitore meo mea voluntate pecuniam acceperis. Sed id hoc tantum casu benignè receptum est iure singulari. non est ergo producendum ad consequentias, *l. 141. D. de diu. reg. iur.* Itaque non dicemus mutuum contrahi si pecuniam quã mihi debes ex causa mandati tibi creditam volo. Non dicemus item mutuum contrahi, si tibi dedero rem vẽdendam vt pretio vtereris quasi credito. quod etiam aduersatur Vlpiano, qui & hoc casu mutuum contrahi putat, *l. rogasti, D. de reb. cred.* Vlpianus fictione quadam, & vtilitate nititur, Africanus mero iure, quo re, id est, traditione propriæ pecuniæ non nudo pacto mutuum contrahitur. Pacto quidem fieri id potest, vt pecuniæ ex ea re quam tibi vendendam dedi redactæ periculum ad te pertineat, idque agi videtur, cum vt eam mutui iure retineas, conuenit. proinde ex ea conuentione periculum pecuniæ ad te pertinebit, Pecunia non erit mutua. Ac similiter in superiori specie, si pecuniam quam mihi debes ex causa mandati creditam volo, periculum pecuniæ ex ea conuentione ad te pertinebit, Credita pecunia non fiet, ideoque vsuræ etiam de quibus conuenit venient in actionem mandati, quod sit bonæ fidei, quæ tamen ex nuda conuentione non venirent, si pecunia credita esset.

CAP. IX.

Antinomiæ Budæi.

ANtinomiæ non sunt quas Budæus antinomias esse iudicat ad *leg. vlt. D. de ædil. edict.* Ac primum quidem certe, *l. repetitio, D. de cond. indeb.* non est contraria *l. sipœnæ §. 1. eod.* nam distinctio Accursij tam est vera, quam quæ verissima. Aut quod alius debet soluis tuo nomine, aut debitoris. Si tuo nomine, tibi condictio competit, & debitor non liberatur, *l. 2. C. de iis qui in pr. cred. l. 5. C. de cond. indeb. d. l. si pœnæ, l.* C *in summa, in fin. eod. tit. l. cum quis §. de peculio, D. de solut. l. si quid possessor, D. de pet. her.* Si debitoris, nulli condictio competit, & debitor liberatur, *d. l. repetitio, l. quod nomine, l. seruus cuiusdam, in fi. D. eod. l. de hereditate, C. de pet. hered.* Eadem distinctione vtimur in specie *l. x1. D. de cond. indeb.* Si pater, vel dominus cum quo actum est de peculio per errorem soluerit plus quam esset in peculio, an condicit quod plus debito soluit? Si nomine serui, vel filij, non condicit. Si suo condicit, *l. 1. §. vlt. l. 2. D. de constit. pec.* Eadem vtimur in specie, *l. indebitam, & l. frater §. vlt. D. de cond. indeb.* Indebito pecuniæ promissæ fideiussor acceptus soluit, quis condicit? Ipse, si suo nomine, Promissor si promissoris nomine. Aliam vero antinomiam D Budæus constituit ex *l. cum quidam. & l. in fraudem, D. de iur. fisc.* Lex *in fraudem* ait, *in fraudem fisci fieri non tantum si alienetur, sed & si non quæratur*, quod sic perperam exponit Alciatus, si dominium in accipientem à debitore fisci vel reo capitis non transferatur. rectius Græci, τὰ ἐκποιήματα, καὶ μὴ κτήματα, ceterique Latini. At, *l. cum quidam.* filio emancipato, vt hereditatem adiret, ait non videri factum in fraudem fisci. Dicendum æque puniri fraudem siue alienando, siue non adquirendo fiscum fraudarit quis, licet aliud seruetur in actione Pauliana vel Fabiana, vel collatione bonorum filij emancipati. neque obstare, *l. cum quidam.* nec enim hoc vult, in fraudem fisci non fieri si non adquiratur, sed vitiosam collectionem esse. Qui emancipat filium, vt hereditatem adeat, non vtitur occasione adquirendi, ergo in fraudem fisci facit. alioquin non posset filium capitis reus emancipare, quod soli reo perduellionis ademptum est. Igitur emancipandi causa occasionem adquirendi negligere licet, etiamsi ex ea re fraudetur fiscus. Ceteris, quas antinomias Budæus vocat, nullæ sunt explicatu faciliores. nam siue conferatur *l. præcipiunt, D. de ædil. edict. cum l. vlt. eod. tit.* quis non videt in *l. vlt. non* vsurpari pro *non solum*, siue conferatur, *l. si filius fam. D. de iudic.* cum *l. vlt. D. de ext. cog.* quis non videt vtrumque esse verum, iudicem litem suam facere si dolo malo iniquam sententiam tulerit, iudicem litem suam facere etiam si per imprudentiam inique pronuntiauerit? Quis etiam non videt inter *l. 10. l. stipulationes §. vlt. D. de verb. obl. &*

l. insulam. eo tit. rationem differentiæ summam esse. Si stipulatio ita concipiatur, *Insulam intra biennium fieri*, non committitur ante diem. Si hoc modo, *Si intra biennium Romam non veneris*, committitur ante diem: quia condicionalis est, non in diem *l.* 10. idemque est si non adiecto die ita stipuler, insulam fieri, *l. Stipulationes* §. *vlt.* Aliam antinomiam constituit ex *l. per seruum* §. *denique, D. de vsu, & hab.* quæ inutile ait legatum esse si fructus legetur sine vsu, & *l. huic Stipulationi, D. vsufr. quemad. cau.* quæ fructum ait sine vsu obtingere posse. Hæc non sunt contraria. Regulariter non est fructus sine vsu. Accidit tamen interdum vt sit sine vsu, quod explicat, *d. l per seruum.* §. *vlt.* hac specie proposita. Testator ab herede tibi nudum vsum fundi legauit. heres eiusdem fundi fructum Titio constituit, & cessit non potuit in Titium transferre vsum qui tibi in solidum legatus est. Sic igitur, fiet, vt heres fundi habeat nudam proprietatem, tu nudum vsum, Titius nudum fructum sine vsu. itaque non poterit Titius in eo fundo habitare, & à te prohibetur illo venire nisi veniat fructuum causa. Aliam constituit ex *l. quid tamen & l. cum ab eo* §. *vlt. D. de cont. emp.* quam explicaui in *l.* 22 *D. de verb. obl.*

Cap. X.

In contractibus strictis quemadmodum bona fides exigatur.

Bona fides, & integra fides dicitur, *l.* 1. *C. de' suffr.* & syncera, *l.* 2. *C. si prop. pub. pens.* & mera, *l.* 19. *de testa.* inde *l.* 10. *C. de dis. pig. & bona fide synceriter.* Liuius 29. *Quod non* syncera *fide* secum *in gratiam redisset.* Epitome, *bona fide.* Hæc in contractibus bonæ fidei maxime exigitur, *l.* 5. *C. de resc. vend.* exigitur quidem & in strictis, sed in iis maxime, vt ecce, in vtrisq; exigitur vt sine mora debita reddantur, quæ pars est bonę fidei, & inde debitor bonæ fidei, id est, nec morator nec frustrator. Symmachus *in epistolis, Literarũ fœnore obligo bonæ fidei debitorem.* Seneca initio Declam. *memoriam bonæ fidei, quæ sine cunctatione reddit deposita:* & auctore Suetonio Augustus populo promissum reposcenti bonæ fidei se esse respõdit. Marcellinus xxxv. *Vitam reposcenti naturæ, vt debitor bonæ fidei redditurus.* At hoc in contractibus bonæ fidei maxime exigitur, & ideo in eis ex mora veniunt vsuræ, quę ex contractu stricto non veniunt. Bonę fidei est, vt in contrahendo mala fides absit. Hoc in contractibus bonæ fidei potissimum exigitur. Malæ fidei emptio non est emptio, *l.* 1. *C. de resc. vend. l. si fraude, C. de præsc long. tem.* Malæ fidei stipulatio, est stipulatio, nec nisi per exceptionem excluditur, *l.* 36. *D. de verb. obl.* Bonæ fidei etiam hoc est, ne contractus inuito altero temere resoluantur, quod in contractu bonæ fidei obseruatur omni modo, *l.* 3. *C. de resc. vend.* Symmachus: *Vox*, inquit, *iuris & legum est, bonæ fidei contractum non posse rescindi.*

Cap. XI.

An seruus obligetur naturaliter.

Seruus obligatur naturaliter. Obstat quod dicitur interuentu serui nouationem non fieri, maxime si extra rem peculiarẽ interuenerit, §. *preterea. Inst. quib. mod. tol. obl. l. in persona* §. 1. *D. de pact.* & quod ait *l.* 10. *D. de fideiuss.* condictionem indebiti domino dari si seruus fideiusserit pro alio extra rem peculiarem & soluerit ex peculio ipse dominus. Vnum est de seruo expromissore, alterum de seruo fideiussore. vterque A dicitur interuentor siue intercessor generali nomine. Seruus igitur pro alio interueniens extra causam peculiarem non obligatur naturaliter, & ideo soluti condictio est, & in dominum de peculio actio non est, quæ tamen in dominum est semper seruo obligato naturaliter siue ex causa peculij, siue extra causam peculij. Et fideiussores à seruo intercessore dati non tenẽtur. quod ita probo. Comparatur omnino seruus intercessor seruo iudicio condemnato, *l.* 3. §. *si filius, &* §. *si seruus, D. de pecul.* Ex iudicij causa fideiussor à seruo datus non tenetur, *l. quoties, D. si quis caut.* Ergo & ex intercessionis causa fideiussor à seruo datus non tenetur, quia scilicet ex intercessione naturaliter non obligatur. qua in re tamen fateor dissensionem fuisse inter Sabinianos, & Proculianos. & hoc est quod ait *d. l.* 3. §. *si* B *filius*, de hac re tractatum fuisse. Obtinuit sententia Sabini & Cassij differentiam constituentium inter seruum & filiumfam. vt pater obligetur de peculio quacunque ex causa filius interuenerit, dominus non item, nisi in rem domini, vel in rem peculiarem interuenerit, *d. l.* 3. §. *sed si filius, l. quoties* §. 1. *eod.* quam Iulianus, & Iauolenus probant, qui & Sabiniani fuerunt, *l.* 19. *&* 20. *D. de fideiuss. d. l. in persona* §. 1. Ex diuersa secta probauit etiam Celsus, vt refertur in *d. l.* 3. §. *si filius* Et ita si seruus compromiserit in arbitrum, vel si forte iudicio condemnatus fuerit, vel si in iudicio iusiurandum detulerit, dominus non tenetur de peculio quasi nulla sit inde nata obligatio naturalis. Sed in filio secus est, *d. l.* 3. §. *si seruus,* §. *sed si filius* §. *idem scribit, l.* C *depositi.* §. 1. *eod. tit.* quod etiam est ex Sabinianorum sententia, quam & diuersæ scholæ Nerua filius probauit. Vulgo tamen Proculiani ex iis etiam causis seruum naturaliter obligari censebant, & tam in dominũ, quam in patrem de peculio actionem dabant. & ideo in *l. quidam, D. de iureiur.* quidam, ex Proculianis scilicet. Conclusio hæc fit. Sabiniani, quorum sententia obtinuit, in his quatuor causis, si seruus interuenerit, si cõpromiserit, si iudicio condemnatus fuerit, si actori in iudicio iusiurandum detulerit, obligationem naturalem, quæ tamen subesse videtur, non agnouerunt. & ideo de peculio actionem in dominum non dederunt. nam nec ciuili nec naturali iure seruum idoneum intercessorem, idoneum compromissorem, idoneum litigatorem, idoneamve in iudicio personam esse censuerunt. Ex aliis causis indistincte siue è re peculiari essent siue extra, in seruilem personam naturalem obligationem, & in dominum de peculio actionem admiserunt. D

Cap. XII.

Exemplum ponitur l. non omnium, D. de legib.

Iulianus ait, *Non omnium quæ à maioribus nostris constituta sunt, ratio reddi potest.* Exemplum ponere soleo ex *l. liberum, D. de relig.* quæ negat heredi eius, qui prohibitus est mortuum inferre, actionem in factum competere, quam tamen certum est neque pœnæ neE que vindictæ persecutionem habere. & hoc etiam se mirari Gaius ait, constare inter omnes. Constat vero ita, & iudicandum est ita, licet ratio reddi non possit, sicut & Seneca xiv. Epist. Iurisconsultorum responsa valere ait etiamsi ratio non reddatur. Malè Accursius in d. *l. liberum* supplet, imperitis, allata *l. si filius, eod. tit.* quæ non de ea actione in factum loquitur, quæ datur prohibito mortuum inferre, sed de funeraria. moueri etiam non debemus *l.* 7. *eod. tit.* quæ non est de ea actione, sed de alia actione in factum, qua tenetur is, qui in alienum locum mortuum intulit. Rectius Græci lix, *Κασιλικῶν* compendium *d. l. liberum.* faciunt hoc

modo, *Hæc actio neque heredi neque in heredem datur, & perpetua est.*

Cap. XIII.

Synopsis duarum Constitutionum Græcarum, quæ desiderantur in tit. Codicis de testibus.

DEsiderantur in *tit. de testibus* duæ Constitutiones, quarum vna est Zenonis, quæ poni debet post *l. libertorum.* vt si desint instrumenta, ad probationem exigantur testes quinque, vt in instrumentis sufficiant tres, veluti in apocha, aut syngrapha, *l. scripturas, C. qui pot. in pig. hab. l. vlt. C. si cer. pet.* Acta vel instrumenta publica non egere testibus. Synopsis eius extat ἐν τῷ μικρῷ κτ. στοιχεῖον. in hæc verba: χρεία ἐν τῇ δποδείξει μαρτύρων πέντε, ἐαν μὴ ὦσι δικαιώματα πρὸς σύστασιν ὑπο τήσεια. εἰ δὲ εἰσι δικαιώματα, ἀρκοῦμθα τρισὶ μάρτυσιν. εἰ δ τὸ δικαιώμα τοιοῦτόν ὄστιν ὥστε αὐτὸ πέντων ἀρκεῖν, ἴσως γὰρ νομοθέτημα δημόσιον εἶδε, τότε εἶδε δεόμθα μαρτύρων. Altera constitutio est Iustiniani, quæ debet esse XIIII. post *l. nullum*, vt inuitis in omnibus causis testimonium denuntietur, exceptis iis, qui legibus publicorum excusantur, quales sunt adfines, & cognati. Nominantur ex eis legibus ex cognatis sobrinus tantum, & sobrino natus, *l. 4. D. de testib. l. 1. D. ad leg. Iul. repet. l. lex Cornelia, D. de iniur.* non quod idem non sit in prioribus gradibus, sed vt quatenus extendatur cognatio intelligatur, posteriores nominantur. Non egreditur autem VII. gradum, ex quo tantum sobrino, sobrinaue natus vocatur. Excipiuntur etiam viri illustres & qui supra eos sunt, qui neque in iudicio neque ex scripto testimonium dicere coguntur sine iussione sacra. Alij si præsentes sint mittiad eos debent partium procuratores ex interlocutione iudicis, vt coram eis testimonium dicant vel iurent se nihil scire, & hanc huius constitutionis partem intellexit idem Iustinianus in *l. indices, C. de fide instr.* dum ait, *Ea, quæ disposuimus.* De ea fit etiam mentio in No. de testib. & in *l. pen. C. eod.* Postremo additur in ea contistutione, vt interlocutiones testium audiendorum vel exhibendorum, & productiones testiũ fiant sine vllo eorum impendio. Sumptus enim præstat qui eos producit, *l. 3. §. Gabinio, D. de testib. l. eos §. si quis autem, C. de appel. l. 10. C. de testib.* cui coniugenda est *l. vlt. C. Th. de abolit.* Synopsis huius constitutionis Iustiniani talis est. Η διάταξις καλεύς μὴ μόνον ἐν ταῖς ἐγκληματικαῖς δίκαις, ἀλλὰ κ ἐν ταῖς χρηματικαῖς ἕκαστον ἀναγκάζεσθαι μάρτυρεῖν ἅπερ ἐπίσταται μθ' ὅρκου δόσεως, ἢ ὀμνύειν ὡς οὐκ ἐπίσταται, ὑπεξηρημένων τῶν πρόσωπον τῶν ἀπὸ νόμου κωλυομένων μάρτυρεῖν κ τῶν ἰλλυστρίων κ τῶν ὑπερβεβηκότων αὐτὰς εἰ μὲν θεῖος γένηται τύπος, κ εἰ μὲν ἐνδημῶσιν ἐν τῇ βασιλίδι πόλει, δι' οἰκείας φωνῆς μάρτυρεῖν εἰ δ' ἀπολιμπάνονται στέλλεσθαι τὰς τῶν μερῶν ἐντολὰς ἐφ' ᾧ καταθέσθαι ἅπερ ἐπίσανται ἢ ἐπομόσασθαι ἅπερ ἀγνοῦσι δηλονότι κ ἐπὶ τ ἐν ὑπομνήμασι μαρτυρίας, τῶν αὐτῶν προσώπων ὑπεξημμένων. πᾶσι κ τοὺς ἐπὶ τούτοις διαλαλίας κ τὰς προαγωγὰς ἀζημίους εἶ τοῖς μάρτυσιν.

Cap. XIV.

Feudorum origo & conditiones.

NAtura feudi hæc est, vt debeatur tantum fides, & hominium, nonnunquam ex pacto pensiones quædam debentur ab iis, qui prædia iure feudi possident. sed ita feudum ex pacto naturam suam excedit, quod & in mandato, deposito, locato, emphyteusi, & ceteris contractibus leges fieri sinunt. Natura feudi hæc est, vt debeatur fides, & hominium, id est, vt profiteantur se fideles domino fore, & se homines eius esse. Hominem dixit Helmodius, quod certè venustius est quam Homagium. Et inde qui feudum tenet, fidelis & homo dicitur & homo fidei, Vassus siue Vassallus Langobardicè. Hominum appellatione in libris nostris continentur procuratores, actores, custodes, conductores, emphyteuticarii, chartularii, *l. 4. C. de dignit. l. 1. C. de cond. & proc. præd. fisc. l. 2. C. de episc. & cler. l. 1. C. de commer.* Continentur vasalli. nam hoc ius feudi antiquissimum esse refertur initio libri Feudorum. sed potuit quandocunque reuocari pro dantis arbitrio, sicut precarium. & ob id ipsum vtrumque beneficium dicitur. Vasalli igitur erant olim homines, id est veluti actores, & custodes possessionum, procuratores & quasi precarij possessores: quo titulo etiam hodie si nominatim prædium in causam feudi detur, reuocari potest cum libet danti, diciturque hoc modo concessum feudum, guardiæ, id est, custodiæ, & gastaldiæ, id est actus siue procurationis feudum. Ex iis vero apparet vnde orta sint feuda. Actores possessionũ cœperunt perpetuo iure possidere quod quasi precario possidebant. Actores, homines nostri dicuntur. nomen mansit hominum, res, & condicio tenendi possessionem mutata est. Quod igitur in iure de hominibus est scriptum, proprius refertur ad vasallos. Quod de clientibus, non ita, qui postea susceptι appellati sunt, de quibus *l. 1. C. vt nemo ad sunum patr.* & Casarl in Constitutionibus Caroli magni, & Casarij, *l. 7. C. de bon. prof.* Quod de mercenariis multo minus, quales sunt ij quibus hodie vtimur seruorum loco. Quod de militibus limitaneis, nullomodo. nam agros limitaneos optimo iure tenebant, & feuda teneri possunt tam à paganis, quam à militibus. Illud constat mutato vasallo deberi εἰσδεκτικὰ, exceptis plurimum liberis, qui osculum tantum. & manus porrectionem debent, quæ sunr hominii symbola, vel aureum vnum cuius cuius pretij. constat etiam inuestimentum principalis domini in feudo requiri. plerumque pro inuestimento traditur scipio, aut fustis. quo genere & traditio olim ex causaemptionis fiebat, vt est in antiquo cõtractu emptionis, *tu Pascuti fuste illum inuestito, tu Segniti fustem illum manu capito.* Helmodius in historia Slauorum. *Vt dominus meus accipiat virgulam, & det in manum vestram pro signo inuestituræ.* Constat etiam vasallorum varia esse genera. alii fidem, & hominium debent, alij seruitium, alii pacem, alii pliuium, vt loquuntur, id est vt domino capto ab hostibus pro eo obsides dentur, alii sunt lidi, alii non lidi siue plani. Conferri hic posset, cum feudo libellarius contractus, censualis, & precarius & emphyteuticarius. Sed hoc in aliud tempus differo. Id tantum adiiciam, prædia optimo iure, & optima condicione, quæ nihil pensitant, nec fidem, vel hominium, vel inuestituram, vel εἰσδεκτικὰ debent, vulgo appellari Alodia. Inueni eo nomine significari proprie suum cuiusq; patrimonium, quod Genearchicum Iustinianus No. XXI. *& edicto 3.* vocat, & ita feudorum *lib. tit. 48*, dum ait, *Si datum sit ad proprium, siue ad libellum*, alodium intelligit, vt tit. 26. alodium siue libellarium. Et in formulis Marculphi alode opponitur comparato sæpe: ex quibus vnam proponam. Lex est Francorum siue Salica, vt de terra Salica nulla portio hereditatis ad mulierem perueniat, quę extat legum Salicarum tit. De alode, eademque Anglicorum, ne transeat, vt aiunt, à lancea in fusum, & eandem olim in Armenia, vt constat ex No. XXI. Sed eam Francis displicuisse tandem (excepta scilicet successione regni) hæc quæ sequitur formula Marculphi indicat, qua efficitur, vt sorores cum fratribus in paterna alode succedant: *Gaia dulcissimæ filiæ meæ L. Titius S. Diuturna sed impia inter nos consuetudo tenetur, vt de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant, verum-*

ego æquissimum esse iudicaui, vt qui mihi à Deo æqualiter dati sunt filij, à me æqualiter diligantur, meisque facultatibus post mortem meam æqualiter fruantur, per hanc Epistolam te dulcissimam filiam meam cum germanis tuis filijs meis Lucio, & Seio in omni hereditate mea æqualem, & legitimam heredem esse constituo, vt tam de alode paterna, quam de comparato, vel mancipiis vel præsidio meo vel quodcunque moriens reliquero, æqualem cum filiis meis germanis tuis portionem accipias.

CAP. XV.

Auersione vendere aut locare.

IN l. 1. §. *exercitorem, D. de exer. act. lib. 53.* βασιλικῶν, per auersionem Græci interpretantur ἐν ὁμάδι, id est, in vniuerso, & in *l.* 4. §. *si auersione, D. de per. & com. rei ven.* κότῳ, id est alea. Valentinianus dixit, in aggere No. de releuatis possessionibus. Plutarchus *in Isocrate*, ἀθρόα τὰ φορτία πωρᾶσθαι, cui opponitur κοτυλίζειν & τεμαχίζειν. Ratio nominis quod quasi auersi ita vendant locentve, vt iam olim docui Institutionibus tit. de emptione & venditione. Eadem forma auersaria dici non aduersaria qui scribit, iungatur Alciato qui in *l. 1. C. de eden. & l.* 1. §. *eum quoque, D. eod.* aduersariam, & aduersarium pro scriptura accipit sine ordine confecta. nam vereor vt non fuerit vtrique par ingenium hac in re: quanquam aduersariorum notationem me non satis compertam habere ingenue confiteor. id mihi quidé constat satis in *d.* §. *eum quoque*, legendum, *Et demonstret ex quo edicto acturus sit*, vt in Basilicis, ἵνᾳ τὸ ὑποδεῖξαι ἀπὸ τοῦ χαρτίου τοῦ ἀγωγίου, id est & aduersario producto ad album digito monstret ex qua parte edicti acturus sit, vel edictum id dicendo quo vti velit. His etiam commiscri nollem quod in auersa charta scribere poëtæ quidam dixerunt: nam hoc cum auersionis significatione commune nihil habet. In auersa charta idem est quod in opistographo in *l. chartæ D. de bon. poss. sec. tab.* quod rursus nomen satis per se clarum obscuratur grammaticorum interpretationibus. Memini Theodorum Hermopolitem ad *l. notionem, D. de ver. sign.* λύσιν ὑποδόχαφον appellare apocham scriptam à tergo chirographi.

CAP. XVI.

Nihil noui induxisse Iustinianum l. vlt. C. de compens.

COmpensatio fit ipso iure, vt si tibi debeam c. tu mihi L X. ipso iure non debeo nisi XL. & eius duntaxat summæ vsuræ debentur ex mora vel ex stipulatione secundum causæ qualitatem, *l. cum alter, D. de compens. l. 4. & 5. C. eod. l. eius, C. de solut.* et si petas c. plus petas, auctore Paulo 2. *Sent.* et si errans soluam c. condictioni locus est, *l. si ambo, D. de compens.* Igitur exceptionem doli opponi necesse non est, sed dicetur ipso iure compensationem factam, sicut ipso iure dicimus testamentum nullum, *l. postquam, D. eod.* Sed hoc olim tantum obtinuit in iudiciis bonæ fidei, & *d. l. si ambo.* loquitur distinctè de iudicio societatis. At *l. inter, D. de admin. tut.* quæ ait, generaliter æquitatem merum ius compensationis inducere, & *d. l. postquam, & l. cum alter*, loquuntur de qualibet actione, & *l.* 4. *eod. tit. & l.* 4. *& 5. C. eod.* Accursius id male coangustat ad causam vsurarum, cum ratio *l.* 4. generalis sit. Olim in strictis iudiciis compẽsatio nec ipso iure fiebat nec per exceptionem. Postea cœpit fieri ex constitutione Marci oppositæ exceptione doli, quæ strictum iudicium bonæ fidei facit. Tandem constitit inter prudentes, eam vbique ipso iure fieri, *d. l. postquam*, quod confirmauit constitutio Seueri, id est, Alexandri, *l. 4. & 6. C. de compens.* ac deinde constitutio Iustiniani, *l. vlt. C. eod.* in qua & cetera quæ continentur fuerant iam ante recepta. Non fieri compensationem nisi debiti liquidi, confessi, præsentis. nam controuersi, vel incerti compensationem non fieri probat *l. si debeas, D. eod. itemque l.* 3. *D. de tut. & rat. distr.* quæ ei cum quo actum est turelæ directa, vel neg. gestorum caueri iubet si ob incertam causam mutui debiti compensatio admitti non possit. In actione depositi compensationem non admitti. hoc enim & ante Iustinianum obtinuisse constat ex Paulo, *2. Sent. tit. de deposito.* in actione momenti compensationi locum non esse. nam & hanc olim morari vel impedire nihil potuit.

CAP. XVII.

Explicatur l. cum debitor, D. in quib. cau. pig.. vel hyp. tac. cont.

SI accpi ædes pignori ea lege, vt eas inhabitarem vice vsurarum nulla habitationis præstita mercede, quæ lex dicitur Antichresis, licet mihi permissum sit inhabitare non ablocare, possum tamen & ablocare, vt conductor. Sed si fecero quod mihi nominatim permissum non est, id est, si locauero, & plus redegero ex mercede quam legitimus modus vsurarum ferat, quod amplius erit sorti imputabo, vt indicat *l.* 14. *C. de vsur.* Ioannes sentit, Harmenopulus tradit. Sin vero habitauero vti conuentum fuit, etiamsi habitatio ea pluris censeatur, quam modus legitimus vsurarum ferat, tamen seruabitur conuentio, & vilius mihi conducta domus potius, quam illicitum fœnus contractum videbitur. Similiter si detur ager pignori ea lege vt fructus percipiantur vsurarum vice, seruabitur conuentio, etiamsi fructus superent modum vsurarum. Si ager tradatur pignori, & nihil dicatur de fructibus, vel vsuris, tacite videtur conuenta antichresis. itaque fructus vsurarum vice creditor retinebit. non tamen supra legitimum modum. Tacita antichresis modum vsurarum seruat: expressa non item, *l. cum debitor, D. in quib. can. pig. tac. contr.* Ponitur in ea lege exemplum tacitæ ἀνπχήσεως, quod ipse etiam titulus exigit, qui est de tacitis pignoribus. *Cum debitor*, inquit, *gratuita pecunia vtatur*, &c. vtitur debitor mea pecunia gratuito: quia vsuras ab eo pactus vel stipulatus non sum, cuius beneficij pensandi causa dum mihi tradit agrum pignori, tacite id agere videtur, vt fructus percipiam, & vsurarum vice retineam, quod fiet tamen intra modum, quasi tacito consensu. Quod si fœneratitia fuisset pecunia, fructus perceptos creditor fœnori primum, deinde sorti imputaret, *l.* 2. *C. de pac. pig.* Gratuita pecunia est non tantum de qua conuenit vt gratuita esset, sed & de qua hoc non conuenit, si modo & de vsuris conuenerit. Male autem colligitur *ex l.* 4. *& 22. C. de vsur.* fructus pignoris non posse retineri nisi ita nominatim conuenit, cum illæ de retentione rei loquantur, non de retentione fructuum.

CAP. XVIII.

De exheredatione liberorum iuris antiqui reliquiæ.

CErtum est, filium solum iure antiquo nominatim esse exheredandum, alios iure exheredari inter ceteros, cuius etsi vestigia supereſſe adhuc quædam in Pandectis notauerim, prætermisi tamen nescio quo modo, *l. si quis legatum* §. *si institutus, D. ad leg. Corn. de falsi.*

de falſ. quæ hanc inter liberos differentiam facit euidenter: *Si inſtitutus*, inquit, *heres exheredationem nominatim filij, vel aliarum perſonarum adſcribit.* Recte *nominatim filij.* Aliarum vero perſonarum exheredationem nominatim adſcribi neceſſe non eſt. fuit & alia differentia inter filium & ceteros, quod filij ſolius præteritio nullum faceret teſtamentum, ceteri præteriti ſuis accreſcerent in virilem, extraneis in ſemiſſem. quod & ita Leo, & Maiorianus conſtituunt No. *de ſanctimonialibus & viduis*, de ea, quæ inuita à parentibus in monaſterium perducta eſt, vt mortuo patre ſi necdum peruenerit ad annum XL. poſt quam ætatem demum eam velari, & conſecrari iidem Imperatores præcipiunt, poſſit in matrimonium legitime conuenire, & vt exheredatio eo nomine irrogata vel ſola Falcidiæ quantitas relicta non noceat, ſed ſcriptis heredibus vel ſuis in virilem portionem, vel extraneis in dimidiam tanquam præterita ſecundum normam veteris iuris adcreſcat. Hæc ſunt verba Maioriani.

CAP. XIX.

Explicatur locus difficilis ex No. IV. De fideiuſſoribus.

PAuci intelligunt quis ſit horum verborum ſenſus in No IV. τοῦτον δ' ὅτιν εἰπεῖν ἢ εἶπνας ἔχοιεν ἅπαντες τοῦτοι σφίσιν αὐτοῖς ὑπεύθυνους ἢ τῆς ὑποθηκαίας ἐνέχεσθαι δυναμένους. quæ vetus interpres, fide ſcriptorum librorum, ſic ad verbum recte interpretatus eſt. *Idem eſt dicere & ſi quoſdam habuerint omnes ij ſibimet obligatos & qui hypothecarijs actionibus teneri poſſunt.* Scio apud Harmenopulum *lib. 3. tit. 6.* legi aliter, hoc eſt perperam. ego nihil mutandum cenſeo. Sed de ſententia quæritur. Dixerat ante Iuſtinianus creditorem agere hypothecaria aduerſus poſſeſſores rerum fideiuſſoris, mandatoris, pecuniæ conſtitutæ rei. Subiicit hac clauſula, poſſe etiam eum agere aduerſus debitores harum omnium acceſſionum, & aduerſus eos, qui eiſdem hypothecariis actionibus teneri poſſunt. ponas neceſſe eſt generalem fuiſſe hypothecam, id eſt, acceſſiones interueniſſe ſub generali hypotheca, ſub qua comprehendi conſtat omnia quæ in ſpecialem hypothecam venire poſſunt. Comprehendi nomina debitorum, *l. nomen, C. quæ res pig. obl. poſſ.* Comprehendi ergo etiam hypothecariam actionem, nam appellatione nominis omnes actiones continentur. Imo & res alienas hypothecæ obligatas, cum & eas conſtet ſpecialem pignerationem recipere, *l. grege §. 1. D. de pign.* Vulgaris erat generalis hypotheca. & ſimpliciter hypotheca in iure, generalis eſt hypotheca. Alias vero chirographarius creditor debitorem debitoris conuenire non poteſt, *l. pen. C. de nouat.* Igitur ſi acceſſiones pro alio creditori ſub generali hypotheca fidem ſuam obligauerint, ſeruato ordine Nouellæ conſtitutionis, creditori licebit agere non in poſſeſſorem modo rerum ad acceſſiones pertinentium, ſed & aduerſus debitores eorum vtili actione in perſonam & aduerſus eos quibus cum ipſi hypothecaria agere poſſunt, ſimili actione. Et hanc eſſe huius clauſulæ ſententiam hæc Iuliani verba plane confirmant. Etiam in res mandatoris vel fideiuſſoris, vel qui pecuniam pro reo conſtituit, manus creditoris porrigi poſſunt, vt etiam ſi debitores habeant, etiam ab iis creditori ſatisfiat.

CAP. XX.

Si familia deliquiſſe dicatur.

SI familia album corruperit, & dominus velit eam defendere, vtrum pro ſingulis debet inferre D. au-

reos, an ſufficit pro omnibus præſtari D. ac ſi vnus homo liber feciſſet. Et *l. 9. D. de Iuriſd.* tradit, non ſufficere, ſed pro ſingulis poenam inferendam eſſe: quia plura facta ſunt. Ac ſimiliter plura facta ſunt, ſi familia iniuriam fecerit, *l. ſi plures, D. de iniur.* vel ſi damnum dederit, *d. l. 9.* Obſtat *l. illud, D. ad leg. Aquil.* quæ, familia damnum dante, ait ſatis eſſe id præſtari quod præſtandum foret ſi vnus feciſſet. Non eſt qui reſpondeat. Video ſi familia furtum fecerit, edicto expreſſum, ſatis eſſe id præſtari, quod ſi vnus feciſſet præſtandum foret. denique beneficio edicti de furtis familia furtum faciente, vnum factum eſſe. Idem non video expreſſum edicto de albo corrupto, vel de iniuriis vel lege Aquilia. proinde vt ſunt plura facta, ita nullum edictum non vetat dici plura. Sed interpretatione idem in damno dato ſtatuimus quod in furto edicitur præſertim cum leuior plerunque ſit hæc cauſa delicti, *l. 1. §. pen. D. ſi fam. fur. fec. dic. d. l. illud.* Idem & in albo corrupto Octauenus admittebat. Sed præualuit durior ſententia, vindicandę iuriſdictionis prætoriæ cauſa, videlicet ſi fam. fecerit: nā ſi conſiliū dumtaxat dederit, ſequemur humaniorem ſententiam. Præualuit etiam durior ſententia in iniuriis, vindicandi honoris cauſa. Ius ſingulare conſtat non poſſe produci ad conſequentias. Temere etiam nolim ius commune produci ad conſequentias.

CAP. XXI.

De præſide Antiochiæ, Comite Orientis, Præfecto Auguſtali.

QVem Iulianus in No. VIII. vocat præſidem Antiochiæ, is eſt Conſularis ſiue præſes Syriæ primæ, cuius metropolis Antiochia, quæ Theopolis à Iuſtiniano vocatur Nou. VII. CIX. CXXIII. Stephanus. Θεόπολις ἡ μεγίστη τῆς ἑῴου πόλις ἥτις ἐξ αὐτοχείας μὲν τὸ σεισμὸν ὠνομάσθη ἀπὸ Ἰουστιανοῦ Et hic ſane Theopoleos præſes, non præſes Syriæ ſalutaris ſignificatur in *l. 1. C. de off. com. or.* dumcomiti Orientis Alytarchiæ, moderatori prouinciæ Syriarchię ludorum cura mandatur. Valde autem ea Nouella octaua imminuta eſt iuriſdictio comitis Orientis, quæ quondam extendebatur in vniuerſam dioceſim Orientis prouinciarum quindecim, ex ea No. coërcetur Syria prima, adiuncta regione Cyrheſtica. ſic legendum. M. Tullius v. ad Atticum. *Hoſtis in Cyrrheſtica quæ Syriæ pars proxima eſt.* Sic ex edicto Iuſtiniani De Ægypti prouinciis, cum ſubeſſent præfecto Auguſtali ſex prouinciæ, hodie iuriſdictionem tantum habet in Ægvpti tam prima quam ſecunda, detracta regione Menelaita & Marcota, non in vniuerſa dioceſi Ægypti. In *l. 2. C. de of. præf. Aug.* corrupte ſcriptum eſt, *Præfectus prætorio Auguſtali*, pro *Præfectus Auguſtalis.* & in *l. 2. C. de his, qui per met. non ap.* metatheſis manifeſta, corrigenda ſcilicet in hunc modum, *Seu proconſules, ſeu comites Orientis, ſeu præfectos Auguſtales, ſeu vicarios vel alium iudicem*, &c. Et vicariorum quidem Ponticæ, & Aſianæ iuriſdictionem latiſſimam ipſe etiam Iuſtinianus, eadem Nouella recidit, quod tamen recantat in edicto De vicario Ponticæ. Vicarius Macedoniæ non fuit ętate Iuſtiniani. Non fuit etiam vicarius Thraciarum, ſed Longimuri. Olim erant in Oriente ſupradicti vicarii quatuor, qui in vniuersā dioeceſim præfectorum prætorio vice, & officio fungebantur. In Occidente ſex.

CAP. XXII.

Cogitationis pœnam non eſſe.

DVæ ſunt partes edicti *quod quiſque iuris.* vna eſt de eo, qui ius nouum dixit, altera de eo qui ius

nouum sibi dici postulauit. vtraque locum habet si quod ius dixit alteri, quodve sibi postulauit, effectum habuerit, *l.* 1. §. *vlti*, *D. de quod quisque iur.* nam si effectum non habuerit, cessat edicti pœna. Pœna appellatur in *l.* 3. *D. eod & l. cogitationis*, *D. de pœn.* quæ lex cum sit Vlpiani ex *libro* III. ad edictum, sicut *l.* 1. *&* 3. *D. quod quisque iu.* proculdubio de pœna illius edicti intelligenda est. Cogitationis ergo pœnam nemo patitur, ex edicto scilicet, *quod quisque iuris.* nam effectum requirimus. In aliis causis non tantum effectus punitur sed etiam voluntas, & hunc esse Romanorum ritum Seruius Honoratus scribit VI. Æneidos, in illum locum.

Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.

CAP. XXIII.

Patri præterito quemadmodum subueniatur.

SI filius emancipatus patrem testamento præterierit, patri querela inofficiosi testamenti datur: quia hæc præteritio pro exheredatione habetur, & licet patri nõ debeatur filij hereditas, propterea quod naturæ ordo patrisque affectio, & votum hoc est vt filius superuiuat & succedat patri, qua de causa patre, & filio commorientibus suggerente ordine naturæ dicimus filium superuixisse, *l. qui duos* § *cum pater*, *&* §. *vlt. D. de reb. dub.* attamen. vt Papinianus ait *l.* 15. *D. de inoff. test.* hic sæpe ordo turbatur, quibus verbis & in monumento Papiniani scriptum est, ei turbato ordine insenio parentes feciſſe: Horatius male iudicantibus fatis, & alia quædam inscriptio vetus præposteritatem naturæ hoc vocat, his fere verbis: *Infeliciss. parens adflictus præposteritate naturæ filium hoc tumulo condidit, quem importuna mors ademit, prærepsitque senii baculum, cui iam defessa ætas adnitens perbreues annos suos alleuabat, nunc ante mors adsequitur quam tristes lacrymæ deseruerint.* Cum vero ita ordo naturæ turbatur, ratio pietatis, siue miserationis exigit, vt si patri non fueritre licta quarta debitæ portionis, de inofficioso testamento sit actio. Competit etiam patri bon. possessio contra tabulas, si in emancipatione filii manumissor extiterit, id est si fiduciam contraxerit, quæ hodie pro contracta habetur semper ex constitutione Iustiniani. Vt manumissori siue patrono, bon. possessio contra tabulas certæ partis competit, *l. si à milite* §. *vlt. D. de mil. test.* vt patri, querela competit siue manumissor fuerit siue non *l.* 14. *D. de inoff. test. l.* 1. §. *vlt. D. si à par. quis man. sit.* in qua ius antiquum querelam significat, vt doctissimus, & prudentissimus Viglius docuit. Itaque patri manumissori præterito duplici iure defertur successio, ex prima parte edicti & ex parte vnde legitimi, si eam malit agnoscere querelæ de inofficioso ordinandæ causa. Vnde apponi commodissimè potest exemplum ad *l. quotics duplici*, *D. de reg. iu.* Ius antiquum est querela. Ius nouum bon. possessio contra tabulas. Hoc tamen prius defertur quam querela, quæ intestato successioni locum facit. nam bon. pos. contra tabulas prima edicti pars est. Ea repudiata, supersit ius vetus, id est, querela, siue bon. possessio vnde legitimi.

CAP. XXIV.

De concurrentibus actionibus.

NVnquam actiones præsertim pœnales de eadem re vel pecunia concurrentes alia aliam consumit: vt si quis eundem hominem subripuerit, & occiderit, actio furti actionem damni iniuria non consumit: si quis eandem rem subripuerit modo manifesto, modo nec manifesto, actio furti manifesti non consumit actionem furti nec manifesti: ac similiter si eandem rem tutor in gerenda tutela abstulerit & subripuerit, duo facta & duæ obligationes intelliguntur esse, & ex vtraque actor solidum consequitur: & si quis feram bestiam ibi habuerit, qua vulgo iter fit, & nocuerit bestia transeunti, actio ædilitia non tollet actionem de pauperie. Poenales actiones voco non tantum merè pœnales, sed & mistas, & adiicio, præsertim, quoniam in pœnalibus tantum huic regulæ locus est. Rei persecutoriæ inter se miscentur, nisi quid in altera pluris sit. Rursus huic regulæ locus est in pœnalibus quæ descendunt ex pluribus factis, non si ex vno facto plures sunt actiones pœnales, vt si quid publicanus abstulerit, si quis rem rapuerit, si seruum alienum verberauerit, si furtim arbores cæciderit, si alienam ancillam virginem immaturam flagitauerit. sed an omnibus vti liceret, dubitatum olim fuit maxime. Et alio quidem loco proditum est, omnibus experiri permitti post magnas varietates obtinuisse, alio, de vna re, id est, ex vno facto non posse omnibus vti probatum esse. vel vnus ex alio corrigendus, vel hac distinctione vtendum est. Omnibus vti licet si prius leniori egeris, vt si egeris cum raptore furti in duplum, supersit actio bonis raptis in id quod amplius in ea est. Non omnibus vti licet. si grauiori prius egeris, vt si prius egeris bonis raptis consumitur actio furti. Vt igitur rei persecutoria rei persecutoriam tollit, ita & pœnalis pœnalem. Quid vero dicemus si concurrat actio pœnalis cum rei persecutoria? Pœnalis aut est mere pœnalis aut mista. rursus mista aut arbitraria est aut non. Mere pœnalis si concurrat cum rei persecutoria, altera alteram non tollit, vt actio furti non tollit condictionem furtiuam vel actionem pro socio, & è contrario. Per mistam omnimodo tollitur rei-persecutoria. Per rei persecutoriam mista arbitraria tollitur, vt per actionem in rem restitutoriam vel de dolo tollitur metus causa, per actionem tutelæ, vel cõdictionem furtiuam tollitur actio rationibus distrahendis. Per rei persecutoriam mista quæ arbitraria non est non tollitur omnimodo: in id nãque supersit quod amplius in ea est. Itaque in specie qua est actio arborum furtim cæsarum & ex locato, & in qua est actio legis Aquiliæ & locati, dum dicitur actorem vna contentum esse debere, id ita accipiendum est, vt egisse mista satis habeat, & si prius egerit ex locato & exegerit aliquid, vt eo minus consequatur mista actione. Et sic etiam in edicto de calumniatoribus, dum dicitur alterutram sufficere, actionem puta in factum ex illo edicto vel condictionem, hoc dicitur, vt si egero in quadruplum, quod pecuniam dedi ne mihi negotium fieret, non agam condictione ob turpem causam. Sin vero condictione prius egero, vt etiam non agam in quadruplum, sed in triplum tantum. Actio ex illo edicto mista est, si dedi ne mihi negotium fieret. sed si dedi ne alteri fieret, mere pœnalis est, atque ideo tum ea actione condictio non tollitur vel contra. Sed huic postremæ sententiæ obstat quod dicitur, per actionem de recepto tolli actionem furti, nisi ita rem distinxero, idem in eundem si habeat actionem rei persecutoriam & mere pœnalem, altera alteram non tollit. Sed si idem in vnum habeat actionem rei persecutoriam, in alterum mere pœnalem, vt vector qui in exercitorem habet actionem de recepto, in furem furti, hic sane si elegerit & peregerit exercitorem, non potest transire in furem. Sed non ideo fur exuitur pœna. æquum enim est vt exercitor cuius periculo res fuit, habeat in furem furti actionem. Quod si vector elegerit furem, de recepto exercitor absoluitur. Idemque seruatur eodem modo in actione in duplum, quæ in exercitorem quasi ex maleficio datur ob nautarum maleficium.

CAP. XXV.

Explicatur L. I. D. de rebus dub.

QVidam cum σύγκτησιν plurium prædiorum soleret fundum Mæuianum appellare, eiusdemque nominis haberet specialem ac certum fundum, Titio legauit fundum Mæuianum, aut Seianum per vindicationem. Legatarij est electio. At ambiguitas est in legato fundi Mæuiani. nam ea appellatione, vt iam dixi, & specialis fundus quidam significatur & vniuersalis. Et significari vniuersalem rationibus defuncti comprobatur. quod genus probationis validissimum est, *l. prædiis* §. *Titio, D. de leg. 3.* Quia igitur rationibus defuncti appellatione fundi Mæuiani continetur etiam latifundium, ὁμωνυμία rem dubiam facit. & ideo quæritur vtrum specialis fundus Mæuianus an late diffusi fundi & sub eadem appellatione comprehensi legato contineantur. Papinianus ait, *l. 1. D. de reb. dub.* ambiguitatem solui ex comparatione fundorum legatorum. nam non magna pecunia inuicem distantium fundorum dedisse electionem testator videtur. Si igitur fundi Seiani pretium non magno distat à Mæuiani fundi pretio, ab eo scilicet qui proprie Mæuianus appellatur, hic sane tantum legatus videbitur, non omnis ea prædiorum vniuersitas, quę sub appellatione fundi Mæuiani rationibus defuncti demonstratur. Contra si fundus Seianus non minoris sit quam vniuersa illa possessio plurium prædiorum, vniuersa possessio legata videbitur. Et sic in *l. vlt.* §. *vlt. D. de trit. vino leg.* cum legato vino amphorario, aminæo, græco, & dulcibus omnibus, dubitaretur vtrum potiones tantum an & cibi dulces legati viderentur, Labeo respondit ex collatione vini amphorarii apparere potiones tantum legatas.

CAP. XXVI.

Per libertum dati libelli.

LEge Iulia nullum diuortium ratum est nisi VII. ciuibus Romanis puberibus adhibitis præter libertum eius, qui diuortium faciet, *l. 9. D. de diuor.* quod ita quidam excipiunt, libertos omnes repelli à testimonio, cum is profecto tantum qui libellum fert diuortii repellatur, de quo poëta,

Collige sarcinulas, clamat libertus, & exi.

Rectius in VII. testium numero hunc libertum computandum non esse censet Accursius: nec enim idoneus testis, cum sequester & internuntius sit diuortii. quod & in executore litis, & patrono eadem ratione seruatur, *l. vlt. D. de testib.* Per libertum mittebant libellum diuortii. Per libertum principi libellum dabant, *l. qui in prouincia* §. *1. D. de ritu nup. l. 16. D. interd. & releg.* Per libertum heredes recitabant testamenta. Suetonius *in Tiberio: Augusti testamentum recitauit per libertum* Dio LVI. ἢ μὴ τοῦτο τὰς διαθήκας αὐτοῦ πολύβιός τις ἡγεμὼν ἀνέγνω. Cæsarianus libertum Cæsaris significat. Per libertum rei defensionem mittebant aut recitabant. Cornelius Tacitus 3. *Defensionem liberto tradit.*

CAP. XXVII.

De exilio in Gypsum, & in Oasin.

GYpsus insula est Ægypti, quæ γυψὶς ab Stephano vocatur metallorum ferax, ideoque damnati in metallum mitti in eam solebant Iustiniani tempore, & A in Proconesum vnam Sporadum in Propontide, vel etiam deportari, vt constat ex Nou. XXII. & CXLII. & *l. vlt. C. de pœn.* quæ desideratur, sed prętercunā quod omissa est notitia prouinciarum & ciuitatum, in quas relegatio ea constitutione interdicebatur, cetera eius constitutionis liber LX. βασιλικῶν præstabit, inter quæ illud est, ne quis alius reos in Gypsum vel Oasin mittat quam præfectus Augustalis, & dux Thebaidos. rursus ne in perpetuum & ne vltra annum, hac ratione vt Græci interpretes tradunt de Oasi, quod sit infesta culicibus, & muscis grandioribus exulibus sæpe mortis causam adferentibus, & dandi scilicet vitæ vlus sint, vt Tiberius dicebat, quibus vita conceditur. Ventos incusat Zonaras in Theodosio regionem esse Arabiæ dicens λυπρὰν ἢ ὑπ' ἀνέμων καταπνεομένην φθοερπιῶν. Insulam Græci vocant. quod est falsum. quamobrem recte aditur, *Quasi* in *l. 7.* §. *est quoddam, D. de interd. & releg.* Duas autem Oases fuisse constat, maiorem & minorem, ὄάσεις ab Strabone appellari, quod tamen quidam prodiderunt, mihi neque constat neque probatur, generaliter οἰκήσεις ἐξειλημμένας ἐρήμῳ ἢ ἀνύδρῳ χώρᾳ *lib. 2.* definit. Ab iis quoque Ἄννεως separari debet, quæ & ipsa ciuitas est Ægypti, sicut Oasis. Stephanus Ἄννεως πόλις αἰγύπτου. τὸ ἐθνικὸν ἀννεάτης, ὡς ὄασις ὀασίτης. Oea item ab Oasi omnino separanda est. de Oea Plinius: Ibi inquit, ciuitas Oeensis, nihil mutandum. sic loqui Plinius solet. Ibi Pinara. Ibi regia Antæi. Ibi Hellen, At Cornelii Taciti *lib. xx.* pro *Ophensis* legendum *Oeensis*, quo loco agit de bello à Vespasiano cum Oeensibus gesto, de quo idem Plinius. *Bello*, inquit, *quod cum Oeensibus gessere initiis Vespasiani Imperatoris*, & Solinus. *Vespasiano principe bello quod cum Oeensibus gestum est.*

CAP. XXVIII.

De incestis nuptijs.

QVod Sozomenus scribit Constantinum τὰς ἀκολάστους καὶ κατὰ βεβλακευμένας μίξεις coërcuisse, quas ante eum nemo prohibuerat, id que ex legibus ab eo latis apparere, de incestis nuptiis accipio, non de concubinatu: nam concubinatum Constantinus non improbauit, *l. 1. C. de concub. l. Dini, C. de nat. lib.* Nullæ tamen de incestis nuptiis extant Constantini leges. & forsitan patri Sozomenus tribuit quod est liberorum. nam ii sane primum defuncti fratris vxorem vel defunctæ vxoris sororem duci vetant, quod ante non fuerat prohibitum, *l. 1 C. Th. de incest. nupt.* Hidem destrictè fratris sororisue filiam in matrimonium duci vetant hac constitutione, quę sequitur. *I M P P. Constant. & Constans A A. ad prouinciales Phœnices. Si quis filiam fratris sororisve faciendam crediderit abominanter vxorem, aut in eius amplexum non vt patruus aut auunculus connolauerit, capitalis sententiæ pœna teneatur. Dat. prid. Kalend. April. Antiochiæ Constantino & Constante A A. Coss.* Eam idcirco proposui, quod non esset edita. Sed hæc coniunctio ante Constantinum, & Constantem modo fuit permissa, vt ex Cornellio Tacito constat, XII. modo etiam multis constitutionibus inhibita, *l. qui in prouincia* §. 1. *l. sororis, D. de ritu. nup. l. nemini, C. de nup.* Xiphilinus *in Nerua*, ἐνομοθέτησε ὃ ἄλλα τε καὶ περὶ τοῦ μὴ ἀδελφιδῷ γαμεῖν. Ac rursus postea impetrante Zenone à Basilisco occupata tyrannide permissa, quod recuperato imperio abrogauit Zeno, *l. vlt. C. de incest. nupt.* Vulgo enim ea lex Anastasio mendosè adscribitur, cum talis potius esse debeat eius inscriptio, *Idem A. Sebastiano PP.* Est ad eundem Sebastianum alia Zenonis constitutio, qua Basilisci acta rescinduntur in *l. decernimus, C. de sac. eccl.* Sebastianum morib. præditum Trib. simillimis, vt Sudas in Zenone scribit,

CAP. XXIX.

Ad § quies, l. 1. D. de off. præf. vrb.

QVod Vlpianus ait in *l. 1. D. de off. præf. vrbi*, quietem popularium & disciplinam spectaculorum ad præfecti vrbi curam pertinere, id soleo referre ad factiones agitatorum quatuor, quæ in vrbe fuerunt, Venetam, Prasinam, Albatam, Russatam, quas Græci vocant δήμους, & video antiquum Iuliani antecessoris interpretem eodem modo quod quasi adiutori præfecti vrbi Iustinianus mandat prętori plebis Nou. XIII. vt populares turbas compescat, de Venetianis & Prasianis interpretari. Populares igitur sunt qui Factionarij dicuntur, *l. 1. C. Th. de equis cur.* & antiqua inscriptione, *Cl. Aurelio agitatori factionis russatæ, Togeni, Cæsareo, sui temporis primo & solo factionario obgloriam.* & ita etiam in libro siue formula mandatorum Iustiniani, quæ est Nou. XVIJ, δήμους τῶν πόλεων pro factionibus circensibus accipio, vt lib. v. Epig. πολλάκις δήμους ἠλλάξατο, id est, diuersarum factionum fuit.

CAP. XXX.

Duo loci, in quibus pro hominibus, *non, vt videtur, reponendum est* nominibus.

IN *l. 3. C. de vsur. pup.* pecuniam pupillarem idoneis hominibus credere, habent omnes libri tam Græci quam Latini, Græci εὐπόροις προσώποις. igitur noli temere mutare, *nominibus*. vtrumque enim est rectum, *idoneis nominibus credere & idoneis hominibus credere.* Idoneos accipimus pro locupletibus, vt in *l. vlt. D. rē pup. sal. fo.* in qua sic lego. *Et idonei culpa detegatur*, non *idonea*. Idonei id est tutoris eius qui soluendo est, pro quo Basilica pluratiuo numero habent, καὶ οἱ εὔποροι ἐρρέθησαν. Alius est locus in *l. 2. §. vlt. D. de cust. reor.* in quo etiam nihil mutandum censeo. Quod in priuatis quoque causis & hominibus sub fideiussore factis obseruatur, noli mutare, *nominibus*. Sententia est elegans, vt in causa criminali reus exhibitus ex vna causa non accusatur alio crimine ante admisso, ita in causa ciuili, qui satisdare iudicio sisti ex vna causa, stati iudicio ex alia causa conueniri non possunt, nisi actio sit tempore peritura. Homines sub fideiussore facti dicuntur Græco modo, qui satisdedere iudicio sisti. & sic reus sub custodia officij factus, *l. j. C. ad Turpil.* Seruus apud verum dominum factus, *l. 21. C. de fur.* in possessionem factus, *l. si fideicommissorum §. j. D. vt in pos. leg.* & No. XVIJ. εἰ δέ τινα ὑπὸ καὶ τὸ λόγον ποιήσεις, quod ita vetus interpres recte, Si vero etiam aliquem sub verbo feceris. In illa autem *l. 2. §. vlt.* etiam Græci *hominibus* legunt, non *nominibus*, quorum verba subiiciam: ὅπερ καὶ ἐν ταῖς χρηματικαῖς αἰτίαις ἐπὶ τῆς ὑπὸ ἐγγύας γενομένων προσώπων φυλάττεται.

CAP. XXXI

De Ergolabis, siue redemptoribus litium.

SÆpe potentiores alienas actiones suscipiunt, & intendunt quasi suas, præstantque hoc modo causis alienis patrocinium suum nomen adcommodantes, vel gratia vel mercede. cuius rei coërcitio pertinet ad prędides prouinciarum etiam aduersus senatores vel clarissimos ex constitutione Claudij, *l. j. C. ne lic. pot. pat. litig. præs.* non Ti. Claudij, sed M. Aurelij Claudij cuius à Zonara celebratur alia constitutio de petitionibus bonorum sublatis. Quod si quæratu hic obiter quid ille titul. *Ne lic. pot.* à tit. *De alien. iud. mut. cau. fac.* non dicam, non eodem modo potentiorem vtroque titulo accipi, hoc enim est falsum, sed dicam tit. *Ne lic. pot*, pertinere ad actorem. Tit. *de alie. iud. mut.* ad reum. Tit. *ne lic. pot.* esse de actione in potentiorem translata futuræ actionis euitandæ causa. Suscepit autem, vt diximus, potentior alienam litem patrocinii causa vel gratia vel mercede. rursus mercede modo data, modo accepta. Mercede data, vt si quis actionem alienam pecunia redimat, eius qui actione tenetur lacessendi, vexandi, vlciscendi gratia. quod est odiosum & inuidiosum ideoq; solet emptio nominum strictius accipi, *l. pen. C. mand.* est enim plerumque calumniæ, & vexationis emptio quam iuris, & ἐργολαβία mera Harmenopulus: ἐργολαβός ἐστιν ὁ χρήματα δεδωκὼς ἐπὶ τῷ ἐκχωρηθῆναι ἀγωγήν. Mercede accepta, vt si quis alienam litem agendam suscipiat quasi suam sub pactione tertiæ vel quartæ vel dimidiæ partis. quod leges vetant, *l. 20. C. mand. l. litem, C. de proc. l. 5. C. de post. l. sumptus, D. de pact. l. 7. §. si cui cautum, D. de ext. cog.* Idemque est ἐργολαβεῖν. Zonaras Chalced. *synodi c. 2.* ἐργολαβεῖν ἡ μὲν δὴ τοῖς νόμοις διαβεβλημένον ἐστίν. ἐργολαβεῖν δέ ἐστι τὸ ἀλλοτρίας ὑποθέσεις, ἢ πράγματα ὑπεισέρχεσθαι πινὰς διὰ κέρδος. Vel si bona aliena aut agricolas alienos defendendos suscipiat mercede certa: quod etiam leges vetāt, *l. 1. & 2. C. vt nemo ad suum pat. susc. vic.* & est ἐργολαβεῖν, vt No. Tiberij de diuinis domibus: γεωργὸς ἀλλοτρίας ἐνεργολαβεῖν ἢ προστασίαν αὐτοῖς ἀπονέμειν, & No. Iustiniani XVIJ. τὰς ἑτέρων βίας ἐνεργολαβεῖν, id est aliorum bona patrocinio suo defendenda redimere.

CAP. XXXII.

Rationalis Summæ rei. Libera testamenti factio.

ACcepi diruptos nescio quos imitatores, qui scribendi priusquā discendi celeritate præcipiti misere voluuntur, in inscriptione *l. 7. C. vbi can. fis.* male, rationalem summarum, vt in *l. 7. C. Th. de iu. fis.* & in *notitia Ro. Imperij*, & auctorem summarum *in Domitiano Suetonij*. Ego Rationalem summæ rei, retinendum censeo. nam & in *l. 3. C. si propter pub. pens.* procurator Cæsaris, Procurator Summæ rei appellatur, & in rescripro quodam Galieni apud Eusebium, *lib. 7. cap. 13.* ὁ τῆς μείζους ἀξιώματος προστατῶν. & in antiqua inscriptione, *Val. Honoratus V. P. rat. S. R.* Cornel. Tacitus, 5. *Neminem summæ rei imponere poterant.* & 13. *Euolutum se de patria rebusque summis.* Hoc de rationali, cuius breuitas poscit etiam aliud adiungi, id erit de libera testamenti factione & differentia patronorum, & liberorum siue parentum. Libera testamenti factio conceditur à principe solo, à priuatis, veluti à patrono libertis remitti potest, *l. pen. & vlt. C. de bon. lib.* Vtriusque concessionis idem est effectus. sed quæ oratio propria est legis, & imperatoriæ maiestatis, veluti *Do liberam testamenti factionem*, ea non recte vtitur priuatus. *Remitto ius patronatus.* oratio est priuati hominis propria. Principes autem data militibus libera testamenti factione, *l. 1. l. si à milite, §. vlt. D. de mil. test.* sane iuris communis obseruationem remiserunt. & hoc voluisse eos constat. Non eadem omnino mens est principis libertino dantis liberam testamenti factionem. nam secundum petitionem, libellumque libertini remittere ei tantum videtur legem Papiam & edictum prætoris de bonis libertorum, *l. 3. §. 1. D. de bon. lib.* non ceteras

omnes obseruationes iuris communis, *l. si quãdo, in prin. C. de inoffic. test.* quemadmodum & si forte picturæ professoribus filiisfamilias daret princeps liberam testamenti factionem, soluere eos tantum videretur ea lege quæ filiofamil. testamentum facere vetat, non ceteris. Hoc igitur vult *l. si quando*, principem dantem liberam testamenti factionem non omnia vno hoc verbo solemnia iuris remittere, sed spectandum esse, cui & qua fini, quaque mente concesserit. Male Accursius in *d. l. si quando*, meliorem facit causam liberorum quã patronorum, cum sit par vtriusque in ea re, nempe vt data libera testamenti factione fraus liberis, vel patronis non fiat, nisi ea mens principis fuerit. In eodem error versatur in quæstione *l. scimus*, §. *1. eod.* nam vt patrono olim euicta legitima portione in totum vel pro parte, competebat bonor. possess. contra tabu. ita & filio querela inofficiosi testamenti, & hodie vt filio euicta legitima pro parte, supplementi petitio datur, ita & patrono ad similitudinem successionis ingenuorum §. *sed nostra*, *Inst. de suc. lib.* Idem simili errore in quæstione *l. vlt. C. de inoffic. test.* putat meliorem esse filiorum & parentum quam patronorum causam, cum sit par omnimodo. nam vt contra bona castrensia liberti militis patronus non habet bon. possessionem contra tab. ita nec pater contra bona castrensia filij militis sui vel emancipati habet querelam inofficiosi testamenti. Et quod dicitur in *d. l. vlt. & l. si filius* §. *Pap. D. de bon. lib.* de liberto milite accipiendum est, vt non absre quidam suppleuerint in *d.* §. *Pap.* Titium heredem castrensium liberti commilitonem fuisse. Contra autem inuenio meliorem esse causam patronorum quam liberorum vel parentum. Libertates datæ in fraudem patroni lege Ælia Sentia nullæ sunt. Datæ in fraudem filiorum vel parentum, valent. Si quid alienetur in fraudem patroni, Fabiana vel Caluisiana est actio. Si in fraudem filiorum vel parentum, nulla est actio. Libertates minuebant portionem debitam liberis & parentibus, non debitam patronis, ante constitutionem Græcam Iustiniani De iure patronatus, quam habeo integram.

Cap. XXXIII.

Iudiciorum quæ ex delictis nascuntur differentia.

QVid publica, & extraordinaria iudicia criminalia distent à popularibus & à priuatis pœnalibus iudiciis explicare non est in facili. An vero quia hæc in rei persecutione, illa in sola vindicta constituta sunt? minime. nam & populares ad vindictam pertinent, & ex priuatis iniuriarum actio. An quia horum pœna est pecuniaria, illorum capitalis vel corporalis? ne hoc quidem. nam & publica quædam iudicia pecuniariam pœnam habent, veluti ambitus & de plagio. An quia hæc priuatam causam, siue vindictam continent, illa publicam? & hoc quoque minus. nam & populares publicam causam continent, & publicum iudicium iniuriarum ad priuatam causam pertinet, qua re priuato iudicio ei facile præiudicatur, & in eo iusiurandum defertur, quod in aliis non permittitur, & extraordinaria publicam vindictam non persequuntur. quia nec quilibet ex populo eis experitur. An igitur quia in publicis extraordinariisque iudiciis longe alius est reorum habitus, alia iudiciorum forma, alij iudices, & iudices non arbitri, & grauiores damnationes, & accusatoris in crimen subscriptio? hoc placet satis. Porro publica iudicia legitima, & ordinaria sunt, legem, pœnam, formulam habent certam, veluti maiestatis, proditionis, repetundarum, peculatus, ambitus, adulterij, stupri, homicidij, veneficii, parricidii, fraudatæ annonæ, residuorum, vis, calumniæ, vsurpatæ inge-

A nuitatis, plagii, falsi, iniuriarum, præuaricationis. Extraordinaria legem quidem habent, sicut & omnia qualiacunque iudicia, specialem pœnam & formulam ordinemve certum non habent, veluti concussionis, abigeatus, stellionatus, effracturæ, expilationis, terminì moti, præuaricationis, & alia innumera. Hodie publicorum quoque iudiciorum nullæ sunt formulæ. Sublatis formulis mansit legum pœna aliquandiu, sed & postea constitutionibus pœna in incerto & in arbitrio iudicantium esse cœpit. Itaque à pœna hodie appellari posse vere dixeris. idem accidit omnibus iudiciis ordinariis. aguntur namque omnia extra ordinem omni ex
B causa. idcirco moribus nulla nunc actio furti in duplum vel quadruplum, quia extra ordinem agitur, quo agendi genere electo consumitur actio dupli vel quadrupli, *l. interdum* §. *qui furem*, *D. de furt.* idemque de ceteris iudiciis priuatis & popularibus dici potest. Porro publica iudicia & publicæ leges dicuntur *l. 1.* §. *1. D. ad leg. Corn de sic.* & publicæ quæstiones. Appellationis ratio non alia quam quod pateant omnibus. quamobrem tam falsum est ea etiam quæ non omnibus patent publica aliquando dici, quod tamen ausi sunt quidam scribere, quam verum est popularia quod omnibus pateant etiam publica dici. Æque igitur publica
C & popularia iudicia omnibus patent, æque etiam vtraque non tam pecuniam quam vindictam persequuntur. Extraordinaria omnibus patere non puto, *l. 3. D. de ext. cr. l. 2. D. de concus. l. 2. D. de abigeis*, *l. 3. D. de præuaric. l. vlt. D. de furt.* Priuata etiam constat publice omnibus non patere, sed neque ad vindictam pertinere, præter iniuriarum actionem. Igitur priuata tantum iudicia pecuniaria sunt. Pecuniaria voco non respectu pœnæ, quo & popularia, & publica atque extraordinaria quædam pecuniaria dici possunt, & ipsa quoque iniuriarum actio, sed rei pecuniæve amissæ respectu, & ita pecuniariam actionem accipio in *l. de sepulcro, D. de sepul. viol.* hoc sensu, non tantum læsæ religionis, hoc est, vindictæ nomine, sed & rerum ex sepulchro amissarum causa sepulchri violati actionem esse. Horum omnium iudiciorum variam quoque commutationem adnotari par est. nam & quod priuatum
D est, publicum potest esse vel extraordinarium, veluti furti, & quod extraordinarium, publicum, veluti præuaricationis & concussionis, & quod publicum, priuatum, vt de pecuniis repetundis, de quibus plerunque itur ad recuperatores.

Cap. XXXIV.

De condictione ex promutuo.

QVa actione tenetur is, qui mutuam pecuniã sumpsit, eadem tenetur qui quasi à debitore indebitam pecuniam accepit. Qui mutuam sumpsit quasi à creditore, condictione tenetur. Eadem tenetur qui quasi à debitore solutam accepit. quod aperte indicat
E *l. 5.* §. *is quoque, D. de obl. & act. Qui non debitum accepit, eadem*, inquit, *actione tenetur qua debitores creditoribus.* vbi debitorum, & creditorum nomen stricte ad mutui duntaxat causam refertur, & §. *item is cui, Inst. de obl. quæ quasi ex con.* Perinde, inquit, is qui accipit indebitam pecuniam obligatur ac si mutuum ei daretur. & ideo condictione tenetur. Eadem igitur actio datur ex mutuo, & ex promutuo, ex contractu & quasi ex contractu mutui. Indebiti solutio promutuum est, si ea soluantur, quorum datione in creditum itur. Mutuum contractus, Promutuum quasi contractus. id est, quasi mutui datio, vt ait *d.* §. *is quoque.* Mutui vsuræ non debentur *l. Titius, D. de præsc. verb.* Promutui vsuræ non debentur *l. 1. C. de cond. indeb.* Vt ex mutuo, ita ex promutuo pupillus non obligatur sinetu-

toris auctoritate, §. *is quoque*, *Inst. quib. mod. tol. obl.* Vt mutui, ita & promutui actio per liberam personam nobis adquiritur, *l. 6. C. de cond. ind.* Ex mutuo semper non datur actio, *l. si pupilli* §. *1. D. de neg. gest.* Ex promutuo semper non datur, vt si soluero quod nondum debeo, postea debere cœpi, vel certo debiturus sum *l. in diem*, *l. sub condicione*, *D. de cond. indeb.* At si soluero pecuniam quam nondum debeo, nec postea debere cœpi, vt si vecturam nautæ soluero, qui vehendi munere postea non fungitur, ex promutuo est actio, siue repetitio, id est condictio, *l. ex conducto* §. *item cum quidam*, *D. loc.* quæ quasi ex mutuo datur. Promutuum non est si alia quæuis soluantur, quibus in creditum non itur. Tum vero condictio datur ex bono tantum & æquo, certe non ex contractu: indebiti enim solutio distractus est, non contractus, *l. indebiti*, *l. hæc condictio*, *D. de cond. indeb. l. pen. D. ad Treb.* & ideo non nisi quatenus is, qui accepit locupletior factus est datur, *l cum ij*, §. *sane si is qui*, *D. de transact.* & in ignorantem non datur, vt si hominem indebito solutum ignorans manumiserit, *l. in summa*, §. *pen. D. de cond. indeb.* Hæc igitur condictio est ex bono & æquo, non ex contractu, & cum ea soluuntur, quorum datione in creditum itur ex quasi mutuo, ex mutuo tacito, ex promutuo, non ex mutuo, vel vt Iustinianus ait *in Institutionibus*, magis ex distractu quam ex contractu. vbi magis ponitur non ἐν συγχύσει, sed ἐν θέσει.

Cap. XXXV.

Iuliani à Celso dissensio.

DEbeo Stichum aut Pamphilum sub disiunctione, electionẽ habeo soluendi quem velim. Per errorem vtrumque solui putans me vtrumque debere coniunctim. Quæritur an vt soluendi, ita condicendi quem velim habeam electionem? Celsus, Vlpianus, Marcellus creditoris esse arbitrium dicunt retinendi quem velit, quasi iam nunc creditor debeat alterutrum sub disiunctione. *l. si non sortem*, §. *pen. D. de cond. indeb. arg. l. 49.* §. *1. de fideius.* Iulianus debitori electionem dat repetendi quem velit, cuius sententiæ vestigium est in *l. cum is*, *in prin. D. de cond. indeb.* idem Papiniano videtur, & Iustiniano probatur *l. pen. C. eod. correcto* §. *pen. l. si non sortem.* At si in hac quæstione Iulianus à Celso dissentit, consequens est, vt & in ea dissentiat quæ sequitur. Si is qui Stichum aut Pamphilum debet, per errorem putans se pure Stichum debere, Stichum soluerit, ei Celsus non restituit electionem atque adeo condictionem non dat, *l. si is, cui legatus*, *D. de leg. 2.* Iulianus ei dat electionem, *l. cum is*, §. *vlt. D. de cond. ind.* quod etiam sententiæ Iustiniani congruit. Discordat sæpe Iulianus à Celso, vt in specie *l. si procurator*, *D. eod.* quod ex Iuliano traditur est contra Celsum. Et in *l. 1.* §. *1. D. de vsufr. acc.* quod ex Iuliano traditur, est etiam contra Celsum in *l. & Proculo*, *D. de leg. 2.* Verum à superiori constitutione Iustiniani excipiendus est casus *l. plane si duos*, *D. de cond. indeb.* Duo rei Stichi aut Pamphili, vtrumque pariter soluerunt, an condicent partes? Minime. quia nec soluere potuissent partes. Sed is condicetur in solidum quem creditor reddere voluerit. Cum plures soluerunt, necessario electio reddendi siue retinendi creditori seruatur. Cum vnus soluit, electio est soluentis.

Cap. XXXVI.

His verbis, Hoc amplius, *alias augeri, alias minui legatum.*

EÆ adiectiones, *Hoc amplius*, *Præterea*, *Idem*, seruiunt repetitioni. quæ quidem repetitio varios effectus habet. nam si eidem legetur siue coniuncta siue separata scriptura, vel plenius legatum facit *l. qui ita*, *D. de do. præleg. l. Seio* §. *pen. D. de ann. leg.* & vtile id quod erat inutile, *l. legata inutiliter*, *D. de leg. 1.* & condicionem adiicit priori scripturæ, *l. si tibi pure*, *in princ. D. de legat. 3.* vel inferior, *l. in repetendis*, *D. eod. l. cum seruus in fi. D. de condic. inst.* vel exiguius legatum facit. neque nouum est, vt eadem adiectio modo augeat modo minuat legatum, *l. ea autem*, *D. de leg. 3.* Exiguius autem fieri videtur si puro legato adiiciatur dies vel condicio, itemque in specie *l. Aurelius* §. *testamento*, *D. de lib. leg.* si qui testamento Titio omne debitum remiserat, & eo amplius x. legauerat, postea codicillis hoc amplius quam quod testamento legauerat à Titio donec aduiuet vsuras sortis debitæ exigi vetuit, & quantum exigeret heres iure stipulationis, vt tantum refunderet iure legati, quia manifestum est voluisse eum minuere pri⁹ legatum & præterea his verbis, *Donec aduiuet*, in personam non in rem vsurarum liberationem legasse. Ait autem, *Donec ad*, vt in *l. 30. D. de adim. leg.* *Quamdiu ad*, vt vulgo *Quoad*, siue *Quod ad.* Nou. 11. libri scripti habent, *Vsu apud matrem donec ad viuet seruando*, & Suetonij *in Augusto*, *Donec ad desideria militum ordinarentur.* Vetus interpres No. xxij. *licet vti frui donec ad vixerit.* Alij dixere, *Dum ad*, vt *l. 1. C. Th. de leg her.* Hieronymus *aduersus Iouinianum. Dum ad viuis bene abuti substantia tua.* Tertullianus de anima. *Qui in ipsis tunc fuerunt, dum ad viuerent.* Eucherius *ad Valerianum. Vtique dum ad viuunt vitæ suæ causam agunt.* Marcellinus Comes *in Chronico. Ibique dum ad vixit*, &c. Anianus *ad l. 2. C. Th. de secund. nup. dum ad vixerit mater.* & ad *l. 3. C. Th. de dotib.* Sed si diuersis legetur, alias hæc verba, *Hoc amplius*, priori legatario in eandem rem pecuniamve collegatarium & coniunctum adiiciunt, *l. 13. D. de legat. 3.* vt si leget Primo fundum, & Secundo hoc amplius decem, alias legatario vnius rei separatim in aliam rem alium legatarium adiiciunt, non collegatarium, hoc modo, *Primo fundum dato amplius quam primo legaui*, *secundo x. dato.* id est, non Primo tantum fundum dato, sed & Secundo x. nam & vulgo eodem sensu ita legunt, *Primo 10. & hoc amplius vxori eius 10. dato.* Oneratur heres adiectione legatorum, non prior legatarius adiectione coniuncti, *l. si seruus legatus* §. *si ita scriptum*, *D. de leg. 1.* In initio *l. cum seruus*, quam supra citauimus ex *l. auia*, *D. de condic. & demon.* pro *condicionem* legendum est, *libertatem.* nec enim potest in legato repetita condicio censeri eadem, quæ fuit in institutione, vel si eandem repetitam ponas, condicio, quæ deficit in institutione, deficit & in legato.

Cap. XXXVII.

Restitnitur Alabarchiæ nomen in L. ix. C. de vect. & com.

LEx *9. C. de vect. & com.* loquitur de vectigali Alabarchiæ per Ægyptum & Augustamnicam constituto, quæ duæ sunt prouinciæ dioeceseos Ægypti. Lego *Alabarchiæ*, non *Arabarchiæ*, qui error etiam est in Cic. *2. ad Att.* & Iuuen. *Sat. 1.* aut sane vtrumque rectum est, vt ἀραλέον ἀλαλέον, φραγγέλιον, φλαγγέλιον. Lego *Alabarchiæ*, vt in Iustiniani edicto xj. τῷ κτ' ἀλαβάρχ. & paulo post, παρεσῶτις ἀλαβαρχῶν. & Iosephus 18. ἀρχαιολογίας meminit Alexandri cuiusdam Alabarchæ, & 20. τῶ ἀλαβαρχήσαντος in Alexandria. Legendum etiam in *d. l. 9. præbitione*, pro *prohibitione.* Ait ne animalia transducantur sine præbitione solita, id est, sine vectigali Alabarchiæ. ex quo apparet vectigal Alabarchiæ esse id quod pro transductione pecorum infertur. Ἄλαλα est scriptum siue atramentum, quo scribi-

mus, vt Phauorinus ait. Sic Latine vectigaliorum ratio scriptura dicta est, & vectigalibus præpositus magister scripturæ siue Alabarches. qua ratione Cicero M. Antonium Alabarchen vocat, quod multa vectigalia exegisset Ægypto, non Arabarchen quod domuisset Arabiæ partem.

Cap. XXXVIII.

Ius ædilitium iuris prætorij portionem esse.

QVod traditur in Institutionibus ius ædilitium iuris honorarij portionem esse, non ex eo sequitur, & iuris prætorij portionem esse. sed sicut præf. annonæ & præfect. vigilum siue prætor plebis quasi adiutores sunt præfecti vrbi, & sub cura ac dispositione eius, adeo vt vere dici possit iurisdictionem præfe. annonæ, vel prætoris plebis portionem esse iurisdictionis præfect. vrbi, ita vere dici potest subleuari prætorem ab ædile, & ius ædilitium iuris prætorii portionem esse. nam & qua de re edicit ædilis, edicere prætor potest, veluti ne fera bestia ibi habeatur qua vulgo iter fit, auctore Paulo 1. *Sententiarum*, & deficientibus ædilibus (nec enim semper quotannis ædiles creantur) iudicia ædilium ad prætores transferuntur, vt Dio scribit *lib.* 53. Eodem modo legatus proconsulis licet propriam iurisdictionem habeat, est tamen ea portio iurisdictionis proconsulis. Idem dici de defensoris plebis iurisdictione potest, vt sit portio præsidalis iurisdictionis ex Nou. xv. Qua de causa sicut à legato proconsul appellatur, à defensore præses, ita videtur ab ædile prætor appellandus, à prætore plebis, vel à præfecto annonæ præfectus vrbi, quanquam nondum ita subdito præfecto annonæ dispositioni præfecti vrbi dicatur in *l. vlt. D. Quod cum eo* &c. à præfecto annonæ principem appellari.

Cap. XXXIX.

Pœnæ depensæ repeti non solent.

AIt *l. pœnæ, D. de cond. ind. Pœnæ depensæ repeti non solent.* His verbis, *non solent*, significatur esse regulam, vt *l.* 58. 94. III. §. *vlt. D. de diu. reg. iur.* Exempla palam, & in mundo omnibus non sunt. Vnum dabit *l. 1. D. de lege Iul. amb.* quæ damnatum lege Iulia ambitus & restitutum in integrum, pœnam pecuniariam repetere negat, quamuis res videatur rediisse ad causam indebiti. Alterum *l. 3. §. condemnatio, D. de tab. exhib.* quæ legatarium condicionalem qui interdicto de tabulis proferendis interim contumaciæ pœnam tulit, deficiente conditione negat pœnam repetenti restituere. Quo exemplo forte si de pœna inter debitorem & creditorem non conuenerit si ad diem fors non solueretur, & debitor tamen per errorem pœnam soluerit ob moram, videtur pœnæ condictio non esse. nam & olim plerisque visum fuit vsurarum indebitarum condictionem non esse, vt in *l.* 18. *C. de vsur.* hæc verba demonstrant, *Exclusa iuris varietate.* Imputationem omnes admittebant. Eadem vero videtur esse regula *l.* 46. *D. de diu. reg. iur. Quod à quoquo pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur*: siquidem ita illud, Eidem, accipiatur, Eidem à quo poena exacta est. quod comprobatur etiam *l. si pignore, in prin. D. de pig. act. l. id quod, D. de solut. l. si debitor, D. de fur.* quæ A sunt de debitore, & creditore. Quod tamen à creditore exactum est ab alio nomine poenæ, debitori restituitur, vel imputatur. In aliis secus est *l. 6. D. loc. l. vlt.* §. *sed cum, C. de furt.* Differentiæ causa hæc, quia non eodem modo creditoris, & ceterorum interest. Creditoris interest crediti ratione cuius securitas creditori aufertur ablato pignore. Conductoris & commodatarii ratione vsus, qui furto intercipitur. Crediti causa furto non intercipitur. & satis est creditori, creditum saluum esse. æque satis esset conductori vsum saluum esse. quod esse non potest, furto interueniente.

Cap. XL.

De veteri interprete Nouellarum Iustiniani.

VEterem interpretem Nouellarum reiiciunt & aspernantur temere omnes: quod equidem fero iniquo animo, cum propter antiquitatem (crediderim enim Græcum fuisse, qui non multo post editionem Nouellarum rogatus Occidenti latinam interpretationem donauerit) tum propter eruditionem hominis. nam eruditioni deputo, quod ὁλκῶν Nou. XVII. eleganter vertit, formarum, & ἄπορον τ ἐπαρχίας, onus prouinciæ, effectum potius rei, quam significationem verbi spectans, vt Nou. περὶ ὑποβολῶν legitur sæpe, τὸ ἐλέγχ τ ἀπορίας, rectius sane quam Holoander depauperationem, & Nouel VII. ἄπορον κτῆσιν, foeneum possessionem, optime, vt Imperatores *l. 3. C. Th. de ind. deb.* foeneos, defectosque fundos, & Nouel. v. XVII. CXXIII. λόγον iusiurandum. dabatur enim λόγος interposito iureiurando vt Iuliani interpres & *l. vlt.* §. *vlt. C. de iis qui ad eccl. conf.* Et eleganter Nou. 2. Gregoriam extulisse maritum, id est, supremum officium fecisse marito. Sic quoque loquutus est Nou. XXXIX. hunc extulit. & No. XCI. etenim quidam prioris factus vxoris vir cum eam extulisset. & No. XX. Comes domuum, legendum esse cognoscens, τῶν οἰκιῶν, non τῶν οἰκείων, qui locus mirum in modum confirmat ea, quæ de Comite domorum scripsimus in *tit. C. de præpos. sac. cubic.* Religionem etiam hominis laudo, qui maluit retinere græca vocabula, in quibus hærebat latine interpretandis, vt Nou. CLIX. plenum esse φειδρίας & Nou. LXXXVIII. *Multis enim domos possidentibus in hac felicissima ciuitate ἐλαυνόντες, mox* &c. & Nou. XIII. Neque vlli φειδέσθαι aurum. Sed hæc non est typis excusa. Et aliarum loci etiam vulgo deprauati sunt, sicut aliis locis innumeris culpatur sæpe imprudenter optimus ille & antiquissimus interpres, ab iis qui si conferrent libros scriptos cum impressis, typographi operam, & interpretum incuriam potius exagitarent, vt Nou. XVIII. vbi pro *à maioribus*, legendum *amarioribus*, & initio Nou. II. *ornantes* pro *ordinantes*. & circa medium. *Nequaquam igitur valere volumus neque in* V. *libro Codicis cognominis nostræ pietatis positam constitutionem.* Sic vet. libri. & in fine Nouellæ VI. scripta cum adiectione *Dominico præfect. prætorio Illyrici.* & Nou. VII. pro *recompensam dari*, legendum *recompensanda re.* pro, *iis cohærere, thiis cohærere.* & No. VIII. pro *populi priuati, vlli prauitati.* & initio II. pro *audiuimus, adiuuimus.* Hortor studiosos, quibus plus otii est, quam mihi occupatissimo, vt diligenter habita collatione librorum veterum cum quotidianis, omnia menda repurgent, eumque interpretem emendatum suæ famæ & auctoritati restituant.

IACOBI CVIACII OBSERVATIONVM

LIBER IX.

A *mulomedicos*, τὸ ὑδρῶπα σαβάνῳ ἐπομόπλῃν.

CAPVT PRIMVM.

In Harmenopulum adnotationes quædam.

IN titulo Epitomes Constantini Harmenopuli perperam adiicitur κριτῶν παραπάρχοντος: quæ appellatio in vsu nunquam fuit. & error natus est ex titulo præfationis, qui est huiusmodi in bibliotheca regia, Κειτῶν παρατάξασις ἢ περὶ δικαιοσύνης. In eadem præfatione, ex eadem bibliotheca Demosthenis locus ita restituendus est, δόξαν ὧ χρημάτων οὐ ῥᾴδιον πρίασθαι. atque ita Stobæus legit, Περὶ δικαιοσύνης λόγῳ θ. cui similis est hæc Isocratis sententia ad Nicocl. δόξῃ. μᾶλλον χρήματα κτῆσαι, δόξα ὧ, χρήματων ἐκ ὠνητή. In lib. 6. tit. 14. ex Eparchicis ita scribit, Ὁ δόλον ποιῶν εἰς ἀσήμιον, καὶ ἐξ αὐτῆς ἐργαζόμενος, καὶ πωλῶν, χειροκοπείσθω. Vbi ἀσήμιον quidam legunt, & partem interiorem domus interpretantur: male. Ἀσήμιον est Argentum non signatum. Moschopulus περὶ σχεδῶν, Ἄσημον ἀργύριον, τὸ μὴ κεχαραγμένον. Sed & veteres glossæ, argentum interpretantur ἄσημον. Iosephus in vita sua, Ἄσημον ἀργυρίου σταθμὸς ἱκανός. Sententia igitur huiusmodi, Qui argentum adulterat, & ex eo opera facit ac vendit, ei manus abscindatur. In *tit. 2. lib. 6.* quod ex *Enchiridij tit 44.* scribit de præda partienda, vno verbo depravatum est, τέλφοις legendum τέλδοις. quo significantur sarcinę & impedimenta exercitus. Sudas: Σαγμάρια, τὸ παρὰ μῖν λεγόμενον τοῦλδον, τὰ βαστάζοντα τὴν ἀποσκευὴν καὶ τὴν μετακομιδὴν τῆς ἐπιπηδείων. Et alio loco, ἀποσκευὴ, ἡ τῆς ἐπιπηδείων κομιδὴ, τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον τοῦλδον. τὰ σαγμάρια. Leo imperator 3. Τακτικῶν. Καὶ τοῦλδον μέ ἐστιν ἡ ἀποσκευὴ καὶ χρεία πᾶσι τῆς στρατιωτῶν, τουτέστι πῶλοι ἢ καὶ ἡμιόζυγια καὶ τὰ λοιπὰ ζῶα, καὶ εἴ τι ἕτερον ὠφέλιμα πρὸς ὑπηρεσίαν τὸ φουσάτου ἐπισύρεται. Apud eundem Iulianus Ascalonita Priuatum dixit pro balneo, vt quod in *l. 13. C. Theo. De metatis*, priuatum dicitur, balneum est in *l. 6. C. eod. tit.* ad quam quæ auctores βασιλικῶν adiungunt sabana, etiam vsui sunt in balneis: & inde illud in homiliis scholasticis, καταγετε σάβανα εἰς τὸ βαλανεῖον. Lintea sunt quibus in balneis loti siccantur. Marcellus Exmagistro officiorum, (vt interim huius quoque auctoris titulum emendem, qui pro Exmagistro officiorum præ se fert Ex magno officio) lib. de medicamentis, *Caput laues, & crassa sabano diligenter siccabis, spongiis demersis, & linteo vel sabano intorto vtrinque expressis. Radices betæ lauabis, & expressas sabano siccabis. Sabano molli leniter deterges. In frigidam merge, & postea sabano diligenter exsicca. Melius erit si hanc potionem post balneum in sabanis adhuc constitutus acceperit. Dabis exeunti statim à balneo, ita vt dum sabanis operitur, bibat.* His tot Marcelli locis plane intelligitur quæ in Basilicis nostris vocentur sabana. Inuenio eodem sensu dixisse Apitium & Priscianum medicum & Aldhemum Theologum sæpe, *Sauano calido inuolues, Sauano mundo exsiccabis, Sauano expressam elixam. &*

CAP. II.

Contraria iudicia.

ACtio mutua, quæ ex contractu nascitur, vel est vltro citroque directa, veluti ex empto vendito, locato conducto, & pro socio: vel vno latere directa, altero contraria, vt in commodato, pignore deposito, mandato, gesto, tutela. Nam commodatori, debitori, depositori, mandatori, domino negotiorum, pupillo, directę actiones competunt, commodatario, depositario, mandatario, creditori, gestori, tutori, contrariæ, quo nomine significatur, dari eas ex diuerso vel è contrario, *l. 2. & vlt. D. de neg. gest.* & contra, *in l. si pignori, D. famil. ercis.* eaque ratione negatoria quoque actio de seruitutibus dicitur contraria, & à Græcis ἀντιθετικὴ τῆς ἀρνύσεως. Directæ actiones dantur directo, id est principaliter: qua de causa & principales actiones à Iurisconsultis appellantur. Hinc fit vt depositarius, commodatarius, mandatarius, creditor, gestor, tutor, quod principaliter & multo pluribus de causis obligentur quam depositores & cæteri, directa siue principali actione teneri dicantur: cæteri contrariis. quibus indemnitati tantum consulitur. Qua ratione nec sunt famosæ sicut tutelæ, mandati, depositi directæ, nec in eis iuratur in litem. At pro socio, empti, locati, vltro citroque directa est actio, quia in his contractibus contrahentium par conditio est, id est eisdem fere rationibus, ne multo pluribus potioribusve vnus quam alter tenetur. Quidam male de contrariis actionibus accipiunt quod Cicero 3. *De offic.* scribit in arbitriis bonæ fidei magni esse iudicij statuere, præsertim cum in plerisque essent iudicia contraria, quid quemque cuique præstare oporteret. Legendum, *Magni esse indicij*, vt in *Institutionibus Sulpitij Victoris*, *Magni esse indicij in causis non labi, quod frequenter eueniat vt multæ causæ videantur consistere, neque tamen consistant.* Iudicia autem contraria, non contrarias actiones vocat, sed contraria iudicia hominum. Nam vt idem eodem loco ait, magnam esse quæstionem in fiduciæ formula, Vt inter bonos bene agier, qui sint boni, & quid sit bene agi, ita in arbitriis bonæ fidei vel æquitatis definitio valde difficilis est: vt his consequenter recte dixerit Celsus apud Paulum, in Quæstionibus de bono & æquo, plerunque sub auctoritate iuris scientiæ perniciose errari: & Tryphoninus, Bonam fidem, quæ in contractibus exigitur, æquitatem summam desiderare, id est Peritiam summam bene iudicandi. Vna est æquitas bene iudicandi, alia se cum cæteris coæquandi, vt Lactantius scribit 5. *Instit.*

CAP.

Cap. III.

Ad stipulationes ædilitias.

VLpianus in *l. Si ita quis stipulanti, D. de euict.* docens hanc stipulationem, Sanum esse præstari, vtilem esse. Alioquin, inquit, stipulatio quæ ab ædilibus proponitur, inutilis erit. quod vtique nemo sanus probabit. Alludit ad formulam stipulationis, & Varronem imitatur, qui *lib. 2. de emptione caprarum.* (*apras* (inquit) *sanas sanus nemo promittit: nunquam enim sine febri sunt.* Et simili forma Caper Grammaticus. *Qui cereber dicunt, sine cerebro viuunt.* Adiiciebatur autem in ea formula stipulationis, *Recte sanum esse.* Quo respexit Iauolenus in *l. qui tertiana, D. de ædil. edict.* dum illos qui tertiana aut quartana aut podagra vexantur, quive comitialem morbum habent, scripsit ne iis quidem diebus quibus morbis vacant, recte sanos dici. & sic idem Varro, *Illosce iuuencos sanos recte, deque pecore sano esse spondes? Illasce oues sanas recte esse, vt pecus ouillum quod recte sanum est, spondes?* Illud in vniuersum de iis stipulationibus ædilitiis in emendo pecore ita idem Varro definit. In emptione alias stipulandum statim esse, alias à sano pecore, alias è neutro. Statim esse, quod in Mamilij formulis est, *Hodie esse, bibere*, quæ stipulatio caprarum nomine interponitur. Male vulgo addi, E valetudinario, vetera exempla testantur. Alias è sano pecore, vt in venditione ouium & boum: alias, de neutro, vt cum ad cultrum vel altaria bos venditur: alias, de vtroque, vt cum iumenta venduntur, quia non de sanitate solum cauetur, verum etiam, Hodie esse, bibere recte posse, *l. ex empto §. animalium, D. de actionib. empt.*

Cap. IV.

Explicatur l. xv. D. de fundo dotali.

VErum est quod Vlpianus *in Fragmentis* scribit, mortua in matrimonio muliere, aduentitiam dotem semper penes maritum remanere, & comprobatur *l. mulier, D. de cond. inst. l. 5. D. de bon. damn. l. 23. D. de euict. l. Celsus, D. de relig. l. 1. C. si aduer. dot.* Cornutus *in Persium*: *Dos*, inquit, *à cine Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non interuenerit, post mortem vxoris ad maritum pertinet.* Pertinet autem & remanet apud eum ipso iure, etiamsi pactio nulla interuenerit. Qua de causa & in *l. 15. D. de fund. dot.* dotale prædium mortua in matrimonio vxore, ipso iure virum retinere aio, & Græcos interpretes pactionem perperam exigere. Et quamuis post constitutum prædium dotale, id est traditam viro possessionem vir literas ad vxorem miserit, quibus dotis non fore prædium declarauerit, quæ literæ pro actione nuda habentur, vt in specie *l. qui negotia, D. mand.* maxime cum restitutione prædij non sumpserint effectum (nam post eas literas vir prædij possessionem retinuit) tamen potiora iura habet maritus in eo prædio, quasi dotali: propterea quod ex pactione illa nuda mulieri actio esse non potest, hoc est, possessionis prædij dotalis ex pacto mulieri heredibusve mulieris repetitio non est. In *l. cum mortem, de iur. fisc.* Tribon. hæc verba addidit, *pront ad maritum pertineat.*

Cap. V.

Cautionem quam heres sub condicione institutus substituto præstat, satisdationem esse.

CAutionem quam heres sub condicione institutus, interim petita bon. possessione secundum tabulas A substituto præstat, satisdationem esse verum est. Prætoria enim cautio est, & extra numerum earum quæ nudam repromissionem habent. quæ omnes enumerantur *l. 1. D. de præto. stipulat.* ex qua enumeratione (vt lex ait) apparet ceteras non esse repromissiones, sed satisdationes. Et nominatim Paulus scribit *5. Sentent. tit. 9.* institutum sub condicione substituto per stipulationem vtiliter cauere compellendum. Vtiliter autem est satisdato, vt *in §. constituitur, Instit. de vsufruct.* idque ex eo etiam apparet quod iubetur cauere in diē longiorem: quæ adiectio diei longioris in repromissionibus vacat. Est igitur ea stipulatio non satisdatio modo, sed & grauis & difficilis satisdatio, puta in diem B longiorem. Itaque non muto quæ de hac quæstione ad eum Pauli locum adnotaui: mutaturus, & erroris veniam petiturus libenter & prolixe, si ab altera parte veritas cuius studiosissimus sum, mihi stare videretur. Illud porro constat ex eodem Paulo, ea cautione heredem institutum cauere de non deminuenda hereditate. quæ fuit prior Accursij interpretatio ad *d. l. inter omnes.* Posterior ineptissima est, de restituenda hereditate substituto verbis directis. Et recte *l. inter omnes, Possidentem.* Nam pendente condicione heres institutus secundum tabul. petere bon. possessionem potest, adC quirere vel adire hereditatem non potest.

Cap. VI.

Explicatur species l. 2. C. de cond. inf. tam leg. quam fid.

TEstator filiam heredem institutam rogauit Titio dare fundum in diem certam, & ante diem cauere, Si à marito non diuertisset. Quo indicio videtur remisisse cautionem vulgarem fideicommissorum, si diuerteret. Sufficit autem quodlibet indicium, *l. Auia, §. vlt. D. de cond. & demon. l. 2. C. vt in poss. leg.* denique eo sermone filiam pater cohortatus est ad diuertendum, filia vero patris voluntati non obtemperauit, hoc est non diuertit. Quæritur an subire onus cautionis debeat. Id quidem refugit ipsa, hac ratione, quod D remissum videtur onus cautionis, si diuerteret. quæ condicio circumscribi solet, vt si sub ea heres instituatur vel legatum relinquatur *l. 5. C. de instit. & subst. l. 8. D. de vsu & hab.* repugnat enim vtilitati publicæ *l. 2. §. tract. D. ad Tertyl.* Ergo etsi non diuerterit, recte onus cautionis refugiet. Respondetur, dissimilia hęc esse In hereditate enim vel legato relicto sub condicione, si diuerterit, etiamsi non pareat voluntati testatoris, legati siue hereditatis emolumentum capit beneficio Constitutionum remittentium eam condicionem. Proinde contra voluntatem facit, contra ius nihil facit. In cautione qua onerata est filia, si à marito non diuerteret: si non diuertat, atque ita non faciat quod voluit pater, & præterea se cautione exonerari velit, tam contra voluntatem patris facit quam contra E ius publicum. Et absurdum est, quod contra voluntatem patris faciat, velle etiam eam vt sibi contra ius publicum facere liceat, id est contra edicti perpetui formam, quo heredes legatorum nomine cauere iubentur. Iurisdictionem & edictum pro eodem accipit, vt *l. 2. C. de test. mil.* Male ibi edictum quidam nouum, vt relicta sub condicione, ita demum capiantur si condicio consummata sit, quale nunquā auditum fuit, simul ac speciem nouam comminiscuntur.

Cap. VII.

Emendatur l. 18. D. ad exhib.

ACtio ad exhibendum datur vindicaturo, interdicturo vtrubi, optaturo, noxali iudicio acturo, *l.*

3. §. quia autem & seqq. l. de eo, §. sapius, D. ad exhib. non ex alia causa interfit, *d. l. 3. §. si mecum, & l. pen.* Solutione chirographo inani facto id sibi exhiberi creditoris ex superioribus causis non interest, licet videatur interesse ob hoc quod si ab eo repetatur pecunia quasi indebita, inde fuisse debitam iudici approbaturus sit, *l. qui tabulas, D. de fur.* quæ causa tamen debitoris repetitionem vel vindicationem non impedit, cũ possit creditori eo nomine satisfacere data antapocha. Creditori igitur de exhibẽdo inani chirographo, quod quidem vel debitor ipse habet vel alius, actio dari non potest. Debitori datur, quia vindicare chirographum potest. Condixerit sane rectius: sed vindicauerit etiam non male: atque adeo propter vindicationem de eo exhibendo egerit recte. Idemque de aliis instrumentis dicendum est quæ ad eum contractum pertinent, cuius obligatio solutione perempta est. Hæc cum ita sint, *l.* 18. *D. ad exhib.* emendandam esse censeo ita vt in ea pro Creditor reponatur Debitor, pro Debitore, Creditore. Confirmor *βασιλικῶν* metaphrasi quam subscribam, *Ὁ χρεώσης καταβαλὼν ἅπερ ἐποφείλῃ, κινεῖ τὴν ἀποχατασατικὴν ἀγωγὴν, ἀπαιτῶν τὸ χειρόγραφον αὐτῷ ἀναδοθῆναι, καὶ τὰ ἄλλα δικαιώματα τὰ ἀνήκοντα τῷ σωαλλάγματι.* Confirmor *l. vlt. C. ad exhib.* quæ vsurpatis verbis ipsis *d. l.* 18. debitori non creditori dat actionem ad exhibendum, quæ in superiori metaphrasi non male *ἀποκατασατικὴ* appellatur, etsi *ἀναγκατασατικὴ* frequentior appellatio sit, cum verbis sit exhibitoria, effectu restitutoria, *l. 3. §. si mecum, l. 5. §. idem Iulianus, & §. vlt. l. 7. §. item municipes & seqq. l. 9. §. quantum, D. ad exhib.* Sicut verbis est in rem, effectu in personam: sic tamen vt vtroque casu verbis hæreamus nonnunquam, veluti si de dominio directo iudicio possessor contendere paratus sit, non omnia in actionem ad exhibendum venient quæ in restitutoriam, & ex dolo defuncti ea actione non tenebitur heres, vt ex cæteris personalibus in rem non scriptis, etiamsi nihil ad eum peruenerit.

Cap. VIII.

Arearum reditus.

VT locatori horreorum vel areæ, merces in horreis vel in area positę pignori obligatæ sunt, quasi id silentio conuenerit, *l. 3. D. in quib. cau. pig. vel hypo. tac. contrah.* ita cum ei vector iungatur in *l. huius in fi. D. qui pot. in pig. hab.* putem vectori merces quas conduxit vehendas, pro vectura tacito iure obligatas esse. quod *& l. 5. D. ad exhib.* ostendit. Solebant horrea locari mercium reponendarum causa, quarum custodiam conductoribus locatorem præstare oportebat, *l. cum in plures, §. vlt. D. loc.* Solebant & areæ, solentque mercatu frequenti, ex quibus sæpe non paruus ad dominum reditus venit, *l. si nauis, D. de rei vind. d. l. 3.* Cicero *9. epist. Nos iam ex areis tantum habemus, &c.* & idem alio loco, *Callidos rerum æstimatores, prata & areas magno æstimare: quod ei generi possessionum minime quasi noceri possit.* Et is vero locator areæ, etiam mercium custodiam conductoribus præstare debet, & ob id fructuario in area casam ponere permittitur, custodiæ scilicet mercium causa, *l. Si areæ, D. de vsufr.* non aliud ædificium, *l. 7. §. 1. eod. tit.* Paulus 3. *Senten. Areæ vsufructu legato ædificia in ea constitui non possunt.* Et quod de arearum reditu diximus, eadem *l. 7. his verbis,* Obuentiones ex areis, aperte confirmat.

Cap. IX.

Camelasia, Ruta, Infixa, Liquamen.

CAmelasiæ, personale siue corporale munus esse, *l. vlt. D. de mune. & hono.* his rationibus probat, quia camelis luntur de publico, non sumptibus camelarij qui eo munere fungitur, & quia eo munere propter corporis infirmitatem excusationem dari constitutum est. Si enim esset patrimoniale munus, sicut hippasia, *l. 4. C. de mun. pat.* non solueret nos eo corporis infirmitas, *l. 2. §. pen. D. de vacat. mune.* Quod tamen adiicit *d. l. vlt.* camelarios ex albi ordine vocari, est commune cum his qui patrimonialia munera subeunt, *l. 1. C. de mun. pat.* Et recte Flor. ex albi ordine, & in Basilicis, *πρὸς τὴν τάξιν τοῦ λευκώματος.* Quod sequitur, *nec vlla excusatione liberari nisi sola læsi & inutilis corporis infirmitate*, proprium est personalium munerum, vt diximus supra. Idem munus *καμηλασία* appellatur, *l. 1. D. de mun. & hono.* & Camelasium ab Ammiano Marcellino *lib. 17.* Vt nemo (inquit) Gallis quidquam exprimere conaretur camelasij nomine. Beroaldus & Budæus male camelaria: à quibus etiam propterea discessit doctissimus Turnebus, admonitus ab eo qui id ex me didicerat prius. Hæc de camelasia. At de rutis cæsis & liquamine quod promittit inscriptio capitis, hoc est. Rutis cæsis nostros opponere fixa iunctaque, *l. si venditor, §. vlt. D. de action. empt.* secundum vulgarem scripturam, quam Florentinæ loco illo cedere nolim, vel infixa inædificataque, *l. cum fundus, D. de instr. vel instr. leg.* quibus 39. Liuius adiicit immolita: quo nomine quæque citra ædificij formam molita sunt, significantur, vt in legibus limitum, *Neq uis eos limites decumanos ne obsepto, neue quid in eis immolitum, neve quid ibi positum habeto.* Infixa non male etiam inficta dixeris, cum & 3. *De re rust.* Varro dixerit Ficta, Afficta, Deficta: & Diomedes Scauruſque probarint: & in *l. ne quid, D. de inc. rui. naufra.* Flor. sit eodem sensu scriptum, Nauis inficta. Caper grammaticus, *Fictum*, inquit, *rationis, fixum voluntatis.* Liquamen in *l. 1. C. quæ res exp. non deb.* Græcos interpretari garum. recte. Cælius Aurelianus 2. Chronicõn. *Garum quod appellamus liquamen ex pisce siluro confectum.* & paulo post, *Ex garo, quod vulgo liquamen appellant.* Cassianus in *calce Geoponicõn, τὸ λεγόμενον λικουάμιν, οὕτω γίνεται.* Vopiscus in *Aureliano, Liquaminis sextarium vnum.* Oxygarum autem Cælius Apitius liquamen acetosum interpretatur. Aliud primum, aliud secundum, Libellus *καθημερινῆς ὁμιλίας* facit. Acro muriam antiquos dixisse liquamen, & Syrorum lingua sic dici.

Cap. X.

Serraculum ducere. λεπομαχύλιον.

QVa forma Varro vbi de pauonibus tractare incipit, Serram ducere, eadem Vlpianus noster dixit Serraculum ducere in *l. 29. D. ad leg. Aquil.* & serraculum quidem Græci recte 53. *βασιλικῶν, tit.* 11. contum interpretantur iis verbis. *Ὡς ὅταν ὁ χειρὶ ἢ κοντῷ ζημιώσας:* quo genere damnum scaphis inferri, & hic apud Sudam locus demonstrat, *Οἱ ὑπὸ Ρωμαίοις κοντοῖς ἔπηξαν ὑποζυχίοις, ὥστε τὰ σκάφη τῆς βαρβάρου ἐλθόντα παραπλῶσαι.* Palæmo alio sensu. *Claustrum* (inquit) *serraculum ostij.* & glossæ, *Gubernaculum, clauum, πηδάλιον.* Locum autem Varronis videor debere proponere. *Axius, de pauone* (inquit) *libere licet dicas, quoniam discessit Fircellius, qui secus si quid diceres de iis, gentilitatis nomine fortasse ante eum duceret serram.*

Proposui vt subiicerem posteriora verba sic esse restituenda. *Qu' secus si quid diceres de ijs, gentilitatis causa fortasse an tecum duceret serram.* Hortatur Axius Merulam vt libere dicat de pauone quod sentit, nec metuat sibi à Fircellio Pauone, qui campo discesserat iam prehenso fautore siue custode quodam suo in tesserarum interuersione. *Qui* (inquit) *si adesset Merula, tecum forsitan prælium duceret cognominis causa, si quid secus diceres de pauonibus.* Pro forsitan dixit fortasse an, vt ibi agit de apibus, *Hoc dico quod fortasse an tibi satis sit* AXI. Et Gellius xj. *Critolaus scripsit legatos Mileto publicæ rei causa venisse Athenas, fortasse an auxilij petendi causa.* & XIX. *Videbimus post de inimicitiis & quadrigis, ac fortasse an de quadrigis veterum auctoritati concessero.* & xvij. iuxta fidem antiquæ scripturæ, *Processit autem argutatori isti fortasse an reprehensio.* Sisenna *apud Nonium, Quod fortasse an ex voluntate sua summa cum claritudine celeriter confecisset.* Accius *apud eundem, Fortasse an sint & quos hic non rreret metus.* Apuleius *de Deo Socratis, Fortasse an inter Græcos prælio cognitos.* Tertullian. *De pallio. Quinquagenariã promulsidem supra scriptis fortasse an mensis necessariam.* & *De anima, Fortasse an & de corpore & de valetudine aliquid accedat.* & alio loco, *Fortasse an casu procedant & 5. aduersus Marcionem, Fortasse an & mystice factum sit.* Tot collegi testimonia quasi loquutionis nouæ & inauditę, cuius ignoratio ad correctiones temerarias adegerit etiam eruditos. Λειπομαρτύριον Athenienſibus actio est aduersus eos qui testimonii dictionem defugiunt: qualem in testamentorum causa xij. Tabulis introductam iamdiu ostendi his verbis, *Qui se sierit testarier*, vel potius, *Qui se sirit testarier, in testimonium fariatur, improbus intestabilisque esto.* Sirit pro Siuerit, vt in lustrationib⁹ agrorũ formula à Catone perscripta, *Vti tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire bencque euenire siris*: Siris pro Siueris libri manu scripti habent. Plautus *in Curculione. Nec me ille sirit Iupiter.* & *in Pœnulo, Reperire me siritis.* & *in Trinummo: Ne agrum tuum siris vnquam fieri.* & Bacch. *Ne desirint. Cauesis te superare seruum siris.*

CAP. XI.

Ad l. interdum, D. de vsufr. accr.

ROgerii ad *l. interdum, D. de vsufr. accr.* interpretationem non probo, sed nec recentium negationem quam substituunt, ita vt, vel partem dimidiam duntaxat quam amisit qui litem contestatus non est, vel partem dimidiam duntaxat quam amisit qui litem contestatus est aduersus eum qui se liti obtulit, à possessore non consequitur, legendum esse censeant. Sed tripartito quæstionem omnem quæ in eum locum incidere potest diuidendam esse censeo. Si Primo & Secundo legatus sit vsusfructus, & Primus portionem suam amiserit petito vsufructu toto vel parte & lite contestata cum possessore, ad possessorem eundemque victorem pertinet portio Primi, tũ deinde, si Secundus portionem suam amiserit, Secundi portio adcrescit Primo, non possessori siue proprietario, *l. Si Titio, §. vlt. D. de vsufr. l. & an eandem, §. 2. D. de exc. rei ind.* Si Primus portionem suam amiserit, puta, non vtendo, aut partis dominii adquisitione, adcrescit Secundo, & mox, posteave Secundo amittente non adcrescit Primo, sed proprietario. quia cum totus vsusfructus in Secundi personam reciderit, iam Primi persona spectari amplius non potest. Eademque ratio est in specie *l. Interdum*, quæ huius quæstionis visio tertia est. Si Primus portionem suam amiserit lite contestata cum eo qui se liti obtulit, id est, cum non possessore, qui tamen possessorem se esse dicebat, paratumque excipere actionem in rem vsusfructus nomine, hoc casu neque is qui A se liti obtulit, licet in lite superior euaserit, vsumfructum habiturus est quem non possidet, neque possessor qui cum Primo non litigauit. Portio igitur Primi adcrescet Secundo, quamuis mox Secundus nullo intermisso spatio portionem suam amiserit: portio autem Secundi ad proprietatem recurret. Primo enim adcrescere ideo non potest, quod cum totus vsusfructus factus sit in persona Secundi, iam persona Primi pro fructuario haberi non potest. Primi igitur partem duntaxat secundus à possessore consequetur & retinebit.

CAP. XII.

Arborum furtim cæsarum.

B HÆc actio est pecuniaria ex *lege 12. tab.* Sed (vt Gaius ad eam legem adnotauit) coërcentur etiam tanquam latrones, qui arbores, & maxime vites, cæciderint: quod & Seruius confirmat in illum Virgil. locum, *Atque mala vites incidere falce nouellas. Fuerat* (inquit) *capitale supplicium alienas arbores incidere.* Actio legitima est in eos qui cædunt, cingunt, secant: his enim tribus verbis lex vsa est, quæ ex Paulo ita interpretamur. Cingere esse Deglabrare. Vt enim Stringere pro Destringere, ita Cingere pro Discingere, Ζωννύειν ἀντὶ τοῦ ἀποζωννύειν accipimus: quod arbores necare, si fiat in orbem Plinius scribit 17. c. 14. idque est proprie Cingere, In orbem decorticare. Cędere esse non solum succidere, quod est securi vel ascia totam arborem crebris C ictibus excidere, sed etiam Ferire & vulnerare aut cædere ex parte, *l. 5. l. 7. §. etiamsi, D. arb. fur. cæs.* non etiam secare. Ictibus cædimus, serris secamus, non cædimus. Quia igitur cædendi verbo sectio non continebatur, adiecere Decemuiri Secare, quod est Subsecuisse, vt Vlpianus ait, sicut Cædere Succidisse. Præsenti forsitan vsi sunt pro præterito. Euellere vel Extirpare non adiecerunt: & ideo qui euulserit aut extirpauerit, hac legitima actione non tenetur, *d. l. 7. §. 1.* Neque enim (inquit) vel cædit, vel succidit, vel subsecuit. Græci legunt, Neque enim cædit vel subsecuit, qui sic vertunt, Οὐ γὰρ ἔτυψεν ἢ ὑπέτεμψ. Contenti sunt cædendi verbo generali, quod Latini diuiserunt in Cædere & Succidere, & eandem actionem modo de arboD ribus cęsis dixerunt, modo de arboribus succisis. *l. Duobus, §. si colonus, D. de iureiur.* Cingendi omiserunt, quia hoc verbo manifestum erat auellendi aut extirpandi causam non contineri. Ridiculus est Hagio Theodoretus ,, qui de tribus illis verbis in hunc modum scribit, Ἐκ τούτων δὴ τριῶν, τῶ ἐκτέμνειν, τῶ ζωννύειν, καὶ τῶ καταπέμνειν, τὸ μὲν ἐκτέμνειν καὶ τὸ ζωννύειν, ἀποφθείρουσί τ παντελῶς τὰ δένδρα, καὶ δενδροτομίαν ποιῶσι, καὶ χώραν διδόασι τοῖς θεὶ ταύτης νόμοις τὸ δὲ καταπέμνειν, οὐχί. καταπέμνειν γὰρ ἐστὶ τὸ ὑποτεμεῖν, τουτέστιν τὸ κάτωθεν τέμνειν τὰ πρὸ ῥιζῶν ἄκρα, ὅπερ οὐδὲν τὸ δένδρον βλάπτει, ὡς οἱ δεινοὶ τῶ γεωργίαν φασίν.

CAP. XIII.

Cum seruo aut filiofam. nullam actionem esse.

E GAius eodem libro scripsit cum seruo qui est in nostra potestate, nullam actionem esse *l. cum seruo, D. de regu. iur.* & cum filio quem in potestate habemus nullam actionem esse, nisi ex castrensi peculio, *l. 4. D. de iudic.* Excepti castrensis peculii ratio pendet ex Constitutionibus, quæ filiumf. in eo peculio pro patrefamilias habent. est enim lis nobis cum filio patrefamilias, vt cum emancipato. Quem modũ adiecit Quintilianus *11. Institutionum*, referens inter patres filiosque nonnunquam litigatum, Cum interueniisset (inquit) emancipatio. Sed in emancipatione forsitan di-

xerit quis litem esse, quę tamen inter patrem & filiumf. peragitur. Imo lis non est in qua vtraque pars idem vult, & iurisdictio voluntaria est, non necessaria. Post emancipationem in ius vocare patrem, litemque mouere, causa cognita filio permittitur: patri, etiam causa non cognita. Manente patria potestate, vel etiam quæsita post litis contestationem, non item, *l. si à me, D. de indic.* nisi filius sit in possessione potestatis suæ, *l. si putas, C. de petit. hered.* Sed exemplo castrensis peculij, excipitur etiam quasi castrense, & aduentitium, quibus casibus filiofam. pleno iure adquiritur. & dos etiam profectitia, ex cuius causa constat filiumf. aduersus patrem postulare integri restitutionem, quæ & lis & actio dicitur sæpe, quoniam in his patria potestas nihil potest. Excipitur & dementiæ actio. Sed hæc minus proprie à rhetoribus actio appellatur. nihil enim aliud est dementiæ actio quam petitio curatoris dandi furioso patri aut mente capto: & ita pleraque alia aliter in schola rhetorum, aliter in foro nuncupantur. Inscripti maleficij actio in schola, stellionatus in foro: malæ tractationis in schola, rei vxoriæ vel de moribus in foro: talionis in schola, iniuriarum in foro: abdicationis in schola, exheredationis in foro, siue exheredatorum bona apud Centumuiros repetentium, sic lego Quintiliani 7. *Instit.* id est, querela inofficiosi testamenti. & illud de actione dementiæ ita explicuit Seneca 3. *Contr. Nullum* (inquit) *patri curatorem dari, quia iniquus pater sit aut impius, sed quia furiosus. hoc autem in foro esse Curatorem petere, quod in schola Dementiæ agere.* vbi vulgo corrupte, In scholasticam dementiam ageret.

Cap. XIV.

Ad l. Arbitrium, D. fam. erc. & ad l. 8. §. 1. D. de inoff. test.

VLpianus in *l. arbitrium, D. fam. erc.* ita ratiocinatur: Si vnus ex coheredibus potest ad iudicem prouocare cui ius est dandi arbitri, potest & arbitrum postulare. Illud potest *l. in tribus, D. de iudic.* ergo & istud. Pro quo argumento Accurs. vaticinatur sic Vlp. ratiocinari. Si arbitrum poscere ignorantibus aliis potest, poterit & sciētibus & consentientibus aliis. Deinde ex his verbis, Igitur & præsentibus, tale argumentum ducit. Si vnus ignorantibus aliis arbitrum poscere potest, & inuitis igitur. male. Nam argumentum à magis probabili ad affirmandum non valet. Nec sane eo vti Vlpian. voluit. quin potius, vt constat ex *l. 26. D. de diuer. re. iur.* ita argumentatus est à minus probabili, quod certe ad affirmandum valet: Si præsentibus cæteris & inuitis, id est contradicentibus, arbitrum poscere potest, poterit & ignorantibus & absentibus cæteris. Quod apertius in Basilicis his verbis est expressum, Ὁ εἰς κληρονόμος τῶν παρόντων καὶ ἀντιλεγόντων καὶ ἀπόντων ἢ ἄλλων καλῶς κινεῖ τὸ τῆ διαιρέσεως δικαστήριον. Huic loco adiungam explicationem *l. 8. §. 1. D. de inoff. test.* vt eodem tempore à quibusdam male explicatam vtriusque loci mentem deprehendi. *Si filius* (inquit) *post agnitam litis ordinandæ gratia bon. possessionem decesserit, &c.* Etiamsi dicat filius, non filiusf. tamen de filiof. loquitur, non de filio emancipato. De filio (inquam) familiæ pręterito à matre, quem etiam si post agnitam litis ordinandæ gratia bon. possess. decesserit, Papinianus ait querelam non transmittere in patrem, quia scilicet filijfamilias pater heres non est, vel iure potestatis patri actio inofficiosi per filium quæsita non est, nondum instituta à patre nomine filij, quæ & instituī non potuit inuito filio: quoniam filii iniuria & indignatio est, *d. l. 8. in prin. l. filius, eod. tit.* Et petita bonorum possessione litis ordinandæ gratia, nondum quidquam adquisisse filius videtur. hæc enim bon. A possessio non petitur ἐνδιαιτᾶται, vt Græci interpretes aiunt illo loco, & ideo non imputatur in peculium: & subiicitur, τὸ μὴ διαιτᾶσθαι διὰ τὸ μὴ ὑφεστάναι εἰς πεκούλιον ἢ, οὐδὲ προσπείζεσθαι δύναται. Illi in *l arbitrum*, præsentibus absentes, in *l. 8. §. 1. filiof.* filium emancipatum, præteritioni matris vel aui materni patris exheredationem substituebant.

Cap. XV.

Fœnus, Emptio, Venditio, Reditus.

FOenus, videtur esse locatio & conductio. nummi enim vtendi dantur & accipiuntur certa mercede. Horatius, *Omnia conductis coëmens obsonia nummis*, id est, Fœnori sumptis. & paulo post vsuras mercedes appellat, vt Pomponius Pistoribus, Grecam mercedem. & ideo vt prædii reditus proprie dicitur qui ex locatione, *l. fundi, D. de vsuf. leg l. liberto, in prin. D. de annuis leg. l. pen. §. insulam, D. de leg. 2.* ita reditus pecuniæ qui ex fœnore quasi ex locatione redigitur, *l. Titius, D. de præs. ver.* à redigendo, quasi Redactus, vt *l. defuncta §. pen. D. de vsufru.* Verum enimuero fœnus proprie locatio non est. Nam earum rerum locatio contrahitur quarum est vsus, pecuniæ abusus est, non vsus. Contracta locatione eadem res redditur, contracto fœnore, non item. Quid igitur? an foenus dixero mutuum? Minime. mutuum enim sui natura mercedem non recipit, sicut neque commodatum. Verius est duplicem interuenire contractum, Mutui, & Foenoris. & mutuum pecuniæ datione, foenus stipulatione contrahi. Neque enim citra stipulationem foenus contrahitur, nisi in nautica vel reip. vel mensæ argentarię pecunia, vel in his rebus quæ mensura constant. Quod dixi reditum prędiorum esse qui ex locatione redigitur, & comprobaui *l. liberto, D. de annuis leg.* verissimum est. *Omnis*, inquit, *reditus qui è prædiis à colonis vel emptoribus fructus ex consuetudine domus meæ præstatur.* Nā ibi emptores fructus pro conductoribus accipiuntur: & constat veteres emptionis venditionisque verbo promiscue vti, *l. veteres, D. de act. emp.* id est, & in locatione & conductione, vt est legendum in *l. seq.* Nec enim emptionem pro venditione vel emptorem pro venditore, nec è contrario vt acciperent ita locuti sunt, sed locationem venditionem appellarunt sæpe, & conductorem emptorem siue redemptorem, vt mercedem siue pensionem, pretium, quia locatio & conductio proxima est emptioni & venditioni, eisdemque regulis constat. Hygenus 11. *de limit. const. Mancipibus ementibus*, id est, conducentibus in annos singulos. Festus: *Venditiones olim dicebantur Censorum locationes.* Pertinet *d. l. veteres*, vt inscriptio docet, atque etiam *l. sequens*, vt probat *l. 2. Depublican.* ad edictum De publicanis, in quo cum forte publicani appellarentur ēptores siue redemptores, monuerunt iuris interpretes, veteres emendi & vendendi verbo promiscue vsos etiā in locatione & conductione. Simile mendum est *l. 46. D. pro soc.* Cū enim dixisset *l. 45.* actionem furti concurrere cum actione pro socio, nec altera alteram tolli, idemque esse in omnibus bonæ fidei iudiciis, subiicit *l. 46. Idem est & in colono*, &c. pro, *Id est & in colono, &c.*

Cap. XVI.

Errores ex notis creati.

IN *lege Iulia De vipriuata*, puto fuisse scriptum, Neve in XIV. ordinibus sedeat, vt in *lege Roscia* de decoctoribus, pro quo corrupte in *l. 1. D. ad leg. Iul. de vipri.* Neve in eum ordinem sedeat. In *l. 7. §. vlt. D. de*

iniuriis, iampridem docui me putare auctorem scripsisse, Atrocem iniuriam fieri tempore, si ludis & in conspectu. Nam in P. Romani conspectu an in solitudine &c. quod in præfatione ad sexagesimum βασιλικῶν, confirmaui Græcorum auctoritate, qui sic vertunt, Τῷ ὃ τόπῳ γίνεται συκαὶ ὕβεις ὅταν ἐν θεάτρῳ ἢ πολλῶν ὀφώντων ἢ ὕβεις γένηται. φύσει γὰρ βαχύτερόν ὅτι τὸ πολλῶν θεωμένων ὑβείζεσθαι. Quæ verba certe non prætoris, sed populi potius conspectum significant. Puto etiam nondum monuisse quenquam Plinij. 7. c. 7. sic esse legendum, *Fabius senator P. Romani in lactis haustu vno pilo strangulatus*, non *prætor*, non, *poto in.* & initio 19. *Martianus è P. Romani senatoribus*, vbi vulgo, *Ex prætoriis.*

CAP. XVII.

Indicantur noui errores quamplurimi.

ETiam Iudæi iuris ciuilis sacra admirantur & colunt: qua re gauderem, si non eis superstitiones suas admiscerent. Prodiit enim ex eorum corpore vnus qui in *l. si dubitat D. de fidei.* cum ex edicto prætoris verissime scripsisset Vlpianus, filiumfamilias, qui fideiussit pro patre, sui iuris effectum teneri in id quod facere potest, reposuit, In id quod fecit, motus Harmenopuli loco, quo moueri non debuit. Nam εἰς ὅσον ποιῆσαι ὑπεξούσιος, vt est *in Bas.* nihil est aliud quam in id quod facere potest filius familias. Et in *l. 2. D. de statulib.* hæc verba: Quæ sententia vtilitatis causa recepta est, & à nobis probatur, in extremum locum male reiicit: Cum enim ex Sabino Vlpianus hanc sententiam proposuisset, Quocunque gradu pupillo seruus cum libertate substitutus sit, necessarij causam obtinet, recte subiecit, hanc Sabini sententiam vtilitatis causa receptam, & à se probari. Celso quoque, licet diuersę sectæ fuerit, Idem probari. Idem Iudaicus legislator in *l. tutelas, D. de cap. min.* quam aliis audaciam obiicit, in eam ipse incurrit, dum circumscribit hęc verba, *Exceptis his.* Vnde regulam quasi generalem se condere ait, Minima capitis deminutione non amitti tutelas, quæ in iure alieno positis personis deferuntur. quæ non est generalis. nec enim comprehendit tutelas quæ personis sui iuris deferuntur, quas etiam constat capitis minutione nõdeperire, vt puta, si se tutores in adoptionẽ dederint, eas sc. quæ testamẽto dãtur, vel *l. Attilia* vel ex S. C. vt cum in locum muti, surdi, furiosi, excusati, remoti, alius tutor datur: quod si non generalem regulam condidit, nihil egit. Idem homo in *l. vvores, D. de his qui not. infa.* legit, Sponsæ nullus luctus est, hoc sensu sponsam non lugere sponsum, acsi non eundem sensum admittant hæc verba, Sponsi nullus luctus est. Imo illis Sponsæ &c. hoc potius significatur, sponsum non lugere sponsam. Id vero omnium hominum sensum superat quod in *l. legatis* §. 1. *D. de leg.* 3. ad hæc verba, Non idem è contrario, cum legisset in Accursio, Et Græcum est istud, quod ad verbum obsonatores ab Accursio scriptum perperam in illum locũ transiit, statim credidit illorum verborum loco scripsisse Martianum, Οὐδὲ τὸ αὐτὸ πάλιν, cum lecticarius cocus postea factus est: ac si hæc Latinis verbis enuntiare promptum non esset. & differentiam facit inter E diuerso & E contrario, quorum vtrumque est Retro: & οὐδὲ πάλιν, putat non significare E contrario, & nescio quod etiam nobis ἀντιπαλιν, pro ἀνάπαλιν obtrudit, quo nihil est delirius. Et quod ad quæstionem attinet quæ tractatur illo loco, etiam putat seruo ab artificio vno ad aliud artificium translato, legatum non extingui. Quod est contra *l. textoribus, D. de leg.* 3. Et inter ministerium & artificium nullam differentiam facit, in *l. si cui balnei, D. quib. mod. vsusf. amit.* nec igitur inter ὑπηρεσίαν καὶ τέχνην, nec inter officium quod non multum à ministerio distat, & artificium. Et relicto quidem vsufructu histrionis, eoque ad aliud ministerium translato, legatum extingui, vt ait *d. l. si cui balnei*, non tamen legato histrione, quod falsum esse conuincit *l. peculium, D. de leg. 2.* Quod ait de lecticariis aut pedissequis legatis, cur non obtineat in histrionibus? Et in *d. l. legatis* §. *vnus*, hanc quæstionẽ proponi scribit falso, an cocis legatis, si idem sit lecticarius & cocus, accedat legato. Resipuerit, si his se imbui permiserit. Si quis ex artificio ad aliud artificiũ transierit, vt si textor postea faber factus sit, legatum extingui, *d. l. textoribus.* Idem si ex officio ad aliud officium vel ministerium traducatur, vt si ostiarius fiat vestiarius, *d. l. peculium & l. si cui balnei.* Idem si ex officio ad artificium, vt si ostiarius textor fiat, *d. l. legatis* §. 1. Non idem esse è contrario, si textor fiat ostiarius, *d. l. textoribus*, vel si lecticarius fiat cocus. Liuius xxxix *Tum cocus vilissimũ antiquis mancipiũ, & æstimatione & vsu, in pretio esse, & quod ministeriũ fuerat, arsh aberi cœpta.* Fuit igitur cocus alias in minist. alias in artificio. Deniq; artificio artificiũ, officio officiũ, mutari, non etiã officio artificium. Et multum interesse vtrum idem sit testamenti tempore lecticarius postea fiat cocus. Vt lecticariis, ita cocis legatis, si idem sit lecticarius & cocus accedere legato, *l. seruis vrbanis* §. *pen. D. de leg. 3.* Sed si vni lecticarij, alteri coci sint legati, eum qui lecticarius & cocus est ei artificio cedere in quo plurimum versabatur, *d.* §. *si vnus:* vel si non plus in vno quam in altero, communicari, *d. l. seruis vrbanis* §. *vlt.* Idem ille καταγέλαστος, non tam quod Iudæus, quam quod ex Christiano Iudæus, horrendum ac dictu cunctis mirabile monstrum, audet inscriptionẽ, *l. 6. D de. vulg. subst.* totam circumscribere, dum ex l. Iulia & Papia nescit aliud quam de orbo & cœlibe ad eam exemplum conuenienter apponi posse, puta de vxore quæ ex testamento mariti solidum capere non potest, ex testamento filij potest. Idem vero quid tam valde laborat, sit legendum in *l. Domum, D. de contr. emp.* non tantum compellatur? cum neque hoc neque illo modo legi velint Pandectæ Florentinæ, in quibus perspicue scriptũ est. *Non compellatur emptor perficere emptionem, sed etiam quod forte solutum ab eo est, repetet. &* sic etiã habebant omnes libri ante Holandrũ Quid temere Iauolenũ à Q. Mutio dissentire statuit in specie *l. Stichũ. D. de statul. Stich. Titio do lego: & si is numos ei centum dederit, liber esto.* Seruius & Offilius Stichum statuliberum esse negabant, quia legatum pręualere existimabant, & à legatario libertatem inutiliter relinqui. Q. Mutius, Gallus, Labeo, Iauolenus contra esse statuliberum. & statulibertatare legatum perimi, id est, cum condicio libertatis extiterit, vt Græci interpretantur recte, *d. l. Stichum*, non datione sola statulibertatis, *l. cum ita* §. *vlt. D. de de op. leg.* Aliud est statulibertas, aliud datio statuliber-tatis, Deficiente condicione statulibertatis, vtile legatum erit. Quod si Stichus statuliber est, heredis igitur interim est. non legatarii. qua in re Labeonem Iauolenus notat. Sed non ideo tamen minus, si Stichus numos peculiares Titio dederit, heredi denegabitur repetitio: quia receptum est statuliberum de peculio posse dare implendæ condicionis causa, *l. 3. D. de statulib. l. 3.* §. *vlt. D. de cond. cau. da.* Nec felicior concordiæ reconciliator inter *l. filiæ, C. fam. ercis. & l. si donatione, C. de collat.* dum conniuet ad verbum, *Præcipuas*, quod est in *d. l. filiæ.* Præcipuo nihil est magis contrarium quam collatio. Quod igitur præcipuum habeo, id sane non confero: sed neque in portionem meam reputo: Græci consultius in *l. filiæ*, collationi locum non esse, quod in donandi voluntate perseuerauerit

pater vsque ad mortem, in *l. si donation*, non perseuerauerit. Quæ distinctio ex facto sumitur, cuius cognitio incerta est Igitur ex iure certo sumi distinctionem melius est, vt in specie *l. filiæ*, non fuerit collationi locus, puta ex testamento. In specie *l. si donatione*, fuerit collationi locus ab intestato. Ex iure in legibus sunt sæpe numero multa subaudienda nobis, quæ conditoribus iuris inculcare erat molestum atque etiam infinitum. Quo enim iuris notio, nisi vt ex ea singulas iuris partes interpres reddat suæ formæ: Eodem modo idem ille conniuet *l. 8. D. de verb. oblig.* ad Florentinam scripturam, & studio notandi seipsum fallit. Similis eiusdem siue cæcitas siue conniuentia est ad *l. 1. D. de remiss.* dum non cernit P. Flor. habere, *Vbi nuntiatio non tenet, in quo non tenuit nuntiatio.* Quod autem ait in edicto nos emendasse, *Quod ius non sit illi*, nos certe negamus. Quod subiicit inutilem nuntiationem eam esse quæ contemni potest, vt si operis mora periculum aliquod allatura sit, non igitur ob id solum inutilem esse, quod is qui nuntiauit, ius prohibendi non habuerit, vitiosa vtitur collectione: Hoc modo nuntiatio est inutilis. ergo nō illo. Potest enim variis ex causis esse inutilis. Et ita apertissime *l. 2. D. de no. op. nunt.* ideo nuntiationem fructuarij esse inutilē ait, quod fructuarius ius prohibendi non habeat. Et idem ille impunè contemni nuntiationem ab eo factam qui ius prohibendi non habet. Quod cum dicit & inutilem eam dicit, secundum superiorem definitionem, & præceps ruit in semetipsum. Sed sufflaminandus est. Non potest contemni nuntiatio, etiamsi is qui opus nouum nuntiauit, ius prohibendi non habuerit sine remissione aut satisdatione, *l. 1. in prin. l. prator* §. *1. D. de no. op. nun.* In eo autem quod scribit Harmenopulo *νόμιμον ἀναγγελίαν* esse vtilem & legitimam nuntiationem noui operis, deerrat totā via *Νόμιμος ἀναγγελία*, est interdictum prætoris restitutorium, Quod aduersus edictum factum sit. Idem ille iuris doctor Colimbricensis, vtilem statuit remissionem esse, si nuntiatio tenuerit, idq; falso colligit ex *l. de pupillo* §. *si in pluribus*, *D. de no. op. nun.* cum palam edicat prætor, *Caterum*, id est, Si nuntiatio non tenuerit se nuntiationem missam facere, *l. 1. D. de remiss.* Quod etiam declaratur initio *l. 1. D. de no. op. nun* & hac ratione in *a. l. de pupillo* §. *qui procuratorio*, nuntiatio omnimodo remittitur, quia ius prohibendi non habet procurator sine satisdatione, vbi tamen ille simul & in §. *si is* renuntiatum. Omittere, Mittere, Remittere accipit pro Contemnere, atque adeo scilicet eorum locorum auctoritate nos abuti, & in *l. 1. §. Item Iulianus, D. de remiss.* hæc verba Vtilis, Inutilis, locis praue commutare ait. Ruerent risu lectores, si alia quæ in medium contulit Iudaica sapientia, explicarem omnia.

Cap. XVIII.

Quæ personæ in iure habeantur parentum & liberorum loco.

NOn male in *l. 15. C. de neg. gest.* ponitur vitricus aluisse priuignas affectu paterno cum priuigni priuignæque nec non filij eorum sint liberorum loco, vitricus & nouerca parentum. §. *adsinitatis* §. *socrum*, *Instit. de nup. l. Aristo, D. de rit. nup.* Philo. *μητρυιὰς καὶ μητρὸς ἐξ ὄνομα συγγενές.* & paulo post. *διὰ ἅμα ὅτι πᾶσῶς πατὴρ ὀφείλῃ τὴν τῆς γυναικὸς ἐν τάξῃ θυγατὸς πίθεσι*, Phocylides de nouerca: *μητέρα δ' ὡς τίμα, τὴν μητέρος ἴχνια βᾶσαν.* Ouidius *De Ponto.*

Nam tibi quæ coniux, eadem mihi filia pene est,
Et quæ te generum, me vocat illa virum.

Socer quoque & socrus, prosocer prosocrus, absocer absocrus, & deorsum versum, nurus gener, pronurus, progener, abnurus, abgener, parētum & liberorum loco sunt, *d. §. adsinitatis, & §. socrum*, *l. quia parentis*, *D. sol. mat.* Homerus *Illiad. vltimo*, *ἐκυρὸς δὲ πατὴς ὥς τε μᾶλλον αἰεί.* Turnus apud Virgil. *Et nos tela pater.* Plinius *7. cap. 13. Nurus generosque & omnes qui se patris appellatione salutarent.* Quamobrem gener socero apud Capitolinum epistolam scribit in hunc modum, *Imp. Gordianus Aug. Misitheo patri.* & in ipsa epistola: *Mi pater, verum audias velim.* Et contra socer genero, *Domino filio & Augusto Misitheus socer*: eodem plane modo quo patruus filio fratris in *l. antepen.* §. *Lucius*, *D. Mand.*, *Σείῳ τέκνῳ χαίρειν*, qui & in ipsa epistola se vocat patrem, & filios suos patris filios, id est, Seij fratres patrueles quod qui non intellexerunt male emendarunt, *. ὑπὲρ πατρὸς, καὶ τῆς τῶ πατρὸς ἀδελφῶν.* Recte enim *ὑπὲρ πατρὸς καὶ τῆς τῶ πατρὸς υἱῶν.* nam si filius fratris, filius est & patruus pater, patrui quoque filii, id est patrueles recte dicuntur patris filii. Et constat patruum, auunculum, amitam siue paterteram & materteram esse parentum loco, fratris aut sororis filium, filiam, nepotem, neptē, pronepotem, liberorum, §. *item amitam*, *Instit. de nup. l. sororis*, *D. de rit. nup.* & ita de Theodosio Paulus, *Colere patruum tanquam genitorem, fratris mortui sororisque liberos habere pro suis.*

Cap. XIX.

Tres loci Digestorum de duplis fructibus.

EX prisci iuris formulis, vt ait *l. 1. C. Th. de vsur. rei iud.* id est ex XII. tabulis malæ fidei possessor in duplos fructus conuenitur: qua ex re colligit & malę fidei debitorem in duplum esse damnandum: & eodem argumento contendo restituta à Iustiniano in Nouellis in malæ fidei debitorem in duplum actione, debuisse etiam eum in malæ fidei possessorem restituere, vt Ambrosius *l. 24. epist.* loquitur, actionem de duplis fructibus. Hi sunt qui dicuntur maiores fructus non tantum in *l. 6. §. vlt. D. mand.* vt docui supra *libro quinto, cap. xxi.* sed etiam in *l. rescriptum* §. *1. D. de distr. pig.* Et ideo in *l. 8. §. 1. C. de negot. gest.* ampliores fructus quam oporteat eum qui fūdum vindicauit consecutum dicam, qui supra duplum exegerit. Quia ex XII. dupli tantum fructus debentur ex die accepti iudicii in rem vel ad exhibendum. Et ad hanc legem XII. tab. respicit etiam Vlpianus in *l. Iulianus* § *quantum*, *D. ad exhib.* dum ait, in actionem ad exhibendum venire fructus ex die accepti iudicii & secundum legem æstimari. Legem enim cum dicimus, XII. tab. dicimus, ex qua lege tam ad exhibendum quam in rem actio est, & fit in eis actionibus non rei tantum, sed etiam fructuum restitutio arbitrio iudicis ex eadem lege. quod subindicat Gaius qui *lib. VI. ad leg. XII. tab.* disputat de fructuum restitutione, *l. videamus 1. D. de vsur.* & Vlpianus in *l. Iulianus* §. *idem Iulianus*, *D. de rei vind.* dum ait, in rei vindicatione non solos fructus, sed & omnem causam esse præstandam, quamuis scilicet lex XII. tab. fructuum tantum fecerit mentionem.

Cap. XX.

Duæ constitutiones Græcæ quæ desiderantur in Tit. de iudiciis.

DEsiderantur in *titulo De iudiciis* Constitutiō *XI. & XII.* quas putem fuisse Anastasii, vel Zenonis potius, ductas ex ampliori eiusdem constitutione, *De Iudicibus*, cuius meminit Iustinianus in Nouellis sæpe. Sed qui his caruerunt hactenus, damni fecerunt profe-

fecto parum. Sunt enim parui momenti. Vndecima iudicem iubet iudicare secundum leges, non ex præcepto & voluntate principis, non ex rescriptis ambitiosis: quod & Nouellę Iustiniani inculcant sæpe, & *l. vlt. C. si contra ius vel vtil. pub.* Duodecima, magistratus & maiores iudices breuiter causas definire, &, vt si quis eorum interpellatus à litigatoribus nulla necessitate coactus rem protulerit, liceat litigatori adire principem, & de iudicis prauitate conqueri. A maiori iudice dicta sententia princeps appellatur. Ante sententiam etsi non appelletur, querela tamen recrastinatæ cognitionis apud principem instituitur. Additur & de recusatione iudicum, ne fiat post litem contestatam, qua de re tractabitur cap. 23. Vndecimæ compendium hoc est in Basilicis: Τῆς ἀκειβείας ἧς νόμων ὁ δικασὴς φεγπζέτω, μηδὲν τοῖς ἄδικα νόμως ῥηθεῖσι ἅδεᾳ βασιλέως ἀφοσέχων. & Theodori Hermopolitę interpretatio hæc: Η παρῶσα διαταξις κελεύῃ μηδέποτε τ̀ δικασὴν ἅδεᾳ τὸ δίκαιον ϗ τὸ νόμιμον κείνῃν, κἂν ἀφῆξιν δέξηται βασιλικὴν, διοειζομένην αὐτῷ δικάσαι ἅδεᾳ τὸ δίκαιον. ἀλλὰ τὴν μὲν ἀφῆξιν ἅδεᾳβλέψαθαι, τὴν δ' ὑπόφασιν αὐτῆς δικαίαν ποιῆσαι ϗ νόμιμον. Idem omnino Tiberium constituisse Cedrinus scribit his verbis: Τιβέειος τοῖς ἧς πόλεων ἄρχουσιν ἔγραφεν, ὡς εἴη ἅδεᾳ τὰς νόμους χεάφει, μὴ ἀφοσέχειν φησὶν, ὡς ἀγνοήσαντι. Duodecima autem in eisdem Basilicis est his verbis expressa: Πάντες οἱ ἄρχοντες ϗ οἱ θεῖοι δικασὰ σωτόμως τὰς δικας τεμνέτωσαν. κἂν τις δικαζομένων πολλάκις τῷ ἀφοσφόρῳ δικασῇ ἀφοσελθὼν μὴ δι' ἀναγκαίαν αἰτίαν ὑφτελείη, ἀφοίτω τῷ βασιλεῖ, τὴν ἐκεῖτεν αἰτιαμένων βοήθειαν. εἰ δ' ϗ παραίβειταί τις τ̀ δικασὴν ἀλόγως ἀφὸ ἀφοκατάρξεως, ἐπ δείας ἀφοσελθόσεως ἑτέρου πέμξεται δικασοῦ. εἰ δ' ϗ ἀλόγως παραιτησάμενος ὀφθήσεται μ̀ ἀφοκάταρξιν, δικασὴς ἕτερος ἢ συνδικασὴς μὴ αἰτείσθω, παρ' ἐνιδὲ δικασῇ τὸ πᾶν κινεῖσθω τῆς ὑποθέσεως. κἂν ἀφόσφορος ἔτος ὁπί τινι δόξῃ κεφαλαίῳ ἐξ οἰκείας ψήφου, ὁπὶ τ̀ ἀφόσφορον αὐτὸ ἅδεαμπέτω. δεύτερον γάρ τις ἢ πλέον αἰτιασάμενος, ϗ ἐπ τῆς δευτέρας αἰτίας χῆ τὸ διπλάσιον καταθήσῃ ζημίας, ϗ ἐγγυῶν χρεὶς ἢ ἐξωμοσίας ἐπ τῆς δευτέρας ὑπομνήσεως ἅδεᾳ τῷ πρώτῳ κινήσει δικασῇ.

A criminalis intra certum tempus, *l. vlt. C. vt intra ter. temp. crim. quæst. ter.* veteri à die inscriptionis, *l. 2. C. Th. vt intra an. cri. quæst. ter.* Illud non est dubium & de crimine litem dici rectè, & de eo post inscriptiones & satisdationes litem esse contestandam comminus, vtraque parte præsente. Dixi, Ex vtraque parte. Glossæ veterum, Lites contestatæ, αἱ ἀρχὴν λαβοῦσαι ἐν δικασηείῳ δίκαι ἐξ ἀντικατεξώτων. Dixi, Testibus præsentibus. Notus est Festi siue Pauli locus, *Contestari esse cum vterque reus dicit, Testes estote.* Quo respicit etiam illud Cincij, *Iudex testes poscit.* Περκάταρξις à Græcis dicitur, quod initium iudicio det. In ius vocatio, est actionis initium §. *vlt. Inst. de pœna tem. litig.* non iudicij,

Cap. XXII.

Quædam vulgo male explicata in l. properandum, C. de iudic.

QVædam sunt in *l. properandum, C. de iudic.* nondum explicata bene. Hic erat mos iudiciorum, vt si litem cœptam pars vna deseruisset, altera iudicium ingrederetur & postularet aduersus absentem edictum vel denuntiationem primam, qua impetrata absenti condicebat diem decimam, & eo die rursus ingrediebatur iudicium, ac si non paruisset edicto, aduersarius postulabat alterum simul ac impensarum nomine condemnationem fieri. cui addebatur etiam dies decimus, quo non veniente aduersario, similiter iudicij ingressu tertio postulabatur tertium dari, & sumptuum condēnationem fieri, & si nec huic quidem obtemperasset, tum frequentius omisso peremptorio edicto quarto, *vt l. 2. & l. tres, C. quo. & quand. iud.* vt frustrator pro contumace, lis pro deserta haberetur, præsens postulabat & impetrabat, atq; ita reddebatur lis ἐρημη siue μονομερὴς δίκη, quod idem est, vt Hesychius scripsit: licebatque in absentem vel absenti sententiam dicere, nec erat absenti vlla vel sententiæ per appellationem rescindendę ratio: quæ est ratio euidens, *l. Liberto §. litem, D. de nego. gest.* omissa tamen ab interpretibus. Et ex his apparet quid sit quod ait in ea Constit. per vnumquemque introitum intermitti spatium x. dierum. Introitum enim iudicii intelligit, quo præsens absentiam accusat aduersarij, & de sumptibus litis interim quos ipse facit conqueritur atque deplorat. Est & in ea alius locus de expensis quas reus fecit condemnatione excipiendis, secundum actorem contumacem data sententia, qui interpretibus videtur obscurus, sed non his qui No. 49. inspexerunt. Casus est quo victor victo damnatur viatica sumptusque litis exsoluere, quibus satis exigit vt absenti nihil agenti pararetur victoria. Alius est vt ante proximum triennij finem in sola expensarum datione & absolutione ab obseruatione iudicij, cum tamen constet & hanc non minus quam absolutionem litis fieri non posse, nisi prope finem triennij ex eadem constitutione, id est, cum semestre tantummodo tempus supereſt, vt & pubertatis instans finis finitur, *l. non tantum, in prin. D. de excusat.* Igitur non de absolutione instantiæ siue obseruationis iudicii illo loco agitur, sed de absolutione expensarum, quam primo, puta, vel secundo introitu nonnunquam facit iudex, cum absentię forte accusationes iustæ & probabiles adferuntur, vt No. 82. Et pœnalis sententia, subintellige, vel absolutoria. In eadem constitutione §. *vlt.* hærent in his verbis, Et eorum desidia triennium fuerit elapsum, & causa ceciderint, litem quidem nihilominus suum habere vigorem: quibus plane affirmatur litem esse mortuam. Sed tantum abest vt verum sit quod plerique autumant, solo triennij lapsu mortuam, vt litis contestatione temporaria perpetuetur potius, perpetua prorogetur in annos XL.

Cap. XXI.

De litis contestatione.

LItis contestatio, est eius rei de qua controuersia est apud iudicem ex vtraque parte facta narratio testibus præsentibus. Hoc genere res in iudicium deducitur, & litis nomen accipit. Nec enim proprie lis est antequam contestetur, sed controuersia, *l. 25. §. si ante, D. de petit. hered.* Contestatione actor litem facit, iudicium dicat, reus accipit: & dicitur contestari litem actor cum reo, non reus cum actore, *l. si à me fuerit, D. de iudic.* Dixi ex vtraque parte facta narratio, quod in XII. tab. Cum perorant ambo præsentes, & Cincius apud Macrobium. *Iubent dicere, quorum negotium est narrant Index testes poscit.* Et ita, *l. 1. C. de lit. contest. l. rem §. patroni, C. de iudic. l. 2. C. de iure. propter cal.* Lis contestata videtur, cum iudex per narrationem negotij & responsionem causam audire cœperit. Coniungenda est *d. l. 1. cum l. 3. C. de eden.* quarum collatio ostendit differentiam quæ est inter editionem actionis & litis contestationem. Editio futuræ litis speciem demonstrat: contestatio litis iudiciique initium est. Præcedit editio actionis. Præcedit etiam in ius vocatio, & conuentio, & impetratio actionis, litis contestationem *l. amplius, D. rem rat. hab.* Aliud namque conuentio, aliud litis contestatio, *l. si homo, D. de rei vind.* Præcedit inscriptio, *l. in S. C. §. pen. D. ad Turpil.* Sequitur litis contestatio: & inde differentia iuris antiqui & noui. Nouo à die litis contestationis peragenda est causa

Igitur ponendum est & tutores vel curatores vel actores vel procuratores ex eremodicio condemnatos, causa cecidisse: alioquin triennii lapsu instantia tantum ceciderint, non causa.

Cap. XXIII.

De refutatione iudicum.

IVre ciuili recusari remouerive iudex quasi suspectus non potest, nisi ante litem contestatam: quia qui litem apud eum contestatur, tacite causis recusationum quas in eum adferre potuit, renuntiasse intelligitur. Et eadem est earum quæ exceptionum dilatoriarum ratio, veluti præscriptionis fori aut præscriptionis procuratoriæ, quæ initio litis, vel (vt Symmachus ait de exceptione procuratoria) in ipso limine quæstionis opponendæ sunt contra quam peremptoriæ exceptiones, quæ etiam post litem contestatam obiiciuntur: & hæc ratio differentiæ, quod eæ ex causis descendant, illæ ex personis: & par est initio litis personas quibus iudicium constat, certas constitui, veluti iudicis vel actoris, vel procuratorum & defensorum, an procurator iure datus, an verus sit, an iudex competens, an suspectus. Possunt tamen dilatoriæ etiam ex causa proficisci, veluti pacti temporarij, quæ ad exemplum perpetuarum proculdubio etiam post litem contestatã opponentur, vt vetus interpres quidam adnotauit ad *l. 19. C. de probat.* Sed non illæ quibus agitur de iudice, actore, reo procuratore constituendo, nec eis consimiles iudicum recusationes, nisi forte post litem contestatam noua quædam suspicionis causa superuenerit, vt iure pontificio est proditum, nec abhorret à iure ciuili. Olim quoque reiectio, id est recusatio, vel (vt est in veterum glossis) ἀποβολὴ καὶ ἀπολῆξις κριτῶν fiebat statim post sortitionem ante litem contestatam, vel his verbis, Hunc nolo, vt *in Panegyrico* Plinius, *Sors*, inquit, *& vrna iudicem adsignat, licet exclamare, Hunc nolo, timidus est*: vel interposito iureiurando, his verbis, (vt Asconius Pedianus docet) *Eiero, iniquus est*, alio nullo allato suspicionis argumento: quod tamen non ita fit hodie. nam & causa libello iudici porrecto, vel iudice absente apud acta præsidis vel defensorum vel duumuirorum, declaranda ac plerunque comprobanda est, *l. vlt. C. de iudic. l. si pariter, D. de lib. can.* cui rei ante litem contestatam post libelli oblationem Iustinianus præscripsit dies xx. No. 53. 82. Porro non erat per omnia iure ciuili recusatio similis appellationi. Nam appellari quidem à iudice, vel reiici iudex non potuit post litem contestatam, reiici tamen potuit ante, appellari ab eo non etiam, *l. vlt. C. de sent. & int. om. iud. l. 12. l. apertissimi, C. de iudic.* Iure pontificio persimilis videtur, *C. super eo, 2. de appel. c. insinuante de off. deleg.* hoc scilicet modo vt tamen ita demum reiici iudex possit post litis contestationem, si quæ noua reiectionis causa superuenerit, quæ nulla aut incomperta fuerat ante. non aliter, *C. inter monasterium, de sent. & re iud.* Est & alia in hac recusationum quæstione differentia inter ius ciuile & ius pontificium, quod isto oblata recusatione cogantur litigatores optare arbitros, apud quos causæ recusationum examinentur, *C. Secundo requiris, C. cum speciali, de appel. C. licet, id est, de for. comp.* illo autem arbitros, vel arbitrum, apud quem lis disceptetur & peragatur, à quo quasi subdito in locum recusati, hoc dico, quasi dato à principe, si princeps, vel à prætore, si prætor recusatum iudicem dederit, appellatur princeps prætorve, qui & recusatum dedit, & subditum communi consensu partium dedisse intelligitur *l. apertissimi, l. vlt. C. de iudic.* Quod communi consensu partium, licet citra compromissum, ex eo arbiter dicitur. Quatuor enim sunt arbitrorum genera, ex compromisso, ex iureiurando, ex datione iudicis, ex communi consensu partium sine compromisso, sine iureiurando, sine auctoritate iudicis aliove iuris vinculo. Secundum tamen sustulit Nouella quædam Iustiniani: tertium prodit etiam à iudicibus datis. Nam etsi iudices dati alios iudices dare non possint, arbitros tamen dare possunt, veluti rationibus excutiendis, fideiussoribus probandis, distrahendis his quæ mora deteriora futura sunt. Verum ad rem. Quod pro eo habetur acsi datus esset ab eo qui recusatum iudicem dedit, eandemque sequi formulam & idem iudicandi tempus obseruare debet, ideo vere iudex est, & ab eo prouocari potest, licet alias ab arbitro non liceat prouocare, *l. 1. C. de recep. arb. & Carthaginensis synodi C. 99. & 123.* Vt autem eum eligant post recusationem dati iudicis, proditum est litigatores compelli per eundem apparitorem siue exequutorem litis, cui initio mandata est causæ exactio, id est ἐκβιαστὴς, *l. vltim. C. de iudic.* & in *d. l. apertissimi.* Eodem, inquit, exequutore, qui scilicet eiusmodi liti addictus est, non alio. Nam etsi mutetur recuseturve iudex, non tamen recusatur exequutor, licet simul eidem liti iudex & exequutor addicti sint. Remoto enim iudice, non ideo etiam exequutor remouendus est. Iudex datus apparitionem propriam non habet, sed accipit ab eo qui se iudicem dedit. *Nou. de testib. & No. de duob. reis.* Dicimus iudices tantum datos recusari solere, quia magistratus non iudicant nisi extra ordinem. Vbi tamen iudicant extra ordinem, non est dubium quin recusari possint, vt *Nou. 96.* vel collegam siue συνδικαστὴν accipere, *Nou. 13. & 86.*

Cap. XXIV.

De præscriptione tricennij, & de vicesima.

LEgo, triennium iam ante Iustinianum causis ciuilibus finiendis fuisse præscriptum, ex eo intelligi quod Sidonius scribat, Asterio consule legem de præscriptione triennij fuisse proquiritatam. Sed quis non videt legendum esse Tricennii? cum subiiciat, Cuius peremptoriis abolita rubricis lis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur. In sextum quinquennium quid aliud est quam in tricennium, non triennium? Intelligit ergo Sidonius Nouellam Theodosii & Valentiniani de præs. 30. ann. Lego, vicesimam rerum venalium ad fiscum pertinere. Si dicerent mancipiorum venalium quinquagesimam, cæterarum rerum centesimam, probarem Sed quis fando vnquam audiuit quicquam de vicesima rerum venalium? Locus quẽ adferunt ex 7. *epist. Plinij ad Corelliam*, de vicesima hereditatis accipiendus est, vt ex alia eiusdem epistola constat ad Fabatum eodem libro: quam quidem partem Corellia emerat de publicanis, quincuncem vero de liberto Plinii. An hoc tamen scilicet loco permoti, quod in §. *Diui 2. l. filiusfam. D. de leg. 1.* legitur de prohibitione alienationis ne fisco fraudi sit, ad vicesimam rerum venalium referemus potius quam ad vicesimam hereditatum? ita placet. *Nam*, inquit, *in vicesima hereditatum nihil interest fisci, possit an non possit res legata alienari.* Imo vero maxime, quia si omnino non possit extero alienari, nec poterit in fiscum vicesima alienari, quæ quidem non tantum ex hereditate deducebatur, sed etiam ex legatis. Dio 55. Τῶν εἰκοστὴν τῆς ἐλευθέρων καὶ τῆς δωρεῶν ἃς ἂν οἱ τελευτῶντες ποιῶνται, πλὴν τῆς πάνυ συγγενῶν ἢ καὶ πενήτων καταλείπωσι κατεσήσατο. & ob id Macer ad legem vicesimam tractauit de æstimatione legatorum *l. computationi, D. ad leg. Falc.* in qua forsitan quod is scripserat de vicesima, Tribonianus transtulit ad Falcidiam. Putem etiam de vicesima accipien-

dam

dam esse, *l. 2. C. de transact.* hoc modo, vt de hereditate frater cum sorore ita transegerit, vt hereditas apud eum remaneret, cuius litem verebatur, sorori daret certam pecuniam: & ex ea causa si soluerit frater fisco vicesimam quasi hereditatis iam indubitatus possessor, vt repetere non possit, & si non soluerit, vt iure conueniri possit. Illud etiam non fero, vt in *l. fraudati, D. de public.* Rem munem, rē obligatam fisco interpretentur. *Municare* dixere Latini pro *Communicare*, Festo auctore, & *Mentum* pro *Commento*: Rem munem igitur Basilica rectius, τὸ κοινὸν πρᾶγμα.

CAP. XXV.

Explicatur l. nec vllam §. heredem, D. de pet. hered. & l. 9. C. de legat.

CVm statuisset Vlpianus in *tit. de pet. her.* eum demum teneri petitione hereditatis qui pro herede vel pro possessore possidet hereditatem vel rem hereditariam, vtili etiam eum qui pro, emptore, vel pro dote possidet hereditatem, subiecit: Heredem autem etiam earum rerum nomine quas defunctus pro emptore possedit, hereditatis petitione teneri constat quasi pro herede possideat, quamuis etiam earum rerum nomine quas pro herede vel pro possessore defunctus possedit, vtique teneatur. Constat (inquit) & Græci ζωωμολόγηται, quo verbo Iurisconsultorum proprio significatur Ius certum. Cicero pro Flacco, *Retulit ad iurisconsultos, constabat inter omnes*, &c. Constat & id igitur inter omnes iuris auctores. Nondum tamen interpretibus constat ratio propter quam inter iuris auctores id ita constiterit, cum potius constitisse videatur heredem non teneri, cuius eadem est quæ defuncti conditio, vt si non potuit ab eo hereditas peti, potuerint res singulæ, propterea quod possidebat eas defunctus pro emptore, idem & in herede eius constitui debeat, & ex diuerso, *l. 2. C. de pet. hered. l. nec vllam §. Neratius D. eod.* Quapropter Hugolinus sic eum §. *Heredem*, interpretatur, vt si quod Titius defunctus possedit pro emptore, id heres eius putauerit defunctum possedisse pro herede, atque ita id possederit quasi heres eius cuius hereditas petitur, cum sit heredis eius, puta Titij, heres tum conueniatur petitione hereditatis, etiam earum rerum nomine quas defunctus pro emptore possedit. quæ interpretatio non placet. Nam vt opinio heredis non facit quo minus teneatur petitione hereditatis, *d. §. Neratius*, ita quo magis teneatur, non debet efficere. Opinio enim heredis, defuncti opinionem non excludit, *l. cum heres, D. de diuer. temp. præs.* Alii sic accipiunt eum §. vt earum rerum nomine quas Titius pro emptore possedit, heres eius teneatur quod possideat eas pro herede, id est quasi heres Titii. Quæ ratio est inepta: necesse enim est vt iure conueniatur petitione hereditatis, possidere eum quasi heredem eius cuius de hereditate agitur. Et certum est easdem ab eo quoque possideri pro emptore, *l. 3. §. ex plurimis, D. de adq. possess.* quæ causa possessionis expectanda potius est, quia congruit opinioni defuncti. Bartolus eum maluit accipere de vtili actione. male. quia non de emptore vniuersitatis loquitur Vlpianus, sed de emptore rerum singularum, qui neque directa neque vtili petitione hereditatis tenetur: ergo nec heres eius. Malim τὸ πλάτος sententiam sequi, vt si disceptetur de hereditate defuncti inter testamentarium & legitimum heredem, & à testamentario legitimus & verus heres quasi rupto testamento hereditatem petat, in hanc actionem venire constet non tantum res defuncti proprias, sed etiam alienas quas defunctus possedit pro emptore vel pro herede, vel pro possessore & ita in *l. & non tantum, eod. tit.* Paulus in petitionem hereditatis venire ait res illsa quarum omine Publiciana competit. Res igitur à defuncto possessas pro emptore. Proinde siue constitueris heredem Titii eius rei nomine quam Titius possedit pro emptore, non teneri petitione hereditatis, siue teneri, vtraque positio est vera: prior, cum est controuersia de hereditate aliena, ex qua res quasdam Titius possedit pro emptore, posterior, cum est controuersia de hereditate Titii, in qua sunt res quædam alienæ quas Titius possedit pro emptore Ft quod ait in *d. §. heredem*, Quamuis etiam &c. hunc habet sensum, quod omnino teneatur heres earum rerum nomine quas defunctus pro herede vel pro possessore possedit. non ideo eadem actione excludendas esse res ceteras quas defunctus pro emptore, vel pro legato, vel pro donato possedit. Distinctionem hanc quidem titulorum fieri cum de hereditate aliena agitur, sed non cum de hereditate testatoris agitur inter heredem scriptum & legitimum. Et simili loquendi forma Imper. Alexander in *l. 9. C. de legat.* etiamsi falsum dicatur testamentum, legata solui, interposita caution. ,Euicta hereditate redditu iri: quamuis alias cautioni tunc locus sit, cum sine controuersia legata soluuntur Quæ posteriora verba nolim accipi de cautione, Amplius quam per legem Falcidiam, vt interpretibus placet, sed de eadem illa cautione: Euicta hereditate redditu iri, hoc sensu, Non quod tunc cautioni locus sit sine controuersia, *l. vlt. C. de pet. hered. l. 3 §. si legatarius, D. si cui plus quam per leg. Falcid.* ideo minus, imo magis ei locum esse mota controuersia. Græci quoq; eam Alexandri Constitutionem perperam videntur accepisse his verbis, Οὐ σάκις ὁ κληρονόμος καταβάλῃ τὰ λεγατα, ὀφείλῃ ἀπευθῦναι τοὺς λεγαταείους ἀσφάλειαν τοιαύτην, ὅτι ἐὰν ἐνδικητῇ ἡ κληρονομία, ἐποχηθήσην αὐτῷ τὰ λεγάτα ἐὰν ὃ πλάσει φάνηται εἰ ἡ διαθήκη ἐν τῷ μεταξύ, ὄυτε δίκαιόν ἐστι καταβλητέα τὰ λεγάτα, nisi immutata verba de industria dixeris propter *l. vlt. C. de pet. her.* quæ præstari legata & competere libertates vult ita demum si falsum testamentum non approbetur.

CAP. XXVI.

Butta, Doga, Besalos, Resoluere.

AD *l. vinaria, D. de verb. sig.* Basilica serias interpretantur βύτεις nouo vocabulo, quo etiam Hetrusci hodie vtūtur. Nicetas dixit βύτζια, & interpretatur οἴνων δοχεῖα. veteres etiam glossæ dogas exponunt βύπης, quod quidem dogarum nomen à Græcis raptum videtur, quibus δόκαι vel δόχαι, sunt quæ capacitati alicui parata sunt & capacitates ipsæ vel mensuræ, vt in Aureliano Vopisci, *Facta est ratio dogæ cuparum, nauiū.* Doga non vas sed capacitatem significat. Cupas autem βύπης μεγάλας exponunt veteres glossæ: easdemque vocari à quibusdam gaulos. Idem buttarum & buticellarum nomen in veteri instrumento apochæ siue plenariæ securitatis legi, quod ligni membrana scriptum extat in bibliotheca Regis. Scriptum fuit Rauennæ *Imp. D Iustiniano* PP. Aug. anno XXXVIII. *P. C. Basili, anno XXIII. Id. Iul. Indictione XII. & eo Germanus V. C. subdiaconus, tutor Stephani H. P. profitetur se à Germana Cl. F. accepisse quod pro tertia portione hereditatis ex testamento Quodcollicti ei competebat in rebus mobilibus & immobilibus, quarum notitia professioni subiicitur, & inter cetera mobilia numerantur buttæ & buticellæ granariæ.* Sed alia adscribamus. Theophilus in Tit de rer. diuis. tigni appellatione βύσαλον contineri ait, id pessulum interpretantur: male. Est enim idem prorsus quod testa, *l. 1. D. de tig. iunc. sine later*, vt in Basil. *ad fistulam, D. de ser. vr. præd.* ex figlino opere, ἀπὸ βυσάλου. & in glossis Laterculum βύσαλον ἢ γραπτά, & apud Cha-

risium, besalia. Io. Tzetzes, ἐπὶ τῷ ὃ πλίτον γίνωσκε τὸν βέσουλον καλέμεν. Illud adsuere iuuat, nobis Resoluere idē esse quod soluere, *l. Septicia, D. de pollicit.* & quamuis Plautus eodem sensu sæpe dixerit Rem soluere, non ideo in Catone pro Resoluito emendandum, rem soluito, cum & idem ille frequenter dixerit Resoluere. Menęchmis, *Perdormisco, si resolui argentum cui debeo. Amphitruone, Si obsequere, una resoluas plaga.* Asinaria, *Ecquis pro vectura oliui resolvit?* Festus, *Reluere, resoluere, repignerare.* Cicero Phil. 14. *Quæ sit pollicitus reoluturum.*

Cap. XXVII.

Adnotationes quædam ad l. vlt. C. de pet. her.

Si quis (inquit) *hereditatis petitionem vel susceperit vel suscipere sperat.* Haloander male sustulit illa verba, *Vel susceperit*: Græci probauerunt & retinuerunt, Ἐάν τις τὴν ὑπὲρ κληρονομιῶν ἀπαίτησιν ἢ ὑπεδέξατο ἤδη, ἐλπίζῃ ἐνάγεσθαι αὐτῇ inquiunt. recte. Nam siue susceperit siue suscipere sperat, vtroque casu differri cetera iudicia solent, *l. 7. D. de pet. her.* nec obstat. *l. Si post litem, D. de excep.* qua mouetur Accursius. Nam actiones quidem ceteras post litem de hereditate contestatam differri, eisve, Quod præiudicium hereditati non fiat, exceptionem opponi non dicimus, sed non debere de eis iudicem pronunciare antequam de hereditate pronunciatum sit, *d. l. 7.* vel potius, quia verum est factum iudicium dici re iudicata, *l. à quo, D. de rei vind.* Cic. pro *Quintio, Vt res facto iudicio parata sit, iudicatum solui satisdari.* Liuius XXXVIII. *Tanto assensu auditum decretum, vt vix in eadem ciuitate videretur factum iudicium.* Et VII. *Facto iudicio, viua sub terram defossa.* Et VI. *Triste iudicium factum.* Verior est prior intellectus Accursij ad *l. Si post*, vt post litem de hereditate contestatam & finitam frustra opponantur prę iudicia, non etiam post litem contestatam tantum. *Quod si non obtinuerit.* Cautionis satisdationisue latior explicatio est. *Quos percepit.* non percipere potuit, quia bona fide accepit. *Vel si ipse maluerit litem quidem contestari, expectare autem hereditatis petitionis euentum*, &c. hac via & præstandæ satisdationis onere legatarius leuabitur, & ei à tempore litis contestatæ secundum testamentum dicta sententia vsuræ & fructus legatorum debebuntur. *Iudicis officio ei satisfaciat vel, &c.* Iudicis officio, si de eo petitor possessorve iudicem admonuerit, Negotiorum gestorum, si iudicem non admonuerit, & hereditario nomine soluerit de suo. quia verum heredem liberauit, *l. vlt. D. de neg. gest.* Condictio ex lege, si suo nomine soluerit. Quia etsi verum heredem ipso iure non liberauerit, exceptione tamen is potest se tueri aduersus creditores, *l. si quid possessor, D. de petit. her. Annale tantummodo spatium.* Cur etiam legata non differuntur in annum? quia legatorum facilis repetitio est, quo etiam nomine cautio interponitur Libertatum quæ competierunt, vel præstitæ sunt semel, repetitio non est. Tarde autem concedendum est, vt eleganter ait Cor. Tacitus XIII. quod datum non adimeretur. Libertates directæ competunt, Fideicommissariæ debentur & prestantur, *l. 36. §. vlt.* D. *ad leg. Falc.* Legata quoque etiamsi directa sint, plerumque præstantur, non competunt, *l. qui fundum §. si tu ex parte*, D. *eod.* Eripi autem dicuntur in libertatem, quibus lex libertatem quæ præstari debuit representat. *Si non falsum.* Quę ex testamento falso repræsentata vel præstita est libertas, non reuocatur, *l. Cum ex falsis*, D. *de man. test.* Sed non videtur profecto lege repræsentata ex testamento falso, id est quod nunquam fuit. *Si non falsum.* Cur non excipit etiam inofficiosum, secundum *l. Papinianus §. vlt. de inoff. test.* Nempe quia petitio hereditatis de inofficioso hoc titulo non continetur, quæ proprium ius habet, qua rescissoria. *Sub ea scilicet condicione.* Lex in repræsentanda libertate hanc iniicit condicionem. alioquin post libertatem rationibus reddentis non obligaretur, nisi ratione connexionis, *Iure patronatus videlicet competente ei*, vt puta ei qui ex testamento vel ab intestato præstare libertatem debuit si, secundum eum pronuntiatum sit.

Cap. XXVIII.

Ad l. periculi. D. de nau. fœ.

Nautica pecunia ideo grauissimam vsuram admittit etiam ex pacto, cum tamen regulariter etiam in contractibus strictis vsuræ neque debeantur citra stipulationem, neque grauissimæ venire possint, quia creditor nauticæ pecuniæ periculum suscipit. Vnde quæritur an, etsi pecuniæ non nauticæ periculum suscipiat creditor, eadem ratione vsuram is maximam recte paciscipossit. Scævolæ ea mens est in *l. periculi, D. de nau. fœ.* vt ostendat posse, quasi pro periculi mercede: vt si quis piscaturo dederit pecuniam in apparatum, vt si ceperit, eam reddat cum vsuris si nihil ceperit nihil reddat: vel, si athletę in exhibitionē, id est victū & exercitationem, siue quā legē pulueris & cibi Terentianus Maurus vocat, vt si vicerit, reddat cum vsuris, si non vicerit, nihil reddat. Sed quid est quod ait, Condicione quamuis pœnali non existente? Imo exemplo nautici fœnoris res ita geritur vt condicione existente, recipiam quod dedi cum vsuris, condicione non existente, vt nihil recipiam, *l. 4. l. fœnerator. eod.* Respondeo ea verba nihil pertinere ad exempla illa de piscatore & athleta, sed ad ista, Si non manumittas (sic lego ex Basilicis) Si illud non facias, Si non conualuero, & cætera, in quibus magis dubitabatur an pactum proficeret ad augendam obligationem, propterea quod periculum inesse videtur proprie his quæ pendent ex casu, vt in exemplis de athlera & piscatore, nō in his quæ pendent ex voluntate tua: & tamen si dedero tibi pecuniam hac lege, vt si seruum manumittas nihil recipiam cum vsuris: vel hac lege, vt si Romam eas, nihil recipiam, si non eas, vt recipiam cum vsuris: vel si dedero hac lege, vt si cura & auxilio tuo ex morbo conualuero, nihil recipiam: si non conualuero, vt recipiam cum vsuris, valet pactio ad augendam obligationem. Condicionibus igitur his non existentibus, (quæ ideo pœnales dicuntur, quia pœnam infligunt ei qui condicionem appositam initio dandæ pecuniæ non implet) sortis & vsurarum de quibus conuenit, condictio erit. Ex his enim causis condictiones nasci solent sine causa, vel ob rem dati sortis nomine, *l. Senatus §. 1.* D. *de mor. cau. dona. l. videamus §. idemque si mortis*, D. *de vsuris*, & vero etiam vsurarum de quibus conuenit, veluti pro mercede periculi. Quamuis enim pactionem huiusmodi non impleta condicione ab eo qui pecuniam accipit, vsurarum damno is veluti pœna plectatur, ideo tamen seruatur pactio, & actionem parit, quia deduxit se in periculum amittendæ pecuniæ is qui dedit ea lege, vt si qui accepit manumitteret seruum, aut Romam iret, aut morbo medicinam efficeret, nihil ipse reciperet. Legendum ex Basilicis, *Veluti ea ex quibus condictiones nasci solent*, vt *l. quia quod*, D. *de dona. inter vir. & vx.* Et merito his opponuntur ea quæ in aleæ speciem cadunt, quia ex his causis condictiones non nascuntur. Fuit lege prodita actio quadrupli de alea, vt Asconius scribit, cui adiungit etiam aliam de exacta grauiore vsura, vt Cato, & *l. 2. C. Theod. de vsuris.* Vtraque est hodie in simplum. Sed vt de

vsura famosa, *l. improbum, C. ex quib. caus. inf. ir.* ita, A & de alea, mea quidem sententia, quia in parentes & patronos non datur, nisi, vt de dolo, verbis conceptis in factum, *l. vlt. D. de aleat.* & Lenticulam aleæ condemnatum Cic. quasi infamem notat, & aleatorum nomen infame censetur, *l. 26. de iniur. l. fugit. D. de verb. sig.* propter quod se tesserarios appellari malunt: inter quos tamen, vt Marcellinus scribit XXVIII. tantum differt quantum inter fures & latrones. Igitur etiamsi periculum adeant aleatores, cum ita rem gerunt data positave pecunia, vt cui euenerit iactus secundus, is suam & colluforis pecuniam recipiat, cui infelix, nec suam quidem: tamen ex hoc negotio in victum non est actio condictitia, quia illicitum est negotium, vel obstat exceptio, *Si in alea gestum fuerit, l. in exceptionibus* B *D. de probat. l. vlt.* §. 1. *D. quar. rer. act. non detur.* Ea tamen negotia ex quibus condictiones nasci solent, cum sint licita & honesta, etiam ex pacto vsurarum incrementum recipiunt, veluti pro mercede periculi, vt exposui supra. Βασιλικῶν autem verbis hæc interpretatio apertissime comprobatur. idcirco ea subiiciam. Δανείζων δύναμαι συμφωνεῖν λαβεῖν ὃ δέδωκα σὺ ἑτέρᾳ ποσότητι ὡσανεὶ τίμημα τοῦ κινδύνου, μόνον μὴ ἐπὶ κόπῳ, ἀλλὰ ἐξ ὧν αἱρόζῃ condictitios τυχὸν, ἵνα μὴ ἐλευθερώσῃς, ἵνα μὴ τόδε ποιήσῃς, ἐὰν μὴ ὑγιαινῶ καὶ τὰ λοιπά. ἢ ἐὰν χορηγήσω ἁλιεῖ εἰς ἁλιεύσιν, ἵνα ἐὰν ἁλιεύσῃ ἁλιεύσῃ ἢ ἀθλητῇ ἐπὶ τῷ ἑαυτὸν θρέψαι, καὶ γυμνάσαι, καὶ ἐὰν νικήσῃ δοῦλῳ ἐπὶ τούτῳ γὰρ τὸ πάκτ᾽, καὶ χωρὶς ἐπερωτήσεως πλατιῶς τὰ ἐνοχλῶ. Basilica habent, *In his enim.* Flor. *In his autem omnib⁹ hoc pa-* C *ctum*, &c. acsi dixerit initio obligationem augeri posse propter periculi suscepti mercedem, nunc dicat etiam augeri posse ex pacto.

Cap. XXIX.

Legatio libera. Cretio libera.

QVi legatione libera abest, non videtur reipub⁹ causa abesse, quia sui commodi causa abest. Hoc ita Vlpianus recte in *l. qui libera, D. de legat.* Donabantur enim à senatu vel imperatore clarissimi viri honorario titulo liberæ legationis, etiamsi suorum, non publicorum negotiorum causa in prouinciam aliquam D proficiscerentur, velut delatarum sibi hereditatum adeundarum causa, vt Cicero ait *in Rullum*, vel sub specie delatarum: & idem III. *De legib. Legatione*, inquit, *hereditates aut syngraphas suas persequuntur.* Libera autem dicitur, quod nullo sit finita tempore, sed redire & abire ei qui impetrauerit quandocunque liceat: qua forma & cretionem liberam dicit XIII. ad Atticum, quæ testamento scribitur his verbis, *Cernito cum voluerit*, non adscripto c. dierum solemni tempore. Quinimo quibus hereditatis cernendæ causa libera legatio datur, iis recte dixeris liberam cretionem dari, licet vt legatio, ita cretio sit sine re, id est profectionis color potius quam hereditatis adquisitio. Cicero *1. De legib.* E *Legationem aliquam nimirum ista oratio postulat aut eiusmodi quampiam cretionem liberam atque otiosam.* Malo enim cretionem legere, quam Cessionem. Et illo ad Atticum loco, *Cretionem Cluuij liberam, testibus præsentibus* LXII. non, Sexaginta diebus: alioquin non esset cretio libera, & in non libera solemnes erāt dies c. non paucores. Nec testium numero illo moueri debemus, qui legibus plerumque antiquis amplissimus definiebatur, *l. 1.* §. *quanquam, D. de testib.* Quod autem subiicit ibidem Cicero, vt suo iussu cernat Vestorius, contra ius esse videtur, quo per procuratorem cerni hereditatem non posse constat, *l. per procuratorem, D. de adq. her.* nisi hunc dicas prætorem tueri perinde atque si per procuratorem bonorum possessionem secundum tabulas accepisset, *arg. l. is qui, D. de leg. præst.*

Cap. XXX.

Res mortua. Lanipendia.

NOn videtur locupletior facta vxor pecunia sibi à viro in vnguenta donata, etiamsi ea mox se mulier à creditore liberauerit, si de sua pecunia deinde tantundem impēderit in re mortua, *l. 8.* §. *si maritus, D. de donat. inter vir. & vxor.* Rem mortuam vocat vnguenta, quorum possessio breuis, inanis, inutilisque est. Plinius XIII. cap. III. *Margaritæ gemmæque ad heredem transeunt, vestes prorogant tempus, vnguenta illico expirant ac suis moriuntur horis.* Qua forma & rem mortuam Plautus dixit, quæ fracta, perdita, vacuefacta est: & rem occisam, in Pseudolo: rem animam egisse, in Trinummo: & nostri iurisconsulti rem siue litem mortuam quæ amissa restitui non potest, *l. properandum, C. de re iudic. l. 2. D. iud. sol. l. 3. D. quæ in fraud. cred.* & Mortuaria idem Plautus res inanes & nugatorias, Græcique σκέλεσρα eodem sensu. Promiscue dicit Plautus rem occisam & mortuam, vt Ciceronem pro mortuo occisum dixisse Asconius notat. Occidere enim proprie est gladio, *l. 10.* §. *si ipse seruus, D. de pecul.* vel latius qualibet vi adhibita in *S.C. Silaniano* & lege Aquilia, non fato. In eodem titulo *De donat. inter vir. & vx. l. sed si vir*, Lanipendia est non quæ lanam pectit aut carpit, sed quæ lanificis lanam præbet, totiusque lanificij curam gerit. Sic enim in veteribus glossis legi. Lanipendius σαλμοῦχος ἐειδίων. Et ob id adiicit, *Tanquam!* Est enim non nisi impropriè lanipendia, quæ non sibi sua sed de viri lana vestimenta curat fieri: & ob id vestimenta viri esse dicuntur, quasi viri lanipendij, non mulieris.

Cap. XXXI.

De sententiis quæ pro eo quod interest proferuntur.

ID quod interest, quod nihil aliud est quam vtilitas, quæ mihi abest quamve adipisci potui, vel iureiurando actoris æstimatur, vel officio iudicis, *l. 15.* §. *in hoc interdicto, D. quod vi aut clam.* & modo tanti quanti res est, vt ita plane tum idem sit rei pretium & id quod interest, vt Thalelæus notauit ex *l. 1. C. de iis qui à non dom. man. sunt*: & in eadem specie pretium restituere iubetur is vnde petitur, *l. 15.* §. *vlt. D. de rei vind.* & id quod interest, *l. de eo* §. *si post, D. ad exhib.* modo minoris est quam res, *l. 9.* §. *vlt. D. eod.* modo pluris, *l. 1. in princ. D. de act. emp* & hoc postremo genere pluris æstimata vtilitate quam sit res, sane quod excedit verum rei pretium, pœna est, cui vt modum apponeret Iustinianus, constitutionem emisit, qua in casibus certis æstimationem eius quod interest iudices supra duplum facere vetat, in casibus incerti supra quam reuera absit interceptumve sit actori. Casus vocat rem qua de agitur. Et certos casus certamve rem definit, quæ certam habet quantitatem vel naturam, id est certam pecuniæ summam, certumve corpus, vt in omnibus contractibus plerunque intercedit certa pecunia certave res. Finge igitur emptori hominem venditum x. non tradi vel traditum euinci. Actione ex empto non consequetur emptor eius quod interest nomine amplius quam xx. vel non amplius quam rem & x. *l. Titius* §. *vlt. & seq. D. de act. emp.* exemplo vsuræ aut pœnæ vice vsuræ, quæ supra duplum non debetur. Debet enim eius quod interest æstimatio ad modum legitimum vsurarum redigi. Qua de causa, vbi supra duplum vsuræ licitæ sunt, vt in traiectitia pecunia, &

eius quod interest, æstimatio eo casu duplum egredi poterit, *l. 2. & vlt. D. de eo quod cer. lo.* Quod si incerti sint casus, qui neque habeant certam summam, neque certum corpus ad cuius rationem possit iudex moderari id quod interest, quicquid in re ipsa vere interest, id solum inquirere & æstimare iudicem iubet, non cõmentitiis damni dati lucrive intercepti allegationibus animum attendere: vt ecce. Facit mihi Titius controuersiam possessionis. Possessio inter incertas res numeratur, atque adeo incerti condicitur, *l. indebiti §. sed etsi nummi, D. de cond. inde. & l. qui exceptionem §. si pars, D. eod tit,* adhibita *l. heres, D. ad Treb.* Est enim res incorporalis. Ælius Gallus *apud Festum: Non enim possessio est his de rebus quæ tangi possunt, neque qui dicit se possidere is, H. E. rem potest dicere. Itaque in legitimis actionibus nemo ex iure Quir. possessionem suam vocare audet, sed ad interdictum venit.* Sic perspicuè nunc eum locum restitui posse arbitramur. Si igitur possessionem meam esse vindicauero aduersus Titium interdicto vti possidetis vel vtrubi, tanti damnandus erit Titius quãti mea interfuerit possessionem retinere, *l. pen. §. vlt. D. vti possid.* Æstimandum igitur erit pretium non rei certæ, sed possessionis quæ incerta res est. Idque hac ratione vt æstimetur quantum mihi re vera absit quod mea mihi possessione vti non licuerit, puta quod sementé facere me in fundo meo prohibuerit quis, (qua re euenerit vt magno mihi fruges eo anno constiterint) non etiam quod collectis messibus ex negotiatione lucrari potuissem. Nam & omnibus casibus cum ineunda est vtilitatis æstimatio, ea tantum spectatur quæ circa rem consistit, non ea quæ extra rem est, *l. si sterilis §. cum per venditorem, D. de act. em. l. 2. D. rem rat. hab.* vt si moram fecerit venditor in vino tradendo, tanti damnabitur, quanti vinum hodie pluris est, non quantum ex vino emptor nundinari potuit, id est quanti interest ex re ipsa, quod Græci vocant τὸν διαφέροντα ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων, non quanti interest extra rem. Idemque est in emptore, *l. vlt. D. de per. & com. rei vend.* ac similiter in legatis cum legatarius oneratus est fideicommisso, computatur tantum pecunia legata & vsuræ medij temporis cum ex die fideicommissum relictũ est, & pro modo vtriusque fideicommissum præstatur. Vtilitas vsurarum circa legatum pecuniæ consistit. Vtilitas, siquam commentemur extra legatum, non auget fideicommissum, vt si ex pecunia legata medio tempore negotiatus legatarius vberrimum quæstum fecerit, vel si ea pecunia se imminente grauissima pœna liberauerit, *l. imp. §. si C. D. de leg. 2.* At vt alio exemplo id quod dixi de casibus certis & incertis aperiatur, Si certę quantitatis actio fuerit, puta c. non potest stipulatio pœnalis iudicio sisti eius quod interest nomine valere vltra cc. *l. 4. §. vlt. D. si quis caut.* Si incerta fuerit actio, puta de possessione, iudex dabit operam ne pœna egrediatur eius quod re vera interest modum. Pœna autem non adiecta stipulationi iudicio sisti, in veram quantitatem & in id solum quod reuera in actionem venit, condemnationem faciet, *l. 2. §. vlt. l. 3. D. qui satisd. cog. l. 4. D. de custo. reo. l. vlt. D. si quis in ius voc. non ierit.*

CAP. XXXII.

An duo eiusdem rei possessores in solidum esse possint.

FVit hæc quæstio vexata inter Proculianos & Sabinianos. Hi admittebant duos possessores, illi non item *l. 3. §. ex contrario, D. de adq. poss.* Proculianorum sententia obtinuit, & quidem generaliter, vt nec possint duo in solidum possidere ciuiliter, nec duo naturaliter: nec vnus ciuiliter, alter naturaliter: nec vnus iuste, alter iniuste, *l. si vt certo §. si duobus, D commod. l. duo, D. de prec.* Nec mouemur *l. & habet §. eum qui D. eo.* quæ & possidere eum statuit qui precario rogauit vt sibi possidere liceret, & eum qui rogatus est. Nã sumpta ea lex est ex libris ad Sabinũ, qui duos possessores admittebat, & verior est Labeonis sententia in ea specie eum solum possidere qui precario rogauit vt sibi possidere liceret. Nec *l. 3. D. vti poss.* nam in ea hæc verba magnopere expendi velim, *Si quis proponeret*, ex Sabini (puta) & Trebatij sententia: quibus neque Proculiani neque nos credimus. & in specie eo loci proposita, si Titius vi aut clam à me possidet vel ab alio, solus ipse possidet, non ego: licet cum à me vi aut clam possidet, futurum sit vt eum vincam interdicto vti possidetis, propterea quod, etsi non possideam, tamen perinde habeor atque si possiderem, cum habeam interdictum vnde vi vel de clandestina possessione, *l. si quis vi, D. de adq. possess. l. 7. §. Iulianus, D. com. diuid.* Et multo minus mouemur *l. si finita §. cum autem plures, D. de dam. inf.* qua plures mittuntur in possessionem in totum, ex primo decreto scilicet custodiæ causa, non vt possideant, & mittuntur quidem singuli quasi in totum, sed concursu partes habent, & ex secundo decreto pro eis partibus possidere iubentur.

CAP. XXXIII.

Duplex possessio. naturalis & ciuilis.

DVplex est possessio, vna quæ iure consistit, altera quæ corpore, *l. nemo, C. de adqu. poss.* Augustinus in *ser. De vita clericorum. Quod videtur* (inquit) *possidere, sicut iurisperiti loquũtur, iure non corpore.* Hęc naturalis siue corporalis dicitur, illa ciuilis: nulla est tertia quæ dicatur naturalis & ciuilis. & hanc vero & illã ad *d. l. nemo*, sic Basilica definiunt. Νομή ἐστι φυσικῶς ἡ τοῦ πράγματος κατοχή. χρὴ δὲ τοὺς νόμους, νομὴ, ἐστι ψυχῇ δεσπόζοντος κατοχή. Animo domini, inquiũt, quo opinione domini, *l. si seruus, D. de noxal. actio.* cogitatione domini, *l. pen. C. de fur.* & recte adiiciunt, κατοχὴ, id est Detentio. Nam & possessio ciuilis plurimum facti habet. Vtraque igitur corpore constat, & vtraque animo sibi habendi, non vtraque animo domini, vtraque etiam animo retinetur, id est etiamsi possessor nec suo nec alieno corpore rei insideat, quoad alius subsederit, sibique rem tenere cœperit. Vtramque supradicta *l. nemo*, ait esse legitimam, quia defenditur legibus & interdictis possessoriis. Ciuilis est quæ apprehenditur & possidetur ex iusta causa adquirendi dominii. Vt ecce, Naturaliter possidet qui vi aut clam possidet & incubat rei meæ, eique aduersus alios competit interdictum Vti possidetis, & Vnde vi, *l. 1. §. vlt. D. vti poss. id. l. 1. §. qui à me, D. vnde vi.* Ego violenti aut clandestini ingressus opinione comparata, possessione cessi, sed eam tamen vel interdicto vnde vi aut de clandestina possessione recuperare possum, aut meam esse vocare interdicto vti possidetis, vt docui superiori capite. Eum quoque naturaliter possidere constat qui contra leges donatum accepit, vt siquid vxor viro donauerit, id vir possidet non iure dominij, cum sciat, aut ignorare non debeat inutilem donationem esse, sed naturaliter volente domino qui ei possessione cessit, & competunt ei interdicta possessoria, *l. 1. § si vir. D. de adqu. poss. l. 1. §. deiicitur, D. vnde vi.* Is etiam qui precario rogauit vt sibi possidere liceret, naturaliter possidet, *l. & habet, §. eum qui, D. de precar.* non ciuiliter, quia neque dominium neque dominii opinio-

nem habet, & quidem solus, secundum sententiam Labeonis, quæ verior est, cum possessor ei possessione sua cesserit. Et omnino quicunque possidet siue naturaliter, siue ciuiliter possidet, siue iuste, siue iniuste, aut non possidet, aut solus possidet. His consequens est interdicta possessoria aduersus alios dari ei qui precario rogauit, *l. 1. §. vlt. D. vti poss. l. qui precario, D. de precar.* non etiam aduersus eum quem rogauit, sicut nec ei qui vi aut clam possidet aduersus eum à quo possidet: quia etsi is à quo possidet vi vel clam vel precario non possideat, in controuersia possessionis tamen perinde habetur acsi possideret, cum habeat interdictum De vi, vel De clandestina possessione, vel De precario. His tribus modis mala fide possidemus, vi, clam, precario: rhetores Græci malunt dicere, βίᾳ, ἢ λάθρᾳ, ἢ ἀπάτῃ & inde tria illa interdicta. Id quoque non dubito, quin creditor pignus quod ei debitor tradidit naturaliter possideat, cum debitor possessionem in eum transtulerit, *l. Cum & sortis, §. vlt. D. de pig. act. l. per seruum, in pr. D. de adq. rer. dom.* & ideo huic etiam non dubitarem dare interdicta possessoria, quod & Accursio placet in *l. pen. §. creditores, D. vti possid.* His adiungatur sequester cui partes possessione cesserunt, *l. interesse, D. de adq. poss. l. licet, §. rei, D. depos.* nam & hic naturaliter possidet. Et ab his quidem omnibus qui possident ciuiliter vel naturaliter separandi sunt ij qui sunt in possessione. Aliud enim est esse in possessione, aliud esse possessorem: sicut aliud esse in seruitute vel libertate, longe aliud seruum vel liberum esse. In possessione est depositarius, commodatarius, colonus, inquilinus, is qui precario rogauit vt morari liceat, non etiam possidere, vel sequester cui partes custodiam tantum, non possessionem concesserunt, similis hic depositario, ille commodatario. Item is qui ex primo decreto missus est in possessionem crediti seruandi causa, vel dotis, ventris, legatorum, damni infecti causa, *l. certe, §. is qui, D. de precar. l. si quis ante, D. de adq. poss.* & quibus ii locis dicuntur naturaliter possidere, impropria & confusa loquutio est, cum sint in possessione naturali potius quam possideant. qua de causa eis interdicta possessoria non dantur, *l. officium, D. de rei vind.* sed dantur dominis, apud quos possessio remansit, veluti depositori, commodatori, locatori, ei qui precario rogatus est, debitori, & similibus. Hi enim per illos possident. Illi ergo his, non sibi. Si non sibi, nec igitur proprie possident. Possidere enim est sibi habere. Fructuarius quoque est tantummodo in naturali possessione, non etiam vere naturaliter possidet. Solus enim dominus possessor est, & possidet per fructuarium: nec alia ratione dicitur retentionem vsusfructus esse speciem traditionis, quam quod qui retinet vsumfructum, desinat sibi, & incipiat alii possidere. & *l. naturaliter, D. de adqu. poss.* Vlpianus ait, *Naturaliter videtur*, quod verbum est πλαστικόν Nec enim omnis qui videtur possidere, etiam possidet, vt debitor pignus possidere & vsucapere videtur, nec tamen possidet. Verum enim licet fructuarius non possideat, tamen quia rei emolumentum ad eum pertinet, quæ res efficit vt in plerisque partibus iuris etiam pro domino habeatur, interdicta ei possessoria accommodantur, quæ ceteris qui sunt in possessione non accommodantur.

Cap. XXXIV.

Ad l. fructus, D. de rei vind.

CErtum est mortuo homine de quo agebatur post litem contestatam, non omnino mori litem. Superesse enim rationem fructuum, id est operarum, *l. 16. D. de rei vind. l. si homo. D. de rei vind. l. si seruus, D. ind.* A *solu.* Sed ratio ea fructuum habenda sit vsque ad mortis, an vsque ad rei iudicatæ tempus, quæstionis est. Et Paulus refert, homine mortuo dolo aut culpa possessoris post litem contestatam, veriorem esse Trebatij opinionem existimantis eo vsque fructuum rationem habendam quousque haberetur si non periisset, id est ad rei iudicandæ tempus. idemque Pomponio & Iuliano videri, *l. fructus, D. de rei vind.* Veriorem scilicet quã Labeonis, cui cum præceptore fuit frequens dissentio. Is enim fructus tantum vsque ad tempus mortis æstimari volebat. & restat hæc ipsa eiusdem sententia in *l. pen. D. eod. tit.* Sed non adeo is imprudens fuit vt existimarit homine mortuo dolo aut culpa possessoris fructuum rationem non esse habendam quovsque haberetur si dolo aut culpa possessoris is homo non periisset. Itaque cum Iuliani (cuius auctoritate vtitur Paulus in *d. l. fructus*) sententia plenius relata extet in *l. 17. §. 1. D. eod. tit. &* ponatur ea hominem mortuum esse post moram, id est post litem contestatam, fato suo, non dolo aut culpa possessoris, cumque Labeonis sententia ad eundem modum relata extet in *d. l. pen.* videtur in *d. l. fructus*, scribendum, *Et ideo si sine dolo.* Sed contra si sic scribatur, æquior erit sententia Labeonis: quia nec vltra tempus fati percipi fructus vllo modo à petitore potuissent, & in fructibus æstimandis, an petitor frui poterit, spectatur *l. si nauis, §. vlt. D. eod.* Sed ex diuerso si fatum non fuisset acceleratum, percipi potuissent à petitore. Nec defendi poterit opinio Trebatij, cum res interiit suo fato, nisi forte distracturus erat petitor, si accepisset, & pecuniam ex pretio redactam collocaturus, vt in ipsa re æstimanda obseruatur, *l. 15. §. vlt. D. eod.* Neutra igitur scriptura caret incommodo. Confirmor tamen *l. si à bonæ fidei, D. eod. tit.* in qua si sine dolo & culpa possessoris homo fugerit post litem contestatam, dicitur eius temporis quo possedit fructus præstari, id est quo nõdum alius quisquam eius possessionem apprehendit. Eius autem temporis quo possessus est ab alio, fructus non præstari, sed cedi actiones domino aduersus eum homine vsucapto, & hanc delegationem pro iusta eius quoq; temporis fructuum præstatione censeri, vel homine non vsucapto, competere ipsi domino suo iure actiones aduersus nouum possessorem. Hæc est eius legis sententia & ratio. Nam cum ab alio recipiendorum fructuum eius temporis quo reus non possedit, facultas non est, sane æquum est, quod non statim restituerit, sed cum passus sit litem contestari, fructuum rationem haberi vsque ad tempus rei iudicatæ.

Cap. XXXV.

Eum cui munus vel honor defertur, non appellare à decreto præsidis, sed à nominatione.

CErti iuris est eum qui ad munus aliquod vel honorem vocatur, non aliter posse excusationibus suis vti quam si appellationem interposuerit, sed remitti hanc necessitatem appellandi vocatis ad tutelam curationemve, *l. 1. §. si quis tutor, D. quand. app. sit.* & veteranis ad alia munera vocatis *l. veteranis, C. quan. pro. non est nec.* Vocatur qui nominatur, nec nisi sit nominator aliquis, appellare potest is cui à præside munus honorve defertur. Nominatio fit à decurionibus vel magistratibus municipalibus. & ab ea nominatione appellare necesse est ad præsidem, *l. 4. l. 11. C. de appel. l. 2. C. de decur.* causa appellationis agitata inter nominatum & nominatorem siue creatorem. Si igitur desit nominator, vt si præses solus sine nominatore alicui scribatum detulerit, quia deest aduersarius, non potest esse appellationi locus. Qua de causa cum Seuerus Asiæ præses, sine curialium nominatione Irenarchæ munus

publicum Aristidi, scriptis ad eum literis, vltro detulisset, vt idem refert Ἐξηγ. IV. deficiente nominatore, is consilium cepit magistratus municipales qui reddiderant literas accipiendi pro aduersariis (vt vulgo Galli loquuntur) & appellandi, quasi viderentur illi ipsi cum nominasse ad Irenarchæ functionem, qui suscipiendæ eius mandata pertulerant. Irenarcham autem vocat φύλακα τῆς εἰρήνης, leges Gotthorum. Pacis ad sertorem, de quo est titulus *libro decimo Codicis, & l. vlt.* §. *Irenarchæ, D. de mun. & hono.*

CAP. XXXVI.

L. Qui familiæ, D. fam. erc. explicatur.

QVi familiæ erciscundæ iudicio agit, non confitetur aduersarium sibi esse coheredem, *l. qui familiæ, D. fam. erc.* Hæc sententia videtur falsa: quia in iudicio familiæ erciscundæ, nulla certe est hereditatis controuersia, & vterque fateri videtur aduersarium coheredem esse, *l. 1.* §. *& si possessor, D. si pars her. pet. l. fundus qui dotis,* §. *si ego, D. fam. erc.* Sicut in actione finium regundorum vterque fatetur aduersarium adfinem esse, in communi diuidundo vterque aduersarium socium esse. Et in Basilicis ea lex sine negatione sic Græce reddita est, Οἱ κινῶν τὸ τῆς διαιρέσεως δικαστήριον, ὁμολογεῖ τὸν ἀντίδικον αὐτῷ συγκληρονόμον εἶναι. Sed deest (vt arbitror) negatio: quandoquidem ita recte accipi ea Scæuolæ sententia potest, vt etiamsi familiæ erciscundæ agatur, quasi in coheredem, tamen non omnino fateatur actor aduersarium coheredem esse, quin sit ei integrum aduersus eundem agere petitione hereditatis: sicut is qui exceptione vtitur, non vtique fatetur statim de intentione actoris, *l. non vtique, D. de except.* quinimo & ad inficias prorsus ire potest, firmiorque reddi ea inficiatio potius quam infirmari addita exceptione videtur, vt est in oratione pro *Cluentio & in Rhet. Sulpitij Victoris.* Et similiter qui agit rei vindicatione, nihil sibi præiudicat in causa possessionis. Nam etiamsi hoc genere agat quasi in possessorem (vindicatio enim non possessori in possessorem datur) non tamen continuo videtur possessionem, si quam habet, abiicere, & possessorem aduersarium esse confiteri. Qua de causa integrum ei est experiri interdicto possessorio, vel facto iam finitoque iudicio vindicationis, *l. & an eandem,* §. *vlt. D. de exc. rei iud.* vel pendente, *l. naturaliter,* §. *nihil commune, D. de adq. poss. l. cum fundum,* §. *vlt. D. vnde vi.* Hinc adhiberi poterit lux clarissima ad *d.* §. *nihil commune,* de quo scripsimus *Obs. 7.*

CAP. XXXVII.

Corrigitur Tit. Ad municipalem, & pleraque alia.

QVi legunt Ad municipalem, existimant omnes in eo titulo tractari de lege municipali, ego non existimo. Qua enim de lege municipali? certa quadam, an de omnibus legibus municipiorum propriis, & earum condendarum potestate? neutrum occurret. Est is titulus de municipibus, & de incolis: & recte scripsit Iustinianus in 2. *C. de vet. iu. enucl.* Ad municipales, non, Ad municipalem, Basilica, Περὶ πολιτῶν. Id etiam non existimo, adrogationem fieri interposita stipulatione. Nec enim quæ interuenit interrogatio in adrogatione, stipulatio est, dum is qui adoptat, rogatur an velit eum quem adoptat iustum sibi filium esse, & is qui adoptatur, an id fieri patiatur, *l. 2. D. de adopt.* quæ est certior adrogationis etymologia, quam à populi rogatione siue lege curiata. Cicero *Pro domo sua: Te esse interrogatum auctorne esses vt in te P. Fonteius vitæ necisque potestatem haberet, vt in filio.* Et quæ in adrogatione impuberis interuenit stipulatio, non interponitur causa constituendæ adrogationis, sed ne adrogatio fraudi sit his ad quos ea res pertinet. denique adrogatio ipsa fit nulla interposita stipulatione. Id etiam nego diserte stipulari, paciscì, cauere crebro apud iurisconsultos legi, cum ne vno quidem legatur loco. Et ad id quod Vlpianus definit communia vestimenta esse ea quibus promiscuè vtatur mulier cum viro, ex Varrone addi nolo, quod etiam Asconius Pedianus scribit, togam esse commune vestimentum marium & fœminarum. nec enim eodem sensu togam commune vestimẽtum esse dicunt, quo in ea definitione commune vestimentum Vlpianus accepit. Toga est genere commune vestimentum, sicut tunica, quæ & virili & muliebri vesti ab eodem Vlpiano adnumeratur. Vlpianus non de eo quod genere, sed de eo quod specie commune est, loquitur. Etiam non probo ædium emptori imagines, signa, statuas refringere non licere. Moueor *l. lex, C. de adm. tut.* quæ tutorem aut curatorem vetat domum vendere, quod post venditionem scilicet, in ea maiorum imagines aut non videre fixas aut reuulsas videre satis sit lugubre: & à Plinio illud non de imaginibus, sed de spoliis hostium scriptum est, veluti auro, armis, cristis, rostris, claustris, quæ euellere religio erat: & ad hunc modum secundum veriorem & antiquiorem scripturam, Affixis hostium spoliis, quæ nec emptor refigere tentabat, quæ etiam dominis mutatis, domus ornamenta erant. Quæ vero illi mens qui scribit, procuratore fisci rem distrahente, dominium in emptorem necdum soluto pretio transferri, contra manifestum contextum *l. 5. D. de inr. fis.* & debitorem fisci carceri coërceri, non debitorem priuati, contra *l. 2. C. de exact. trib. l. 1. C. qui bo. ced. poss.* Admonui & hæc & illa quæ præcedunt quæque sequuntur fere omnia amice simpliciterque non potuit adduci vt tam alia quam hæc commutaret. Nam & in eo perstat, in pignore iudiciali, id est capto in causam iudicati, æquam esse omnium creditorum condicionem, atque adeo nihil hac in re distare pignus prætorium à iudiciali. At certe in prætorio potior non est is qui prior missus est in possessionem, sed missio illa proficit omnibus creditoribus, videturque ille non sibi, sed omnibus possidere, *l. is cui,* §. *si plures, D. vt in poss. leg. l. cum vnus, D. de reb. auct. iud. poss.* & hoc est quod dicitur, effectum, id est ἀποτέλεσμα, missionis omnibus prodesse, *l.* 148. *D. de reg. iu.* Atque adeo etiam partes eius ad omnes pertinere, puta quæ ex ea re percipiuntur, *l. prætor,* § *his verbis, l. creditore,* §. *vlt. D. de reb. auct. iud. poss.* & impensas, quia commune negotium est *l. prætor,* §. *generaliter, eod.* Contra in iudiciali, is potior est cuius nomine prius captum est pignus ex causa iudicati, *l. Si & iure, quipot. in pig. hab.* Hoc enim pignoris genus constituitur in personam, illud in rem, & generaliter omnium creditorum causa. Et falluntur dum *d. l. Si & iure,* accipiunt quasi aduersam *l. inter, & l. in iudicati, D. de re iudic.* Nam quod in his de actione iudicati, idem in illa de iudiciali pignore constituitur, vt non qui prior sententiam consequutus est, sed qui occupauit agere iudicati pignusve capere in causam iudicati potior sit. Neque ego etiam illam his obiicio, sed ei quod scribunt in iudiciali perinde ac in prætorio pignore æquã esse omnium creditorum condicionem nec alterum alteri præferri, hoc falsum esse aio. Obseruari enim capionis ordinem, non obseruari missionis ordinem, non obseruari sententiæ ordinem: quem etiam obseruari *d. l. si & iure,* nullo indicio significauit. Obseruabatur tamen aliquod illis, & ideo vt inde se explicarent, modo vt conuentionale pignus prærogatiua temporis iudiciali præferatur, hanc esse eius legis senten-

tiam dixerunt, quod commenticium eſt, modo miſſum in poſſeſſionem ex cauſa iudicati, prę ferri cęteris, quo nihil eſt delirius. Miſſio enim in poſſeſſionem eſt prætorium pignus Et in prætorio pignore non eſt prælationi locus Nec obſtat *l. 3 C. qui pot. in pig. hab* quia in eius ſpecie ideo reſp. Heliopolitanorum miſſa in poſſeſſionem iudicati ſeruandi cauſa præfertur chirographario creditori, quia & non miſſa idem priuilegium habet, *l. pen. D. de reb. auct. iud. poſſ.* Non eſt igitur eiuſdem condicionis cuius cæteri creditores, & miſſio proficit tantum iis qui ſunt eiuſdem condicionis. In ſpecie quoque *l. 2. eod. tit.* miſſi in poſſeſſionem, fideicommiſſarius puta & creditor, non ſunt eiuſdem condicionis vel tituli. Adhibita autem *d. l. 3. ad d. l. pen.* etiam oſtendet quod dicitur de qualibet ciuitate in *d. l. pen.* male eos alio loco adſtringere ad vrbem Romam. In duodecim Tabulis feret forſitan aliquis ita legi *libram S. farris in dies data.* Sed nemo, *libra S. farris in dies dato*: nemo quoque libram S. interpretabitur ſelibram, ſed ſeſquilibram: nemo libras (quo nomine in ſingulos nexos vna ſignificatur) diurni modum excedere admittet, cum duas erogari libellas oportere cuſtodiis ab Impp. conſtitutum legamus, & Liuij 4. Sp. Melium bilibre farris libertatem ciuium emiſſe, & militibus conferri libras farris & ſextarios vini apud eundem *lib.* 7. & Titinnij illud. Libram aiebant ſatis eſſe ambobus farris intritæ. plus comeſt ſola vxor. Et ſelibræ anguſtiorem eſſe modum ex Bibaculo liquet, qui ſic ſcribit de Catone.

Quem tres caliculi, ſe libra farris,
Racemi duo, tegula ſub vna,
Ad ſummam prope nutriunt ſenectam.

& Martiali, *Plumbea ſelibra.* Sequentia item quis probabit? Iure ciuili in Pandectas relato priuatæ pecuniæ furem corporali pœna non coërceri: refragatur enim *l. pen. D. de condic. cau. dat. l. interdum*, §. *qui furem, D. de fur.* Idem non eſſe liceri & ponere pretium. Vetat enim Cornutus. *Liceri* (inquit) *eſt Pretium ponere.* In actione commodati non eſſe compenſationi locum, niſi ob ſumptus factos in rem commodatam. Quinimo & ſi quid extra eam rem debeatur, *l. Lucius, D. mand.* Nam mutuæ petitionis obiectio, compenſatio eſt, *l. 1. C. rer. amot* ac proinde quarum rerum inter ſe compenſatio non eſt, nec retentio nec mutua petitio eſt. Nunquam vero diximus in *l. vlt. C. commo.* pro *Commodati* legendum eſſe *Commendati* (quod titulus non ferebat) ſed dixi incidiſſe illam Conſtitutionem corruptam in Triboniani manus, & ideo non animaduerſo mendo poſuiſſe eum illam ſub tit. Commod. quam debuiſſet mendo ſublato ponere ſub *titu. Depoſ.* in quo ſunt etiam duæ de commendato eorumdem impp. conſtitutiones VI. & IX. ex quibus IX. etiam in quibuſdam codicibus perperam habet commodatas, pro, commendatas. In *l. iuſiurandum* §. *qui iuſiurandum, D. de iureiur.* cum dixiſſet Vlpianus eum qui defert iuſiurandum prius iurare debere de calumnia, ſcribũt recte eum ſubieciſſe, Hoc iuſiurandum de calumnia, neque patrono neque parentibus remitti: quia conſtet ei non remitti iuſiurandum de re, *l. quoties, D. de iureiur.* & hoc iuſiurandum de calumnia, ſic interpretantur, Iuſiurandum de re. Id ſane non probabat qui hæc dum ei recitaretur interpretatio, doctiſſimus vir, excandeſcens dicebat, Hoc, id eſt Aſinus & molendinum: neque alter qui, Hoc, inclamabat, id eſt, Fornacarius qui obdormiuit ad fornacem. Iuſiurandum de calumnia eſt de perſona, non de re. Remittere id ergo patrono & parentibus, ſi honorem his perſonis habitum velis, & hanc maculam Pandectarum Flor. debes effugere, quam & Βασιλικῶν auctores effugerunt, in quibus ita eſt, Ὁ ἐπάγων πρῶτος ὄμνυσι τὸ θεῖ συκοφαντίας, ἐὰν ἀπαιτηθῇ, ὃν ἐν ὄμνυσι πατὴρ ἢ πάτρων. At præterea iudicatum, inquit, à creditoribus abduci domum, & domum pro carcere accipi. quod forſitan eſt verum. Liuius. Vbicumque patricius habitet, ibi carcerem priuatum eſſe. Imo falſiſſimum. Perfecta enim oratio eſt Duci domum, in neruum, in carcerem, in compedes, in ergaſtulum. Cui ſimile eſt illud ξύλον eſſe carcerem, ζητεῖον eſſe piſtrinum, petitum ex Lexicis vulgaribus. ξύλον, Acta Apoſtolorum, & Prudentij locus ille, *Ligno plantas inſerit diuaricatis cruribus.* & Euſebij, τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τ̃ ποδῶν, & Lucianus, τὰ πέλη ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα, ποδοκάκλου eſſe docebunt, & tormenti genus: Quale autem, Vlpianus Demoſthenis interpres explicabit: idem ſane quod mala manſio, quod Baſilica interpretantur ζητεῖον ἢ ξύλον εἰς ὃ ἐμβάλλουσι τοὺς πόδας. idem quod κακουχία hoc Cedrini loco, Τοὺς δὲ φρέσβεις ἐν φρεατίοις ἢ κακουχίαις κατεδίκαζεν, & Plauto, lignea cuſtodia: Rurſus ad *l. plenum, D. de vſu & habit.* folia interpretari vnguenta, quam diſſentaneum eſt, cum de vſu fundi atque adeo de his quæ fundus fert, agatur eo loci, non de vnguentis quæ nobis conficimus, non, ne quis etiam hoc tentet, de foliis barbaricis & Indicis, quæ herbarum peregrinarum genera ſunt, ſed generaliter de foliis omnibus. Igitur cum ſcribat Vlpianus generaliter vſuarium neque foliis, neque oleo, neque frumento, neque frugibus vſurum, & iniquum ſit non vti eum foliis vel hyeme alendo pecori, vt fit vulgo, vel foliis arundinum vineis illigandis, vt fieri Columella ſcribit, qui tamen vtitur lignis, pomis, floribus, oleribus, merito oleis probaui magis quam foliis. Ad *l. ſi in emptione, D. de contr. empt.* in Accurſij adſerenda interpretatione ingenium admiror, quaſi dixerit ibi legem emptor non venditor, nec tamen ſequor aut laudo, qui didici legem dicere venditorem quamcunque ſemper & locatorem & donatorem & eum qui dotem dat. nuſquam legem dici ab emptore: & aliam rationem eſſe tractatus, aliam contractus. Tractatu habito, ineundi contractus auctorem eſſe venditorem, & leges omnes eum dicere quaſi rei ſuæ initio contractus traditioniſve. Et ob id merito poſuimus in ſpecie *d. l. ſi in emptione*, cum dixit venditor Stichum accedere: quæ oratio ambigua eſt, ſi ſint plures Stichi *l. vbi eſt, D. de reb. dub.* eum deberi quem emptor intellexerit: quod etiam ratio ſubiecta efflagitat. Pleraque enim emimus propter acceſſiones. Et ita aquam acceſſuram, dolia acceſſura, mercedes, fiſtulas acceſſuras venditor dicit, *l. qui fundum l. comprehenſum, l. ſi cum fundum l. fiſtulas, D. de contr. empt.* ergo & acceſſurum Stichum, & omnino omnem legem. Plautus in *Captiuis, Quaſi fundum vendens, meis me addicam legibus.* Quod vero dicitur ſeruitutes corpora appellari & prædia, qui intelliget is cui non explicatius dicitur, habita ratione ſubiecti quod corporale eſt, *l. loci, D. ſi ſer. vind.* eum qui viam petit, quodammodo loci corpus petere videri, *l. ſed ſi ante, D. de except.* Seruitutem quoque definiri in *l. 86. D. de verb. ſign.* quis admittet? nec enim ſanus iura prædiorum cõtinuo ſeruitutes interpretabitur. Ius emphyteuticum eſt ius prædij, non etiam ſeruitus. Bonitas, ſalubritas, amplitudo, ſunt iura prædiorum, non ſeruitutes. Sed & generaliter iura prædiorum definiuntur prædia ποιωμάτα, ſiue prædia qualitatibus affecta ex ſubiecto & attributo, vt ſi quis morbos definiat corpora male affecta, ita non inficior ſeruitutes, cum ſint prædiorum qualitates, *l. qui fundum, D. quemadmod. ſer. amit.* poſſe definiri prædia eiuſmodi qualitatibus affecta quę ea ſubiiciant prædiis alienis Præterea nolim omnino aquæ ductum ſeparatum à fundo in *l. arbor*, §. *vlt. D. comm. diuid.* aquæ ductus ſeruitutem perſonalem eſſe, non prædialem. Nam de prædiali manifeſtum eſt: otũ eum §. eſſe, quam ait aut in ipſo fundo communi eſſe, & eam non venire in iudicium communi diuidundo

quod vicino competat cui diuiſio fundi præiudicium adferre non poteſt, aut ſeparatam eſſe à fundo communi, vt pote ſitam in fundo vicini, & hanc rurſus vel inter riuales diuiſam eſſe menſura aut temporibus, vel non eſſe: diuiſam non venire in iudicium communi diuidundo, indiuiſam venire, vt ſecernatur menſura vel temporibus, *l. Lucio, D. de aq. quot. & æſt.* Velim omnino in *l. 7. §. præterea D. eod. tit.* Quia quocunque duci poſſint, qua ratione vis aquæductus perſonalis plane ſignificatur, vt in *l. pen. D. de ſeru. ruſt. prad.* his verbis, *ὅπου ἂν βούλῃ*: non, Qui à quocunque duci poſſint, cum certo homini certiſve ius aquæ eſſe niſi poſueris, fruſtra quæſieris an ſit interdictum de aqua, quæ à quolibet duci poteſt. Nec felicioresin §. *theſauros*, diſcreta egregie quæ hactenus fuere tam à Latinis quam à Græcis auctoribus iuris, nouo vinculo copulantes hoc modo, Idemque ſtatuit ſi quis in ſacro aut religioſo fortuito caſu inuenerit, ac ſi quis in alieno loco non data ad hoc opera, ſed fortuitu inuenerit, dimidium domino ſoli conceſſit. Idem igitur iam non eſt *τὸ αὐτὸ*, ſed *ὁ αὐτός*. & inſtatuit conceſſitque verborum concurſu nihil eſt abſoni. & belle ſoluimur ita *l. 3. §. vlt. D. de iur. fiſc.* Miſeri, quibus perſuaderi non poteſt non minus quam in portionibus liberis damnatorum conſeruandis & in aliis pleriſque cauſis fiſcalibus, & in theſaurorum quæſtione diſſentientes fuiſſe imperatorum ſententias. Zonaras Neruam inuentum theſaurum dominis prædiorum reliquiſſe, Cedrinus Nicephorum ademiſſe, Lampridius Alexandrum, ſi multi inuenti fuiſſent, inuentoribus officiales ſuos adiunxiſſe, Spartianus Adrianum, ſi quis in ſuo reperiſſet, domino totum, ſi in alieno, domino dimidium dediſſe: ſi in publico, dimidium fiſco. Gaius eundem, ſi quis in religioſo loco inueniſſet, inuentori totum. Calliſtratus fratres imperatores dimidium fiſco: (quod & Fridericus probauit) Codex Theodoſianus Conſtantinum etiam ſi quis in ſuo inueniſſet, fiſco dimidiũ, Gratianum, Valentinianum & Theodoſium, ſiquis in alieno reperiſſet, domino quadrantem. Denique pependit res omnis hęc ſemper ex arbitrio & libidine imperatorum. Illud valde nouum eſt, iudicium de libertate eſſe populare, & inter popularia iudicia referri in *l. non diſtinguemus, §. de liberali, D. de arbitris*, & falſum vtrumque. Popularia ſunt ex maleficio, vt *De deiectis & effuſis*, *Albi corrupti*, *Sepulchri violati*, *Apertarum tabularum ante quæſtionem familiæ*. Eiuſmodi non eſt liberale iudicium. Palatinis denegari copiam veſtium auri, argenti, mancipiorum coëmendorum à priuatis hominibuſne? Si ita ſentis, vt antecedentia & conſequentia docent, næ vehementer erras. Palatinos principis priuatas res emere vetat *l. vlt. C. de reſc. vend.* ſicut tutor rem pupilli emere vetatur: vterque citra auctionem, *l. vlt. C. de fide & in. haſ. fiſ.* Ad hæc mercaturæ deditos priuari militia male colligitur ex *l. 1. C. in quib. cau. mil. for. ceſſ.* & condicio quæ non eſt poteſtatiua, vt Si filium te eſſe probaueris, *ἀδιάφορος* appellatur. Et caſualis igitur quælibet cõdicio eſt *ἀδιάφορος*. Caſualis illa eſt, quia pendet ex euentu probationis, quæ quidem non ita cuique in facili eſt. Piget longitudinis, ſed adhuc paucula tamen. In *l. Pamphilo, §. propoſitum, D. de leg. 3.* amicos pro legatariis accipi, qui legunt Donatum appellant. *Amicos* (inquit ille) *& pro teſtibus & pro aduocatis veteres poſuerunt.* Nec minus derident illud, legatariis teſtibus vtimur in teſtamentis. Item ſignatotibus recte legamus in teſtamentis, quod perinde ſit acſi diceres, Legatarij poſſunt eſſe teſtes, item teſtes poſſunt eſſe legatarij. nec enim sũt teſtes diuerſi à ſignatoribus. Caſſiodorum dixiſſe adiectitia bona pro adquiſititiis, dum ſcripſit ad cæteras virtutes neſcio quem adieciſſe victoriæ bonum, & in *§. de iis, Inſt. per quas perſ. nob. adq.* adiciatur legi, cum A in prototypo ſit Adquiratur.

Cap. XXXVIII.

Emendatur l. 32. D. de rei vind.

SI puerum alienum bonæ aut malæ fidei poſſeſſor erudierit, euicto puero eius impenſæ deductio poſſeſſori dabitur, ſi dominus aliunde ſoluere poſſit, *l. 1. C. de inf. expo. l. apud §. ſi minor, D. de do. exc. l. idque, §. 1. D. de act. empt.* ſi aliunde ſoluere non poſſit, non item: & melius erit poſſeſſorem carere ſua pecunia quã dominum ſuo ſeruo. Nihil etiam hic eſt quod tollat poſſeſſor, quia eruditio euelli non poteſt: eſt enim habitus. Habitus autem omnis *δυσαπόσπαστος*, *l. 27. §. vlt. D. de rei vind.* Duo tamen ſunt caſus, quibus etiamſi aliunde dominus ſoluere non poſſit, eius impenſæ deductio & reputatio eſt. vnus ſi eum mox dominus venditurus ſit, & plus pretij laturus propter eruditionem ſerui, *l. 29. l. in fundo, D. eod.* Alter ſi ſciente domino eruditus ſit, *l. 30. D. eod. Aut ſi*, inquit, *ante denuntiatum ſit*, &c. id eſt, ſi antequam impenderet domino denunciatum ſit, vt ſi ſuum ſeruum exiſtimaret eam impenſam ſolueret, & eo non ſoluente atque etiam non prohibente quo minus à poſſeſſore ſolueretur, ei poſtea ſeruum vindicãti poſita ſit doli mali exceptio, vel etiam illico. nam & ſine actione exceptio omnis poni & conteſtari poteſt in modum querelę. & ita marito vtilium impenſarum deductio non aliter datur quam ſi ſciente aut volente vxore eas impenſas fecerit, cum ſcilicet mulier aliunde ſoluere non poteſt, *l. impenſæ, D. de verb. ſig. l. vtilium, D. de imp. in res dot. fac.* & ita etiam accipiendum eſt quod dicitur *d. l. in fundo*, ædificio in alieno ſolo poſito, dominum pauperem fundum recepturum non redditis ſumptibus ædificij, puta ſi non ſciente aut volente eo facti ſint. Exceptis his duobus caſibus, ei qui aliunde ſoluere non poteſt, non reputantur doctrinæ & eruditionis impenſæ, ſed, vt eſt in *l. 31. D. eod. tit.* ſi forte petantur fructus pueri (nam & pueri fructus ſunt quidam) cum eis impenſis compenſabuntur, exemplo impenſarum factarum in ſolum alienum, *l. ſumptus, eod.* Quod vt dilucidius intelligi poſſit, & præcipue à quo tempore ea fructuum & impenſarum ratio haberetur vltro citroque, additur in *l. 32. eod. tit.* ex Modeſtino: Quod ſi artificem fecerit, poſt viceſimum quintum annum eius qui artificium conſequutus eſt, impenſæ factæ poterunt penſari. vbi legendum cenſeo, *Poſt quintum annum*, id eſt, Poſtquã artificij fructꝰ aliquis exiſtere cœperit. quia ab eo tempore operarum incipit æſtimatio *l. vlt. D. de op. ſer.* Quę ætatis definitio, videtur eſſe ex lege Iulia, qua libertus operarum obligatione ſoluitur, ſi filium vnum quinquennem habuerit, *l. qui libertinus, D. de op. lib.* Male, xxv. Tantum enim abeſt vt in operis æſtimandis iuuentus ſpectetur, vt nec pubertas ſpectanda ſit, *d. l. 31.* & ſeruo petito operarum pueri puberiſque non haberi rationem vel compenſationem cum impenſis antequam is impleuerit xxv. annum, nulla ratio eſt.

Cap. XXXIX.

Ad tit. vſuf. quemad. cau.

VSitatam ſtipulationem fructuariam duas habere cauſas Vlpianus ait *l. 1. §. habet, D. vſufr. quemad. cau.* vbi legendum videtur, *Clauſulas*. Sed inuenio & cauſas dici recte, vt ſtipulationis iudicatum ſolui clauſulæ, & cauſæ dicuntur, *l. 5. §. in hac, 1. D. ind. ſol.* & verius duæ ſunt cauſæ ob rem iudicatam & ob rem non defenſam vna clauſula concluſæ, *l. cum quæreba-tur, D. eod.* quibus adnectitur & alia de dolo malo, ſicut

ſicut ſtipulationi fructuariæ, *l.5.D. vſufr. quemad cau.* Et ita in formula vindicationis duæ ſunt cauſæ, vna de reſtitutione, altera de condemnatione, quas Aſconius clauſulas vocat in prętura Sicilienſi. Porro in ſecunda clauſula ſtipulationis fructuarię addi etiam poſſunt hæc verba, *Boni viri arbitratu*: & in *l.3.§.ſi vſufruct.D. eod. tit.* vtiliter cauere, eſt ea verba adiicere. Cuius adiectionis effectus hic eſt, vt quoties æquum eſt, finitum vſumfructum non reſtitui, vel fructuario proprietatem adſequuto, vel vſufructu repetito, ipſo iure non committatur ſtipulatio, nec deſideretur exceptio doli vel in factum, *l.4. D. eod.* Facit enim ea adiectio ſtipulationem bonæ fidei. Cauet autem amiſſo vſufructu reſtituturum ſe quod inde extabit, non ipſam rem, vt idem Vlp. ait, *d. l.1.§. vlt.* quia inutiliter rem ſuam ſtipularetur Imo vero cum ſit ea clauſula de reſtituendo, recte ſtipul. rē ſuā ſibi reſtitui, *l. 82. D. de verb. oblig.* Sicut recte agit, rem ſuā ſibi reſtitui oportere. Sed hoc genere, poſſeſſionem ſtipulatur, repetitve agendo. quod fit recte. Et hæc etiam mens eſt Vlpiani, vt non ipſam rem proprietarius ſtipuletur, id eſt proprietatem, ſicut cautione Senatuſconſulti, ſed ſtipuletur reſtitui quod inde extabit, id eſt poſſeſſionem rei, quæ modo ſit in rerum natura & poteſtate fructuarij, aut dolo culpave eius eſſe deſierit. Et ad differentiam quoque cautionis S. C. idem Vlpianus in *l.3. eod. tit.* omnes caſus ait ſtipulationi fructuariæ contineri quibus vſusfruct. amittitur. quia ſtipulationi S. C. duo tantum continentur, *l.7. D. eod. tit.* Hæc ad illum titulum vulgo non ita explicantur.

CAP. XL.

De prævaricatoribus.

PRæuaricator opponitur vero accuſatori. Eſt enim prævaricator is qui dum fingit ſe accuſare, id agit potius vt reus abſoluatur. Prævarior (inquiunt critici) *νοσφιζομαίσε*, id eſt, Parco & alludo tibi. Prævaricor reo, *Καθυφίημι τὸ ὑπευθύνε*, id eſt, Submitto me reo, vel plenius, Prævaricator eſt accuſator qui in iudicio publico abſolutioni incumbit, non damnationi, quaſi varicator, vt ait *l. 1. D. de prævar* id eſt *ποικιλόμυος*, vt auctores Baſil. interpretantur, cui interpretationi conſentit notatio Labeonis à varia certatione, & Ciceronis, quod in contrariis cauſis quaſi varie poſitus eſſe videatur. Feſtus à prętergrediendo, cui conuenienter critici, *Prævaricat*, *Diuaricat*, *Varicat*, *Υ' ὁρβαίνῃ*, *Διαπελίζῃ*. Prævaricatio, *Παρέβασις*, *Α'πόγυσις*, & ita Obuaricator eidem Feſto, ab occurrendo, qui cuipiam occurrit quo minus rectum iter conficiat. Dixi, Iudicio publico: nam ſi priuato iudicio actor cauſam ſuam aduerſario donauerit, nullum hæc res in ſe crimen habet. Dixi, Accuſator: nam ſi reus cauſam ſuam perfunctorię egerit, hoc ei non erit crimini. Aduocatus etiam qui ſuſcepti ſui cauſam aduerſario prodit, proprie non eſt prævaricator, quia nec proprie accuſator, *l. qui cum natu §. pen. D. de bo. lib.* Improprie & accuſator & prævaricator dicitur. Plinius *de aduocato*, *Prævaricatio eſt tranſire dicenda, vel curſim & breuiter attingere quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda.* Et aduocatus quidem prævaricator coërcetur extra ordinem ſiue priuato, ſiue publico iudicio prævaricatus ſit, *l. 1. & 3. D. de prævar. l. j. C. de adu. diu. iud.* quia vtroque modo clienti fraudem fecit. Accuſatoris prævaricatio coërcetur tantum in iudicio publico, quia cauſæ publicæ fraudem fecit, in iudicio priuato ſibi ſoli. Et fuit illius pœna legitima & certa, non arbitraria, non extraordinaria. S. C. refertur à Corn Tacito, quo qui talem prævaricatoris operam emptitarit vendiderit ve, id eſt, qui accuſatorem pecunia corruperit, corrūpereve paſſus fuerit, perinde pœna tenetur ac ſi publico iudicio calumniæ condemnatus, id eſt talione, *l. pen. D. de prævaric.* & ex edicto, infamia.

IACOBI CVIACII OBSERVATIONVM LIBER X.

CAPVT PRIMVM.

Cum de ſumptibus neceſſariis & vtilibus agitur factis in rem alienam, non eſſe ſeparandam petitionem hereditatis ab actione in rem ſpeciali, non eſſe ſeparandum bonæ fidei poſſeſſorem à malæ fidei poſſeſſore.

IN petitione hereditatis malæ fidei poſſeſſorem reputare petitori neceſſarios & vtiles ſumptus in rem ipſam vel in præſentis anni fructum factos, certiſſimum eſt, poſita ſcilicet exceptione doli vel per officium iudicis: & hanc tantum eſſe differentiam inter bonæ fidei poſſeſſorem & prædonem, quod eos bonæ fidei poſſeſſor reputat, etiamſi res non extet in quā fecit, vel ſi fructuum nihil perceperit, cum fructuum quærendorum cauſa ſumptum fecit. malæ fidei poſſeſſor non aliter quam ſi res extet, & fructus bene prouenerint. Cęterum in voluptariis ſumptibus ſeparantur. Hos enim bonæ fidei poſſeſſor reputat, non prædo, ſed datur prædoni tantum poteſtas tollendorum eorum quæ ſine diſpendio ipſius rei tolli poſſunt, *l. 36. §. vlt. l. 37. 38. 39. D. de pet. here.* Idem omnino ſtatuendum eſſe opinor in actione in rem ſpeciali. Et primum quidem non ambigitur, malæ fidei poſſeſſorem neceſſariarum impenſarum deductionem habere, *l. denum, C. de rei vind* Sed vt exiſtimo, habet etiam vtilium per conſequentias, exemplo petitionis hereditatis. Nam tres tantum vel quatuor agnoſco differentias inter petitionem hereditatis & ſpecialē in rem actionem, quod illa ſit miſta, hæc nudam rem perſequatur: quod in illa fructus præteriti veniant, in hanc non item. Vtriuſque ratio hæc, quod id ita ferat hereditatis quæ petitur appellatio, non rei. Eſt & tertia, quod illa in eum tantum detur qui pro herede vel pro poſſeſſore poſſidet, hæc etiam in alium poſſeſſorem, quia ſcilicet quoquo quis titulo poſſideat dum accipit iudicium ſpeciale in rem, dominij controuerſiam facit, hereditarij no-

minis iurisque controuersiam non facit, nisi qui pro herede vel pro possessore possidet, Vnde nascitur alia in *l. cogi, C. de pet. hered.* Adiecta etiam est quinta Constitutione Iustiniani, vt illa sit bonæ fidei actio. Hæc enim est arbitraria. Sed tantum fere potest arbitrium quantum bona fides: ideoque in speciali etiam in rem actione seruantur fructus officio iudicis, nec exceptione opus est, *l. 28. l. sumptus, D. de rei vind.* Quod enim *ait l. sumptus* exceptione doli posita, per officium iudicis, inconnexum est & οικοτεινον dicendi genus, quo significatur vel officio iudicis, vel exceptione posita sumptus seruari, *l. plane, D. de pet. her. l. bona fide, D. de noxal. actio.* Opinioni autem nostræ quæ hac vel illa via etiam malæ fidei possessori in iudicio in rem speciali impensarum vtilium deductionem dat, oponitur primum *l si seruus, §. si oliuam, D. ad leg. Aq.* quæ enim donasse videri ait qui sciens impendit in rē alienam. Vnde consequens est repetere eum impensam non posse. ergo nec ponere exceptionē. Nam qui excipit, repetit. Sed respondebo, In specie §. *si oliuam,* eum qui sciens impendit in rem alienam, eam rem non possedisse. Qui in rem alienam quam non possidet sumptum facit, vt qui ex vinea mea quam non possidet, vindemiam colligit suo sumptu, vel gerendi negotij mei, vel si non gerendi negotii mei donandi animo hunc sumptum facit. Quod si collectam vindemiam secum asportet, furti reus est, & multo minus iam potest repetere reputareve sumptum factum in compilanda vindemia vel alium quemlibet, *l. 1. C. de inf. exp.* Qui vero sciens in rem alienam quam possidet sumptum facit, alij donare non videtur, quia rem gerit sibi, non alij, cum sit possessionis dominus, quam reuocante alio, merito ei reputabit sumptus, melioriationes, ἐμπονήματα. Rursus opponitur §. *certe, Inst. de rer. diuis.* quo negatur malæ fidei possessorem sumptum ædificii in aliena area positi per exceptionem doli seruare posse: & additur ratio, quia ei culpa obiici possit quod temere in eo solo ædificauerit quod intelligebat alienum esse. Hæc est stricta ratio iuris, quæ etiam proponitur in *l. plane, D. de pet. her.* Sed ei additur hæc moderatio, Benignius esse eius impensæ reputationem admitti, ne petitor ex aliena iactura locupletetur, quæ etiam speciali in rem actioni à Iuliano additur his verbis, Nisi forte quis dicat prodesse de damno solicito, *l. Iulianus 2. D. de rei vind.* At in eadem lege abscisse concludit Vlpianus, & Impp. rescribunt in *l. domum, C. eod.* malæ fidei ædificatori possessorive exceptionem non prodesse, & hoc tantum ei permitti vt tollat quæ tolli possint sine detrimento ipsius rei. Et refertur sententia *l. domum, ab* Harmenopulo, *li. 2. tit. 3. illo loco.* Ο τ ἀλλότριον οἶκον καλῇ πίστει νεμηθεὶς, &c. Sic enim est legendum, vt constat ex καταοικέω, non καλῇ. Porro idem ipsum etiam de bonæ fidei possessore est proditum in *l. in fundo, D. eod.* Vt si dominus aliunde soluere non possit, non reputet bonæ fidei possessor sumptum ædificii, sed tollat ædificium, ne dominus re sua careat. Idem in *l. 27. §. pen. & vlt.* Atque ita quidquid statueris de malæ fidei possessore, idem statuam in bonæ fidei possessore, videlicet si dominus aliunde soluere non possit. At retro si dominus aliunde soluere possit, quidquid statueris de bonę fidei possessore, vt ei impensarum vtilium reputatio detur, id est, vt ne ante restituat prædium quam impensas receperit, idem & ipse constituam in malæ fidei possessore, eadem æquitatis regula, ne petitor ex aliena iactura lucrum faciat. Denique modo hoc, modo illud bonus iudex arbitrabitur in vtroque possessore. Ex quo efficitur, in habenda sumptuum necessariorum vel vtilium ratione, nihil distare bonæ fidei possessore, in à malæ fidei possessore, re ea in quam facti sunt existente salua.

Cap. II.

De controuersijs agrorum quæ per mensores dirimuntur.

FRontinus aliam controuersiam facit de fine, aliam de loco, aliam de modo. Priores duæ notantur in *l. quinque, C. fin. reg.* his verbis, Finalis iurgii & locorum, & in *l. 4. D. eod.* his verbis. Sed & loci controuersia, includitur controuersia finium. De fine controuersia est intra quinque pedes. De loco vltra quinque pedes, cum locus quidam in confinio vel in mediis agris, quam ad partem pertineat quæritur. Finis vsucapi non potest: locus vsucapi potest. vtraque controuersia est de latitudine, *l. vlt. D. de pig. act.* & dirimitur arte mensoris. De modo quæstiones nascuntur ferè, vt Vrbicus ait, in agris diuisis & adsignatis, quod in ære siue forma agrorum modus cuique militi adsignatus comprehensus est, quæ forma obligat vicinos inter se, quia publica est. Quas possessionum suarum formas priuatim quidam faciunt, eas nec ipsos vicinis, nec ipsis vicinos obligare Siculus ait, non magis scilicet quam rationes priuatas, quia res est voluntaria. Est de eo ære, *l. qui tabulam, D. ad leg. Iul. pec. Qui tabulam* (inquit) *æneam leges formamve agrorum continentem refixerit,* &c. Longe alia est condicio agrorum qui occupatorii & arcifinii dicuntur. Nam horum (vt Siculus ait) nullū est æs, nulla forma, quę publicæ fidei possessoribus testimonium reddat, quod non ex mensuris actis miles modum accepit, sed quod aut excoluit aut in spe colendi occupauit. Adsignatorum est certus modus qui ære continetur, nec is tamen æqualis semper: quia non omnibus æqualiter (vt Siculus ait) sed secundum militiam, id est secundum merita militiæ datus est modus. Adsignabantur militibus, *l. Lucius, D. de euic. l. item si verberatum §. 1. D. de rei vind.* Hygenus: *Erat præmium terra, & pro emerito habebatur.* Et adsignabantur agri omnes territorii vnius, id est agrorum vnius populi vniuersitas. & inde Modestinus ait in *l. 7. D. fin. reg.* De modo agrorum arbitros cognoscere: Agrorum adsignatorum scilicet, quorum certus modus formis & ere continetur. Et is (inquit) *qui maiorem locum in territorio habere dicitur,* id est qui plus possidet quā ære contineatur: cæteris qui locū minorem possident integrum locum adsignare compellitur, controuersia scilicet modi reuocata ad ęs siue publicam formam, quæ vicinos obligat inter se. Compellitur autem per arbitrum siue mensorem. Alias memorat Frontinus controuersias, *De positione terminorum* De *rigore*, *De proprietate*, De *possessione*, *De alluuione*, *De iure territorij*, *De subsciuis*, *De locis publicis*, De *locis relictis & extractis*, *De locis sacris & religiosis*, *De aqua pluuia*, *De itineribus.* *De positione terminorum*, vt cum terminus quidam male positus dicitur, vel quod cæteros terminos recta non spectet, vel quod forte terminus comportionalis non conueniat rationi maximorum. Et de terminorum positione, restitutione, redintegratione etiam declaratione etiam arbitri dantur vel eliguntur, *l. 8. D. fin. reg. l. inter, D de recep. qui arb. rec.* placetque arbitrii formula illa, Requiri placere terminos quos Socrates posuerit, hisque parere, *l. 1. De legibus* De rigore & de fine eadem pene controuersia est. vtramque complectitur lex Mamilia. Et in vtraque de quinque pedum latitudine agitur. At controuersia de rigore admittit etiam de maiori latitudine quęstionem. Dicitur rigor à rectitudine, vt rigor stillicidii, *l. vlt. §. vlt. D. de ser. vrb. præd.* & est rectitudo naturalis siue διευθεία, qua agri disterminātur vt supercilia. Latitudo eius intra xxx. pedes. Lex autē limitū

percilium omne vult cedere superiori possessori vsque A in planitiem, idque inferiorem possessorem æquo animo ferre & compensare cum alio commodo, vt Siculus & Vrbicus scribunt, quod quidquid agit in suo solo, id damno superioris agat. qua ratione etiam dicitur naturaliter inferiorem agrum superiori seruire, *l.* 1. §. *vlt. D. de aqua & aq. plu. arc.* De superciliis integrior Hygenus: *Supercilia*, inquit, *sunt loca ex plano in breui clino deuexo intra pedes latitudinis xxx. alioquin iam collis est.* In quæstione de proprietate nonnihil etiam ars mensoris potest. namque in ea persæpe termini obseruantur, *l pen. D. fin. reg. l.* 1. *C. eod.* sed vt integer Vrbicus ait, *plus in hac controuersia potestatis habet ius ordinarium quam ars mensoria.* De possessione certe con- B trouersia, vt idem ait, nihil pertinet ad mensoris disciplinam, sed quæstionem possessionis sequitur quæstio finium, in qua potissimum ars mensoris valet, & hoc quod ait, *l.* 3 *C. fin. reg. Prius possessionis quæstio finiatur, & tunc agrimensor ire percipiatur ad loca.* In controuersia de alluuione aliquidiudicium mensoris potest, sicut in controuersia de proprietate, cum quæritur cui fundo cedat vel an flumini publicove cedat quod alluuio adiecit. Et ius certum est metatos siue adsignatos agros alluuione non augeri, sed neque insula in flumine nata, *l. in agris, D. de adq. rer. do. l.* 1. §. *si insula, D. de flumin.* Occupatorios augeri vtroque, non vi maiore aut aluei mutatione, quod & Institutiones docent, & Vrbicus ex Cassio Longino iurisconsulto distincte eleganterque. & addit Boetius *11. de Geom. Eam insulam ipse sibi vindicabit, cuius terram tempestatis vis praeoccupauit.* De iure territorij etiam arbitratur mensor, quod hęc plerumque controuersia finiatur territorialibus terminis. Hæc est de iurisdictione & iure soli, limitationis, perticæ vniuerso, quod ad colonias vel municipia pertinet, & complectitur quandoque etiam aliorum territoriorum partes aliquas, quæ prefecturę vocantur. & in tributorum causa frequens est, cum ea territoriis inducuntur, *l.* 4. §. *is vero, D. de censib.* & in aliis plerisque causis. De subseciuis quæstio est in agris metatis & adsignatis, cum quæritur ad quem ea loca pertineant, quod ex lege à mensoribus initio dicta agris diuidendis dirimitur. De locis publicis, qualia sunt vetus fluminis alueus, agri tutelati, conciliabula, præfecturæ, pomœria vrbium, loca noxiorum pœnis destinata, culinæ, id est, loca inopum funeribus destinata, vt Vrbicus interpretatur, vel, vt Festus, loca in D quibus epulæ in funere comburuntur. Hæc sæpe vsurpant priuati, & ideo incidit sæpe hæc quæstio an locus sit publicus, id est in iure populi Romani aut coloniæ aut municipij, an priuatus. De locis relictis & extraclusis controuersia eodem iure est quo subseciuorum & hoc tantum distant subseciua ab relictis & extraclusis, quod illa sint loca non adsignata, quæ centuriæ modum explere nequiuerunt, hæc vacuæ centuriæ quæ in adsignationem non ceciderunt, quæ omnia Domitianum veteribus possessoribus concessisse Siculus, Vrbicus, Suetonius scribunt. De locis sacris & re- E ligiosis controuersia pertinet ad ius ordinarium, nisi cum de eorum modo demonstrando aut restituendo agitur: tunc enim mensorem adhiberi opus est. Controuersia etiam De aqua pluuia, licet ex XII. tab. sit de ea arcenda prodita specialis actio, tamen desiderat mensoris interuentum, quoties ex riuo forte quem fecit aqua pluuia intra limites vnius agri, adfinis calumniose æstimari censet oportere fines agri sui, non ex limitibus initio constitutis. Inspectio quoque mensoris sæpe de itineribus controuersiam dirimit, maxime in agris adsignatis, per quos mensurarum limitumque ratio iter populo præstat lege Colonica.

CAP. III.

De alienatione iudicij mutandi causa facta.

EDictum de alienatione iudicij mutandi causa, pertinet ad vindicationes vel ad actiones in rem scriptas, vel mistas, quarum euitandarum causa alienauit quis rem quam possidebat, vt acturo duriorem aduersarium opponeret. Valet enim alienatio, sed restitutoria actio in eum datur qui alienauit in quantum interest duriorem aduersarium non habuisse. Cuius hæc formula, Quod feceris ne tecum ageretur vindicatione vel alia actione in rem scripta aut mista, *l.* 24. §. *vlt. D. com. diuid.* Ad actiones in personam non pertinet, quia nec debitor potest inuito creditore alium vice sua debitorem substituere, *l.* 1. *C. de nouat.* Sed quia cedi tamen nomen alteri potest inuito debitore, *d. l.* 1. & edictum illud etiam opposito duriore actore locum habet, vt Accursius notat ex *l. non solum* §. 1. *D. de alien. iud. mut. caus.* & confirmatur *l. vlt. D. eod.* ea ex parte concedam edictum illud etiam ad actiones personales pertinere, ita scilicet vt ei cui cessum est nomen iudicij mutandi causa, ea denegetur actio, *d. l. vlt.* Est enim edictum generale, ne qua alienatio fiat iudicij mutandi causa. Vel si non denegetur actio, denegari debet priuilegium fori, vel, si quod aliud proprium ius habet quod non habuerit is qui cessit actionem, vt perinde iudicium procedat, acsi reo esset res cum eo qui C iudicij mutandi causa actionem cessit & sic. Romæ cum multis legibus fœnebribus ciuium auaritia coërceretur, & viam fraudandarum legum hanc fœneratores inirent, vt sociis qui non tenerentur his legibus, nomina cederent. atque ita libero fœnore obruerent debitores, plebiscito cautum fuisse Liuius scribit XXXV. vt cum sociis ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem quod cum ciuibus Romanis esset. Et ad hunc modum censerem hodie non cessiones nominum omnino prohibendas, sed eum cui cessa sunt nomina iisdem legibus adligandum, vbi fraus interuenit, quibus is qui cessit tenebatur. Et quod ait vetari *d. l. vlt.* id ita esse accipiendum, vt vetetur agere priuilegio iureque proprio, non si velit eodem iure vti quo & is qui cessit actionem. Obseruandum etiam esse quod cauetur *l. pen. C. mand.* vt empti nominis cessio non valeat supra D modum soluti pretij, & quod plus est in debito, lucro debitoris cedat, *l. vlt. C. eod.*

CAP. IV.

Ei qui in alieno adificauit ex sua materia, eius materiæ nomine actionem non dari, non vsquequaque verum esse.

NOn video qua ratione defendere possis quod Martinus voluit sumptus à possessore factos in prædia quæ aliena esse apparuit, actionis iure repeti posse, cum repugnet, *l. sumptus, D. de rei vind. l.* 14. *D. com. diuid. l. Paulus, D. de dol. exc.* & aliæ pleræque nisi eum per errorem prædia restituisse posueris, non deductis sumptibus: quo casu puto ei dari condictionem possessionis, cuius retentione sumptus seruare potuit, *l. si vxor filio, D. de donat. inter vir. & vxo. l. qui exceptionem* §. *si pars, D. de cond. ind. l. heres, D. ad Treb.* Sed & quo casu deductio nulla est sumptuum, vt cum eos dominus aliunde soluere non potest, & datur tantum possessori potestas tollendorum eorum quæ sine detrimento rei tolli possunt ex *l. in fundo, D. de rei vind.* puto tollendorum eorum facultate non data, vel omissa aut non admissa à iudice vel ab aduersario post euictionem & restitutionem rei eorum tollendorum ratione, possessori vt tollere liceat competere in fa-

ctum actionem, sicut conductori Labeo putat dari oportere ex conducto actionem vt tollere liceat quæ ædibus conductis iniunxit, *l. Sed addes* § *si inquilinus*, *1. D. locati*. Idemque daret Labeo fructuario. quod tamen, *l. Sed & si quid. D. vsufr.* negat, quia est ex disciplina Sabini, qui hac in re à Labeone dissentiebat, quique pariter inquilinum negabat ea quæ infixisset vlla actione tollere & refigere posse donec dempta essent à domino, *l. habitator, D. de rei vind.* quæ etiam est disciplina Sabini cum sit ex Minicio siue Iuliano, qui Sabiniani fuerunt. Et ait, *Dempta*, vt de vineis lex xij. tab. apud Festum, *Quandoque sarpta, donec dempta erunt.* Et si quis quęsierit vtram veriorem putem, Sabinianorum an Proculianorum sententiam, neque hanc neque illam dicam, sed herciscundorum potius (liceat nobis nostris vocabulis vti, cum & in eundem ea sensum grammaticis placuerint, vt Seruio Honorato Stoicos herciscundos vocanti, id est medium sequentes) herciscundorum, inquam, sententiam introducendam & admittendam esse, exemplo *d. l. infundo*, vt si locator aliunde soluere possit, compenset conductor pretium eorum quæ ædibus adiecit cum pensione debita, vel vt non aliter excedat ædibus finita locatione, si iam integram pensionem soluerit, quam pretium fenestrarum vel ostiorum quæ ædibus à locatore receperit. Si locator aliunde soluere non possit, vt patiatur tollere locator, vel vt hoc cogatur peti per actionem ex conducto.

Cap. V.

De Ilienſium priuilegiis antiquis.

PLeniſſimam immunitatem quam Calliſtratus in *l. non tantum* §. *Ilienſibus, D. de excuſ.* Ilienſibus iam antiquitus & S. Conſultis & Conſtitutionibus principum datam ſcribit, prius S. Conſultis datam orationis ordo declarat, puta decreto decem legatorum fœdere icto cum Antiocho ex ſenatus auctoritate, quo Ilienſibus eſt immunitas data, & ſuper immunitatem etiam Rhœteum & Gergithum conceſſa, auctore Liuio *xxxviij*. non tam ob recentia vlla merita quam originum memoria. quæ ratio etiam redditur à Calliſtrato. *Propter inclytam*, inquit, *nobilitatem ciuitatis & propter coniunctionem originis Romanæ*. Et eadem ratione Ilienſibus conceſſum eſt vt qui matre Ilienſi eſſet, fieret eorum municeps, *l. 1. D. ad municip.* & vt Minerua Illienſis heres inſtitui poſſet. Sic enim recte doctiſſimus Turnebus docuit in *Vlpiani fragmentis* eſſe legendum: & authenticum eorum fragmentorum euincit, in quo eſt, Mineruam Milienſem, non Melienſem. Liuius *xxxvij. Sacrificauit Mineruæ præſidi arcis, & Ilienſibus in omni rerum verborumque honore ab ſe oriundos Romanos præferentibus, & Romanis lætis origine ſua.* Et alio loco, *Ilium aſcendit ſacrificiumque Mineruæ fecit.* Et *xxxv. Ilium à mari aſcendit, vt Mineruæ ſacrificaret.* Strabo *xiij.* Τῶν Ιλιέων πόλιν τὸ ἱερὸν ἔχουσαν τῆς Ἀθηνᾶς. Philoſtratus *vij. de Apollonio*, τὴν Ἰλιάδα Ἀθηνᾶν Porro immunitatem Ilienſibus confirmauit etiã Claudius imperator, propter eandem originis ſiue antiquitatis gloriam. Hac enim ſola pollebant, vt Corn. Tacitus ait *lib. iij.* qui & de Conſtitutione Claudij illud retulit *lib. xij.* & Plinius *v. cap. xxx. Ilium*, inquit *immune, vnde omnis rerum claritas.* Ideo autem pleniſſima dicitur, quia omnium tributorum & omnis publici muneris remiſſio eſt, etiam tutelarum, ſed eorum pupillorum tantum qui Ilienſes non ſunt. Ergo etiam militiæ & metati. Alioquin immunitas nuda his oneribus non excuſat, *l. penult.* §. 1. *D. de vac. mun. l. 3. C. de mun. pat.*

Cap. VI.

Tres caſus quibus agenti Publiciana non obſtat exceptio iuſti dominij.

MVltum intereſt poſt litem conteſtatam dolo quis an culpa rem alienam deſierit poſſidere. Si dolo, quanti actor in litem iurauerit: ſi culpa, quanti re vera intereſt reus condemnatur. Si dolo, petitor qui litis æſtimationem percepit, actiones ſuas ei cedere non debet. Sed neque ipſe ſuo nomine Publiciana actione rem cuius ſuo dolo poſſeſſionem amiſit, perſequi poteſt, *l. is qui, & ſequ. D. de rei vind.* Si culpa, condemnato ſuccurri ſolet vt ei actionib⁹ ſui dominus cedat, *l. 12. D. eod.* quin & nõ ceſſis actionib⁹ auxilium ei prætor laturus eſt data actione Publiciana, quę auxiliaris eſt, non ordinaria actio. & ita omnino accipienda eſt *l. Si culpa, D. eod.* quæ etiam adiicit ipſo qui litis æſtimationem accepit poſſidente, aduerſus eum Publicianam actionem dari. Ergo aduerſus dominum, quia re abſente ſoluta litis æſtimatione non ante ei qui ſoluit rei dominium adquiritur quam poſſeſſionem apprehenderit
C domini voluntate, *l. hæc ſi res, D. eod.* & præterea adiicit domino non eſſe integrum venditionem reſcindere reddita litis æſtimatione quam condemnatus præſtitit ſuo periculo, vt puta ſub incerto amiſſæ rei recuperandæ. Hoc igitur caſu excipienti: Si non ea res poſſeſſoris ſit, obſtabit replicatio doli vel in factum. Eſt & ſimilis caſus in *l. mandatum, D. mand.*, de venalitiario loquitur, id eſt mangone, qui & venalitius dicitur, *l. vlt. D. de adil edi.* vbi quod ex venalitio, Baſilica παρὰ τὸ πωματεμπόρος. Cicero pro *Cornelio, Multi venalitij mercatoreſque.* Suetonius *De claris rhet. Venalitij cum gregem venalium naui educerent.* Et de mangone igitur in *d. l. mandatum*, hæc proponitur ſpecies. Qui Romæ ſolebat mancipia vendere, in prouinciam abiens mandadauit Titio vt mancipia quædam quæ Romæ relinquebat, diſtraheret. Titius re integra mortuus eſt. Here-
D des eius errore iuris lapſi, cum exiſtimarent mandatum non eſſe extinctum Titij morte, mancipia diſtraxerunt, & emptores ea vſuceperunt. Reuerſus venalitiarius, qui & ipſe ea mancipia bona fide emerat à non domino, aduerſus emptores eoſdemque mancipiorum dominos per vſucapionem effectos Publiciana non inutiliter experietur. nec obſtabit exceptio iuſti, id eſt ciuilis dominij, quæ ſolet obſtare Publicianæ, *l. pen. & vlt. D. de Public. in rem act.* licet non obſtet ſuperficiariæ, vectigali, feudatariæ. Nec enim paſſim & temere etiam Publicianæ obſtat, ſed cauſa cognita, & hic ne imperitia heredum mandatori ſiue venalitiario damnum adferat, æquum eſt perinde ac ſuperiori caſu elidi eam replicatione doli vel in factum. Eſt & tertius, *l. ſi is cuius, D. Ex quib. cau. ma.* Si reip. cauſa abſens
E cum non defenderetur, vſucepit rem meam, & ego forte eius rei poſtea nactus ſim poſſeſſionem ſine vitio, iuſta eſt poſſeſſio, quam equidem tuebor etiam aduerſus iuſtum dominum, id eſt, militem qui vſucepit, non tantum exceptione perpetua, *l. necnon* §. *pen. D. ex quibus cau. ma.* ſed etiam actione perpetua, id eſt, Publiciana, ſi poſtea poſſeſſionem amiſero. Sunt & plerique alij caſus quibus vtiliter Publiciana agitur aduerſus dominum ſine metu exceptionis. ſed hi tantum tres adſertorem deſiderabant.

Cap. VII.

Vectigal pro vmbra, pro aëre. Plinij & Harmenopuli locus.

QVid non dominantium cupiditas excogitauit? Etiam pro vmbra vectigal exactum Plinius refert *Naturalis historiæ lib. 12.* his fere verbis: *Quis non miretur arborem vmbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est iam ad Morinos vsque peruecta, ac tributarium etiam detinens solum*, (sic legendum) *vt gentes vectigal & pro vmbra pendant.* Hæc Plinius. Quid igitur mirum si & pro aëre qui & ipse iure naturali cõmunis est, forte vectigal exactum legamus? Hoc quidem certe ætati Michaëlis Paphlagonis imp. orientis Cedrinus adscribit his verbis, Ποειμώτατος ὢν πρὸς ὠὴ ἄν τις εἴπη κακίαν, πᾶσαν ἐφεῦρεν ὁδὸν ἀδικίας, προσθεὶς ἐπίκεινα τῆς τελεσμάτων δίδόναι ἕκαστον τῆς χωρίων ὑπὲρ ἀσεικοῦ καὶ τῷ ποιότητα καὶ ἰσχνὸ αὐτῶ. Quid enim aliud est, ὑπὲρ ἀσεικοῦ, quam pro spiritu aërio? Pendebatur igitur tum vectigal non pro solo, sed etiam pro cælo. & eo, (quantum opinor) pertinebat apud Harmenopulum nostrum erraticus ille titulus (nec enim eum agnoscunt exemplaria regia) περὶ ζημιῶν ἀσεικῶν. Et huc pertinet etiam illud Pescennij Nigri apud Spartianum. *Vos terras vestras leuari censitione vultis, ego vero etiam aërem vestrum censere vellem.* Alia tamen interpretatio Procopij ἀνεκδότοις, nempe vt ἀσεικὸν sit tributi genus quod supra solitum canonem exigitur adeo nouum vt quasi aëre descendisse videatur: ἢ παγμόν τις ἐπὶ ξωφθισμένη ἔσα ἡ φορὰ, ἀλλὰ τύχη πνὶ ὥσπερ ἐξ ἀέρος φερομένη.

Cap. VIII.

Duæ constitutiones Græcæ quæ desiderantur in Codice Iustiniani tit. de fide instrumentorum.

DEsideratur in Codicis tit. de fide instrumentorum post. l. 15. Constitutio Græca, cuius verba proponam ex Basilicis.

Ἐαὶ ἐναγόμενός τις ἀρνήσηται χεῖρα ἰδίαν προσφερομένην ἐν χαρτίῳ, ἢ ἐν ἑτέρῳ χάρτῃ, εἰ μὴ ἀπὸ συγκρίσεως ἐλεγχθείη, τουτέστιν αὐτῶ ἑτέρας προφερομένης χειρὸς, καὶ αὐτεξεταζομένης πρὸς τὴν ἐν τῷ χαρτίῳ κειμένην, δίδόναι αὐτὸν λόγῳ πρσίμου τῷ ἐνάγοντι ὑπὲρ αὐτῶ τῶ ψεύδους κδ' N' N'. ἐὰν δὲ ἡ συμβολαιογράφος παρενεχθῇ παρ' ᾧ τὸ συμβόλαιον ἐγράφη, ἢ καὶ ἕτεροί τινες μαρτυροῦντες τῇ ἀληθείᾳ, τότε αὐτὸν πρὸς τῷ ὀπτημίῳ τῆς κδ' N' N'. ἔδὲ παρρησίαν δώσαθαι ἔχειν πρὸς τὸ ἀνυπεύθυνα τὴν τ ἀναργυείας προφασίζεσθαι, λέγοντα ὅτι κἂν τὸ συμβόλαιον ἐγένετο, ὐκ ἐδόθησαν τὰ ἐν αὐτῷ γεγραμμένα, ἀλλὰ πάντας καταδικάζεσθαι, κἂν εἰ μηδὲν αὐτῷ τῆ ἀληθείας κατεβλήθη, ταῦτα μὴν, ἐαὶ ἐνάγηταί τις ἐξ οἰκείᾳ ζωαλλάγματος. εἰ δὲ ὀπτροπός ὅτιν ἢ κουράτωρ ἑνὸς τῆς κουρατωρευομένων προσώπων ἄρρεν ἔτε θήλεα καὶ τὰς διατάξης ὀπτροπεύουσα τῆς ἰδίων παίδων, καὶ χεῖρα ἰδίαν προφερομένην ἐν τῷ ζωαλλάγματι τῆς ὀπτροπευομένων, ἢ κουρατωρευομένων ἀρνήσηται, τινικαῦτα, εἰ μὲ ἀπὸ μόνης συγκρίσεως ἐλεγχθείησαν ψευδόμενοι, παρέχειν αὐτοὶς τὰ κδ' N' N' εἰ δὲ ἐκ προαγωγῆς συμβολαιογράφου ἢ μάρτυρον, τὴν μὴν τ ἀναργυείας προφασιφὴν μὴ ἀναιρεῖσθαι τοῖς ὀπτροπευομένοις ἢ κουρατωρευομένοις προσώποις, (ὐδὲ γὰρ ἥμαρτον ἐκεῖνοι) αὐτοὶς δ' ὀπτρόποις ἢ κουράτωρας ἑτέρους κδ' χρυσοὶς λόγῳ πρσίμου δίδόναι τῷ ἐνάγοντι, ἐχόντων τῆς ὀπτροπευομένων καὶ κουρατωρευομένων σωζομένην αὐτοῖς τὴν τ ἀναργυείας προφασιφήν. οὐδὲ γὰρ δίκαιόν ὅτιν αὐτοὶς ἐξ ἀλλοκρίων ἁμαρτημάτων ζημιοῦσθαι. Ταῦτα περὶ τῆς ἐναγομένων εἰποῦσα ἡ διάταξις ἔρχεται καὶ εἰς τὸ τῆς ἐναγόντων πρόσωπον, κελεύουσα ἵνα εἰ ὁ ἐν ἄγων χεῖρα ἰδίαν ἀρνήσηται κειμένην ἐν χάρτῃ κατ'

A αὐτὸ προφερομένην τυχὸν ἐν ἀπολογητικῇ ὁμολογίᾳ, καὶ αὐτὸς ὁμοίως εἰ μὴ ἐκ μόνης συγκρίσεως ἐλεγχθείη, προφάσχῃ τὰ κδ' N' N'. εἰ δ' ἐκ παραγωγῆς συμβολαιογράφε ἢ μάρτυρον, τινικαῦτα πᾶσι τρόποις ὑπολογίζεσθαι αὐτὸν τὰ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἀποδείξῃ προειρημένα, κἂν μὴ τ ἀληθείας κατελήφθησαν ἐπ' αὐτῶ. Ταῦτα ἐὰν οἰκείῳ ὀνόματι ἐνάγηται. ἐὰν δ' ἐπίτροπός ὅτιν, ἢ κουράτωρ, δίδωσι μὴν διπλάσιον τὸ ἐπίτιμον τῆς κδ' N' N'. ὁ δ' ἐπιτροπευόμενος ἢ κουρατωρευόμενος δώσαται ἀνυπεύθυνα τῇ ἀποδείξῃ τινὶ ἀναργυείαν. Ex hac Constitutione rei qui cautionis eius, qua suo vel tutorio aut curatorio nomine conueniuntur, manum aut subscriptionem suam non esse mentiuntur, conuicta sola comparatione literarum damnantur actori in aureos XXIV. salua exceptione non numeratæ pecuniæ: conuicti testium aut tabellionis productione, siquidem suo nomine conuenti sint, etiam non numeratæ pecuniæ exceptionem amittunt, si tutorio aut curatorio nomine, damnantur actori in duplum, id est in aureos XLVIII. seruata iis quorum tutelam aut curam gerunt exceptione non numeratæ pecuniæ. Æque actores qui apochæ manum dolo malo non recognoscunt, siue suo siue tutorio aut curatorio nomine egerint, coniuncti collatione scripturarum damnãtur in aureos XXIV. salua exceptione non solutæ pecuniæ: conuicti testibus aut tabellione etiam eam exceptionẽ amittũt, videlicet si suo nomine egerint, si tutorio aut curatorio, conseruatur his quorum tutores aut curatores sunt exceptio, & ipsi reo condemnãtur in duplum, propter mendacium & C addunt Basilica hanc interpretationem. Νόησον δὲ τῶ σύγκρισιν παντοκρῦ γίνεσθαι καὶ τῶ νεαρὰν διαταξιν τῶ κελεύσαν μεθ' ὅρκον γίνεσθαι τὰς τῆς γραμμάτων συγκρίσεις. quod est ex l. comparationes, C. eod. tit. & Nouella. 49. Desideratur etiam in eodem titulo alia Constitutio Iustiniani, cuius hæc sunt verba:

Ἐάν τις ἀπαιτούμενος ἐν δικαστηρίῳ προσαγαγεῖν δικαίωμα οὐ καθ' ἑαυτῶ, ἀλλὰ καθ' ἑτέρου τινὸς, συμβαλλόμενον ἢ ἑτέρῳ προσαιτεῖται τοῦτο προσαγαγεῖν ὡς ἐκ τούτε βλάβῃ ὑλαβούμενος. ὁ δ' ἀπαιτῶν τὸν χάρτην προσενεχθῆναι, λέγει μηδὲν αὐτὸν ἀδικεῖσθαι, ἀλλ' ἢ χρήματα ἐληφέναι πρὸ τῆς μελλόντων ἐλέγχεσθαι ὑπὸ τῶ προφερομένου δικαιώματος, ἢ ἑτέραν τινὰ προβάλλεσθαι πρόφασιν, ἑαυτὸν δ' μεγάλα βλάπτεσθαι, μὴ προφερομένε τῶ δικαιώματος. βούλεται μὲν ἡ διάταξις τ ἔχοντα τὸ δικαίωμα, προφέρειν αὐτὸ, εἰ μηδὲν ἐκ τ προκομιδῆς αὐτῶ μέλλῃ καταβλάπτεσθαι. εἰ δὲ τῇ ἀληθείᾳ βλάβην αὐτῷ ποιεῖ προφερόμενον τὸ δικαίωμα, μὴ ἀναγκάζεσθαι αὐτὸν προκομίζειν αὐτό. ἐπειδὴ συμφέρῃ αὐτῷ μᾶλλον κρύπτειν ἢ δημοσιεύειν αὐτό. εἰ δὲ ὁ τῶ συμβολαίᾳ δεόμενος διαβεβαιοῦται μηδὲν αὐτὸν ἀδικεῖσθαι, ὅρκον δίδοτω μόνον, ὡς νομίζων βλάβην περὶ τὴν ἰδίαν πίστιν ὑπομένειν ἐκ τ τῶ συμβολαίᾳ προκομιδῆς, διὰ τοῦτο παραιτεῖται προκομίσαι. ἵνα δὲ μὴ αὐτὸ τοῦτο τὸ μὴ κερδᾶναι τὰ ἐπαγγελθέντα αὐτῷ, πρὸς τὸ μὴ κομίσαι τ χάρτην, βλάβην οἰκείαν νομίζῃ, πρεσβύτερον παρεχέτω τ ὅρκον, λέγων ὅτι διὰ τὸ λαβεῖν χρήματα ἢ ἑτερόντι, διὰ τὸ μὴ προκομίσαι τ χάρτην, ἢ διὰ τὸ ἔχειν ἐπαγγελίαν δόσεως, ἔτε διὰ φόβον ἐκείνε καθ' ὃ ζητεῖται τὸ δικαίωμα, ἔτε διὰ φιλίαν αὐτῶ παραιτεῖται τ τῶ χάρτε προκομισθῆναι, ἀλλ' ὡς ἐξ ὀρθοῦ πρὸ τ ἰδίαν ὐσίαν μεγάλα βλαπτόμενος. ὥσπερ γὰρ ὁ νομιζόμενος εἰδέναι τὸ ἀληθὲς πρό τινος ὑποθέσεως, ἀναγκάζεται καὶ ἄκων πρὸς μαρτυρίαν, καὶ οὐδὲ εἰ ἐπαγγελίαν ἔχει ὑπὲρ τῶ μὴ μαρτυρῆσαι, ὐδὲ εἰ καὶ φίλων ἔρχεται μαρτυρῆσαι, παραιτεῖται μαρτυρίαν. ὕπως ὐδὲ ὁ συμβόλαιον ἀπαιτούμενος προσενεχθῆναι, ἔτε διὰ τὸ εἰληφέναι τὸ ἢ ἐλπίζειν λαμβάνειν. ἔτε διὰ φιλίαν τῶ μέλλοντος ἐκ τῶ συμβολαίᾳ βλάπτεσθαι, δίδωσι τ προκομιδὴν αὐτῶ παραιτεῖσθαι. ἀλλ' εἰ μέν τις ἐπομόσεται μὴ ἔχειν τὸ ζητούμενον δικαίωμα, μηδὲ ὅλως ἀναγκάζεσθαι προφέρειν ὅπερ μὴ ἔχει. εἰ δὲ οὐκ ἀνέχεται τὸν τοιοῦτον ὅρκον ὑποσχεῖν, πάντως ἀναγκάζεσθαι προφέρειν τὸ ἀποζητούμενον δικαίωμα. εἰ δ' ἑαυτὸν ὑποκρύπτῃ, ὡς μήτε ὀμόσαι, μήτε προσαγαγεῖν τὸ δικαίωμα δυνάμενος, πᾶσιν τοῖς ἐκ τούτε συμβησομένοις ζημίαις τῷ δεομένῳ τῶ δικαιώματος οἰκοθεν καταβαλλέτω, τῆς αὐτῶν κρατουμένων καὶ εἰς τὰ ἀργυροταμιακὰ χρέδια, ἢ τὰ παρ' ἑτέ-

ρων τινῶν ζωγραφήματα, ἅπερ πς ὀπζητεῖ προκομιδῶναι ὁ χρὴ τὰς πυκτὰς ταύτας ζωγεθήκοτων, ἀλλὰ καθ' ἑτέρων τινῶν. ἐκεῖνοι δ' ἀναγκαζέσθωσαν προφέρειν πυκτὰς ἢ δικαιώματα, οἱ καὶ μάρτυρεῖν καὶ τινὲς ἀναγκαζόμενοι. καθ' ὧν γὰρ προσώπων ἔκων πς ὁ μάρτυρεῖ, καὶ τούτων ἔστε προκομίζειν πυκτὰς, ἢ δικαιώματα, ἢ ἕτερόν τι τοιοῦτον ἀναγκάζεται. πρόδηλοι δ' εἰσὶν ἐκ τῆς νόμων οἱ μὴ ἀναγκαζόμενοι καὶ τινῶν μάρτυρεῖν ἔκοντες, καὶ ἐκεῖνοι καθ' ὧν οὐκ ἀναγκάζονται τινὲς μάρτυρεῖν. ἐδενὶ δ' ἔξεσιν ἄλλως ἀναγκάζειν προφέρεσθαι δικαιώματα εἰ μὴ ἐν αὐτῷ τῷ δικασηρίῳ, παρ' ᾧ κινεῖται ἡ ὑποθεσις, καὶ τότε δ' ἀναλώματα τῶ ζητοῦντος γενέσθαι τῷ προκομιδῶ τ' πυκτῆς ἢ τῆς δικαιωμάτων. χρὴ δ' γίνεσθαι καὶ τῷ ἐμφάνιαν αὐτῶν ποσσάπαξ μόνον. εἰ δ' ἅπαξ προκομιδέντος τῶ συμβάλαίου, ὀπζητεῖ καὶ δεύτερον γενέσθαι τῷ προκομιδῶ αὐτῶ ὁ τότε δεόμενος. εἰ εὔλογον φανείη τῷ δικασῇ τὸ καὶ δεύτερον προενεχθῆναι τὸν χάρτιν, ὁ δ' προκόμισας αὐτὸν, ἔδη ἀπαιτεῖσθαι ἀπαρνέμενος τῷ δευτέρων προκομιδήν. λέγων ἀπολωλεκέναι τὸν χάρτιν, ἢ ἄλλως πῶς μὴ ἔχειν εὐχρεστίαν τότε προκομιδῆς, ὅρκῳ μόνῳ τοῦτο αὐτὸ πιστεύω, καὶ μικὲπ ἀναγκαζέσθω προφέρειν αὐτό τούτων κρατούντων ὃ μόνον ἐν τῇ βασιλὶ πόλι, ἀλλὰ καὶ ἐν πάσῃ τῇ πολιτείᾳ. Huius constitutionis meminit idem Iustinianus edicto nono, & ex ea quidem licet mihi nemo cogatur instrumenta sua aduersus se ipsum edere, aduersus alterum tamen cogitur actione in factum perinde atque argentarius rationes quas mei causa confecit, si mihi prodesse possit & nihil illi editio noceat, sumptibus meis scilicet, sicut inuitum quemlibet mei causa constat sumptibus meis produci pro testimonio posse, sed ita tamen vt in ea tantum re quæ mihi est cum altero eis instrumentis vtar, non in alia si qua mihi intercedat vel cum alio quodam vel cum eo ipso qui mihi ea edidit instrumenta, vt fit sua edente fisco, qui tamen in eo ab hac constitutione excipiendus videtur, quod aduersus eum à nemine instrumenta vel acta edi oporteat, *l. in fraudem*, §. *neque*, *D. de iure fisc.* Excipiuntur etiam adfines & cognati, quoniam & in eos inuiti testimoniũ non dicũt. Id quoque additur hac Constitutione exemplo edicti de edendis rationibus argentariæ, ei qui iterum edi postulauerit, non nisi causa cognita edi oportere, & excusari semper eum qui iurauerit se non posse edere sine sua fraude, & neque sordibus neque metu aut ambitione inhiberi quo minus edat, vel etiam qui iurauerit eorum exhibendorum se facultatem non habere.

Cap. IX.

Ad l. 27. §. vlt. D. ad leg. Aquil.

VIdeamus an errauerit doctissimus Budæus, cum in *l. 27. §. vlt. D. ad leg. Aquil.* pro tectori reposuit vetori, & laccum interpretatus est esse excipulum musti defluentis è torculari. Nam laccus forte eo in loco nihil aliud est quam quæ vini cisterna dicitur, *l. vulgatis*, §. *sed si de naui*, *D. de furtis*, quam in terra defossam tectorio inducere & incrustare intus foriſque solebant. quod Sudas docet his verbis: Ἀθλιαῖοι καὶ οἱ ἄλλοι τῶ Ελλιμένων ὀρύγματα κατὰ τὴν γῆν ποιοῦντες εὐρύχωρα καὶ τρογγύλα καὶ τετράγωνα, καὶ ταῦτα κονιῶντες. οἶνον κατεδέχοντο καὶ ἔλαιον εἰς αὐτά, καὶ ταῦτα λάκκους ἐκάλουν. Xenophon 4. ἀναβάσεως: Καὶ γὰρ οἶνος πολὺς ἦν ὥστε ἐν λάκκοις κονιατοῖς εἶχον. Et tectorem eum esse constat qui tectorium cisternæ inducit. Glossis *tectorium*, κονίαμα, & *tector*, κονιάτης, & in Basilicis illo loco pro tectori est κονιάτη. Igitur hæc est eius §. sententia, teneri tectorem actione in factum locatori, si laccum quem curandum conduxerat pertuderit, quia imperitia scilicet culpæ adnumeratur. Curandum id est Incrustandum, Græci partim vertunt ἐπὶ τῷ φιλοκαλῆσαι, alij ἐπὶ τῷ ἀναχρίσαι τὰς πλευρὰς αὐτῆ. alij verbum de verbo, ἐπὶ τῷ φερνίσαι. Victoris nomen, quod reponit Budæus, conue-

A nire non potest: nam neque viere laccus solent, neque vietorem Latinos dixisse, sed victorem, argumentum præbet Aulus Gellius, qui cum pleraque productis quę corripiebantur vocalibus dicta recenset, veluti lictorem à ligando, lectorem à legendo, tutorem à tuendo, structorem à struendo, & victorem his admiscet à viendo. Sic enim legendum est. Nam si à vincendo vel viuendo, vt vulgo, legatur, erit in vtroque verbo producta syllaba prima: quod à Gellij sententia alienissimum est. Et victor sane, vt victrix Venus, auctore Varrone, dicitur non à vincendo sed à viendo, id est vinciendo. Arnobius 2. *Vannonum serpiarumque vi-*
B *ctores*. At vietorem quoque Plautus dixit *Rudente*.

Et vietorem & piscatorem te esse postulau.

Cap. X.

De in ius vocando.

PRoprie in ius vocare est ad prætorem vel alium vocare qui iurisdictioni præsit, *l. 2. D. si quis in ius voc. non ierit.* Eodem sensu dicimus, In iudicium vocare, *l. 1. l. tutor propupillo*, *D. de adm. tut. l. 3. D. de eo per quem fac. erit*, &c. *l. 2. §. prætor*, *D. qui satisd. cog.* & cautio iudicio sisti, est ad prætoris sellam sisti, *l. 1. D. si quis in ius voc. non ierit.* nam & prætor ipse iudex est veteri appellatione, vt Liuius scribit 3. & apud prætorem prius quam iudex detur specialis, quodam modo C agendi potestas datur, vt M. Tullius ait *De inuentione*: vt plane duplici iudicio res eadem disceptari videatur, vno apud prætorem, altero apud iudicem datum. Porro is qui in ius vocatus est, sequi debet, & quidem statim ex xij. Tab. *Si in ius vocat, atque eat.* Qua enim actione conueniatur, cognoscit antequam vocetur. Nã editio actionis atque instrumentorum litis in ius vocationem præcedit. Quid ergo aliud restat quam vt vocantem sequatur? Hodie vtrumque fit simul ex continenti, editio nempe & vocatio: & ideo nec sequitur statim qui vocatus est, sed deliberandi spatium datur. At iure antiquo, aut sequi è vestigio debet is qui vocatus est, aut manu iniecta inuitus duci, rapi, [illegible]ni, nisi D scilicet vadimonium promittat, id est nisi satisdet iudicio sisti, *l. 5. §. vlt. D. qui satisd. cog.* & inde titulus, in ius vocati vt eant, aut satisdent. Promittit in diem locumque certum. Sed et si diem non adiiciat, stipulatio valet: quia in eum diem cautum intelligitur quo stipulator agere voluerit, cum tamen, si alio loco quam in iure sisti quis stipuletur, die non adiecto, inutilis stipulatio sit. Pœnæ etiam omissio, ni status sit, stipulationem non vitiat: sed si certe quantitatis actio fuerit, certi condictione fideiussor in eam quantitatem tenetur, puta in c. si in c. actio fuerit, *l. 2. §. vlt. l. 3. D. qui satisda. cog.* si incerti actio fuerit, tenetur incerti ex stipulatu in id quod interest, *l. vlt. D. si quis in ius voc. non ierit*, *l. 4. D. de custo. reo.* Quod si stipulationi certa pœna sit adiecta, in eam damnabitur fideiussor, nisi excedat modum statutum, *l. 4. §. vlt. D. si quis caut.* Et hic E modus statutus est vt si actio fuerit in c. pœna deserti vadimonij non excedat cc. si actio fuerit incerti, puta de possessione vel de capite, modus pœnæ imponatur arbitrio prætoris aut præsidis. Hæc dicitur pœna desertionis, *l. 5. §. vlt. eod.* contemptæ scilicet & desertæ promissionis iudicio sistendi causa factæ, *l. 4. §. vlt. eod.* Vtroque loco vtitur deserendi verbo, vt & in *l. vlt. D. qui satisf. cog.* sicut veteres qui deserere vadimonium dicebant, & huic pœnę addebatur etiam alia vt mitteretur aduersarius in possessionem bonorum eius, *l. 2. D. quib. ex can. in poss. ea*: qua etiam plectebatur qui latitabat ne in ius vocari posset, nec defendebatur, *l. satis*, *D. de in ius voc.* nec enim tria edicta, & peremptorium proponi moris erat ante litem contestatam aduersus

eos qui ne vocarentur in ius, latitabant, vel qui ad cō-
dictum diem quo iudicio ſiſti cauiſſent, non occurre-
bant, ſed aduerſus reſtitantes in iudicio & tergiuerſan-
tes, qui litem conteſtatione ſemel inchoatam deſere-
bant, *l. & tertium, D. de iudic. l. contra, D. de re iud.*
Porrō (vt dixi) in ius vocatus, qui non præſtat cau-
tionem iudicio ſiſti, vel ſequitur in ius vel ducitur &
trahitur ex 12. Tabu. his locis, *Manus iniectio eſto. In
ius ducito.* Et alio loco, *Si caluitur pedem veſtruit, ma-
num endo iacito.* Quod imitatus Lucilius, *Si non it, capi-
to*, inquit, *eum, & ſi caluitur, endo iacito manum.* Inde
vero intelligi perſpicue poteſt quantum diſtet titulus,
Nequis eum qui in ius vocabitur, vi eximat à titulo,
*De eo per quem factum erit quo minus quis in iudicio ſi-
ſtat.* Illo coërcetur, qui fecit quo minus is qui vocatus
erat, ſequeretur in ius produceretur ve: hoc autē coër-
cetur, qui fecit quo minus is qui cauerat iudicio ſiſti,
ad diem ſua ſponte veniret. Hæc eſt ſumma & princi-
palis differentia, quam ignorauerunt interpretes no-
ſtri, vt & pleraque alia ex iis quæ diximus ante, & quę
poſt hæc dicturi ſumus. Ex ea oriuntur iſtæ: Illo edi-
cto vis coërcetur, hoc dolus: ex illo agit is tantum qui
vocauerat in ius, ex hoc agit reus cuius intereſt pœnam
non eſſe commiſſam, atque etiam actor, ſi eo facto a-
ctionem ſuam amiſerit: illo actor meram pœnam per-
ſequitur, iſto id quod intereſt: illo ſi plures deliquē-
rint, ſinguli in ſolidum tenentur, iſto ſolutio vnius li-
berat alios: illi locus eſt reo exempto, huic locus eſt e-
tiam impedito actore. Neutro coërcetur qui ad iudi-
cem pedāneum vocatum eximit vel impedit. Non illo
certe, *l. 3. § 1. D. nequis eum qui in ius voc.* Non etiam
iſto. nam & iſte eſt de iis qui ad eos vocantur qui iuriſ-
dictionem & tribunal habent. Et generaliter omnes
tituli *De in ius vocando*, nihil ad eos pertinent qui ad
iudicem pedaneum ſiue ad iudicem datum vocantur,
qui ſcilicet iuriſdictionem & tribunal non habent. Er-
go in ius vocare, eſt ad magiſtratum vocare. Sed hoc
non eſt ſatis. Addatur qua de re, iuris igitur ſui expe-
riundi cauſa. Apud magiſtratum vero, ibi primum de
iure experimur & decernimus noſtro, cum poſtulatur
actio, poſtulatur exceptio, & quodammodo agendi
poteſtas datur, & conceptio omnis futuri iudicij con-
ſtituitur. Edicto autem eo quod proponitur ſub titulo
de in ius vocando, parentibus & patronis vtriuſque ſe-
xus, parentibus item liberiſque patronorum duo bene-
ficia dantur. Primum, vt non vocentur inuiti, ac proin-
de vt non ducantur in ius ſine venia & permiſſione
prętoris, *l. 4 11. D. de in ius voc.* Hodie quia non du-
cuntur qui vocantur in ius, conſequenter vt eiuſmodi
perſonas in ius vocemus, nihil indigemus petitione ve-
nię. Alterum, vt ſi vocati permiſſu prætoris ne ducan-
tur parati ſint cauere iudicio ſiſti, ab eis qualiſcunque
fideiuſſor accipiatur *l. 1. & l. 2. D. in ius voc.* vt cant
vel ſatiſd. *l. 2. D. qui ſatiſd. cog.* & hoc quidem benefi-
cium datur etiam liberis noſtris & vxori, & nurui, non
etiam illud. Nam liberos meos & vxorem & nurum in
ius vocare poſſum ſine permiſſu prætoris: liberi autem
mei non poſſunt me in ius vocare ſine permiſſu præto-
ris, id eſt, niſi edicti gratiam fecerit prætor. Gratiam
facit prętor edicti quo vetabat vocari parentes dū per-
mittit vocari, *l. 10. § qui manumittitur, l. vlt. D. de in ius
voc. l. 2. C. eod.* Macrob. *7. Sat. cap. 5. Ab auctoritate veſtra
tanquam ab edicto prætoris impetrata venia.* Liberi (in-
quam) mei qui ſunt in mea poteſtate, quibus caſibus
mihi cum eis lis eſſe poteſt, non poſſunt me in ius vo-
care ſine venia: ſed neque ii qui in poteſtate mea non
ſunt, veluti emancipati. ergo nec matrem ſuam, *l. 3. C.
eod.* nec enim ex iure poteſtatis, quod iure ciuili intro-
ductū eſt hoc ius deſcendit, ſed ex iure naturali, id eſt
reuerentia quæ natura debetur parentibus & patronis.
Qua de cauſa in hac re ruſticitati non parcitur: nam
A iuris naturalis ignoratio neminem excuſat, *l. 2. C. eod.*
Eadem ratione liberi mei qui ſunt in adoptiua familia,
eandem mihi reuerentiam debent, licet in pleriſque a-
lijs partibus iuris liberorum numero non ſint, veluti
in S. C. Tertulliano, & in Silaniano, & in edicto pri-
mo de bonorum poſſeſſionibus. Nam & mihi debetur
reuerentia, licet ſim in adoptiua familia, *l. 8. §. 1. D. de
in ius voc. l. 2. D. qui ſatiſd. cog.* & liberis patroni, *l. 10.
§ ſi filius, D. de in ius voc.* Vtroque autem edicto in eum
qui contra interdictum fecerit, proponitur actio pœ-
nalis L. aureorum, *l. ſi libertus, l. pen. & vlt. D. de
in ius voc. l. 2. D. in ius voc. vt eant.* Quæ pœna paren-
ti ipſi patronoque infertur. & ideo reſcripto principis
B remitti non poteſt, *l. 2. C. hoc tit.* Legitur & in quibuſ-
dam codicibus, *l. ſi quis id quod, D. de iuriſ.* actionem
Albi corrupti eſſe L. aureorum. male. Rectius Flor.
quingentorum: quæ quidem vel aliqua ex parte infer-
tur in publicum, (eſt enim popularis actio) & in ea ru-
ſticitati parcitur. Aliæ igitur ſunt pœnales actiones in
quinquagenos, vt & actio de deiectis & effuſis, aliæ in
quingenos. Et ita, auctore Feſto, ſacramentum in a-
liis rebus L. aſſium eſt, in aliis D. inter eos qui iudicio
inter ſe contendunt. Eſt autem generaliter proditum in
l. generaliter, D. de in ius vocand. eos quibus reueren-
tia præſtanda eſt, ſine iuſſu prætoris in ius vocari non
poſſe. Ad quam exemplum apponi poteſt de marito,
C ne eum vxor vocet contra receptam reuerentiam *l. a-
lia, in fi. D. ſoluto matrimonio*, & aliud ex *l. 1. C. de in
ius voc.* vt patroni heres etiam extraneus non poſſit in
ius vocari ſine venia. Nam etſi egeat, ali debet à liber-
to teſtatoris, *l. ſi quis non quaſi, D. de adquirend. hered.*
Item ex *l. 2. C. de in ius voc.* vt vxor patroni non poſſit
in ius vocari ſine cauſæ cognitione permiſſuque prę-
toris. Ergo nec maritus patronæ, vt quem patrona co-
lii, colat etiam libertus ac reuereatur. Aliud tamen iu-
dicium Accurſio eſt propter *l. liberti, C. de op. lib.* quæ
de operis tantum loquitur: & ſi temere porrigatur ad
honorem & reuerentiam, eadem via heredi etiam ex-
traneo patroni nulla exhibebitur reuerentia. Atque ita
hic interuenit differentia quędam inter heredem liber-
D ti & heredem patroni. Heredi patroni extraneo debe-
tur reuerentia: heres liberti extraneus non debet reue-
rentiam *l. apud §. aduerſus, D. de dol. exc. l. heres, D. de
obſeq. à lib.* cui vt hæc differentia notaretur proxime
iungitur *l. liberto, vt liberto ac filio ſemper*, &c. *Semper*,
id eſt tam viua quam mortua, *d. §. aduerſus* (ex quo e-
mendanda eſt inſcriptio, *d. l. liberto*). & conſequenter,
vt heredi patroni perinde ac patrono ipſi exhibeat li-
bertus reuerentiam. Item ſemper, ſiue ſuo, ſiue alie-
no nomine interueniat parens aut patronus, *d. §. ad-
uerſus l. 10. §. vltim. D. de in ius voc.* Quanquam li-
bertus vel filius agens alieno nomine, non debeat re-
E uerentiam, *l. quæſitum, D. eod.* Deſideratur autem ſub
titul. Codicis, *De in ius vocando*, Conſtitutio Græca, vt
cauſa cadat qui ſemel vocauit aliquem in ius dato libel-
lo conuentionis, ſi eum poſtea in aliud iudicium voca-
uerit eadem de re, & præterea, vti damnetur in id quod
intereſt. Verba hæc ſunt in Baſilicis. Ὁ ἅπαξ αἰτιασά-
μενος τινά. ἐὰν μὴ τὸ προσενεχθῶαι τῷ αἰτιαθέντι τὴν ἐσό-
μενην, εἰς ἕτερον καλέσῃ δικαστήριον ὅπῃ ἡ αἰτίαις, ᾖ τὸ
ἀζήμιον ποιείτω τῷ αἰτιαθέντι, ᾖ τ' δίκης ἐκπιπτέτω, εἰ ᾖ
δικαίαν εἶχεν ἀγωγήν. Et hæc qui de in ius vocando to-
ties alij ſuper alios vellicatim ſcriptitarunt, maluiſſem
nobis præire voluiſſent.

CAP. XI.

Lex 12. Tab. de furtis, & de tutelis.

LEge 12. Tab. liber homo qui furtum fecit, ei ad-
dicitur cui furtum factum eſt, Gellio auctore. Put o

additam in lege exceptionem, *Ni quis pro fure damnum deciderit*: vt in alia lege de addicendis iudicatis. *Ni quis endo eo in iure vindicit.* Nam lex 12. Tab. de furto paciſci permittebat, *l. iuris gentium*, §. *ſi paciſcar*, *l. ſi tibi*, §. *1. D. de pac.* Et hæc verba, *Pro fure damnum decidere*, id eſt de furto paciſci, (quæ frequenter occurrunt in libris noſtris) ſane redolent ſermonem antiquum 12. Tabu. cum & alio capite ita ſcriptum ſit. *Duplione damnum decidito*, nec vſurpantur vſquam alibi quam cum de tollenda pacto furti actione agitur, vt hoc nimirum argumento defendi fortiter poſſit eſſe ea verba, Pro fure damnum decidere, legis ipſius verba quæ furti actionem introduxit. Inde in *l. ſi pro fure*, *D. de condic. fur.* Sabinus, *Si pro fure damnum deciſum ſit, condictionem non impediri veriſſimum eſt*: & notans Vlpianus, *Deciſione enim furti quidem actio, non autem condictio tollitur.* Quod quid aliud ſignificat, quam ipſo iure, id eſt ex 12. Tab. pacto tolli actionem furti, ſicut actionem iniuriarum ex capite illo, *Si membrum rupſit, ni cum eo pacit, talio eſto?* Itaque in *l. 13. C. de furt. poſt deciſionem furti leges agi prohibent*, id eſt leges 12. tabularum. quod etiam probat *l. ſi ſeruus nauem in fi. De fur.* Similiter vero verbum, *Nanciſcitur*, quod eſt in *l. ſi plures*, *D. de leg. tut.* forſitan eſt ex 12. Tab. ſiquidem quemadmodum in deferenda hereditate legitima Decemuiri dixerunt, *Agnatus proximus familiam habeto*, ita ἐνεμβόλως coniicere videamur, dixiſſe eoſdem in deferenda tutela legitima, *Agnatus proximus tutelam nancitor*, quod poſtremum verbum eſſe 12. Tab. Feſtus auctor eſt. *Nancitor*, inquit, *in 12. nactus erit. prehenderit.* ſic malo quam prædatus erit, vt alio loco *Renanciſcitur* idem Feſtus Reprehendit, interpretatur. Sed cum non pro directo & imperatiuo verbo *Nancitor* accipi Feſtus doceat, melius eſt non permanere in hac ſententia. Id profecto certius eſt, quia ſuſpecti tutoris crimen deſcendit ex 12. Tab. verba hæc *l. 3. §. tutores, D. de ſuſp. tut.* Vinculis publicis iubentur contineri referri debere ad 12. Tab. quaſi & ſpecialiter eis ſuſpecti tutores, qui repertorium non fecerunt, vinculis publicis contineri iubeantur, quam ſeueritatem Vlpianus noluit porrigi ad omnes.

CAP. XII.

An rei vi poſſeſſæ poſſeſſio defendatur præſcriptione xxx. annorum.

VItium quod vſucapioni & longi temporis præſcriptioni obſtat, vel ex perſona eſt, vel ex re, *l. vbi lex*, *D. de vſucap.* Ex perſona, vt ſi quis vacantem poſſeſſionem fundi ſine vi nanciſcatur non ignarus fundum alienum eſſe, §. *quod autem*, *Inſtit. eod.* Ex re, vt ſi res ſit furtiua aut vi poſſeſſa, aut præſidi contra legem repetundarum donata, licet à fure, prædone, præſide, deinde ad bonæ fidei poſſeſſorem peruenerit. Succeſſor omnis in rei vitium ſuccedit: iuris tantum ſucceſſor in perſonæ vitium ſuccedit. At, etſi obſtet vitium vtrinque vſucapioni & longi temporis præſcriptioni, conſtat tamen non obſtare præſcriptioni longiſſimi temporis, id eſt annorum xxx. Hæc enim præſcriptio actiones & iura omnia perimit, etiam ea quorum Theodoſius auctor præſcriptionis annorum xxx. nominatim mentionem non fecit. Si dixiſſet, *Licet nominatim præſenti ſanctione non ſint comprehenſa*, vt Zeno in *l. 3. C. de quadr. præſcr.* vel tanquam ſi hac lege ſpecialiter enumerata ſint, vt Anaſtaſius *l. 4. C. de præſ. 30. an.* res eſſet extra omnem controuerſiam: ſed quia hoc prætermiſit, pleriſque formulariis non videntur abrogata, quæ ſpecialiter non ſunt abrogata: quos eam ob rem Valentinianus in Nou. de xxx. an. præſ. minutias iuris ait & captioſa verba ſectari. Sufficere enim generalia verba. Sed eæ minutiæ tamen in foro præualent, & cum in actionibus perimendis, tum etiam in aliis cauſis obſeruantur, *l. 2. §. quæſitum*, D. *ſi quis caut.* ne quid per ſaturam abrogetur vel derogetur, vt addi ſolebat in ſanctionibus legum. Igitur etiamſi ab initio res vi poſſeſſa ſit, cuilibet poſſeſſori prodeſt annorum xxx. præſcriptio, non obeſt rei vitium, niſi forte ſpecialiter ei derogetur priuilegio principis, quale vnum clariſſimæ Titionum familiæ conceſſum à Iuſtiniano Imp. mihi communicauit doctiſſimus & acutiſſimus vir P. Galeſius Hiſpanus: nec pigebit verba ſubiicere.

FLAVIVS IVSTINIANVS CÆS. IMP. Alamanicus, Gotticus, Alanicus, Vvandalicus, Africanus, ſemper Aug. Narſeti patricio in Italia, S.

Mira animi ægritudine percepimus vrbem noſtram Romam ſuperioribus temporibus exinanitam, deſertam ac fere deſolatam diutius perſtitiſſe, ex eaque ad diuerſa orbis climata infimitas penè illuſtres familias migraſſe, Gottorum Vvandalorumque diram crudelitatem ac feram rabiem fugientes, inter quos honeſtiſſima ac pernobilis Titionum familia, relicta vrbe, in qua permulta ante ſecula in glorioſo equeſtri ordine feliciter floruerat, ad exteras nationes fugere compulſa eſt. Ex ea enim familia ſuper centum & XX. capita ad Vindelicos Retioſque migrarunt, malentes dura fortiter pati exilia, quam in patria cum hoſtibus Ro. Imp. propriis fruendo bonis, turpem ac inhoneſtam ſeruire ſeruitutem. Volentes nos igitur tot calamitatibus & miſeriis occurrere, glorioſiſſimum Beliſarium patricium contra Gottos in Italiam expediuimus, vt per eum à tanta ſeruitute, captiuitate & ſtrage ipſam vrbem, ipſam Italiam liberaremus. In eo autem conflictu quem apud Rauennam Beliſarius cum Vitige, Gottorum rege, & in quo, capto eodē rege viuo, victor extitit ſtrenuus, fortis ac nobilis L. Galbinus Titio tribunum militum agens, fortiter dimicando glorioſe occubuit, tribus poſt ſe relictis filiis ſuperſtitibus, Aulo Anduatio, C. Tuberone, & L. Reiciardo, qui omnes ſub ducatu tuo in Italia pro nobis ac Romano imperio contra hoſtes noſtros honeſtis ſtipendiis ſumma fide militant. Quapropter cum nil clementius, nil decentius, nil glorioſius in principe exoptari poſſit quam eorum habere rationem, ac iuſtis eos & gratis proſequi fauoribus, quorum parentes viriliter dimicando pro imperio ac patria ſanctiſſime ceciderunt, cumque hi fratres ac eorum progenitores ab impiis Ro. Imp. hoſtibus ſpoliati ſint omni amplo eorum cenſu, quem in vrbe & in Cenomanis, maxime Inſubribus, Vercellen. Taurinis ac Lyguribus per longa temporum ſpatia poſſidere ſoliti erant, volumus, mandamus ac iubemus in quantum gratiam noſtram caripendis ac noſtrum zelas honorem, vt diligenti inquiſitione facta, eos in cenſu ac gentilitiis bonis inſtaures, nulla eorum habita ratione per quoſuis occupentur, eoſdemque fratres vrbi, honoribus, dignitatibus & equeſtri potiſſimum in qua ab atauis proauiſque ſumma cum laude claruerunt, reſtituas, in ædibuſque ſuis quouis remoto detentore per te integrentur. Omnes enim qui ab initio per vim poſſidendo iniqua faciunt fundamenta per vſum temporis non æquam adquirunt poſſeſſionem, nec & hi qui ab eis actionem habent, nolumuſque eoſdem occupatores vlla præſcriptione iuuari, quamuis longiſſimi temporis, cui omnino derogamus ac plenitudine poteſtatis noſtræ derogatum eſſe volumus, vt iidem fratres ea fide & ea virtute quam à felicisſimo parente traxerunt, nobis ac Ro. Imp. deſeruiant. Hanc igitur noſtram voluntatem ac potius inſtam ac meritā inſtaurationē, inuiolabiliter obſeruari volumus ſub pœna librarum c. auri, imperialique ſigillo noſtro muniri iuſſimus. Ex vrbe noſtræ Conſtantinopolitana Id. Feb. Imperij noſtri anno XXXVI. à natali Chriſtiano DLXV.

Iuſtinianus.

Procopius.

CAP.

CAP. XIII.

Delficæ, Imperia. Aquimanilia Error facitius.

SVpellectile legata Paulus in *l. 3. D. de sup. leg.* contineri ait delficas, imperia, aquimanilia. Delficæ, qua voce etiam in receptis Sententiis vtitur, abaci sunt è quibus vina ministrantur, non, vt legitur in Basilicis, οἱ τὰς τραπέζας ἔχοντες δελφῖνες: licet & hi inter vasa ponantur à Plinio 33. c. 11. Placet enim magis glossarum veterum interpretatio, *Abaci, delficæ ministerium*, vt Iuuenalis: qua sane videtur hic Iuuenalis locus significari,

Ornamentum abaci, necnon & paruulus infra
Cantharus, & recubans sub eodem marmore Chiron.

Marmoream enim delficam fuisse Porphyrio scribit. Cicero 4. *in Verr. Mensas delficas è marmore.* Martialis, *aurum non simplex delfica portat.* Agrœtius, *In delfica* (inquit) *comparia vasa semper sunt.* Procopius, *de bel. Van.* Δέλφικα τὸν τύπον καλοῦσι Ρωμαῖοι, ὅτι σφίσι τέρα γλῶττα ἀλλὰ χεὶ τὸ παλαιὸν ἑλληνίζοντες, ἐν παλατίῳ γὰρ τῷ ἐπὶ Ρώμης ἔνθα ζωμέβαινε σιβάδας τὰς βασιλέως ἓξ τρίπους ἐν παλαιᾷ εἰσήκει, ἐφ' ᾧ δὴ τὰς κύλικας οἱ βασιλέως οἰνοχόοι ἐπίτειλο δέλφικα ὃ τὸν τρίποδα καλοῦσι Ρωμαῖοι, ὅτιδὴ τρῶτον ἐν δέλφοις γέγονε. Imperia autem in Basilicis περικεφάλαια sunt. Forsitan igitur scribendum Impelia pro Impilia: atque adeo hac voce non tantum πόδια significabuntur, vt docui *Obs. v. c. xi.* sed etiam puluini: nec male hi impilia, cum & coactiores durioresque sint. Homiliæ scholasticæ, Ἐστρώσαμεν τὸν κλίνον καὶ δι' αὐτὸ σκληρόν ἐστιν, ἐξεστράξαμεν καὶ περικεφάλαιον ἐμαλάξαμεν. Aquimanilia autem, quæ vocant χερνιβόξεσα, malim quam aquiminalia scribere, vt in veteribus glossis, Aquimanile χέρνιβον, vel quod ex eis aqua manet & effundatur in pelues, vel quod aquam poscere solerent ante cibum his verbis, Aquam manibus. Plautus Truculento, *Date aquam manibus.* Et Persa, *Date aquam manibus, apponite mensam.* Fabius Pictor apud Nonium, *Aquam manibus pedibusque dato, polubrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua.* Caper Grammaticus, *Veteres manibus pedibusque aquam dixerunt.* Aristophanes Grammaticus, Οὕτω δεῖ ἔθος λέγειν, Ὕδωρ χεὶ χειρὸς πρὸ τοῦ εἰσαχθῆναι τὴν τράπεζαν. μὴ δὲ τὸ δειπνῆσαι, Ἀπονίψασθαι δὸς ὦ παῖ. Et inde eædem illæ glossæ, quæ χέρνιβον aquimanile vocant, Aqua manus νίψασθαι. Idem Paulus, *Error ius facit*, Errorem vocat imperitiam testatoris, qui candelabrum argenteum in argento numerat, non in supellectile, qui tamen pro iure erit. Nam si forte is qui hoc errore ducitur argentum legauerit, legato continebitur candelabrum argenteum, vel si supellectilem legauerit, non continebitur. Plinius 4. *Epist. Bonis heredibus defunctorum voluntatem intellexisse pro iure est.* Et ita rectissime Pauli verba libri βασιλικῶν interpretati sunt. Καὶ ἡ πλάνη γὰρ τὸ χωρίον νόμον ποιεῖ. Idem in *l.* 5. pelles quibus inuoluuntur vestimenta loraque quibus hæ pelles constringi solent, negat esse in supellectile. De hoc genere pellium Petronius Arbiter, *Ego*, inquit, *vos in duas iam pelles conticiam, vinctosq; loris inter vestimenta pro sarcinis habebo.*

CAP. XIV.

Edicta de edendis act. instr. litis, ration. argentariorum.

SVb titulo *De edendo*, duo edicta proposuit prætor: vno iubet eum qui acturus est reo actionem & instrumenta litis edere. Altero iubet argentarium rationes cuique suas edere. Vtriusque eadem ratio prioris, vt reus veniat instructus ad agendum cognita actione, & instrumento litis quo comenitur, posterioris æque vt exhibitis rationib⁹ causam suam instruat is ad quem rationes pertinent. Sed priori iubet prætor edi sine die & Consule: Edi igitur exemplum, non proferri authenticum, posteriori si non proferatur authenticum, iubet exemplo adiici diem & Consulem, nec abs re. Rationes enim constant paginis duabus, accepti vna, expensi altera, quarum collatio in ponendo pari calculo inutilis est si omittas diem & Consulem. Instrumenta litis, quæ reo prætor iubet actorem edere ante litem contestatam, vsui reo sunt satis, etiam non adiecto die & Consule. Quinimo si diem & Consulem adieceris, verendum est ne quid inde falsi comminiscatur & fabrefaciat reus, vt puta, *Prælato die* (inquit Vlpianus) quod Græci προχρονισμὸν vocant, & est falsi genus. Item posteriori edicto datur actio in factum in argentarium qui prætori decernenti vt rationes ederet ad actorem pertinentes, dolo malo non obtemperauit, priori non datur actio, sed ipso iure ex edicto res ita procedit, vt nisi prius edat actor reo actionem & instrumentum litis, nihil agat. Cur enim hæc ab eo editio postulatur? Primum ne reus opprimatur improuiso, deinde ne plus debito actor petat, vt est in *Codice Gregoriano*. Sicut è contrario, reus, exempli gratia, heres stipulatoris, quocum acturus quis est ex stipulatu, ante litis contestationem cogitur edere qua ex parte heres sit, ne plus debito actor petat. Ex quo efficitur, eum qui nec actionem nec instrumentum quo vsurus est edit, plus petitionis periculũ incurrere, ac si iam plus petierit, qui quod petiturus est, edere detrectat: idcirco eis qui ob ætatem vel rusticitatem, vel ob sexum lapsi non ediderunt eodem edicto auxilium pollicetur prætor, & generaliter ex quacunque iusta causa non ediderint, veluti ob errorem iustum, vt scilicet periculo quod plus petentibus intenditur, non ideo subiiciantur. Rursus ex posteriore edicto, post litem contestatam cum argentario vel cum alio, rationum editio desideratur. ex priori actio & instrumentum litis editur ante litem contestatam, & quidem instrumentum totum, vt si quis acturus sit ex stipulatu, non tantum actionem ipsam edit, sed etiam totum instrumentum stipulationis. Partes stipulationis sunt veluti quantitas promissa, locus, dies solutionis, condicio adscripta stipulationi, ex quibus quatuor partibus etiã plus petendi orta sunt genera quatuor. Quocirca cum editur actio ex stipulatu, eæ quatuor partes stipulationis etiam edendæ sũt. Postremo edit reo is qui acturus est ex edicto priori, ex posteriori edit etiam reus actori, vt puta argentarius siue agat siue cum eo agatur, edit rationes aduersario. Sed etsi neque agat neque conueniatur, sed si rationes sibi edi desideranti controuersia cum alio, ei argentarius cogitur edere rationes ad eum pertinentes, imo & quilibet alius ex Constitutione Græca Iustiniani, quam exposui capite septimo: sed non ita quilibet alius si conueniatur, rationes edet actori. Cur potius argentarius vt intelligatur, qui sit argentariorum actus professio, officium, hic necessario explicandum est. Et vt ab ipsa appellatione incipiam, quos argentarios vocemus, Iustinianus appellat sæpe argenti distractores vt Græci ἀργυροπράτας. quæ appellatio ex eo ducta est quod argentum, quo nomine cuiuscunque materiæ numus significatur, vendant. Quid vero est vendere quid emere nummos? Nummos vendit, qui pro nummis quos dat permutanti alios, lucelli aliquid accepit, id est qui collybum accipit. Nam collybus, est quod pro permutatione pecuniæ datur, vt D. Hieronymus ait in illo collybistarum templo eiectorum loco, munus quod pro cambio datur. Græca vox est collybus, pro qua Latini aspraturam habent, maxime si asperis, id est, recens percussis nummis, veteres commutentur. Et hoc sensu constitutum legimus in *l. 1. C. Th. Si quis sol. cir. ext.* vt omnes solidi vno pretio æstimentur atque vendantur, & in *Nou. Theod. de pretio solidi*, ne insigniti solidi aurei veterum Imperatorum nominibus

ab vllo emptore recuſentur, & vt ne minoris diſtrahantur quam empti ſint à collectario. Et has Conſtitutiones Cedrinus intellexit in *Nicephoro Phoca*, dum ſcripſit in hunc modum: Νόμοι καὶ ἔθος ὄντων πάντα χαραχθέντα βασιλέως, εἰ μὴ τῷ ταθμῷ ἐλαττοῖτο, δώσαμεν εἰσφέρειν καὶ ἔχειν ἰσόπμων. Recte igitur à Zonara *Synodi Trullēſis clxxvi.* collybiſtæ definiuntur. Οἱ τὰ λεπτὰ νομίσματα πωλοῦντες. id eſt Qui vendunt minuta æra, pro alia pecunia ſcilicet, accepto collybo. Collybiſtæ argentarij ſunt, vel potius nummularij, non abſimiles argentariis quos ſiue ars ſiue vſus longus tractandarum & permutandarum pecuniarum ita erudiuit, vt auri, argenti, æris qualitatem hi ſoli noſſe exiſtimentur probe. Qua de cauſa ad eos eunt frequenter, quaſi peritiſſimos nummorum æſtimatores, qui de quantitate nummorum ambigunt, puta, quanti ſit nummus aut ſolidus aliquis, cuius auri, an probus, an ſubæratus, an ponderis æqui, an lacuna in eo ſit aliqua: nam hæc curioſè homines inquirunt, &, vt eſt in *Querulo* Plauti ſcriptum eleganter, *Etſi nihil ſit tam ſimile quam ſolidus ſolido, tamen etiam diſtantia quæritur in auro, vultus, ætas & color, nobilitas, literatura, patria, gravitas atq; ad ſcriptulos quæritur in auro plus quam in homine.* & hæc quia expedire argentario melius nemo poteſt, eo fit, quemadmodum dixi, vt ad eos decurratur ſæpe, & vt niſi numerationi aut ſolutioni pecuniarum, ſi qua fiat interuenerint, ipſi eam plerique aut ſuſpectam habeant, non probe factam putent. Ita malunt qui pecuniam mutuam rogant, de menſa argentarij numerari eam ſibi quam de domo creditoris, ne fallantur forte in quantitate vel qualitate pecuniæ, eademque mens & oratio creditorum eſt, qui malunt ſibi per argentarium ſolui quam ex arca debitoris. Ita in comœdiis ſæpe cum ſoluenda aut adnumeranda pecunia eſt, *In forum*, inquiunt, vbi ſcilicet argentarii menſas poſitas habebant: qua ex re menſariorum etiam & trapezitarum nomen acceperunt. Quin & plerique, vltro eis pecunias dant ſoluendas creditoribus ſuis aut aliis fœnori occupandas hac fide, vt viciſſim eos qui dederint indemnes ſeruaturos, creditorib⁹ ſoluturos, pro debitoribus quibus pecunias eorum fœnori occupauerint, ſoluturos ſe recipiant, quod Vlpianus ſignificat, dum ait, *Conſtitutum ex argentaria venire*, Baſilica ἀπφώνησιν μίσης τῆ τ πραγματείας. Auctiones quoque hereditarias per argentarios facere & pretia redigere malunt, vt hac ratione non male apud Vlpianum neſcio quo loco librorum de tutelis, Auctionalia, Baſilica interpretentur τραπεζιτικοὺς λόγους. Quod vero ita beneficio argentarii gerebatur, id ſolebat iuſſu contrahentium eorumve ad quos ea res pertinebat, iis perſcribere diligenter, vt Gaius ait in *l. argentarius*, D. *de eden.* Exempli gratia, Vni acceptam, alteri expenſam pecuniam ferre, & quo die, quo Conſule datai, accepta pecunia eſſet, quibus præſentibus, quo die qui accepiſſet redditurum ſe cauiſſet, & cuius generis nummos, & in auctionibus res, pretia, emptorum nomina, in ſolutionibus quis ſoluendam dediſſet, cuius nomine quo die & quantum & cui quo die ſoluiſſet vel ſoluenda eſſet, &, ſi creditorem non nouerat, vt in oratione Demoſthenis *contra Calipum*, qui indicaturus eſſet. Hæc eſt ſumma diligentia, vnde etiam quæſtus ad argentarios non paruus redibat pro opera, pro labore, pro ſpectatione, & in commutationibus pro collybo. Cæterum quia ad hunc modum, vt dixi, pecuniarum & negotiorum ſuorum rationes per argentarios pleriq; conficiebant, æquum viſum eſt prætori vt eas is ad quos pertinerent, exhiberent etiam acturis aduerſus ipſos. Quorũ enim cauſa eas conficiũt, eorum quodammodo ſunt: & ita tutor finita tutela pupillo edit redditque rationes, licet ex eis ſit pupillus aduerſus tutorem actionem ſuam formaturus. Socius quoque ſocio eius quod adminiſtrauit rationem edit, & curatoradoleſcenti, procurator domino etiam voluntarius. Tutor cogitur actione tutelæ, ſocius actione pro ſocio, procurator, mandati, geſtor & curator, negotioqum geſtorum. Aduerſus argentarium eæ actiones competere non poſſunt, quia neque tutor, neque curator eſt eius cuius rationes confecit, neque ſocius, neque geſtor, neque procurator. Igitur neceſſe fuit edicto prætoris propriam in eum actionem dari. Quod decernente prætore, dolo malo rationes non ediderit. Tentari poteſt, hanc actionem ſuperuacuam eſſe, & competere mandati, quod argentarius eis tantum ad quos pertinet compellatur edere rationes, & pertineant ad eos tantum quibus mandantibus eas tractauerit. Sed non omne mandatum parit actionem mandati, vt ecce, ſi mandante domino contraxerim cum ſeruo, non eſt actio mandati, ſed Quod iuſſu: & ita ſi me mandante argentarius rationes meas tractauerit, non eſt actio mandati, ſed in factum. Actione mandati ſolus procurator tenetur. Procurator, eſt adminiſtrator negotiorum alienorum, argentarius non eſt huiuſmodi. Conſcribere enim rationes, non eſt adminiſtrare negotia. Ergo mandati in eum actio non eſt, ſed propria in factum ex poſteriori edicto de edendo. Eadem actione tenentur adſimiles, veluti nummularii coactores, collectarii. Minores argentarii hi ſunt maiorum miniſtri & mercenarii. Per eos namque pecunias cogunt, auctoribus Donato & Acrone: & quas coégere, erogant per partes, permutatione, fœnore, vel qua alia ratione. Partes dixi cum Paulo, quæ Græci χέρματα. Edere autem & Exhibere rationes dicimus promiſcue. Actionem exhibere pro edere, nunquam. Edere igitur latius patet quam Exhibere. Eduntur rationes & actiones, exhibentur rationes tantum. Item, edit qui exhibet codicem ipſum & corpus rationum, edit, qui porrigit exemplum rationum vel inſtrumentorum, neque tamen exhibet inſtrumenta ipſa Edit qui dictat rationes, nec tamen exhibet. Edit actionem qui reum producit ad album, & demonſtrat quam actionem dictaturus ſit, nec tamen hic vtique exhibere dicetur actionem. Actionem exhibere, cedere eſt, non Edere, Et ratio diſcriminis hæc, quod qui exhibet, quodammodo habere deſinit, dum quid ſcilicet in medium profert, & quaſi ponit extra ſe: edit etiam qui nullo modo habere deſinit. Exhibeo igitur actionem, quam quodammodo habere deſino, dum ea cedo & transfero in alium: neque tamen omnino eam amitto, quamdiu is cui ceſſi, neque denuntiauit neque litem conteſtatus eſt, neque partem pecuniæ accepit: & ob id dixi, quodammodo. At ſi actionem in alium non transferam, ſed declarem ſolummodo quo genere actionis vti velim, quod eſt edere, eam nullo modo habere deſino. Edo igitur eam, non exhibeo.

Cap. XV.

Sylua, Lenis, Cucuma.

CVm magni mea intereſſet ne quid certo ædium ſuarum loco vicinus poſitum haberet, cuius caſus mihi nocere poſſet inferiore loco conſiſtenti, impetraui ab eo vt mihi cederet ius ſibi non eſſe in eo loco poſitum habere. Non eſt dubitandum quin ſit iure conſtituta ſeruitus. Sed ſi forte eo in loco vicinus ſyluam ſeuerit, nihil videtur contra ſeruitutem feciſſe. nec enim ſyluæ poſitio periculoſa eſt. Tractat de hoc genere ſeruitutis Alfenus in *l. ſi quando, D. ſi ſer. vind.* & ſyluam accipit pro viridario. Horatius,

Nempe inter varias nutritur ſylua columnas.

Virgilius, *ſubit aſpera ſylua Lappæque tribulique.* Vbi Seruius, *Notandum etiam de herbis ſyluam dictam:*

Cicero Prætura vrbana: *Tabulas & ſigna quæ in ædibus tuis impar ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in ſylua denique diſpoſita ſub dio vidimus*: vbi Aſconius, *In ſylua, in viridario.* At cum iure, vt dixi, vicinus ſyluam in eo loco quo, vt ne quid poſitum haberet, conuenerat, conſeuiſſet, & in ea ſylua vaſa quædam, qualia pleraque viſuntur in hortis penſilibus, poſita haberet, quærebatur an contra ſeruitutem ea habere videretur. Dici poterat, eum qui ſyluam ſeuiſſet iure, & vaſa ſyluæ neceſſaria poſuiſſe iure. Sed iuriſperitos omnes aliud iudicaſſe Alfenus refert. Vaſa quæ poſuerat, hæc nominat Alfenus *labra & tenes cucumellas*, Sic Florentiæ ſcriptum eſt. Sed ſcribendum cenſeo, *Labra, lenes, cucumellas*, vt in *l. 16. de act empt.* Lines, labra. Coniunguntur vtroq; loco labra & lines. Indifferenter ſcribo lines & lenes, aut lenis, Afranius & Laberius apud Nonium. *Labella, lenis.* Martialis 1. *Tepida natabis lene Congedi vada.* Cucumam quoque vel cucumellam vaſis genus eſſe non ambigitur, *l. 1. §. pen. D. ad leg. Corn. de ſicar.* Ambroſius *Ser. xc. Dii areiex quibus cucumæ melius fiunt ad vſus hominum.* Vtitur eadem voce Marcellus *libris De medicamentis* ſæpiſſime.

CAP. XVI.

Heres, Dominus, Paterfamilias.

PRo herede gerere, eſt pro domino gerere. Nam heredem veteres dominum appellarunt. Plautus *Menech. Abſtuli hanc, cuius heres nunquam erit poſt hunc diem.* Tryphoninus *l. hereditate §. pater, D. de caſt. pec. Si pater vt heres viuo filio vindictam ſeruo caſtrenſi impoſuit. Vt heres*, id eſt, *Vt dominus.* Nam tantum abeſt vt ſit filio viuo pater heres in peculio caſtrenſi, vt nec ſit mortuo. & etiamſi eſſet mortuo, præmatura atque inutilis manumiſſio eſſet. quam tamen fauorabiliter valere mortuo filio inteſtato concludit Tryphoninus, quaſi ſcilicet retro videatur is ſeruus in dominio patris fuiſſe. Græci verba illa, *Vt heres*, ſic interpretantur, ὡς μέλλων τὸ παιδὸς κληρονομεῖν. ſed perperam, vt docui. Dominus autem is eſt qui proprietatem rei iure gentium aut iure ciuili ſuam fecit. Alius eſt poſſeſſionis dominus, alius vſusfruct. ſed ij non niſi per abuſionē domini appellantur, ſicut maritus vxoris, pater filij, patronus liberti. Nec enim hi proprietatem harum perſonarum habent, nec illi earum rerum quarum poſſeſſionem tantum vel vſumfructum habent. Et dominium proprie nihil aliud eſt quam proprietas rei. Atque adeo dominationem ſuam interponere dicitur, non qui pro fructuario aut poſſeſſore, aut patrefamilias, ſed qui ſe pro proprietario gerit, *l. Duos, D. de adq. her.* & vt heres facere, qui vt proprietarius facit, non qui vt pater vel patronus vel fructuarius vel cui alij modi. Feſtus ſcribit dominationem adeptum eum qui paterfamilias factus ſit: Vlpianus patremfamilias eſſe eum qui in domo dominium habet. dominii & dominationis verbo vtuntur impropriè. Nam paterfamilias dicitur etiam is qui in domo aliena in vxorem, liberos, libertos ſuos veluti dominationem exercet, licet nullius rei proprietatem habeat, ne ſui ipſius quidem. Nam nec ſui proprietarius eſt qui ſui iuris ſuæque poteſtatis eſt. At retro etiam qui neque liberos, neque vxorem, neque libertos, neque mercenarios vllos, ſed ſeruos tantum in dominio ſuo habet, is ſeruis non dominus tantum dicitur, ſed etiam paterfamilias, leniore poteſtatis verbo. Alia eſt poteſtas lenior, alia durior: hæc dominium dicitur, illa patria poteſtas. Plinius *v. Epiſt. Molliter meos tracto*, &c. Eſt mihi ſemper in animo & Homericum illud, πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν, & hoc noſtrum. Paterfamilias. Lactantius *iv. Inſt. Dominum eundem eſſe qui ſit pater, etiam iuris ciuilis ratio demonſtrat. Quis enim poterit filios educare, niſi habeat in eos domini poteſtatem? Nec immerito paterfamilias dicitur, licet tantum filios habeat. videlicet nomen patris complectitur etiam ſeruos, quia familia ſequitur & nomẽ familiã cõplectitur etiã filios, quia pater antecedit. Vnde apparet eundem ipſum & patrem eſſe ſeruorum & dominum filiorum. Denique & filius manumittitur tanquam ſeruus, & ſeruus liberatus, patroni nomen accipit, tanquam filius.* His verbis eleganter Lactantius ex iure ciuili domini patriſque poteſtatem ita eſſe vtriuſque confuſione temperatam docuit, vt inſit propemodum altera in altera, ac proinde ſit fere idem filius & ſeruus, dominus & pater, ſed ita tamen vt quam mutent differantque inuicem facile intelligi poſſit, quod Cyri & Cambyſis collatione æquè eleganter Herodotus demonſtrauit his verbis lib. III, Λέγουσι Πέρσαι ὡς Δαρεῖος μὲν ἐὼν κάπηλος, Καμβύσεω δὲ, δεσπότεω, Κύρου δὲ πατρός. ὁ μὲν ὅτι ἐκαπήλευε πάντα τὰ πρήγματα ὁ δὲ, ὅτι χαλεπὸς τὰ πολλὰ καὶ ὀλίγωρος. ὁ δὲ, ὅτι οἱ μὲν πρόσθε καὶ ἀγαθά σφι πάντα ἐμηχανήσατο

CAP. XVII.

Notata pleraque ad titulum Digeſtorum de auro & argento legato.

DIe vno percurrens *tit. De aur. & arg. leg.* hæc in eo obſeruabam. In *l. 2.* primum dum ait inefficax hoc legatum eſſe, acſi non eſſet quæ ſubiicitur idonea ratio Africani, quoniam non poſſit vere dici eius cauſa paratum videri quę prius deceſſerit. Accurſius aliam attulit, quia legatum ſit in cauſa caduci. Fateor legatum eorum quæ iam ea moriente eius cauſa parata erant, eſſe in cauſa caduci. Ornamenta poſt mortem eius comparata nego eſſe in cauſa caduci, quia ſcilicet nec in legato ſunt. Et vero inde lis erat inter fiſcum & heredem teſtatoris. Ea enim ſibi fiſcus vindicabat quaſi ex cauſa caduci, heres contra ſibi quaſi nec legata. quod iuſtius eſt. In *l. 4.* legens libertum miſſum in Aſiam ad purpuras emendas, ſtatim ſubiit animo Tyrus pretioſiore purpura conchylioque nobilior. Ad Tyrias igitur purpuras emendas. In *l. 8.* Omnem veſtem, quod ait, legatam videri his verbis, *Veſtem meam*, pugnat cum *l. 25. §. ſiquis addiderit, eod. tit.* pugnat cum ratione: & ſane videtur vox meam irrepſiſſe ex *l. 7.* In *l. 10.* ad finem, nolo, *Vaſa aut veſtimenta aut quæ vxoris cauſa parata ſunt.* Nam ſiue articulum *Aut* pro coniũctione, ſiue pro diſiunctione, acceperis, ea oratione generaliter legantur quæ vxoris cauſa parata ſunt, *l. ea tamen, D. de leg. 3.* quam vtique rationem legandi ſuperuacuo noluit nobis Pomponius inculcare, ſed aliam potius in qua æque ac in generali legato Q. Mutii definitio locum obtineret. Ea vero eſt huiuſmodi. Vxori vaſa do, lego, quæ eius cauſa parata ſunt: vel etiam huius, Vxori veſtimenta do, lego, quæ eius cauſa parata ſunt. Non genus ſummum hac oratione comprehenditur, vt cum ita legat, Vxori quæ eius cauſa parata ſunt, ſed ὑπάλληλον. Nec enim certa vaſa aut certa veſtimenta legat, ſed generaliter vaſa aut veſtimenta omnia quæ vxoris cauſa parata ſunt. Et in vtroque genere Q. Mutii ſententia valet, non in ſpecie certa, veluti veſte purpurea. Scribendum igitur cenſeo in hunc modum, *VASA AVT VESTIMENTA QVÆ VXORIS*, &c. In *l. 15* vernis ſuis teſtator legat, libertis ſcilicet non ſeruis. Seruis enim vernis inutiliter legatur. Libertos vernas etiam antiquæ inſcriptiones nobis referunt. Significantur ea appellatione qui in ædibus noſtris nati ſunt, vt vernarum aprorum, & luporum Martiali, qui in viuariis & piſcinis noſtris. Marcus 1. πρὸς ἑαυτὸν, Latinam cum Græca appellatione coniunxit hoc modo, οἰκογενὴς ἐερνάκλος. Nam vt ſeruum & ſeruulum, ita vernam & vernaculum dicimus: quo nomine & Tribunorum plebis miniſtros quoſdam

ict ores, an ſeruos publicos Sudas appellat eandem A quam Cedrinus de Februario & Camillo ſiue hiſtoriam ſiue fabulam narrans. In *l.* 18. vir vxori decimam bonorum ſuorum legat, ſecundum ius antiquum, quo vir & vxor inter ſe decimam tantum matrimonij nomine capere poſſunt. At præter decimam legat etiam eidem mancipia & ſpecies argenti certas & annulos & veſtem, quod etiam non eſt contra ius antiquum, quoniam legato addit onus fideicommiſſi, vt quidquid ad eam ex teſtamento peruenerit, alumno communi reſtituat, *l.* 42 *D. de leg.* 2. *l ſi fidei meæ, D. de leg.* 3. Quin & non addito onere fideicommiſſi Vlpianus noſter in fragmentis ſcripſit, præter decimam etiam vſumfructum tertiæ partis bonorum cõiugem capere poſſe, &, ſi libertos habuerit, eiuſdem partis proprietatem: cui B iuri conuenienter in *l. partis, D. de præſ. ver.* maritus vxori legat tertiæ partis vſumfructum, & in *l pen. D. de vſur.* æque tertiæ partis vſumfructum, & ſi liberos habuerit, proprietatem. Quæ etiam condicio eam ob rem in muliere neceſſaria eſſe dicitur, *l. legatum ſub condicione, D. de adim. leg.* Et in *l. Lucius* §. *maritus, D. ad Treb.* iam habentem liberos heredem maritus inſtituit ex parte tertia, ſed & præter eam partem dat ei plura fideicommiſſa recte, quoniam eiuſdem fideicommiſſit vt omnia filio communi reſtituat. Itaque quo de legato rerum vel bonorum tertiæ partis vſufructu ſcriptum eſt, *l. vlt. D. de vſufruct leg.* ad hoc ius referri conuenit. Quæ omnia iuris antiqui veſtigia ſummè notand. ſunt. In *l* 12. aquiminarium Pomponius, ſiue C (vt malumus) aquimanarium, in argento eſcario ponit, vrceolum in potorio cum & hic aquæ manalis dicatur apud Nonium. Sed ratio diſcriminis, quod hoc potaturo, illo manibus cœnaturi aqua miniſtretur. & hoc idem de aquiminario proditum eſt *l.* 19. §. *ſi cui eſcarium*: in quo §. adnotari dignum eſt, verba illa adulterina eſſe, Id eſt ad eſum & potum (nam quæ ad potum ſane eſcario non cedunt) aut ſane legendum, Item ad eſum & potum ex *l.* 32. §. *quidam, eod. tit.* Sed mirum aquiminaria ſimulac pelues & trullas argenteas, argento adnumerari, *d. l.* 19. quæ ſupellectili in *l.* 3. *D. de ſup. leg.* & rurſus culcitras & ceruicalia veſti, *l.* 25. quæ etiam ſupellectili, *d. l.* 3. Nam imperia ſiue impelia, cer- D uicalia ſunt, vt docui *cap.* 12. & ſimiliter tegmina ſubſelliorum & tapeta quæ inſterni aut iniici ſolent veſti, *d. l.* 25. quæ ſupellectili, *l.* 5. *D. de ſup. leg.* Hęc certe pugnant inuicem, niſi aquiminaria, vt iam dixi, in hoc titulo vaſa eſcaria ſunt, & trullæ, potoria, vt conſtat ex *l.* 36. & pelues item, eſcaria. Nam etſi fictilia aut vitrea quæ ſunt, ſupellectili adnumerentur, non tamen argentea, propter ſeculi ſeueritatem, nondum admittentis in ſupellectilem eſcaria aut potoria argentea vaſa. Et trulla quoque ſimpliciter dicitur eſſe in ſupellectili, *d. l.* 3. non trulla argentea. Pelues autem & aquiminalia argentea, quæ dicuntur eſſe in ſupellectili, *d. l.* 3. vaſa ſunt aquatica, quæ eſui & potui non ſeruiunt, & quæ ſeuerior illa ætas non reſpuebat, ſicut neque accu- E bita, cataclita (Tertulliani hoc, illud Lampridij & ſynodi in Trullo) ſiue lectos, neque candelabra, neque menſas, cum tamen reſpueret eſcaria & potoria vaſa argentea. In culcitris ſane & ceruicalibus ſubſelliorum puto diſſenſiſſe Vlpianum à Paulo, & veriorem eſſe Pauli ſententiam, vt ſicut ſubſellia, ita ſolaria, quæ ſunt ſubſelliorum tegmina, ſint in ſupellectile, & vt culcitæ, ceruicalia, toralia proprie ſtragulorum non ſint. In *l.* 25. pedules, ſi pro calceis acceperis, falſum erit veſtis eſſe loco, exemplo odonum, qui ideo veſti non adnumerantur, quia vſum calciamentorum præſtant, lanei calcei, à Græco, ὀδύναι, vt in donatione Conſtantini, σανδάλια λώρα διὰ ὀδονίων, vetus interpretatio habet Vdonibus: vel pellicei vt in apophoretis Martialis, ad quos reſpexit etiam *lib.* 12. his verbis,

Hœdina tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticemque calua,
Feſtiue tibi Phœbe dixit ille,
Qui dixit caput eſſe calciatum.

Pedules autem faſcię ſunt pedum aut calciamentorum. In *l.* 19. & 52. apſides & parapſides inter vaſa numerantur, eiſque iunguntur acetabula, id eſt ὀξυβάφια. Latinum ergo Græco, vt in *l.* 25. reticula, crocufantia. Nam & parapſis Heſychio ὀξυβάφιον eſt, & πυελίον: & πυελίον Moſchopulo ὀξύβαφον ἀγγεῖον, imo & Heſychio: & gloſſæ Latinorum: Parapſis, inquiunt, accetabulum maius & ſuffuſorium. Apſis igitur, vas eſt in quo ponitur eſca, Parapſis eſt quod illi accedit acetabulum. & Iſidorus forſitan male, Parapſis, quadrangulum & quadrilaterum vas, id eſt paribus apſidibus. Pro acetabula, in *d. l.* 19. vulgo male tabulas: quæ ſcriptura confirmatur etiam falſo Horatij quodam loco, quo omnes conſtanter legerant hactenus, *Patinas omaſi*, non *Tabulas* In *l.* 25. mundo muliebri adnumeratur lauatio, riſcus. Lauatio rectiſſime, qua ſcilicet emundant ſe in balneo: Nam & omne balneare argentum: neque vero vllum aliud quam balneare, *l.* 32 § *pen. eod. tit.* vbi Argentum lego, non, vt Flor. Argumentum: Baſilicis: ὁ ἀπὸ λυχνῶν ἀργυρος, *l. vlt.* §. *vxori, eod.* cuius generis eſt ſpeculum argenteum, *l.* 19. §. *idem Celſus, l.* 25. §. *mundus.* Nouit ſpeculum argenteum etiam Plinius & d ſpoſitio cœnæ Cypriani. Matula quoque eſt in argento balneari ἀρύταινα Polluci, & gloſſis, ampulla olearia. Quæ in eadem *l.* 25. §. *ornamentorum* enumerãtur omnia capitis ornamenta ſunt. De calauticis Seruius Hono. *Mitræ*, inquit, *fœminarum ſunt, quas calauticas dicunt.* Arnobius 2. *Muccinum, lema calautica.* Sic legendum. Et Auſonius calauticam vocat quod Homerus κρήδεμνον. Inde Decalauticare Lucillio, id eſt calauticam detrahere apud Nonium in verbo Depeculaſſere. Mitræ veſti adnumerantur, ſi tegendi capitis cauſa eis mulieres vti cœperint, *l.* 23. *eod.* ſi venuſtatis & ornatus, ornamentorum, *l.* 25. & 26. quæ lex mitris etiam adiungit ἀναδήματα, id eſt redimicula, vt Pollux VII cap. XXII. Quæ autem in *d. l.* 25. §. *ornamenta*, enumerantur, aliarum partium corporis ornamenta ſunt, inaures aurium, quę gloſſis ἐνώτια, viriolæ & armillæ manuum quę φέλλια, χλάνια ἀμφιέεια Ambroſius 1. *de Abraham. Inaures habebat quæ non grauarent aurem, ſed demulcerent, virias, quæ manum non materiali auro onerarent, ſed ſpiritali actu leuarent.* Tertullianus *De pallio, Veſtigia cæſtuum viria occupauit.* Et paulo poſt, *Armillis quas ex vĩrorum fortium donis ipſæ quoque matronæ temere vſurpaſſent. omnium pudendorum conſcias manus inſerit.* Cyprianus De habitu virginum, *non inferantur auribus vulnera, nec brachia includantur armillis.*

CAP. XVIII.

Ad eundem titulum.

DIe altero hæc ad eundem titulum adnotabam. Nonnumquam aurum gemmis & margaritis cedere, *l.* 19. §. *pen l.* 20. 29. & hoc eſſe quod Plin. ait initio *xxxiii. Ex ſmaragdis teximus calices & aurum iam acceſſio eſt.* In eandem *l.* 19. atis conſtare Vlp. ait, Iuriſconſultis ſcilicet, alii enim auctores refragantur, margaritas nec gemmis nec lapillis contineri, quia concha apud rubrum mare & creſcit & coaleſcit. Quam rationem ſic accipio, quia margarita conchæ pars eſt potius quam gemmæ aut lapilli, vel conchæ partus, vt Plin. voluit. Tertul. *De habitu muliebri* cũ ante diſſeruiſſet de lapillis, *Sed ſi quid de mari*, inquit, *Britãnico aut Indicio ambitio piſcatur, cõchæ genus eſt, nõ dico cõchilio aut oſtreo ſed nec peloride gratius de ſapore. Ad hoc enim cõchas*

nouerim maris poma. Quod si concha illa aliquid intrinsecus postulat, vitium eius magis esse debet quam gloria, & licet margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendumquam conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca. Et ait Vlpianus, Apud rubrum mare. Inde Hieronymo rubri maris grana. & Martiali *Erythræi lapilli*, & *gemmæ Erythræis erutæ vadis.* In gemmis quoque negantur esse murrina vasa, licet perlucida sint: recte. quia nec crystallina vtraque, perinde ac vitrea, fragilia. Plinius 33. *Murrina & chrystallina ex eadem tellure effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuria existimata est, habere quod posset totum perire.* In *l.* 23. vestimenta definiuntur ex materia, ex qualitate vsus, & ex personis quæ vtuntur. Ex materia, lanea, linea, serica, bombycina, adduntur etiam pellicia, in fine & *l.* 24. 25. qualia sunt rhenones & mastrucæ. Ex vsu quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, iniiciendi, incubandive causa parata sunt. Induendi, vt tunicæ, capitia: præcingendi, vt zonę, semizonæ, semicinctia: quæ vestes præcinctoriæ à diuo Augustino, vt vestes stratoriæ aut stragulæ: quæ insternendi causa comparantur, veluti amphitapa, psilotapa, pallia peristromata, *l.* 45. *D. de ver. sig.* quæ & *καταστρώματα* & *ἐφαπλώματα*, illæ quas præcinctorias dixi *φειζώματα*. Amiciendi, vt pallia, quæ Tertullianus ait operire solutim, id est vno circumiectu: Operiendi dixit Paulus *in Sententiis*, & Varro amictum circumiectum. Insternendi quæ sint, iam dixi: iniiciendi autem, vt & tapeta quibus mensæ teguntur, *l.* 25. §. *tapeta.* Insternuntur subtus, iniiciuntur supra. Vtimur tamen & vtroque verbo promiscue, *d. l.* 45. Incubandi, vt culcitæ, toralia. Et adiicitur in *l.* 23 Et quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt insitæ picturæ, &c. Placet valde opinio Fr. Pithei, viri non minore eruditione quam probitate præditi mihique perfamiliaris, vt potius legatur, *Quæ sunt instita, pictura clauique, qui vestibus insuuntur.* Ex personis autem alia definiuntur esse virilia, alia muliebria, alia communia, alia familiarica. Inter puerilia numerantur aliculæ, id est togæ breues. Martialis, *Brumæ diebus mittebat Vmber aliculam.* Quod ita alibi, *breuis gelidæ missa est toga tempore brumæ.* Et familiarica dicuntur, vt Vitruuio & Varroni sellæ familiaricæ. Varro, *In eo quidem sellas familiaricas ponunt.* Scribendum Sellæ non cellę, eoque nomine significantur priuata siue latrinæ. Martialis,

Sellas ante petit Patroclianas,
Et pedit decieſque vicieſque.

Marcellus medicus, *Purgare per vomitum aut per sellas.* In *l.* 27. §. *cui legatum*, Accursius his verbis, *Si qua distributio eius rei facta est*, maluit alienam & incongruam interpretationem adhibere quam propriam quę sequebatur amplecti. Distributionem & distinctionem auti, qui omne aurum legat quod suum erit cum morietur, non facit aliam quam sui ab alieno. Et hanc tamen & aliam quoque distributionem facit qui vel omne aurum factum vel omne aurum infectum legat quod suum erit cum morietur, vel omne aurum signatum. Nam & suum ab alieno separat, & factum ab infecto, & vtrunque à signato: sed non separat etiam quod in vsu suo fuerit, ab eo quod fuerit in vsu alterius. Qua in re *d.* §. cui legatum pugnat cum *l.* 25. §. *si quis addiderit:* & pugnæ origo, ambiguitas verbi, suum. Modo enim proprietas sola hoc verbo significatur, modo etiam vsus. Et nescio quo modo qui vestem suam dicit, non tantum proprietate, sed etiam vsu vestem aliam ab alia distinguit, puta muliebrem à virili. Qui dicit vestem quæ mea erit cum moriar, proprietate sola, suam nempe ab aliena, non etiam muliebrem à virili. Idemque in auro iuris est. Nam vt vestis, ita aurum quoque ex personis vtentium distinctionem accipit: & est aliud virile, aliud muliebre. Porro aurum factum, recte definitur omne aurum ex quo species aliqua effecta est. Aurum infectum quod ita factum est vt eo cuius idrei causa comparaueris, non possis vti sine refectione noua: vt ecce, si rudem auri materiam comparaueris statuæ faciendæ causa, non potes ea in eam rem vti sine refectione. Est igitur rudis auri materia, aurum infectum. Et adiicit, *Quodque ab eo patrefamilias infecti numero fuerat.* Ab eo, quoniam initio dixerat, *Eius omne aurum fiet quod tunc paterfamilias cum moreretur vindicare potuit suum esse.* Quorum verborum defectione mutilæ sunt Pandectæ Florentinę. Et mox in definitione auri signati subiicitur, Id paterfamilias videtur, &c. Mitto nescisse etiam Accursium, nec Philippi quid essent, quod nemo nescit hodie, nec perelegantem tenuisse loquendi rationem illam quæ est in definitione auri infecti & auri signati, Quod eius, &c. In definitione auri infecti lego, *Quod eius ita factum est, vt eo quam ob rem comparatum est, non possis vti sine refectione:* vt in edicto, *Ex quib. can. maior.*

Cap. XIX.

Dardanarij & Pantapolæ.

Dardanarij idem sunt & pantapolæ & seplasiarij, si glossis veterum credimus, quæ & seplasiarios & dardanarios, pantapolas exponunt, & pantometabolos: quo genere hominum nihil est fraudulentius, nihil iniquius in oneranda annona mercium quarumlibet: & ideo variis Constitutionibus fraudes, calliditates, stellionatus eorum coërcentur, non etiam genus omne improbatur negotiationis huiusmodi: nam & Reip. ad aliquid vtiles sunt, & vrbe aliquando eiecti cum fuissent, reuocantur No. Valentiniani De pantapolis ad vrbem Romam reuocandis, his verbis: *Græcos negotiatores, quos pantapolas dicunt, in quibus manifestum est maximam inesse multitudinem, magnamque in emendis vendendisque mercibus diligentiam, vlterius non patimur sacræ vrbis habitatione secludi, licet eos dissessio & maxime inuidia tabernariorum, quam venerabilis Romæ vtilitas à negotiatione submouerit. Idcirco hoc edicto singuli vniuersique cognoscant pantapolis ad vrbem Romam redeundi negotiandique licentiam restitutam, vt cura pernigili vbertas populo ministretur*, &c. Sed si forte vel mensuras & pondera falsarint, vel legibus constituta pretia excesserint, vel vndique coëmptas merces suppresserint, dum ex raritate caritatem affectant, hi constitutionibus coërcentur, *l. in dardanarios, D. de pœnis, l. annonã, D. de ext. cr.* & specialiter crimine stellionatus, *l.* 3. §. *vlt. D. de cr. stel.* His adfines sunt qui monopolia exercent, quæ & S. C. olim vetita sunt, vt Plinius scribit, & nouissime Constitutione Zenonis de monopoliis, siue frumenti, siue cuius cuius mercis, veluti pectinis (inquit Zeno) vel echini. Pisces significari vulgo putant: ego contra vno capillorum pecten, altero herinaceum, cuius cute vestes expoliuntur. *Magnum* (inquit Plinius 8. *Nat. hist.*) *fraus & ibi lucrum monopolio inuenit, de nulla re crebrioribus Senatusconsultis nulloque non principe adito querimoniis prouincialibus.* Et de omni eo genere hominum qui ex annonæ caritate lucrum sperant, minusque vberem annonam expectant, vt eo demum tempore quam diu horreo flagellarunt promant, eleganter Greg. Nazianzenus *in funebri oratione Basilij magni*, Τηρεῖσι τὰς κιβωτοὺς καὶ καταφραγματεύονται τὰ ἀνδρεῖα, καὶ γεωργοῦσι τὰς συμφοράς. Et adiicit, Ταῦτα μὲν οἱ σιτῶναι καὶ σιτοκάπηλοι. Vt in alia oratione ad patrem, Οἱ σιτῶναι καὶ σιτοκάπηλοι, καὶ τηροῦντες τὰς τῆς κιβωτοῦ δυσκολίας. Hi sunt dardanarij, qui his artibus attentant, onerant, vexant annonam, vt loquitur Vlpianus: & Martialis, *Hic vbi Roma suas*

aurea vexat opes. vt Varro, Incendunt & excandefaciunt, vt Lampridius, Vastant. *Cum annonam*, inquit. *vastarent hi qui tunc remp. gerebant, etiam inopia ingens Romæ exorta est, cum fruges non deessent.* vt Plinius, *Flagellant*, quod est premunt: Mart. duobus locis, *Arca flagellat opes*, & alio loco: *opes grauis arca premit.* Denique vastat, flagellat, vexat annonam proprie, qui supprimit quive non vendit iusto pretio. Salomon, Ὁ σωϊέχων σῖτον, δημοκατάρατος, *Populo* (inquit) *detestabilis est qui supprimit annonam.*

Cap. XX.

De Centumuiralibus iudiciis, paribusque iudicum sententiis.

IVdicia aut ordinaria sunt aut extraordinaria. Ordinaria aut publica, aut priuata, aut Centumuiralia. Publicorum cognitio, est principis vel senatus vel prętoris aut præsidis qui legibus quærit: priuatorum cognitio, est iudicum datorum: Centumuiralium, Centumuirorum, & prætoris qui his iudiciis ex more præsidet. Separat priuatum iudicium à Centumuirali Plinius his verbis, *In priuati iudicij formam Centumuirale vertitur, 6. Epist.* atque etiam in primo, cum in aliis iudiciis die actioni edicto petentibus demonstrat indulgeri adhuc dilationem posse, Centumuiralia nullo modo posse differri: quemadmodum illud etiam præcipue inest, vt alio iudicio non possit eis præiudicium adferri, sed integra debeant omnia seruari quoad Centumuiri de hereditate iudicauerint, *l. 5. D. de pet. her. l. vlt. C. eod.* Porro cognoscebant Centumuiri de hereditatibus quacunque ex causa peterentur, siue inofficiosi siue iusti aut iniusti aut falsi testamenti, siue ab intestato. Paulus *in Sententiis, Centumuiri*, inquit, *si de hereditariis rebus vel fide generis instrui non possunt.* Et *in Quæstionibus. Si*, inquit, *obtinuerit in querela inofficiosi testamenti, vtetur rei iudicatæ auctoritate, quasi Centumuiri hunc solum filium in rebus humanis esse, tunc cum facerent intestatum, crediderint.* Et hac ratione querela inofficiosi testamenti, siue (quod idem est) petitio hereditatis de inofficioso, Centumuirale iudicium dicitur in libris nostris, & hastæ iudicium Valerio Maximo duobus locis, & quadruplex vel duplex iudicium Plinio & Quintiliano. Nam (vt iidem declarant) diuidebantur centumuiri in consilia & tribunalia modo duo, modo quatuor. Et hoc est quod proponitur in *l. cum filius, D. de leg. 2.* diuisis tribunalibus actum querela inofficiosi testamenti. Quo genere interdum eueniebat vt duobus consiliis (constabat vnum quodque pari iudicum numero) vinceret actor, & totidem vinceretur, & vero ita sententiis paribus, eius partis si duplex iudicium centumuirale fuerit, vel, earum partium si quadruplex, sententia prævalet quæ tuetur defuncti voluntatem. Hoc enim humanius esse ait *l. si pars, D. de inoff. test.* quæ partem iudicantium dicit, vt partes centumuiralium. Quintilianus *lib.* 5. Sed addit *l. si pars*, notabilem exceptionem, nisi aperte iudicem inique secundum scriptum heredem pronuntiasse apparebit: vt ecce, In causa Acciæ Variolæ apud Plinium 6. *Epist.* quæ exheredata à patre egerat de inofficioso testamento aduersus nouercam heredem scriptam ex sextante, & Suberinum ex reliquis partibus, ac duobus consiliis vicerat, duobus succubuerat, filia hereditatem obtinuit, & patrem intestatum fecit, quia meritorum habita comparatione iniquum erat filiæ præferri nouercam, cuius insano amore captus simul atque tędio filiæ, pater octogenarius filiam exheredauerat: iniquum filiæ præferri extraneum, proprij patris iudicio damnatum iam & exheredatum Suberinum, ac singulari tum impudentia alieni patris bona vindicantem. Et eandem exceptionem addi velim ei quod dicitur, Inter paris numeri sententias, in liberalibus causis, eam obtinere quæ pro libertate facit, in aliis causis non solum publicis, sed etiam centumuiralibus vel extraordinariis eam quæ reum absoluit, *l. inter pares, D. de re iud.* ac proinde cum exceptione illa, quandoquidem iudicia omnia hodie sunt extraordinaria, nec iudices speciales singulis causis addicuntur, indifferenter siue de crimine, siue de re pecuniaria agatur paribus sententiis hodie absoluendus esset reus. Nam quod est in *l. duo iudices, D. eod.* de priuatis iudiciis ordinariis est, cum magistratus speciales iudices dedit. Nam vt consensionis eorum exequutio, ita dissidij finitio ad eum magistratum qui dedit, spectat. Sed ad rem. Interdum eueniebat in centumuiralibus iudiciis hereditatum, vt etiamsi pares essent partium sententiæ, omnes obtinerent, vt cum filius exheredatus non aduersus quem egerat vno tribunali, agebat & altero, sed aduersus alium. Ita enim varietas personarum & meritorum ac iuris efficiebat vt vinceret vnum actor iure, vinceretur ab altero etiam iure, *l. circa, l. nam etsi parentibus, §. vlt. D. de inoff. test. l. cum duobus, C. eod. d. l. cum filius.*

Cap. XXI.

Explicatur l. vlt. D. de ser. exp.

QVintum Ceruidium Scæuolam peruenisse ad ætatem vsque Marci & Commodi demonstrat *l. verum, §. quod si minor*, D. *de minor.* Atquin ignorasse videtur eorundem constitutionem ad Aufidium Victorinum de seruis ea lege emptis vt manumittantur, *l. vlt. D. de ser. exp.* ergo nec in eam ætatem peruenisse. Nego ignorasse, & *d. l. vlt.* sic explicandam esse censeo. Constitutio Marci & Cõmodi, seruum ea lege venditum vt emptor eum manumitteret, cessante emptore, ipso iure liberum facit, atque ideo repræsentat quod facere emptor debuit, *l. vlt. C. si manc. ita fuerit ali.* At finge, venditor nõ dixit vt seruum manumitteret emptor, sed vt liber existeret post mortem emptoris, vel vt in libertate moraretur. An ex verbis conuentionis, quæ directa sunt, mortuo emptore ipso iure liber fiet? Scæuola negabat ex ea conuentione ipso iure liberum fieri, & adferebat Adriani constitutionem, quæ ex ipsa conuentione noluit ipso iure libertatem competere. Sed rursus videamus an si non ex conuentione, ex constitutione Marci liber fiat, de quo nihil respondit Scæuola, *d. l. vlt.* nimirum quia de conuentione tantum, non de constitutione consultus fuerat: cuius tamen & forsitan hærens verbis, si de ea consultus fuisset, respondisset constitutioni locum non esse, sicut eadem religione verbis insistens, non protraxit eam ad seruos donatos, *l. qui Romæ, §. Flauius, D. de verb. oblig.* Protraxerunt tamen alii, atque etiam ad casum pecuniæ datæ quasi pro pretio vt seruus manumitteretur, *l. Paulus, D. de lib. cau. l. pen. D. qui sine man. l. 1. & 4. C. si manc. ita fue. al.* non etiam temere ad omnes, vt docui *d. §. Flauius.* Sed de conuentionis tantum potestate interrogatus *d. l. vlt.* negat Scæuola ex conuentione seruum liberum fieri. Notat Claudius, Ex constitutione tamen liberum fieri: quæ sententia confirmatur *l. 3. C. si manc. ita fue. al.*

Cap. XXII.

Demonstratur non pugnare inter se legum capita quædam.

NOn pugnat *l. Pap. §. pen.* cum *l. cum mater, D. de inoff. test.* nec Adriani decretum à Paulo notatur. nam, vt Stephanus recte interpretatur, decretum A-

driani tunc locum habet cum non agit filius de inofficioso testamento: quandoquidem, (vt est in fine *l. cum mater*) si inofficiosum testamentum arguat, nihil ex eo testamento valet, sed cum agit quasi ex tacita voluntate matris, quæ si non errasset, heredem eum fecisset, conseruantur licertates & legata, vt *l. vlt. D. de here. inst.* Non pugnat *l. 28. D. de iur. fis.* cum *l. vlt. D. qui pot. in pig. hab.* nec est cur inepta loquendi forma emendare sit necesse, *Quum cum fisco contraxerit*, vt vnum quum sit aduerbium, alterum præpositio: vnde efficitur nulla dubitatione carens atque adeo nulla egens Imperatoris constitutione sententia, Fiscum priorem tempore, in rebus postea quæsitis priuato præferri. Quid enim *l. 28.* efficit scriptura incorrupta? Hoc nempe, Si sub generali hypotheca contraxerit quis cum priuato, deinde cum fisco, qui ipso iure generalem hypothecam habet, in rebus quęsitis post obligationem fisci, cum hypotheca incipiat à tempore adquisitionis, & in eo tempore concurrat fiscus cum priuato, in concursu ipso præuertisse fiscum videri, qui distinctis hypothecæ temporibus priorem non præuertisset. Quid vero *l. vltima?* In rebus quas debitor habuit tempore prioris obligationis contractæ cum priuato vel quas post priorem obligationem adquisiuit, priuatum præferri. Hæc non sunt contraria, quandoquidem postremum ita intelligi debet, in rebus quæsitis post priorem obligationem, antequam cum fisco contraheretur, non etiam in rebus quæsitis post priorem posterioremque obligationem .i. post obligationem fisci, quæ est Accursij secunda interpretatio, & ea quidem valde perspicua. Non pugnat etiam *l. pen. D. si ex nox. caus. aga.* cum *l. 1. D. de pœnis.* Hæc in pœnis spectat cuius condicionis reus fuerit delicti tempore, illa non item. Sed animaduertendum est conferri in *d. l. 1.* tempus delicti cum tempore sententiæ, in *d. l. pen.* tempus delicti cum tempore iudicij accepti quo sistitur reus. Tempus autem iudicij accepti spectari, non delicti. & retro tempus delicti spectari, cui modo etiam congruat tempus iudicii accepti, non sententiæ.

Cap. XXIII.

Explicatur l. vlt. D. de iis qui sunt sui vel alie. iu. & l. si Titius, D. de fideiussor.

REdigi in potestatem qui hoc esse existimant proprie in eam qua liberati sumus potestatem rursus reuerti, in *l. vlt. D. de his qui sunt sui vel alie. iu.* quod ad emancipatos quidem attinet, verbum illud scribunt accipi proprie, quod hi volentes per adoptionem in eandem qua exierant potestatem recidant. Sed quod ad filios naturales improprie, propterea quod hi in potestate nunquam fuerunt: & filios naturales esse interpretantur qui ex concubina nati sunt, vel vt etiam in his verbum, *Rediguntur*, videatur acceptum proprie, filios naturales pro iustis accipiunt, qui alio quam emancipationis modo exierint patria potestate. Alij vt hanc quoque verbi improprietatem effugiant, & ij quidem, vt miseris plerisque videtur, altioris cuiusdam & reconditæ, felicioribus, humilioris & inconditæ eruditionis viri, malunt emendare *d. l. vlt.* ita vt scribatur potius hoc modo, Inuiti filij naturales semel emancipati non rediguntur in patriam potestatem: & omnes vehementer errant. Filij naturales sunt, vt in plerisque aliis Pandectarum locis, & ij etiam in potestatem redigi dicuntur proprie, licet in ea nunc primum esse cœperint, nec fuerint vnquam antea, *l. vlt. D. de adop.* Nam & ii qui in potestate patria semper fuerunt, redacti dicuntur in patris potestatem Plinii panegyrico, dum Nervæ vicesimæ filio dedisse, sub hac exceptione, si modus redactus esset in patris potestatē. Redactus, non (vt vulgo) Reductus, quam paulo post exceptionem his explicat verbis, *Si modo filius in patris potestate fuisset.* Itidem illi in *l. Si Titius & Seia, D. de fideiuss.* pro, *Si postea minor interceßit*, emendant, *Si sponte*, & hæc duo aduersa faciunt, *Sponte facere*, & *Fraude aliena captum facere*, quę non sunt aduersa. Nam & qui dolo lactatus alieno facit, sponte facit. Et emendatio pessima, quam & βασιλικῶν interpretatio, Ὅτε τὸς ἐνεγυήσαμλω, ἢ ὕστερον ἀφῆλιξ τὸς τελήσῃ, & eius legis perspicua sententia perspicue confutant. Est autem huiusmodi. Si ego & mulier simul fideiusserimus pro alio, ego teneor in solidum, nec habeo beneficium diuisionis, quia sciebam mulierem frustra fideiubere propter S. C. Velleianum. Sed si ego & minor xxv. annorum fideiusserimus pro alio, siquidem solus prior fideiussi, & minor postea, ego teneor in solidum quasi solus solidam in me obligationem receperim, si vna cum minore, teneor pro parte tantum. quia etsi videatur minor non minus quam mulier frustra fideiubere propter spem restitutionis in integrum, tamen ignorare potui ætatem illius, sexum ignorare non potui: vel si non ignoraui ætatem, incertum erat prætoris auxilium, quod non temere datur, sed causa cognita, certissimum erat Senatus auxilium.

Cap. XXIV.

Explicatur l. petens, C. de pactis.

DOcui in *l. iuris gentium*, §. *quinimo*, *D. de pact.* male quosdam colligere ex *l. petens, C. eod. tit.* pactum ex continenti adiectum stipulationi inesse ex parte actoris, quod loquatur *l. petens*, de stipulatione adiecta pacto, non è conuerso de pacto adiecto stipulationi. & recte. Stipulatio enim adiecta pacto obligat: pactum adiectum stipulationi, non obligat. Et hac in re distat stipulatio maxime à cõtractu bonæ fidei. Pactum enim emptioni adiectum ex continenti obligat, *l. venditor, D. com. præd.* Et si obligat, ex eo etiam competit actio, vt ait *l. in bonæ fidei, C. de pac.* non quidem propria actio quædam, sed actio empti venditi. Formate nim & præparat pactum actionem ipsam ex vendito vel ex empto, potius quam pariat nouam, nec idem formare siue parare aut præparare (sic loquitur *l. 3. C. de act. emp.*) & parere actionem. Libera persona parat nobis, non parit actionem. Differentiam vero illam inter contractus bonæ fidei & strictos quam manifestã antidiastole demonstrat *d. §. quinimo, & d. l. in bonæ fidei*, quia non recipitur ab Accursio & aliis quibusdam, ingenium amans veritatis non poterit non admittere, si vel hoc potuerit animaduertere, in pactis quæ ex interuallo fiunt, differentiam proponi inter stipulationes strictas & contractus bonæ fidei, *l. 3. D. de resc. vend.* Nam si quo casu pactum ex interuallo factum, bonæ fidei iudicio inest tam ex parte actoris quam ex parte rei, neutra ex parte stricto iudicio inest, consequens est vt eadem quæ hanc differentiam extorsit ratio, & illam constituat in pactis factis ex continenti, quæ etiam proculdubio efficit, non odium vsurarum, vt in mutuo ex pacto incontinenti facto non petantur vsuræ & si datis x. conuenerit xi reddi, vt non amplius quam x. debeantur, *l. rogasti*, §. 1. *D. De reb. cred. si cer. pet.* vbi & hoc Stephanus generaliter definit pactum ex continenti factum in stricti iudicii contractibus inesse ex parte rei, non ex parte actoris. At certe bonæ fidei iudicio pactum ex continenti factum inest tam ex parte rei quam ex parte actoris, quod aperte definit *d. §. quinimo*, his verbis, *Etiamsi ex parte actoris insunt.* Est enim Etiam coniunctio, quæ significat & ex parte rei ea pacta, & ex parte actoris inesse. Et ex parte rei inesse, hoc est ipso iure

reum tutum esse, etiam non posita exceptione pacti, quæ tacite ineſt bonæ fidei interpretatione, tanquam & doli exceptio, *l. Sed etsi ideo, D. solut. matr.* & exceptio, Quod libertatis onerandæ causa gestum sit, *l.* 1. §. *quæ onerandæ, D. quar. ter. ac. non detur*, & similes. Ineſſe autem ex parte actoris, est ex pacto competere præpararique actionem, quæ non paratur ex pacto stipulationi adiecto ex continenti: & *l. lecta, D. de reb. cred.* vt duobus locis memini me iam contumacibus exposuisse frustra, simul ac *l.* 4. §. *vlt. D. de pact.* non hoc dicunt ex pacto stipulationi adiecto ex continenti parari stipulatori actionem, sed reo parari ipso iure defensionem, id est ipso iure tutum esse reum, ipso iure non esse in reum actionem. Ineſſe igitur pactum propter proximitatem cohærentiamque stipulationis ex parte rei tantum, non ex parte actoris, quod si post aliquod interuallum seorsim à stipulatione fieret, neutra ex parte ineſſet. Iudiciis autem bonæ fidei ex interuallo factum, siquid detraheret contractui, ineſſet ipso iure vtraque ex parte, siquid adiiceret, neutra ex parte. Detrahit, quod est ex natura & substantia contractus, adiicit, quod est de adminiculis (quæ Græci ἀφορμὰς vocitant) & vt quod auget pretium non minus detrahit emptioni quam quod pretium minuit, quia vtrumque nouam efficit emptionem, ita quo conuenit ne caueatur de euictione, non minus quam illud quo conuenit vt satisdetur de euictione, adiicit emptioni manente eadem substantia emptionis. Quæ enim adiicit extraria quędam sunt, sine quibus per se emptio consistit. Denique quæcunque extra naturam & substantiã contractus sunt, siue sint de cauendo, siue de non cauendo, adiectiones sunt contractus, *l. pacta, D. de cont. empt.* Adminiculis emptionis præter euictiones adnumeramus etiam arras & fideiussores & stipulationes, Pedisequæ dicuntur à Iustiniano. Verum vt ad *l. petens* redeam, non est ea, vt dixi, de pactis quæ stipulationi adiiciuntur, sed de stipulationibus quibus pactorum obligatio confirmatur. Inuentæ sunt stipulationes obligationum firmandarum causa, & vt cum non sit ex pacto, sit saltem ex stipulatu actio, & inde nomen. Stipulum enim veteres firmum dixerunt: qua ratione & stipā dici Festus scribit quod ea amphorę cum extruũtur, firmentur, & stipites, quod firmitudinis causa destituantur. Destituantur malo quam Constituantur vel destinantur, pro Defigantur. Varro, *Si eorum colla in furcas destitutas incluserit.* Liuius: *Ante pedes destitutum*, sic veteres libri, *causam dicere iussit.* Plautus: *Ita duo destituit signa hic cum clauis senex.* Gracchus apud Gellium, *Paulus destitutus est in foro.* Tuditanus apud eundem, *In armario muricibus præfixo destitutos.* Nonius similes ex Næuio & Cæcilio locos protulit, licet is longe aliter, vt fere omnia male, interpretetur. Porro si pacti obligatio stipulatione confirmata sit, ex stipulatu est actio, & nihil interest præcesserit pactionem stipulatio an sequuta fuerit. Nam & quæ præcessit, sequi videtur. Sequitur natura & intellectu, licet non tempore vel scriptura. Sicut nihil interest, codicilli confirmentur antequam fiant, an posteaquam facti sunt: nihil, præcedat emptio traditionem, an sequatur, *l. sine, §.* 1. *D. de publ. in rem act.* nihil, præcedat stipulatio mutuum an sequatur, *l.* 3, §. *vlt. l. contra, D. ad Maced. l.* 5. §. *vlt. l.* 6. *D. de nouat. l. amissi*, §. *pen. De fideiuss.* Sed cur ponit *l. petens*, connecti stipulationem pacto & interponi statim? nempe vt ne quis dicat ex pacto obligationem naturalem nasci, deinde nouari per stipulationem, quia hoc agitur vt sola stipulatio teneat, & magis pactione expletur substantia stipulationis, *d. l.* 5. *&* 6. cum tamen si ex interuallo interponatur stipulatio, id actum videri possit, vt nouetur obligatio naturalis & transfundatur in ciuilem, mutata debendi causa. Proinde sicut multum interest stipulationi adiiciatur pactum ex interuallo an ex continenti, vt docui supra (hoc enim ex parte rei ineſt, illud non item) ita longe mutat pacto addatur stipulatio ex interuallo an ex continenti.

Cap. XXV.

Voluntarius procurator, voluntaria societas, Et explicatio l. adeo, l. verum, §. in heredem, D. pro soc.

VOluntarius procurator & voluntarius amicus M. Tullio est negotiorum gestor. In auctoribus certe nostris procuratoris nomen commune est gestoris & mandatarij, & amicus plerumque gestor, quod ex officio amicitię hic contractus proficiscatur, *l. si negotium, D. de reb. auct. ind. pos.* Paulus quoque noster in Sententiis, *Voluntarius*, inquit, *procurator, qui se alienis negotiis offert, rem ratam dominum habiturum cauere debet*, & Vlpianus *l. prætor §. præstat, D. de reb. auct. ind. pos.* creditorem missum in possessionem, qui fructus prædiorum vendit aut locat, quia gestori comparatur, ait voluntarium negotium gerere, id est voluntarium procuratorem esse: nec tamen is eo nomine tenebitur actione negotiorum gestorum, *l. creditore §. vlt. D. eod.* sed in factum, quia, vt subiicit *d. §. præstat*, suum potius quam voluntarium negotium gerit Imitabitur tamen hæc actio in factum, negotiorum gestorum actionem, & idem in eam veniet quod in illam. Vt autem ex iure, sicut docui, M. Tullius voluntarium procuratorem dixit, ita & voluntariam societatem in Quinctiana, opposita ei societate hereditaria, id est communione quæ intercedit cum herede defuncti socij. Hæc enim voluntaria non est, quia re, non consensu consistit. Voluntaria est quæ consensu contrahitur tractatuque habito inter socios. & hanc societatem dicimus proprie, illam, rerum communionem. *l.* 23. D. *de reg. iur.* vel communiter gestum, *l.* 31. 32. 33. *l. actione §. si post, D. pro socio*, & societatem improprie. Voluntariam societatem dixit Vlpianus in *l. verum, §. in heredem*, D. *eod.* Hoc adnotant, vt existimo, plures. Sed eius §. quæ certe obscurissima est, sententiam explicat nemo. Separatur in eo societas voluntaria à societate vectigalium cæterorumque publicorum, atque etiam à societate priuata. Nam idem obseruari ait in priuata societate & publicorum societate, vt heres socij, licet socius non sit, lucrum & damnum omne participet quodcunque viuo socio aut post mortem eius contigerit. Sed non similiter obseruari ait in voluntaria societate. Quid? Annon & illæ superiores voluntarię sunt? Fateor voluntarias fuisse cum defuncto, nego esse voluntarias cum herede. Communio necessaria est cum herede, non societas voluntaria, vt de creditore hereditario dicitur, agere eum cum herede debitoris non veluti eius fidem sequentem vltro, sed ex necessitate, quod is vt debitori suo heres esse euenerit *l. vlt. D. de separ. l.* 2. *C. de bo. auct. ind. poss.* id est nouationem esse necessariam non voluntariam. Et ita cum esset inter Sext. Neuium & G. Quintium coïta societas rerum quæ in Gallia comparabantur, mortuo Gaio cum herede eius P. Quintio non fuit societas voluntaria, sed (vt Cicero loquitur) hereditaria. Porro ex hac societate hereditaria necessario efficitur vt inter superstitem socium & heredem defuncti, sit commune quicquid damni vel lucri contigit ex re vel negotiatione communi viuo socio aut post mortem eius, *l. actione, §. si in rem, § si morte, D. eod. tit.* quod non ita necessario fit, si contrahatur cum herede societas voluntaria, quoniã alia lex dici in contrahenda societate potest. Contrahitur autem cum herede societas voluntaria, vt si mortuo socio vectigalis, cæteri publicani heredem eius adsciscant, eique adscribant defuncti partem, quod his

verbis

verbis significatur *d. §. in heredem*, Nisi fuerit adscitus, & separatur ea re societas vectigalium à priuatis societatibus, vt fit in *l. adeo*, *D. eod.* quæ etiam à nemine explicatur recte. Duo in ea initio proponuntur ex Sabino, Morte solui societatem, quod est certissimum: &, Non valere pactionem vt heres succedat societati, cuius dicti ratio est satis obscura. Finge contracta inter me & te bonorum omnium societate, conuenisse nos in ipso negotio, vt me mortuo, continuares eam cum patruo meo: non valet pactio, quia non potui meipsum quasi quodammodo capite minuere, constricta mihi libertate testandi, cuilibet ciui Romano iure publico concessa. Amittitur enim ea capitis deminutione, non pactione nuda. Nam si standum est pacto, non alij potero bona mea relinquere quam patruo, atque ita cogar forsitan patruum præferre fratri, qui tamen mihi proximior est, *l. cum duobus*, §. *idem respondit*, D. *eod.* Sed eadem tamen interuenit ratio, si conuenerit vt continuaretur societas cum filio meo, vel quo alio qui mihi proximus heres futurus sit. Nam ista quoque conuentio abdicat me libertate testandi, dum me obstringit necessitate bona mea omnia relinquendi filio. Quod si conueniat continuari societatem cum herede meo, nulla certa persona demonstrata, vt proponitur *d. l. adeo*, iam non illa ratione refellam pactionem, quod constringantur suprema iudicia, quæ non constringuntur, sed quod incerta persona sit is in quem post mortem meam societas confertur, & incertæ personæ electio nulla sit, maxime in societate, quæ certæ personæ electio est, §. *soluitur*, *Inst. de societ.* Porro hæc duo cum proposuisset Pomponius ex Sabino *d. l. adeo*, notat, Hoc in priuatis societatibus ait, Sabinus scilicet ait, & hoc, non quod dixit de pactione, sed quod dixit prius, morte solui societatem, hoc (inquam) in priuatis societatibus verum est, in societatibus vectigalium non item. Nam & mortuo vno societas manet inter ceteros, si modo heres defuncti communi ceterorum consilio adscitus & adsumptus sit in eam stationem siue partem vectigalis exercendi, quam defunctus administrabat. Solebant enim publicani per partes inter se distribuere vectigalium exactionem, nec ideo minus tamen communia erant inuicem commoda & incommoda omnia, *l. locatio §. socij D. de publ.* Cicero *pro* Postumo, *Magnas partes habuit publicorum.* Sic legendum. Non exigo nouo consensu coïri societatem inter superstites, alioquin nihil hæc societas distaret à priuata, sed solam heredis adsumptionem aio inter eos eandem continuare societatem. Ad extremum, *d. l. adeo* adiicit, non esse perpetuo verum illud quod dixit, *Mortuo vno publicano durare societatem inter ceteros adscito herede mortui.* Quid enim si is mortuus sit propter cuius operam maxime societas coïta sit? aut sine quo societas administrari non possit? His enim casibus vectigalium societas illius morte omnimodo dissoluetur.

CAP. XXVI.

Ventrale, Fruitus, Cella penuaria, Thesaurus, Cilo & Chilo, Duo abnutiua, Stellionatus crimen an sit famosum.

IMp. Adrianus in *l. Diuus*, *D. de bon. dam.* Nummulos, inquit, in vetralem. legendum ventralem. Palæmo & Paulus in Glossis, *Ventrale, fascia, quod ventrem operiat.* & aliæ glossæ, *Ventrale*, κοιλιόδεσμος, φῦνδα. Et ita ab Adriano ventrale aut ventralis accipitur, pro funda, id est crumena. Eodem sensu etiam Latini dixere fundum & profundum. Macrobius, Demissa in fundum (sic habent vet. libri) pauperem manu paucos denarios protulit. Caper Grammaticus. In profundum nummi vel in arcam conduntur. Vbi etiam Profundus crumena est, non venter. Hinc capta occasione carpam & alia omnia ex eo grammatico, quæ ad libros iuris nonnihil facere videbuntur. Vlpianus in *l. vlt. D. vsufr. quemad. ca.* cautionem fructuariam concipit his verbis: Boni viri arbitratu se vsurum fruiturum. Et hunc locum Priscianus intellexit *lib.* 10. Dum Vlpianum ait ad Sabinum fruiturum dixisse non fructurum. Nam ea *l. vlt.* est ex libris ad Sabinũ. Idem etiam Fruitus maluit dicere in *l. Pomponius*, *D. quib. mo. vsusfr. amit.* quam vt Cicero Lucretiusque, Fructus. Caper, *Fruitus sum illa re, veteres dixerunt, Fruitus nos illam rem.* Idem Vlpianus cellam penuariam dixit *l. 3. D. de penu leg.* At contra Caper, Cella (inquit) penaria, non penuaria dicendum. & veteres glossæ, *Penaria cella & promptuarium*, ταμεῖον. & Iulius Firmicus *de errore prof. relig.* Idem quoque dum notat thesaurum dicendum & thensaurus, non probat hanc Pandectarum Florentinarum scripturam, *Thesaurus & Thensaurum*: sed neque Donatus, *Thesaurum*, inquit, *veteres secundum Græcos sine* n *litera proferebant.* In *l. actione §. morte*, *D. pro socio*, lego, Morte vnius socij societas omnium dissoluitur, & si consensu plurium coïta sit, plures vero supersint, ex §. *soluitur*, *Inst. De societ.* Caper, *Alter de duobus*, (inquit) *vnus de pluribus.* In plerisque subscriptionibus Constitutionum Codicis scribitur, Consul Fabius Chilo, male, & in *l. 1. D. de off. præf. vr. l. vlt.* D. *de off. pr. vig.* rectius Fabium Cilonem, vt in veteri inscriptione, Λ. Φάβιον Κείλονα, τὸν λαμπρότατον ἔπαρχον Ῥώμης, & aliis plerisque. Et differentia nominum nota. Græcis Cilo ex μεγακέφαλος, Latinis Chilo est labeo. Caper: *Cilo est angusto capite, cui hoc contigit in partu. Chilo dicitur modum labrorum excedens.* Idem Festus. In inscriptionibus Constitutionum legitur sæpe, Idem Augusti, quod confirmat Caper, scribens, *Idem tam in plurali quam in singulari dici, vt idem lupus & idem lupi quod & Priscianus 13. Lex* 12. quæ prohibuit rem litigiosam dedicari, *l. 3. D. de litig.* forsitan permisit mortuum in eam inferri, his verbis, *Nec non mortuum inferunto.* Et ob id Seruius interpres XII. Tab. à quo habemus etiam quid in XII. sit Vindicia, Sarcire, Pedem struere, Sanates adnotauit, duobus illis negatiuis verbis quasi permisisse legem magis quam prohibuisse, *l. 237. D. de ver. sig.* cui philosophorum definitio congruit, Αἱ δύο ἀποφάσεις ἢ στερήσεις, μίαν κατάφασιν ἀποτελοῦσι. & Caper, *Confessiua* (inquit) *vox fit ex duplici voce abnutiua, vt Non nolo, (ostendo enim me velle)* &, *Non nescio quæ tibi vita sit*, & *Non nunquam prandeo*, &, *Nec non est liberares mihi*, Et abnutiua dicit, vt Paulus *l. inter*, §. 1. *D. de verb. oblig.* non simplex abnutiuum spondet, & glossæ *abnutiuum* ἀποφατικόν. Interdum duo abnutiua magis negant, & ponuntur (vt Demetrius ait in Sophoclem) εἰς ἄρνησιν μείζονα. Vlp. in *l. Fluminum*, *D. de dam. inf. Nemine nihil faciente.* Vt Lucilius, *Nil neminẽ habere*, & Cato, *Lapideo sunt corde multi, quos non miseret neminis.* Idem Caper stellionem dici admonet ad similitudinem stellarum. Lacertus est curtus, qui per parietem repit, quique Græce ἀπαλαιβώτης vocatur: & ab eo animali versutissimo Iurisconsulti stellionatum fecerunt quodcunque crimen proprio nomine vacaret, & extraordinariam executionem stellionatus, quæ idem esset in criminalibus quod in ciuilibus iudiciis actio de dolo. Vtraque est subsidiaria, sed hæc ordinaria, id est ex edicto prætoris, illa extraordinaria. Nulla enim de eo crimine lex lata est, & ob id inscriptum maleficium à rhetoribus appellatur. Sed persequitur tamen id magistratus extra ordinem, & (vt ait, *l. quæsitum*, *D. de testib.*) *quod lex omisit, religio magistratus non omittit.* Et hoc est quod ait *l. 3. D. de cr. stel.* stellionatum non esse crimen legitimum, id est ordinarium. Suetonius *Aug. Non legitimum atque ordinarium modum.* Porro non cõ-

currit ſemper ſtellionatus crimen cum actione de dolo, ſed cum alia ciuili actione: & ſi quæratur an famoſum ſit crimen ſtellionatus, & quid ſit quod famoſum non eſſe ait *l. 2. D. eod.* contra famoſũ eſſe *l. quid ergo §. vlt. D. de his qui not. infa.* dicam rem omnem dirimi concurſus differentia. Si concurrat cum hoc crimine ciuilis actio famoſa, erit etiam crimen famoſum: ſi concurrat non famoſa, non erit crimen ſtellionatus famoſum, & ita Ioannes recte, *arg. l. infamem, D. de pub. iud.* Demus exempla. Si quis rem vni obligatam alij ſciens dolo malo pignori obligauerit, tenetur contraria actione pigneratitia, quæ non eſt famoſa. Ergo non erit etiam ex ea cauſa criminalis ſtellionatus actio famoſa. Contra ſiquis merces quas mihi debebat ex ſtipulatu, dolo malo corruperit, & ſic tradiderit, tenetur ciuili actione de dolo, quæ eſt famoſa. Erit igitur etiam hoc caſu ſtellionatus iudicium famoſum. Et hæc quidem ex doctiſſimo grammatico in vſum noſtrum conuertiſſe ſatis erit: quamquam non grauarer præterea cuius ope adiutus ſum, eidem curandis vulneribus quibus propemodum conſũmptus eſt, parem referre gratiam, niſi iuberent me mei meam Spartam non deferere, quibus imo videri me iam non nihil ab ea deerraſſe, carpendo quæ reddidi ſupra, facile credo, cum & ſiquid ſerio ex ipſuma atque intuma iuriſprudentia promam, experiar quotidie homines plane iam neque ſuos neque meos, ita ſemper aut ſtulte aut malignè de me iudicare.

Cap. XXVII.

Saccularij & Derectarij. Proximior cognatus.

IN hoc etiam capite nos aliquatenus exercebit grammatica, longe tamen alia ratione quam ſuperiores illos qui hanc exagitant, & toti tamen ſunt integrum plerunque annum in gerundis, ſupinis, ablatiuis abſolutis excutiendis, in particulis *Niſi, De, In, Vbi,* punctis etiam & cæſuris: quibus ego facile concedam quod volunt, non ideo quidem me in eis grammatices affectationem, ne dicam cognitionem cernere vllam modo, ſi & mihi ingenue ne pilum quidẽ vllũ ſe ſapientiæ iuris habere conceſſerint, aut in nos pepercerint transfundere grãmaticem ſolam, ſed & puro de fonte vero ſacerdotes iuris eſſe nos agnouerint, coluerint & vix tandem nobis etiam dederint ſe recoquendos ac dedocendos. Sed ad rem. In *l. ſaccularij, D. de extr. cr.* Saccularij definiuntur qui vetitas in ſacculos artes exercentes partem ſubducunt, partem ſubtrahunt. Et hic eſt ſenſus, qui magicis artibus ex alienis ſacculis aut ſubducunt pecuniam aut ſubtrahunt, vt in Hecyra, *Partim ſum earum exactus, partim vix ſteti,* & in *l. quicunque, D. ad leg. Cor. de fal. Quicunque nummos aureos partim raſerint, partim tinxerint.* Et Subducere eſt elicere pecuniam ad ſe carminibus vel qua alia ratione illicita: Subtrahere, eſt manu auferre. Subducimus arte, vt ſegetes alienas traducimus, Subtrahimus manu. At quia incertum eſt arte hoc fiat an manu, vt non ablato ſacculo pecuniam tamen auferas, ideo quaſi incertus dicit, Vel ſubducunt vel ſubtrahunt. Eiuſmodi præſtigias deſcribit Syneſius in epiſt. cuiuſdam, quem & βαλλάντια vocat, id eſt Saccularium, qui cum in mulcta ſoluenda vnum ſacculum oſtentaſſet in quo erant aurei nummi, & huic ſimillimum alium occultaret in quo erant ærei, numerata & appenſa pecunia aurea & ſuo reddita ſacculo, mox clam alterum pro altero ſuppoſuit & tradidit. Iidem etiam ſaccularij dicuntur, vt ſaccellus βαλλάντιον Gloſſis. Marcellus De medicamentis, *In ſaccello lineo ad frontem ſuſpendes.* In eadem derectarij ſunt qui in aliena cœnacula ſe dirigunt furandi animo, id eſt, qui malis artibus ſcandunt in aliena cœnacula, aperiunt feneſtras hamis, vncinis, vel qua alia ratione (vnde etiam apertularij dicuntur) atque ita introeunt furandi animo. Gloſſæ veteres, *Derectarius*, inquiunt, ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας ἔνεκα τοῦ κλέψαι εἰσερχόμενος οἰκίας. Derectarius, θυρεπανοίκτης, ἐπισπάστης, κατάρακτος. His aliquando cum abundaret nimis Roma, coacti ſunt ciues præfigere omnes proſpectus. Plinius xix. *Præfigi proſpectus omnes coëgit multitudinis innumera ſæua latrocinatio.* Nec abſimiles iis ſunt parietum aut foriũ effractores, *l. 1. & 2. D. de effract.* qui & θυρεπανοίκται dicuntur in gloſſis, de quibus Iulius Firmicus *7. Matheſeos, Famoſos*, inquit, *domorum effractores reddent, ſed qui armati gladio quieſcentibus hominibus & patrimonij iacturam & vitæ diſcrimina infligant. Homines autem tales in iſtis facinoribus comprehenſi publicæ animaduerſionis ſeueritate plectentur.* Proximus ſuperlatiuum eſt, à prope, propior, proximus. At iuriſconſultis quando pro cognato accipitur, poſitiui ſignificationem habet, & ab eo fit comparatiuus proximior, id eſt propior. quod Priſcianus *libr. 3.* confirmat Vlpiani auctoritate, *Vt*, inquit, *Vlpianus libro xxv. ad edictum, Si quis proximior cognatus naſceretur.* Locus eſt corruptus. Legendum, *vt Vlpianus libro 46. ad edictum, Si quis proximior cognatus naſci ſperetur*, & intelligit *l. 1. §. ſi quis proximior, D. vnde cog.* Gaius in Inſtitutionibus ſcribit per vniuerſitatem bona adquiri, hereditate, emptione, adoptione. Quod ait, *emptione*, dubitationem facit, quod videatur emptio eſſe ſingularum rerum adquiſitio, non vniuerſitatis, niſi forte quis hereditatem emerit, quem heredis vicem obtinere proditum eſt in *l. 2. §. pen. D. de her. vend.* & hic tamen illo verbo non ſignificatur, ſed bonorum emptor, quæ diſtrahunt creditores. & ita in Inſtitutionibus Iuſtiniani adquiſitioni per adoptionem proxima iungitur ſucceſſio per emptionem bonorum: à qua excipiuntur tamen ſtatuæ debitoris in publico poſitæ *l. Fufidius, D. de reb. auct. iud. poſſ.* vbi etiam fit mentio emptoris bonorum: excipiuntur etiam concubina & filij naturales *l. pen. D. eod.*

Cap. XXVIII.

Donationes cauſa mortis capi ad exemplum legatorum.

IN cauſa interdicti Quod legatorum, nihil, vt arbitror, diſtant à legatis donationes cauſa mortis. In vtriſque Falcidia locum habet, eamque heres ſibi ex vtriſque ſeruat per retentionem rei legatæ aut donatæ mortis cauſa ſecundum ius quod ante Iuſtinianum obtinuit, niſi viuus teſtator rem legatam legatario, aut viuus donator rem donatam mortis cauſa donatario tradiderit. Quapropter ſi poſt mortem teſtatoris vel donatoris legatarius vel donatarius rem legatam vel donatam ſine heredis voluntate occupauerit quam non acceperat viuo teſtatore aut donatore, tenetur interdicto Quod legatorum poſſeſſionis reſtituendæ cauſa, vt per eius retentionem Falcidiam quæ interuenit (ea enim non interueniente ceſſat interdictum Quod legatorum) ſibi heres ſeruare poſſit, *l. 1. C. quod legat.* Sed ſi viuus teſtator donatorve rem legatam donatamve mortis cauſa legatario vel donatario tradiderit, non poteſt ab eo per heredem auocari poſſeſſio interdicto Quod legatorum, quam à defuncto nactus eſt iure. Proinde cum non poſſit per retentionem hoc caſu, neceſſe eſt vt per vindicationem heres ſibi Falcidiam ſeruet *l. lineam*, D. *ad leg. Falc. l. cum pater*, §. *mater, &* §. *Manio*, D. *de leg.* 2. Igitur quæ in *l. 1. §. ſi quis ex mortis, quod legat.* notatur differentia inter legata & donationes cauſa mortis, & à nobis ſuperioribus libris explicata eſt, pertinet ad ea quæ plerun-

que fiunt. Nam plerunque legata ab herede præstantur, donata mortis causa à donatore: actum quidem si legatum quod debuit accipere ab herede, legatarius occupauerit sine voluntate heredis, tenetur interdicto *Quod legatorum*, nec tamen eo tenebitur donatarius causa mortis qui rem donatam à defuncto accepit, non ab herede, & eam sibi habet ac possidet post mortem donatoris. Sed vbi omnia sunt paria in vtroque, & ius par atque æquabile est in vtroque: vt si legatario rem legatam tradiderit testator, donatario donator, neuter tenetur interdicto *Quod legatorum*. Contra si non tradiderit, tenetur vterque. Præterea sicut legatum ipso iure adquiritur ex lege XII. Tabul. sine traditione heredis aut defuncti, vel possessionis apprehensione, ita & donatio causa mortis. Ad exemplum enim legati capitur, id est adquiritur. & in hanc rem est valde singularis *l. 2. D. de Pub. in rem act.* Est igitur vtraque ciuilis adquisitio. Donatio quoque inter viuos si fiat per traditionem nexi siue mancipationem, ciuilis adquisitio est. Sed si per traditionem possessionis corporalem, naturalis, & hoc quidem secundum ius vetus. Iure enim nouo vt venditio, ita donatio non est adquisitio, quandoquidem nudo consensu perficitur; & nudus consensus dominium non mutat, sed est causa adquisitionis, ex qua si sequatur traditio, per eam traditionem dominium adquiritur iure naturali, aut iure ciuili adquirendi eius per vsucapionem præbetur occasio. Denique iure veteri donatio non fuit conuentio, sed adquisitio ciuilis aut naturalis, *l. 4. & 5. C. Theod. de donat.* Iure nouo est conuentio, non adquisitio.

CAP. XXIX.

De satisdatione iudicatum solui.

CVr dantur fideiussores Iudicatum solui? M. Tullius *pro Quinctio*, *Vt res iudicio facto parata sit*. recte. Nam etsi de dolo malo & de re defendenda etiam clausulæ huic stipulationi insint, tamen hæc est præcipua quæ nomen dedit, de iudicato soluendo, & hac forte sublata per acceptilationem vel solutionem, vel transactionem, vel absolutionem, euanescunt etiam ceteræ, quia propter hanc ceteræ interponuntur, nempe vt res iudicari possit, *l si accepto*, D. *de accept. l. cum quærebatur*, §. *pen. D. ind. sol.* Adeo vt si forte quis dum se liti offert, de ea re quam non possidet, deceperit actorem, & absoluatur, quia iam non potest in eum agi ex clausula doli, necessario decurratur ad actionem de dolo, *l. pen. D. de dolo.* Et consequenter quoties idem & rem non defendit & condemnatus est ex eremodicio, præualet rei iudicatæ clausula, & sola committitur, nisi ante condemnationem iam lis cum eo contestata fuerit ob rem non defensam, *l. cum quærebatur, l. vlt. D. ind. sol.* Quis vero satisdat? Reus vel procurator aut defensor eius, etiamsi filius vel pater sit, *l. filiusf. D. qui satisd. cog.* Quo tempore? Ante litem contestatam, *l. de die*, §. *si seruus*, *l. Iulianus*, *D. qui satisf. cog. l. 8. D. ind. sol.* Quibus iudiciis? Reus in iudiciis in rem, *d. l. Iuliannus*, *d. l. 8. l. qui se liti*, *D. de pet. hered.* non in iudiciis in personam, *l. si plurium*, §. 1. *D. de nox. act. l. qui ex parte*, *D. de inter. in iu. fac.* Procurator vel defensor in vtrisque. At videtur etiam in iudiciis in personam, si ex edicto prætoris dies xxx. bona possessa sint, reum satisdare debere Iudicatum solui, vt à possessione discedatur. Cicero *pro Quintio*. *Postulat Næuius à prætore vt sibi Quintius Iudicatum solui satisdet, ex formula, Quod ab eo petat, cuius ex edicto prætoris Romani bona dies xxx. possessa sint. non recusabat Quintius, quin ita satisdare iuberet, si bona possessa essent ex edicto.* Erat autem inter Næuium & Quintium lis de societate. ergo actio in personam. Et ita *l. si pupillus, 6. vlt. D. de reb. auct. ind. poss.* Vlpian. quam exigit à debitore satisdationem vt iudicium accipiatur & à possessione discedatur, ea est iudicatum solui. & similiter in *l. 5. §. in possessionem, D. vt in poss. leg.* quæ dicitur cautio pro lite, est cautio iudicatum solui, vt *l. si seruus, D. ind. sol. l. si eum, D. de fideiuss.* quam exigit legatarius posteaquam missus est in possessionem, vt ab ea decedat, videlicet si litem eo nomine contestaturus sit. Sic scio esse legendum, *Contestaturus*, non *Contestatus*. Ergo etiam si de legato cum herede ex testamento acturus sit, quæ est actio in personam. At contra idem Vlpianus in *l. 5. §. vlt. D. quib. ex cau. in poss.* ait debitore se offerente defensioni se non putare necessariam satisdationem esse, vbi Puto, mea quidem sententia dicit ὀπὶ ἀμφιβόλου, vt sit Νομίζω, οὐ πέπεισμαι. Non enim hoc quasi certus dicit, sed quasi existimans morem hunc iudiciorum sine fraude contemni posse, & omnino mens Vlpiani hæc est: Hunc quidem esse morem, vt si post dies xxx. quam bona debitoris ex edicto possessa sint, vel post pubertatem, si pupilli bona possessa fuerint, ita tamen vt non minus xxx. diebus possessa fuerint, ipse debitor defensionem sui suscipiat, satisdet iudicatum solui stipulatione, sed se putare ipso defendente non esse necessariam satisdationem, nec male eum qui obtulit defensionem, nec satisdedit agere interdicto quo iubeantur creditores discedere de possessione, licet in ea re non obseruauerit iudiciorum morem. Formula autem stipulationis iudicatum solui, hæc fere fuit: *QVOD FVNDVM TVSCVLANVM QVEM POSSIDET L. TITIVS AB EO QVI INDICATVRVS SVM, CVIVS REI C. AQVILIVS IVDEX DATVS EST, EAM REM RECTE DEFENDI, AVT SI EA RES SECVNDVM ME HEREDEMVE MEVM IVDICATA ERIT, QVOD A C. AQVILIO EOVE QVI IN EIVS LOCVM SVBSTITVETVR, IVDICATVM ERIT, ID RECTE PRÆSTARI, DOLVMQVE MALVM ABESSE ABFVTVRVMQVE ESSE, ET QVANDIV RES NON DEFENDATVR AVT SI QVOD HVIVS REI IVDICATVM ERIT NON PRÆSTETVR, DOLVSVE MALVS NON ABERIT, QVANTI EA RES EST, DARI.* Recte defendi modo dicebant, modo viri boni arbitratu, *l. 5. §. nunc videamus, l. si reus, l. vir bonus, D. ind. sol. l. si eum hominem, D. de fideiuss. l. recte, D. de iudic.* Iudicis nomen exprimitur *l. 3. in prin. l. pen. D. ind. sol.* & actionis genus *l. 13. §. vlt. D. eod.* & heredi cauetur *l. in vsu, D. de verb. sig.* & priores duę clausulæ sunt de re defendenda & de re iudicata, nouissima de dolo malo, *l. nouissima, D. ind. sol.* & comprehenduntur omnes vna quantitate *l. 5. §. in hac, l. 1. D. eod.* & ea quidem incerta his verbis, *Quanti ea res est, l. 2. D. de præt. stip.* Incerta est quantitas quæ omnes amplectitur stipulationis causas. Certa quę est de præstando eo quod iudicatum est *l. 9. D. ind. sol.* verba illa, *Quandiu res non defendatur*, sunt ex *l. hac stipulatio, D. eod. t. &* Δηπαικῶς accipiuntur, vt in edicto de bonis possidendis rei seruandæ causa.

CAP. XXX.

Quid titulus de pactis adfine & propinquum habeat cum titulis De in ius vocando & de edendo.

DE transactionibus tractatur post titulum *De in ius vocando* eadem ratione qua & de cautionibus iudicio sisti, quia scilicet in ius vocati non dimittuntur

nisi vel cauerint iudicio sisti vel de re transegerint, *l. 5. §. vlt. D. qui satisd. cog. l. neque, D. de in ius voc.* & quia etiam hi qui cauerunt iudicio sisti non aliter ea obligatione liberantur quam si ad diem venerint, vel ante eum diem transegerint, *l. 2. D. si quis caut.* cui. coaptanda est *l. 2. D. de transact.* & præterea non alia ratione post editam actionem, vel etiam hodie post vocationem in ius, ei vnde petitur datur consultandi tempus, quam vt sit ei interim spatium amice cum aduersario de omni controuersia transigendi Nou. 53. vt in *l. 1. D. de edendo*, Basilica non male Cedere accipiant pro διαλύσασθαι: & ob id de edendo & de in ius vocando tractatui recte applicatur is qui est de cautionibus iudicio sisti & de transactionibus. Quod si de transactionibus, & de pactis igitur. Inest enim transactioni pactio quasi genus, & nomen ei dat definitionemque. Nam quid aliud est transactio quam pactio, quæ fit inter duos pluresve negotij aut litis decidendæ causa, *l. 1. & 2 D. de transact.* & ita in Orat. *pro Roscio Comœdo*, cum Fannius significaret se transegisse cum Roscio ne condemnaretur, *Pactionem*, inquit, *mecum fecerat*, id est transactionem, & pro Flacco, *Qui pactionem fieri coëgit, quod ante decisionem.* Cum ergo pactio genus sit transactionis, non fuit incongruum & de genere ipso tractari, vel commistim vno titulo, vt in *Codice Gregoriano & Hermogeniano*, vel de pactis primum, deinde de transactionibus vt in *Pandectis & Codice Iustiniano.* A genere enim ad speciem commodius peruenitur.

CAP. XXXI.

Causæ possessionis bonorum rei seruandæ causa.

VAriis ex causis creditores crediti seruandi causa ex edicto prætoris mittuntur in possessionem bonorum omnium debitoris tam mobilium quam immobilium, & tam incorporalium quam corporalium, Si fraudationis causa latitet ne in ius vocari possit & boni viri arbitratu non defendatur, *l. 7. §. 1. D. quib. ex cau. in poss. ea. l. pen. C. de bon. auct. iud. poss. l. satisque, D. de in ius voc.* vel si posteaquam in ius vocatus est, & cauit iudicio sisti, aut latitet aut absens non defendatur, *l. 2. l. si pupillus, D. quib. ex cau. in possess. eatur.* Si mortuo heres non extabit, *l. 6. C. de bon. auct. iud. poss. l. 1. C. ne pro do. mul. bona quon. mar. ad.* Si exilij causa solum verterit nec defendatur, *l. ad cognitionem, D. quib. ex cau. in poss. eatur.* Si heres suspectus creditoribus, satisdare iussus decreto prætoris non obtemperauerit, *l. 15. D. de reb. auct. iud. poss.* Neque tamen ex his omnibus causis bona quę ex edicto possessa sunt, etiam proscribuntur & venduntur, non certe si absens nec latitans iudicio non defendatur, *l. item ait prætor, §. pen. D. ex quib. cau. ma.* Porro is abest sine latitatione qui captus est ab hostibus, vel qui reip. causa abest sine dolo malo, itemque quacunque ex causa, quinetiam præsens si non defendatur, pro absente habetur, *d. l. pupillus*, si ex suo contractu non defendatur, non si ex paterno *l. 3. in prin. D. eod.* Igitur horum qui ita sine fraude absunt, ex edicto bona tantum possideri possunt, dato interim curatore bonis, non etiam vendi ante reditum vel ante pubertatem, *l. in possessionem, D. eod. l. vlt. D. de reb. auct. iud. poss. l. ignorare, C. de test. mil.* Quin etiam ne possideri quidem militis donec in castris esset, aliquando edixit Consul Romanus, vt Liuius scribit 2. sed extra ordinem. Nam ex ordine possideri possunt, non etiam vendi: aut si vendatur, venditio nullius momenti est. Pupillo comparantur hac in re furiosi, prodigi & ceteri qui curatorum ope iuuantur, *l. Fulcinius*, §. *adeo*, D. *quib. ex cau. in poss. eat.* vbi tamen exigit vt nominatim possessio permittatur, acsi non idem sit in omnibus. At certe, qualiscunque sit debitor, etiamsi decreto prætoris non indigeant creditores vt mittantur in possessionem, iussu tamen permissuque prætoris indigent, qui nullus est nisi nominatim concipiatur. Non est opus decreto, id est causæ cognitione, quia hoc omne ex ordine & ex edicto postulatur permittiturque, sicut actiones & exceptiones, & vero etiam prætor non permittit simpliciter bona possideri ex edicto, quod ita in Quintiana bellissime expressum legeremus, nisi noui emendatores deprauassent. *Neque quenquam*, inquit, *attinebat id recusare, quod prætor non fieri, sed ex edicto fieri suo iubebat.* & paulo post. *Prætor te quemadmodum possidere iussit? opinor, ex edicto.* Igitur *d. §. adeo*, pro *Nominatim*, malim legere aut intelligere, *Tantummodo.* Quod enim tantummodo furiosi similiumque personarum bona possideri iubentur, hoc in eis singulare est. Ceteri etiam venditionem bonorum patiuntur.

CAP. XXXII.

An condicionales creditores ex edicto mitti in possessionem possint. Quo iure maritus dominus fit dotis, naturali an ciuili, & de sententia l. vlt. D. quib. ex cau. in poss. eatur.

VVlgo existimant hăc in re multum pugnare *l. in possessionem, D. quib ex cau. in pos. eatur.* cum *l. pen. eod. tit.* Vna ait creditorem condicionalem mitti debere in possessionem, altera creditorem condicionalem in possessionem non mitti. Sed hæc quæ mitti negat, proposuerat ante actionem quanti ea res est in eum qui creditorem vel legatarium missum in possessionem non admittit, & docuerat hanc actionem dari etiam legatario condicionali misso in possessionem nec admisso, Tum ea similiter non dari creditori condicionali dum vult ostendere. *Creditor autem condicionalis*, inquit, *in possessionem non mittitur, quia is mittitur qui potest bona ex edicto vendere.* Solet quidem mitti, vt ait l. in possessionem, sed pignoris persequutionem non habet, quia peragere bonorum venditionem non potest. Qua de causa etiam non admissus actionem quanti ea res est, non habet, qui nec cum effectu missus est in possessionem. Et hanc solam differentiam inter legatarium condicionalem & creditorem condicionalem voluit demonstrare *l. pen.* Proinde si initium spectas, mittitur creditor condicionalis in possessionem, si effectum, non mittitur: quia pignus non contrahit cui nondum neque pecunia neque cautio debetur. Cautio (inquam) non debetur, nisi cum bonorum separatio fit, *l. 4. D. de separat.* Legatarius autem condicionalis missus in possessionem, pignus contrahit, quia, etsi nondum res vel pecunia ei debeatur, nec peruenire ad venditionem possit, cautio tamen ei debetur exemplo iudiciorum bonæ fidei. Et eodem modo soleo conciliare §. *per traditionem, Inst. de rer. diuis.* cum *l. in rebus, C. de in. dot.* vt inspecto initio, quoniam traditur marito dos, dotis dominus sit maritus iure naturali, §. *per traditionem.* Inspecto effectu exituque. quia plerumque morte mariti aut diuortio soluto matrimonio, dos redit ad mulierem, & quia etiam interim omne emolumentum ad eandem effectu redit, cum pro ea vicissim maritus sustinet omnia onera matrimonij *l. quamuis in fi. D. de in. dot.* mulier iure naturali est domina dotis, maritus fictione iuris ciuilis, *d. l. in rebus.* Duo igitur dotis domini, vnus verus, alter fictitius, vt alibi, vnus bonitarius, alter quiritarius, & consequenter tam viro quam vxori fundi dotalis vindicatio datur aduersus extraneum, & propter petitionem etiam vterque possessor intelligitur, vt satisdationis onere in aliis causis rele-

uetur, *l. pen. §. si fundus, D. qui satisd. cog. Propter possessionem*, inquit, *possessores intelliguntur*. lego, *Propter petitionem*, id est viudicationem, quoniam subiicit. Diuersa causa est eius qui fundi petitionem personalem habet: & manifesta est ratiocinatio à dominio ad possessionem, vt sicut duo intelliguntur esse domini dotis, ita & duo possessores. Sed vt redeam ad *tit. quibus ex causis in possessionem eatur*, ambigitur quid ad eũ, *l. vlt.* pertineat. Dicam quod sentio. In *l. pen.* egit de legatariis qui legatorum aut fideicommissorum causa mittuntur in possessionem. Puto & de eisdem agi in *l. vlt.* cum sumpta sit ex libris fideicommissorum, & hanc esse sententiam, vt si legatarius rem sibi testamento relictam ex donatione aliunde consequutus sit, non possit legati nomine in possessionem mitti, quia scilicet duæ lucratiuæ causæ in eundem hominem & eandem rem concurrere non possunt. Contra vt possit legati nomine in possessionem mitti, si rem legatam aliunde consequutus sit ex emptionis vel permutationis vel solutionis vel litis æstimationis vel stipulationis, causa, quia eæ causæ lucratiuæ non sunt.

CAP. XXXIII.

De iure patronatus quædam.

QVæ patronis spoliatis iura restituisse Traianum Martialis dicat, ne libertis suis illis exules essent, ambigitur. Illud enim primũ occurrit, vt occiso patrono, de libertis habeatur quæstio, qui sub eodem tecto vel in itinere cum patrono fuerunt. Quod primum quidem cautum fuit S. C. Neroniano de libertis qui testamento manumissi essent, ampliato S. C. Sillaniano quod erat de seruis tantum. Post Constitutiones Traiani de libertis quos viuus manumisisset, *l. si exheredatus §. vlt. D. ad S. C. Sillan.* & non tantum vt quęstio haberetur de eis inter seruos, sed etiam vt supplicium sumeretur. Plinius *viii. Epist.* Referebatur de libertis Consulis perempti. *Ego quæstionem supplicio liberandos, alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur.* Sed hæc Constitutio nulla restituit iura patronis, nec quod occiso patrono de libertis habeatur quęstio vllum hoc ius patrono constituit. An igitur cõstitutionem aliquam comminiscemur Traiani extitisse de libertis ingratis in seruitutem retrahendis, quos ante retrahere non licebat, si vindicta manumissi essent auctore Cornelio Tacito. *Cum esset*, inquit, *nihil aliud læso patrono concessum quam vt vicesimum vltra lapidem in oram Campaniæ libertum relegaret:* eodem nempe modo quo legimus pœnæ causa à dominis seruos, à patribus filios in villam relegatos, *l. ex facto proponebatur, D. de her. inst.* Ambrosius *apologia Danidis: Plerique diuitum amandare consuerunt mancipia sua & in agellulos relegare, & hæc pœna grauior æstimatur.* Cicero *pro Roscio Amerino: Alterum filium in vrbe secum honoris causa habere, alterum rus supplicij causa relegasse.* At vindicta manumissos nunquam reuocari potuisse in seruitutem idem Tacitus demonstrat. Noua igitur iura dat, non spoliatis patronis, vt poëta loquitur, vetera restituit Traianus, si aduersus vindicta manumissos, ob ingratudinem ius dat patronis reuocandæ libertatis. Et vero etiam lex Ælia Sentia ingrati tantum accusationem dedit, non manus iniectionem, sed aliis modis plecti ingratitudo liberti solet, *l. 7. §. vlt. D. de iur. patr. l. 1. §. cũ patronus D. de off. præf. vr.* & Commodi Const. liberti male meriti in ministeriũ, non in seruitutẽ reuocantur, vel addicuntur emptori quasi liberti non quasi serui, *l. alimenta, D. de liber. agn.* Præterea nullo Pandectarum loco liquido comprobari potest libertos ingratos reuocari in seruitutem. Non *l. 6. D. de in int. rest.* nam etsi recte ad eam hodie ponatur exemplum liberti ingrati, tamen recipere & aliud potest ex iure antiquo, ex S. C. Claudiano, vel si minor incensus vænierit. Non *l. si mulier, D. quod met. cau.* quæ ex contrario hoc potius probat, ingratam libertam in seruitutem nec iure nec facile reuocari, ac proinde nullum subesse seruitutis metum. Vnus tantum est casus quo libertus redigitur in seruitutem patroni, si delatores submiserit qui patrono libertatis facerent quæstionem ex Constitutione Claudij, *l. 5. D. de in. pat.* & nimium generaliter Suetonius scripsit Claudium ingratos & de quibus patroni quererentur, reuocasse in seruitutem. An igitur hoc potius laudauit Martialis, quod patronos Traianus libertis accusatoribus liberauerit, quos anteriores principes contra iuris rationem facilè & libenter audierant? De seruis sane idem Traiano Plinius tribuit, vt iam nemini dubium esse debeat quin imitatus sit Traianus Neruę patris exemplum libertos non minus quam seruos accusationibus patronorum arcendo, & hoc est quod poëta ait, iam non fore patronum exulem libertis suis, id est opera & delatione libertorum suorum, iam neminem iturum in exilium, & dignissimum esse Traianum qui possit seruare ciues & clientes omnes suos, & vero posse quidem eum hac ratione, si falsas delationes non admittere pergat, & si liceat tantum indicare ac probare vera.

CAP. XXXIV.

Atrienses serui.

IN atrio patresfamilias supellectilem suam expositam habebant, veluti escaria & potoria vasa, & inde seruis atrienſibus nomen qui supellectilem emundant ædium aut villæ & disponunt in atrio, simulq; atrium omni ex parte mundum & nitidum vt sit, accurant. Columella *xij. Tum insistere atrienſibus vt supellectilem exponant & ferramenta detersa nitidentur atque rubigine liberentur.* Atrienses igitur sunt non in vrbe tantum, sed etiam in villis: & recte in *l. 8. D. de instr. leg.* cum de cultiore villa agitur, atrienſibus iunguntur scoparii: atque Plauti *Asinaria* atrienſis scoparium, in quem atrienſi erat imperium, sic alloquitur recte.

Iußin' sceleste, ab ianua hoc stercus hinc auferri?
Iußin' columnis deiicier operas aranearum?
Iußin' in splendorem dari bullas has foribus nostris?
Dormitis interea domi, atque herus in hara, haud ædibus habitat.

Idem vero videntur esse atrienses & diætarii. Nam veteres glossæ quæ à doctissimo Turnebo ad me peruenerunt beneficio eiusdem Danielis à quo Turnebus acceperat, vt idem in Aduersariis suis retulit, ex libris, *De officio proconsulis* atrienses interpretantur esse diætarios & dietarchas. Puto autem eos libros *De officio proconsulis*, quorum auctor ille glossarum testimonio vtitur sæpe, libros esse Vlpiani, propterea quod omnia quæ ex eis adferuntur vocabula, ad ius ciuile accommodari possunt, & vero etiam quod directarios libris *De officio proconsulis* interpretantur esse εἰσπραξιῶγας ex libris esse Vlpiani *De off. proconsul.* demonstrat, *l. sacularij, D. de ext. cr.* Ceterum Defectarii scriptum est in glossis corruptè. Nam & interpretatio docet legendum esse Derectarij, & alio loco eædem Derectarium ἐπισκευαστὴν interpretantur, vt dixi supra cap. xxvi. Sed vt alia omnia quæ ex eis libris referuntur verba percenseam, delationem quis nescit esse verbum iuris, quam interpretantur esse ἀποφορὰν & illud, *Ad subrigendã*, εἰς ὑποδοσιν πωλεῖας, quis etiam non videt ad ius ciuile pertinere? Scripserat forsitan Vlpianus

Ad subrigenda delicta. Subriguntur, corriguntur, emendantur pœnis propositis velut Augustinus loquitur contra epistolam Parmeniani, *rei surriguntur ad bestias.* Eiusdē generis est illud, A rabulariis, (sic enim malo quam ramulariis) ἀπὸ τῆς αὐτεπιτρόπων, id est, Ab iis qui in foro vicem procuratorum obtinent, quos forsitan *l. moris*, *D. pœnis* iunxerat Vlpianus aduocatis, tabellionibus, pragmaticis, his omnibus personis foro interdici solere demonstrans. Idem cum libro septimo, *De officio proconsulis* (sic est legendum apud Lactantium, non libris septem) collegerit rescripta principum de pœnis Christianorum, non mirum si & eis libris de suæ religionis sectis egerit Vlpianus, è quibus sunt Bellonarij, quos glossæ illæ interpretantur, θεοφορημένους, Martialis vocat Bellonæ turbam entheatam *lib. xij.* & de eisdem *lib. xj.*

Alba nimis sœuis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ac Phrigios enthea turba modos.

Eosdem etiam Bellonarios appellauit Acro in 2. *Satyr.* Horatii, *Bellonarij*, inquit, *lacertos humeroſque concidunt.* His adiungantur Aruales sodales (sic primus docui esse legendum,) οἱ δὲ ὅσον διαγινώσκοντες διακρίνῃ, vt glossæ interpretantur ex eisdem libris *De officio proconsulis.* Sacri erant termini, idcirco recte terminorum finiumque iurgiis finiendis sacerdotes interueniunt fratres aruales. Idem Vlpianus cui placuit Sequioris vocabulum, *l. cum hi, D. de transact.* dixit etiam eisdem libris aliquo sequius vel aliquo secius, quod glossis est, πῶς ναχελέστερον. Et illud Sequioris tamen nonnulli audent in Vlpiano mutare. Quid vero miri, cum & Iurisconsultorum auctoritatem eleuare, vt Pauli illud, Legem Falcidiam ad ea quæ Deo relinquuntur non pertinere, cui tanti fuit doctissimo Ranconneto credere, vt in *l. 1. §. ad municipum, D. ad leg. Falc.* hæc sola fuerit ei causa aliquando dicendi hæc verba, *Vel etiam ad ea quæ Deo relinquuntur*, Triboniani esse. Nos non longe, mutatam à Triboniano negationem in adfirmationem.

CAP. XXXV.

Explicantur & emendantur quædam in tit. De censibus.

COloniæ aliæ sunt Italicæ, aliæ prouinciales. Et Italicas quidem vulgo existimant esse immunes, non prouinciales, nisi donatæ sint iure Italico. Ius Italicum immunitatem esse tributorum. quod ego esse falsissimum opinor. Nam & quæ ius Italicum non habent quædam coloniæ prouinciales, immunes sunt, vt Cæsarienſis colonia prima Flauia quam Vespasianus deduxit, auctore Plinio *v. cap. xiij.* & No. 13 immunis est, *l. vlt. D de censib.* remisit enim Vespasianus tributum capitis primum, & quia non ideo etiam remissum videbatur tributum soli, postea Titus etiam solum Cæsarienſis coloniæ immune factum interpretatus est. Auxit Titus interpretationis specie beneficium Vespasiani, quod eo vsque nulli iuris interpreti producere licuisset. Non ideo tamen Cæsarienſis colonia ius Italicum habet, *l. 1. D. eod.* cui ibidem comparatur Ælia Capitolina, id est Hierosolyma, sicut *l. vlt.* Cæsarienſibus Capitulenses, id est Hierosolymitani. Et ita recte Plin. *5. cap. 3.* & *12.* ciuitates aut colonias immunes separat ab iis quæ ius Italicum habent. Possit quidem vna eademque ius Italicum habere, & esse immunis, sed non quod immunis, veluti Barcino *d. l. vlt.* aut Ilium, vt superiore libro docuimus: ideo & iuris Italici idemque ex diuerso dicendum est. Plus est esse immunem ciuitatem vel coloniam, quam habere ius Italicum: Nam ius Italicum leuatio tantum censitionis est, puta vt idem in censitione ius experiatur quod Italicæ coloniæ. Qua de causa sub titulo de censibus tractatur, vt opinor, de coloniis & ciuitatibus immunibus, & de iis quæ iuris Italici sunt, & nonnihil etiam de aliis quibusdam, quæ nihil præter nomen Coloniarum habent, vt quod forte sibi vendicabant, ostenderetur eas non habere. De coloniis quę ius Latij habent nihil in eo titulo tractatur, quas Asconius ad orationem in Pisonem separat ab iis quæ Italico iure donatæ sunt, & ius Latij definit, petendi magistratus gratia ciuitatem Romanam adipisci. Credo igitur nihil de eis sub eo titulo tractari, quia eorum cognitio nihil ad censitionum iura pertinebat, & quia iam Imp. Antoninus totum orbem Romanum Latio & ciuitate donauerat. Vniuersæ Hispaniæ quondam iactatæ procellis Reip. Vespasianum donasse ius Latij Plinius scribit, eadem liberalitate qua Neronem vniuersæ Achaię dedisse libertatem, quæ duæ sunt diuersæ condiciones, quas in oppidis recensendis frequenter idem Plinius notat his verbis, Latinę condicionis, liberæ condicionis, vt non sit dubium apud eundem *Nat. historiæ iv. cap. xij.* duobus locis pro liberæ ciuitatis emendandum esse liberæ condicionis. Idem accuratè notat quibus datum fuerit ius Latii antiquum, nec aliena est hæc obseruatio à professione nostra. Nam & Seruius in illum locum, *Quis Latio antiquo fuerit status* duo Latia in iure legi scribit vetus & nouum: sic sane, vt duo ciuium genera veteres & noui. Et noui sunt qui per Latium aut beneficio principis in ciuitatem venerunt, vt Plinius definit *in Panegyrico*: Hi cognationum iura non habebant, illi habebant, & hac ratione illis quidem hereditatum vicesima remittebatur, his irrogabatur quasi extraneis heredibus ante constitutionem Traiani, quæ onere vicesimæ etiam nouos ciues liberari voluit, quibus beneficio principis aut per Latium ciuitas obuenisset. Latium antiquum definit Plinius 3. *cap. 5.* Colonias Latii antiqui, quæ Latio antiquitus donatę sunt *cap. j.* Ius vero Italicum non tantum leuationem censitionis dat, vt diximus, si colonia non sit immunis, sed etsi immunis sit, facit vt in reliquis eodem iure sit eius coloniæ Resp. quo ipsa Italia, puta in traditionibus nexi, in vsucapionibus, in annali exceptione, itemque in iure capiendi. Nam hac de causa cum tractaret Celsus de fideicommisso relicto coloniæ Philippensium, *l. Balliſta, D. ad Trebel.* adiecisse eum opinor coloniam Philippensem esse iuris Italici, *l. 6. de censib.* cuius inscriptio emendanda est ex *d. l. Balliſta.* Atque ita multo plura conferebat ius Italicum quam immunitas: sed in causa tributorum, vt dixi, plus certe erat immunem esse quam habere ius Italiæ. Et ita ius Italicum accipio quod vrbi Constantinopolitanæ restituitur in *l. 1. C. Th. de in. Ital. vrb. Const.* His positis, si quid præterea sit in eius tituli legibus adnotatu dignum videamus. Ait *l. 1. Vt D. Adrianus in quadam oratione ait.* Forsitan oratione illa de Italicensibus, in qua de iure municipiorum coloniarumque tractauit, vt Gellius scribit, *lib. xvj. Belli ciuilis.* Intelligit bellum ciuile Pescennii Nigri, à quo stetit Byzantium & Antiochia, quas etiam victor Seuerus male multauit: & auctore Herodiano, Perinthiis qui à se steterant, adiudicauit Byzantios partis aduersæ, & eadem ratione Laodicenis Antiochenos, quibus præterea eum ademisse multa Spartianus scribit, priuilegia scilicet omnia sua, vt Byzantinis: & inde forsitan ratio dubitandi in *l. Antiochenſium, D. de reb. auc. ind. poſſ.* an Antiochensibus quæ à principibus lege sua acceperunt priuilegia adempta censeantur, vt puta tacitæ hypothecæ in bonis defunctorum debitorum. Et respondet Papin. ea durare, *d. l. Antiochenſium.* Eadem quoque ratione Tyriorum coloniæ Seuerus ius Italicum dedit, *d. l. 1.* & forsitan Berytο ademit, quæ æmulatione Tyriorum ad Nigrum defciuerat, eodem Herodiano auctore. Sed postea,

omnibus Antoninus iura vetera restituit. *Indicia quoque Zernensium colonia à D. Trahiano deducta.* Sic est scriptum Flor. At legendum, in Dacia quoque Zernensium colonia, ex Basilicis, quę sic habent, ἡ ἐν Δακίᾳ ἡ τῶν Ζερνησίων ἀποικία Zernensium scriptum est Flor. vt *in notitia Ro. imperij* sub dispositione ducis Daciæ Ripensis præfecturæ legionis xiij. Geminiæ, Zernis. In Basil. Zermensium, vt in antiqua inscriptione, *I. O. M. ROMVLO PARENTI MARTI AVXILIATORI FELICIB. AVSPICIIS CÆSARIS D. NERVÆ TRAIANI AVG. CONDITA COLONIA, DACICA ZERMIS PER M. SCAVRIANVM PROPRÆTOREM.* Sequitur in eadem lege, *Zarmizegethusa quoque eiusdem iuris est. Item Napocensis colonia & Apulensis.* Et has quoque Traianus forsitan condidit. Namque Dio non coloniam eum, sed colonias in Daciam deduxisse his verbis significauit, Καὶ πόλεις ἐν Δακίᾳ κατῴκισεν. Et quod ad appellationes earum coloniarum attinet, quid dubitamus? Ptolomæus in Dacia ponit Ζαρμιζηδουσαν, Νάπουκαν, Ἄπουλον. Sequitur, *Patauissensium vicus.* Basilica, Παταβήσινων Ptolomæus corrupte; Παταρίσιων pro Παταυίσιων. *In Cilicia Selinus & Trahianopolis.* Duo sunt vnius ciuitatis nomina, vnum vetus, alterum nouum, non ciuitates duæ, auctores Dio & Zonaras *in Traiano.* Silinus alia est in Sicilia Stephano & Plinio. Recte in *l. 3. In Syriis*, id est Syria Cœle & Syria Phœnice. In *l. 4. §. is vero, Agri enim tributum in eam ciuitatem debet leuare*, emendo, *Agri enim tributum eam*, &c Hic enim est sensus, vt qui in alia ciuitate agrum habet, in alia moratur, eum agrum in censum deferre debeat in ea ciuitate in qua ager est, non in qua ipse moratur, quod æquum sit eam potius ciuitatem leuari facta contributione singulorum agrorum, qui in eius territorio possidentur, quam alienam. In vniuersum enim ciuitatis territorium tributum indicitur, qua ex causa, vt Vrbicus scribit, est sæpe quæstio de iure territorii, ac deinde in singulos pro modo agrorum describitur, quorum si quem subduxeris, alios onerabis, si non subduxeris, leuabis. *Qua post censum edictum.* Sic Flor. At malo editum. in Basilic. ᾧ τὸ δοῦναι πρὸ ἀπογραφῶν. & hic est sensus, vt si posteaquam in censum detuli bona mea, aliquid adquisiero, id possim, & vere debeam noua professione edere censitori priusquam munus iniunctum peregerit, qui finis videtur addendus etiam ad *l. 2. eiusdem tit.* Alioquin non possum sine venia. In *l. vlt. Licitani.* An Illicitani ab Illicitano sinu, colonia immunis Plinio. *An Acitani eidem colonia iuris Italici.* Nam Acitania legendum est in Plinio ex vet. libris, non Accitana. & obseruandum ab his separare eum Lacetanos, quos alij confundunt cum his perperam. Macrob. *1. Satur. Acitani Hispana gens.* Præter colonias quæ hoc titulo enumerantur, est in Pandectis, Colonia Beneuentanorum, *l. heredes, D. Ad Trebel.* Colonia Grauiscanorum, *l. quidam, D. de leg. 2.*

Cap. XXXVI.

Nexus. Impendium. Minor.

NExi habita mentio superiore capite, reuocat me ad memoriam Constitutionis Iustiniani de vsucapione transformanda, in qua vox Nexu, non suo loco posita obscuritatem facit, paritque nobis Italicum nescio quem nexum, quomodo nemo vnus loquutus est vnquam, sed aptissime suo loco reponetur, si ita legamus, Cum autem antiqui & in rebus mobilibus vel se mouentibus, quæ fuerant alienatæ nexu vel quocunque modo bona fide tamen detentæ vsucapionem extendebant, non tantum in Italico solo, sed in omni orbe terrarum. Nimis breue capitulum erit, nisi adiecero alia quædam. Impendium præter vulgarem significationem vsuram significare Varroni & Ciceroni, vt non male ad *l. Titium §. altero, D. de adm. tut.* cum vsura non compendium dicitur pupillo præstandum dixerit quis impēdiū igitur præstandū non compendiū. Significatur etiam eo nomine munus, licet personale, sit nō patrimoniale, id est sine vlla gerentis impensa, *l. 6. D. de legation.* In impendiis legationum, quæ solo ministerio obeuntur. Martialis, *Impensis vitam principis adnumeres.* Item stipendium *l. pen. D. De re mil.* In *l. qui lancem, D. de au. & arg. leg.* Legata lance minore, recte respondetur heredis electionem non esse, quia constat de lance legata. Nam Latine loquentibus minor est quæ mediæ magnitudinis est, & eodem sensu minorem libertatem dicimus quæ est inter iustam & dediticiam. Dediticiam autem minimā vel inferiorem, qua de causa stigmaticum Augustinus dixit recte in iure manumissionis, inferioris esse ordinis in *epist. ad Galatas.* Eodem quoque sensu minorem capitis deminutionem appellamus, mediam, minorem ordinem equestrem. Martialis, *1v. Cum plebs & minor ordo maximusque.*

Cap. XXXVII.

Villicus. Sestertio nummo vno mancipare. Ager purus. Ossuarium. Arbiterium. Locorum adiectio.

VIllicus est is qui præpositus est rationibus rusticis, fructibus percipiendis vniuersoque operi rustico, *l. 8. D. de instr. leg. l. filio, D. de adim. leg. si cum villico. D. de. inst. act.* Sed poëtæ hanc solent appellationem transferre ad præfectos quoslibet, vt Iuuenalis ad præfectum vrbi scribens de Pegaso iurisconsulto. *Pegasus attonitæ positus modo villicus vrbi*: & ad prefectum ærarii Patauina inscriptio, *Villicus ærari quondam, nunc cultor agelli.* Ex veteribus inscriptionibus iuuat referre hoc capite & alia quædam iuris studiosis non inutilia. Quod est scriptum in *l. vlt. Cod. de donat.* Sestertii nummi vnius, assium quatuor, vt in Basilicis. Verba erant solemnia donationis quæ fiebat per mancipationem. Vt in veteri inscriptione vrbis Romæ. *Hoc monumentum L. Titurius Sabinus se viuo donauit L. Sanio Symphoro mancipauitque sestertio nummo vno.* Et Vitruuij *1. cap. 4. Nummo sestertio mancipio dedit.* Interueniebat in mancipationibus sestertius vnius, dicis gratia, *l. 4. D. commod. Sæpe*, inquit, *pecuniæ commodantur, vt dicis gratia numerationis loco intercedant.* Adde veluti in mancipationibus, atque ideo Glossæ veteres sic in ea lege dicis causa interpretantur νόμου χάριν, id est vt satisfiat solemnitatibus iuris, aliter λόγου χάριν, id est Verbi gratia, vel vt dicere possint se numerasse. M. Tullius, vt dicere possint se emisse. Potest etiam poni exemplum ex *l. Si quis duos, D. de solut.* Filium patri recte curatorem dari D. Pius Instio Celeri rescripsit, *l. 12. D. de tut. & cur. da.* Quibus erat Instii nomen inauditum, ex Instio Iustum fecerunt, quod tamen veteres inscriptiones approbant. Venetiis vna, *C. Luscius Quadratus sibi & Instiæ maximæ vxori*: & Formiis altera, *L. Brutio, L. F. Pal. Celeri Thrac. Equit. L. Brutius Primitinos pater & Insteia mater filio optimo.* & apud Paterculum, Insteius Cato. & apud Plutarchum in Antonio, Μάρκος Ἰνστήιος: & in auctore de præfectis, Insteius Tertulus P. V. Ager purus opponitur monumento, *l. 9. C. de relig. & sump. fun.* vt in veteri inscriptione monumenti vrbe Roma, *Huic monumento tutelæ nomine cedunt agri puri iugera x. & taberna quæ proxime eum locum est.* Et in veteri iudicis sententia, Necessarium fuisse inspectionem ædificiorum & loci de quibus apud me actum est re ipsa manifestatur. Cum igitur ædificia solo puro posita deprehenderim, neque vllo sepulchrō

superposita vel coniuncta, apparet venditionem eorum iure factam, ideoque ad Ælium Rufinum militem ex causa emptionis pertinere videntur. Ossuarium in *l. 2. D. de sep. viol.* à Græcis σορός. Sic Castellano in Prouincia veteri inscriptione, *Iulia Fuscinia ossuarium viua sibi fecit.* Arbiterium scribitur sæpe in P. Flor. tit. de recep, licet veteres grammatici contendant arbitrium esse dicendum non arbiterium, & sic in inscriptione Romana, *Marcus Larcius L. F. Pomptina arbiterio Larciæ Fortunatæ vxoris.* In alia inscriptione dicitur Traianus commoda tribuum etiam locorum adiectione amplificasse, quod proprie pertinere ad *l. patronus, D. de leg.* 3. docui *lib. VII.* & de illa locorum adiectione Plinius *in Panegyrico, Populo*, inquit, *locorum quinque milia adiecisti.* Intelligit autem Circi loca. Principales liberalitates in *d. l. patronus*, congiaria interpretor vel auctoribus glossis antiquis, quæ congiarium scribunt in legibus liberalitatem appellari, his verbis, Congiarium ἐπιδοσις ἐπι τῆς νόμων δωρεᾶ.

CAP. XXXVIII.

Explicatur l. XI. de leg. 1.

IAm prædixeram *lib. V. cap. XVI.* fore vt etiamsi indicassem ex iure antiquo explicandam esse postremam partem *l. XI. D. de leg.* 1. quæ multorum vsque adhuc ingenia exercuit, vix eam tamen liquido nobis ex eo iure aliquis enodaret. Constituenda est differentia inter legatum & hereditatem. Si filiof. herede instituto, pater quod ex ea hereditate ad se peruenerit post mortem suam extraneo restituere rogetur, & extraneus moriatur viuo patre, atque adeo pendente condicione fideicommissi, fideicommissum quasi caducum redigitur in fiscum: sed si filio herede scripto, rogetur pater eidem filio quod ad se ex ea hereditate peruenerit restituere post mortem suam, & filius viuo patre moriatur, fideicommissum remanet apud patrem, non in fiscum cadit. Ratio differentiæ, Quia filio pater fideicommissum vt pater debet, non vt heres, extraneo vt heres, & onus caduci irrogatur soli heredi. Quod non ita constitui in legato potest. Nam legato relicto filiofamilias, siue eidem filio siue extraneo rogetur pater restituere post mortem suam quod ex eo legato ad se peruenerit, & præmoriatur filius vel extraneus, omnimodo fideicommissum pater retinebit, fisco excluso, eadem ratione, quia onus caduci irrogatur soli heredi scripto & fideicommissum tale certe non debet pater vt heres. Filio enim vt pater debet, extraneo vt legatarius. Et hoc verissimum esse ita probo: Legatarius à quo fideicommissum relictum est, fideicommisso deficiente post mortem testatoris, heredi scripto præfertur, *l. pater §. fidei, D. de leg. 3. l. Iulianus, D. de leg. 2.* Si heredi scripto, & fisco. Nam lege Papia ea tantum vindicat fiscus quæ apud heredem remansura erant. Pater pro legatario est. Fideicommissum igitur ab eo relictum, si defecerit, apud eum remanere debet, non vel ad heredem scriptum redire, si ius antiquum habuerit, vel ad fiscum, si heres ius antiquum non habuerit: & excipiendus tantum est vnus casus, si legatarium testator vt ministrum & dispensatorem elegerit, *l. 17. D. de leg. 2.* Porrò hic filiumfam. cui legatum dedit testator, non elegit vt ministrum. Ergo nec pater eius pro ministro est. & consequenter mortuo fideicommissario, fideicommissum commodo patris cedit, non heredis scripti, non fisci, siue id, vt dixi, relictum filio eidemque legatario fuerit, siue extraneo. Falluntur igitur qui patrem comparant ministro, atque etiam ij qui in *d. l. Iulianus*, extraneo non filio herede instituto, fideicommissum fore caducum aiunt. Legatarius enim fisco anteponitur, vt dixi, & lex Papia heredem scriptum onerat, non legatarium. Igitur etiamsi ab extraneo herede Seio legatum sit fideique eius commissum sub condicione vt Titio daret, & Titius pendente condicione decesserit, fideicommissum deficiens, apud Seium remanebit, non ad fiscum pertinebit. Quod enim negatur heredi scripto habenti ius antiquum, puta filio aut patri, consequenter herede scripto non habente ius antiquum, negari fisco debet. Falluntur & qui ius antiquum quod lex Papia conseruat liberis & parentibus testatoris heredibus scriptis, veluti iusta interpretatione conseruant etiam parentibus alienis, vt hac ratione quod ab eis filiis suis fideicommissum relictum est, si forte defecerit, caducum non fiat. Quid enim dicemus, si me extraneus heredem fecerit, & à me filio meo post mortem meam fideicommissum reliquerit, & me viuo filius moriatur? an fisco locum non fore? An præferri extraneum heredem fisco? minime vero. Et in legati filio relictis, quod damus patri vt deficiens fideicommissum ab eo filio relictum, caducum non fiat, idem ei dabimus ab eodem fideicommisso extraneo relicto: & hereditate tantum filio data, vt initio posui, distinguemus vtrum eam filio pater post mortem suam restituere rogetur an extraneo. Præmoriente enim extraneo, caducam fieri, præmoriente filio, non item. Et quod ait *l. XI.* Omnimodo hoc est, non legatum tantum patrem retenturum, sed etiam, quod erat difficilius, hereditatem. Basilica pro Omnimodo, habent τὸ πᾶν. Difficilius erat in hereditate. quoniam non idem dicemus si pater extraneo rogatus fuerit restituere hereditatem. In legato autem hac distinctione non vtimur.

CAP. XXXIX.

Explicatur l. cùm pater §. à filia, D. de leg. 2. & l. generali §. 1. D. de vsufr. leg.

FIliam rogauit testator vt cui vellet ex liberis prædia cum moreretur restitueret. Viua vni ex eis prædia donauit. Donatio hæc destinatio est, non electio, quia electio collata est in tempus mortis filiæ his verbis, Cum moreretur. Igitur omne spatium vitæ liberum est filiæ ad eligendum vsque ad mortem, & quandiu mutari voluntas potest, electio pro destinatione est, non pro electione certa. Dies fideicommissi est incertus: & quæ igitur ante eum diem electio fit, est incerta, ac reuocari potest, *l. 67. D. de leg. 2.* Et hæc est sententia, *l. cum pater §. à filia, D. eod.* in quo particula *Nam* superioris dicti discretiua est, & veluti ἀποφατικὸς, hoc sensu, Destinari quidem posse per donationem vnum ex his qui inter cæteros fideicommissum habiturus est non eligente matre: qui sane præferetur cæteris, si mater in ea voluntate perseuerauerit vsque ad mortem, & si matri superstes fuerit. Nam si viua matre moriatur, cæteri qui matri supererunt omnes ad fideicommissum admittentur, vel si mutauerit voluntatem mater, inanis erit donatio. Destinatio igitur potius est quam donatio vel electio certa. Accepi virum doctissimum legere, *Nam in eum destinatio dirigi potest qui fideicommissum inter cæteros habiturus non est*, addita scilicet negatione, & hoc sensu, Donationem matris pro fideicommissi restitutione habendam, non esse quod potuerit destinari is qui die fideicommissi cedente, forsitan fideicommissi capax futurus non sit. Quem sensum non admittunt hæc verba, *Remota matris electione.* Nam eadem ratio interuenit facta electione, id est, siue non elegerit mater siue elegerit, non veniet inter cæteros qui die fideicommissi cedente, fideicommissi capax non est. Illis verbis destinationem separat Papinianus ab electione donationis certę, & hanc docet non recte

fieri

fieri ante mortem, illam recte fieri ante mortem, dummodo is qui deſtinatur, ſit ex numero eorum qui nulla facta electione, ſimul ad fideicommiſſum inuitantur. Difficilior eſt Claudij ad Scæuolam nota in *l. generali* §. *1. D. de vſufr. leg.* huiuſmodi, Non credidit ipſum vſumfructum in vicem portionum hereditariarũ, &c. quam pro reprehenſione accipit Accurſius, alii certè rectius pro interpretatione mentis Scæuolę, ac proinde: Non credidit, inquit Claudius, id eſt Scæuola non credidit, vt in *l. Lucius* §. *filiam*, *D. ad Treb.* Et alias de eodem facto conſultus ita reſpondit, Scæuola ſcilicet. Sed qua ratione interpretetur Claudius Scæuolam, nondum ſatis liquet. Docuerat Scæuola eodem libro ſub vſusfructus nomine proprietatem legatam videri in ea ſpecie quæ proponitur *l. 15. D. de au. & arg. leg.* Vnde quæri poterat an etiam in ſpecie *l. generali* §. 1. cum mulier vſumfructum bonorum ſuorum matri ſuæ legatum, poſt mortem eius ad liberos ſuos pertinere voluit, vel ad eum qui ex his viueret, videretur vſumfructum eis vice proprietatis dediſſe, vt quemadmodum cauit vſumfructum ad eum pertinere qui ex liberis ſuperuiueret, voluerit etiam ad eum omnium bonorum proprietatem redire. Et Claudius noluiſſe hoc defunctum, vel ex eo apparere docet, quod liberos æquis partibus heredes ſcripſerit, atque ita proprietatem inter eos ex æquo diuiſerit, non etiam voluerit ſolidam ad eum eamve redire qui ex his ſuperuiueret. Igitur recte reſpondiſſe Scæuolam, mortua fructuaria, vſumfructum non ad ſolam filiam redire, quæ ſola ex liberis ſupereſt, ſed etiam ad alios proprietarios, nempe ad heredes aliorum filiorum, qui viua fructuaria poſt aditam matris hereditatem deceſſerunt. Nam vt cedi vſusfructus non poteſt niſi proprietati, *l. ſi vſusfructus*, *D. de in. dot.* & conſequenter nec cedi vni tantum ex dominis proprietatis, nec niſi proprietari vniuerſæ, ita non poteſt non conſolidari proprietati vniuerſæ, & qui ſecus cauet, nihil agit. Peritiſſimè ergo reſpondit Scæuola, ad eos redire vſumfructum apud quos proprietas eſſet pro portionibus hereditariis, non ad filiam ſolam, quia non credidit ad eam ſolam proprietatem bonorum pertinere, & ex datione vſusfructus, portionum hereditariarum, id eſt, proprietatis formam conſtituendam non eſſe, quæ conſtituta fuerat iam ſemel initio adſcriptis partibus æquis. Aliter & rectius hoc explicatur, *lib. xxiij. c. viij.*

A rum poſt aditam hereditatem deceſſit, mox alter repudiauit: & reſpondet Papinianus, ſuperſtites ſolos qui adierunt in portionem repudiantis venire substitutionis iure, non etiam heredem defuncti coheredis, quia ſinguli inuicem ſubſtituti ſunt, & omnes, & inomnem cauſam. id eſt quacunque ex causa vacaret portio cuius eorum, & ij tantum qui heredes extiterunt directo, non per ſucceſſionem. Nihil igitur abradere eis poteſt defuncti coheredis heres. Et hanc communem interpretationem ad Papiniani reſponſum facile recipio; tum quod omnino perſimile Pauli reſponſum legam in *l. Lucius* §. *vlt. eod. tit.* tum etiam quod ita potius interpretari Papiniani reſponſum, vt non adita hereditate defuncto vno ex heredibus, ceteris in ſubſtitutione alter qui repudiauit partem non faciat, admirari poſſim magis vt acutum, quam non reſpuere vt nimis acutum. nam etiamſi veriſſimum id ſit, tamen verbis Papiniani non congruit. Opponit enim ſuperſtites defuncto. Controuerſiam igitur ponit fuiſſe inter ſuperſtites & eum qui ex perſona defuncti veniebat in partem ſubſtitutionis, ſuperſtitibus ſibi totum vindicantibus, vt in *l. 10. eod.* At illi opponunt ſuperſtites ei qui repudiauit, cum tamen & hic ſuperſtes ſit. Et etiamſi concedamus controuerſiam eſſe inter eum qui repudiauit & ceteros qui adierunt, cur ponemus controuerſiam eam eſſe potius de portione eius qui deceſſit non adita hereditate, quam de portione viuentis, qui vel omiſerit hereditatem vel repudiauerit? Eodem titulo *l. coheredi* §. *vlt.* quod vitium ſubeſſe videbatur ſubſtitutioni pupillari, corrigitur interpretatione. Vitium ſubeſſe videbatur his verbis, *In locum partemve eius*, non quod eis ſubſtituere videretur pater tantum pupilli bonis, hoc quæſo ne dixeris, ſed è conuerſo potius quod ſuis bonis tantum, non etiam pupilli. Nam verba ea ſunt ſubſtitutionis vulgaris non pupillaris, *l. cum quis* §. *Seiam*, *D. de leg. 3. l. vlt. C. de her. inſt.* Videtur ergo his verbis, *In locum partemve eius*, ſibi potius quam filio teſtamentum feciſſe pater. Sed non ideo minus tamen ratum eſt teſtamentum pupillare, cum etiamſi ita dixerit pater, *Tunc mihi Titius heres eſto*, quæ tamen verba euidentius vulgarem ſubſtitutionem exprimere videntur, conſtet ratam eſſe ſubſtitutionem pupillarem, *l. 1. eod. tit. l. ſi ita ſcriptum* §. *qui filio*, *D. de bon. poſ. ſec. tabul.* vt non male M. Tullius, *2. de inuent.* ſubſtitutionis pupillaris formulam expoſuerit in hunc modum, *Si filius ante moriatur quam in tutelam ſuam venerit, tu mihi heres eſto.* nam etſi pupillo heres exiſtat ſubſtitutus non patri, perinde tamen habetur maxime in ratione legis Falcidiæ atque ſi patris heres extitiſſet, *l. 11.* §. *ſi filio*, *l. qui fundum* §. *vlt. Ad leg. Falc.* Ergo tam his quam illis verbis, licet ſubſtituto bona patris ſola deferantur, tamen occupabit etiam pupilli bona, cum ſubſtitutionis condicio extiterit, exemplo heredis inſtituti ex re certa, coherede non dato, qui tamen bona omnia vindicare poteſt cauſa teſtati ad ſe trahente cauſam inteſtati.

Cap. XL.

Explicatur ex tit. De vulg. & pup. ſubſt. l. qui plures heredes, l. coheredi §. *vlt.*

IN ſpecie *l. qui plures heredes*, D. *de vulg. & pup. ſubſt.* plures extranei heredes inſtituti & inuicem omnes ſubſtituti ſunt, quæ ſubſtitutio vulgaris eſt, & vnus eo-

IACOBI CVIACII OBSERVATIONVM LIBER XI.

CAPVT PRIMVM.

Defenditur scriptura Pand. Flor. quibusdam locis.

GOVEANVS in *l.* 4. §. 1. *D. off. proc.* legendum putat, Stratores seruos, non Stratores suos: cuius opinioni facile credunt nonnulli, ego non possum adsentiri. Video enim loco illo Suos, id est, proprios & domesticos opponi militibus, qui exteri potius quam sui sunt proconsulibus, & Suorum nomine scio intelligi satis etiam seruos, sicut in *l.* 11. *D. loc.* Suis, quo nomine ibi etiam serui significantur, opponuntur hospites, Quod tales, inquit, habuerit vel suos vel hospites Vbi quidam etiam temere emendarunt, Seruos. Sed Flor. recte. Suos, vt Basilica confirmant, in quibus ita est, Ο' μισθωτὸς πρὸ ἐμέλειαν τῶν ἰδίων καὶ τῶν ξενῶν ἐπιμανώσῃ. In *l.* 2. §. *si dubitetur*, *D. quemadm. testa. aper.* in præterito tempore scriptum est, Si liquerit, vt pluit & luit Varro *lib.* VIII. scribit Latinos vsurpasse in præterito ita vtu producerent, quod in præsenti corripitur. In *l.* 9. D. *ad leg. Cor. de fal.* nummos stagneos habent Pand. Florentinæ, item vt Plautus apud Festum. *Muriaticam autem video in vasis stagneis.* & Glossæ veterum *stagnea*, κασσιτερινὰ, *Stagneum*, κασσίτερον. Scribonius Largus, *Pyxide stagnea*, *vase stagneo.* & Prisc. medicus 2. *Plumbeus*, *stagneus.*

CAP. II.

Puteal, Salientes. Siluani Aqua & igni accipere.

FVndi vel ædium esse Vlpianus ait puteal & salientes. Puteal autem recte Pomponius interpretatur esse putei operculum, *l.* 13. §. *vlt. l.* 14. 15. *D. act. emp.* quod glossæ, φρεισόμιον. Id interim etiam sigillis veteres exornare solebant, vt ille Ciceronis locus indicat, Tibi mando putealia sigillata duo. Salientes Accursius male aquas, cum lapides potius sint, siue personæ ex quibus aquæ saliunt, Basilicis αὐάβρυτοι, veteribus Siluani: vt non male qui glossemata interptetati dixerint Siluanum, κρουνόν. In Festo forte corrupte legitur, Tullios alii dixerunt esse silanos: & siluanos scribendum. Itemque Cornelij Celsi *lib.* iij. Confert etiam aliquid ad somnum siluanus iuxta cadens. Et Lucretij. *vi. Corpora siluanos ad aquarum strata iacebant*, & in fabulis Hygini. *Tres silani sunt secuti, qui Anniensonius fons appellatus est.* Igitur *l.* 17. §. *castella*, *eod. tit.* personas ex quarum rostris aqua salire solet, id est Siluanos aut Tullios. Quod est scriptum, in *l. pen. D. de don. inter vir. & vxor. Priusquam vxor aqua & igni acciperetur*, recte est scriptum. Sic Nouius apud Nonium, *Sequere me, puriter volo faciam, igni atque aqua volo hanc accipere.* Sic Varro apud Seruium, *Mariti aqua & igni vxores accipiebant.* Et Ouidius, *Quos fecit iustos ignis & vnda viros.* Et eodem respicit versus ille Valerij Flacci *viij. ignem vndamque ingalem Pratulit.* Accipere autem & ducere vxorem idem est, vt Seruius, *libro De dotibus* declarat. Promittit se daturum pater in sponsalibus contrahendis, se accepturum ducturumve sponsus.

CAP. III.

Omnes seruitutes prædiorum perpetuas causas habere Aqua ingis & viua. Muries.

LEX *Fortamen, de ser. vrb. prad.* docet, omnium seruitutum causam perpetuam esse debere: & perpetuam esse non continuam, assiduam sine intermissione, sed naturalem, Quod naturaliter fit, videri etiam esse perpetuum, tametsi non fiat assidue, vel teste Aristotele 1. *De demonst. cap. vij.* propterea quod naturæ causa certa & perpetua est: atq; ita aquam pluuiam causam esse perpetuam seruitutis stillicidii vel fluminis immittendi, etiamsi non pluat assidue, quod pendeat ex natura res hæc ita semper vt pluere possit, vtq; non pluere non possit. Ea quæ manu nostra fiunt non videri perpetuo fieri, quod eorum lex neq; certa sit neq; perpetua; ideoq; vt ex imo pariete conclauis mei mihi liceat proluuiem pauimenti per foramen in ædes vicini immittere, licet ius quidem hoc personæ concedi possit, prædio tamen hæc seruitus imponi vel adquiri non potest. quia eius causa constans & naturalis non est. Eademque ratione aquæ ductus constitui ex stagno non potest, quod sit hæc aqua statiua & collectitia, non naturalis: mortua, non viua. Vlpianus, *Stagnum* (inquit) *est quod temporalem continet aquam ibidem stagnantem, quæ quidem aqua plerunque hyeme cogitur*, id est, ex imbribus. Seneca, *In plano continetur & stagnat*: cogitur, non fluit. Colligitur ex imbribus, ex suo fonte natiua est. Synesius: ὕδατος ἀλυκοῦ καὶ χλιαροῦ, καὶ τὸ ὅλον ἰσῶπος ὀπωπὸν εἰπεῖν, καὶ τεχροῦ. Sed & ex lacu adiicitur aquæductum concedi non posse, lama puta vel lacuna quæ viuam aquam non habeat. Nam ex lacu viuo & perpetuo cur non possit? vt ius nauigandi, *l. via* §. 1. *D. de ser. rust.* quod itineris definitioni addendum est, idque *l.* j. §. *caput*, *D. de aqua quot. & est.* probat & recte in *l.* j. De fonte, ex lacu, piscina, puteo, aquæ haustum concedi non posse, si aquam viuam non habeant. Nam si habeat puteus aquam viuam, non minus ex eo quam ex fonte aquæ haustus concederur, *l.* j. §. *loquitur*, *D. de aqua quot. & est.* Nam & fons est manalis auguribus. Idem ergo in lacu & in piscina. Ex cisterna certe non idem. quia aquam viuam cisterna nunquam habet. Sed neque ex puteo aquæductus vt constituatur, natura patitur, licet perennem & viuam aquam habeat, quia ita submersa est, vt defluere extra terram vsui esse non possit, *d.* §. *loquitur.* & hoc distat fons à puteo. Fons est in summo: puteus in imo. Plinius in *epist. Puteos ac potius fontes habet. sunt enim in summo.* Ex fonte aquæ ductus vel aquæhaustus constitui potest. Ex puteo aquæ haustus, non aquæductus,

nec omnis habet aquam viuam. omnis fons habet. Et qui puteus aquam viuam habet, eleganter iugis puteus à Cicerone, quia & aqua iugis, quam continet, Iugis autem quæ perennis, viua, natura is est. Opponitur à Salustio pluuiæ in *Iugurthino*. Seneca *iij. Nat. Quæst. Non cælestem esse nec collecticium humorem, sed quod dici solet viuam aquam*, & dicitur viua eodem sensu quo Virgilio viuum saxum, viuum flumen, viuus lacus, & viua terra, id est naturalis. Hac vero aqua sola vsos veteres in sacrificiis quidam putant, qui refelluntur à Festo, dum muries definitur ea esse quæ fit ex sale sordido in pila pinsato & in ollam fictilem coniecto, & cætera, cui virgines Vestales aquam iugem vel quamlibet, præterquam quæ per fistulas venit, addant. Ex quo loco emendandus est alter Varronis apud Nonium Marcellum, hoc sane modo: *Commentaria*, inquit Varro, *veteris Fabij Pictoris legi, Muries fit ex sale, quod sal sordidum tunsum & in ollam rudem fictilem coniectum est.*

Cap. IV.

Ad l. si dictum, D. de euict.

IN *l. si dictum, D. de euict.* sic scribendum esse censeo *Si dictum fuerit in vendendo vt dupla promittatur, non simpla*: quia sequitur, *vel triplum aut quadruplum*, idemque ordo est in *l. si procurator, D. de iur. fis.* & quia subiicit, *Non tamen qui duplum promittit*, Item quia etiam si dictum non sit vt simpla promittatur præstetur-ve, ex empto est actio in simplam, & in id quod interest, *l. si in venditione, D. de euict.* Contra non est actio ex empto in duplam, vel triplum aut quadruplum, nisi id dictum vel actum sit vt dupla aut tripla præstetur. Actum pro dicto accipitur, & vt fiat quod dictum actumve est, esse actionem ait l. si dictum ex empto perpetuam, ad differentiam actionis, Quod aduersus dictum promissumve sit, quæ temporalis est. Sequitur vulgus opinari fideiussorem dare debere eum qui duplam promittit, *l. 4. eodem tit.* quæri an debeat dare is qui mancipium vendidit, quod & generaliter de eo magis quæsitum arbitror qui mancipio dedit quam qui tradit. Vix enim vulgo persuaderi poterat vt non hic auctorem secundum daret, qui & in plus obligari solet quam is qui mancipio non promittit, nisi aliud conuenerit qua de causa in *l. Mancipiorũ* à venditorib. conueniri solebat, Varrone auctore *v. De ling. Lat. Vades ne darent, nec poscerentur.* At superuacua hæc lex hodie est. Namq; obtinuit nudam repromissionem sufficere, nisi aliud conuenerit *d. l. 4. & l. si dictum, l. emptori eod. tit. l. prædia, D. de cont. empt. l. 1. §. stipulatio, D. de præto. stipul.* atque ideo in *l. 2. D. de her. vend.* Satisdare est Repromittere, Vadem dare. Satisdatio olim desiderabatur, vt dixi, eaque secundum mancipium satisdatio appellabatur, vt in antiquissimo libro notarum iuris, has S. S. M. sic expositas inueni, Satis secundum mancipium. Cicero *v. ad Att. Sunt aliquot satisdationes secundum mancipium prædiorum.*

Cap. V.

Fœciales. Fratres aruales.

QVod Pomponius ait *l. vlt. D. de legation.* eum qui legatum hostium pulsasset, contra ius gentium facere, quod sancti habeãtur legati, ei & innumeri alij auctores testimonio sunt, adeo vt in prouerbium illud abiisse veteres interpretes Homeri narrent, φέρτα ἕους ἐ πύπτεται ἐδὲ ὑβρίζεται. Æmilius Probus *in Pelop. Legationis*, inquit, *iure satis tutum se arbitrabatur, quod apud gentes sanctum esse consuesset.* Vbi hodie legitur male, *Factum*. Est autem hoc ius par & æquabile. Nam & vice versa, contra ius gentium facit legatus, qui in legatione arma capit aduersus eos ad quos missus est, vt tres Fabii fecere ad Gallos missi, & ea re (vt Liuius & Plinius scribunt) ius gentium violauere, dictaque dies Q. Fabio à Tribuno plebis. Porro his de rebus sacerdotes fœciales iudices fuisse auctor est Varro, *li. 3. De vita pop. Romani.* Nec mirum, cum sancta sint, vt diximus corpora legatorum. Nam & eadem ratione opinor fratres aruales cognouisse de finibus & terminis motis, vt vetus hæc Glossa demonstrat, à me primum indicata nescio cui indignissimo, *Aruales sodales, οἱ περὶ ὅρον διαμιῶσοντες δικασταί*, quod sancti quoque haberentur & inuiolati termini. Iuuenalis,

Improbus aut campum mihi si vicinus ademit,
Aut sacrum effodit media de limite saxum
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo.

Seneca *in Hippolyto, nullus in campo sacer diuisit agros arbiter populis lapis.*

Cap. VI.

Stamen. Subtemen. Penucla. Imberbi.

LAnæ appellatione Sabinus putat stamen & subtemen contineri, *l. si cui lana §. 1. D. de leg. 3.* Paulus *in Sententiis* contra. Vnus stamen & subtemen accipit pro filo staminis vel subteminis causa parato: quod certe, si lana legetur, legato continebatur. Alter propriè pro eo quod iam est in tela contextum, quod non continebitur: lanę enim finis est quoad vsque ad telam peruenerit. Sed & hoc vestimentorum legato non continebitur, vt est proditum, *l. vestimentum, D. de aur. & arg. leg.* cum nequedum plane tela sit. Vtroque loco Flor. habent subtemen, recte, non subtegmen. Id enim est subtemen quod subest stamini. Vet. interpres Terentii, Subtemen dictum ab eo quod subeat stamen. & Glossæ, *Subtemen. κρόκη ῥαδιυή*: & Lucius *apud Nonium*, vt in manuscriptis legi, *Fori subteminis pannus est.* Vbi panum significare Nonius declarat inuolucrum tramæ, eundemque per deminutionem vocari panuclam. Sic enim & idem scripti manu libri habent, non panulam: & Hesychius etiam ipse panuclam siue panuclum, non pauellium, dicere voluit cum ita scripsit, Πηνίον πωοῦχλον, ἢ ἄβακτος εἰς ὃν εἱλεῖται ἡ κρόκη. Hæc cum scriberem, alius mihi occurrit voluenti librum Nonii, locus valde deprauatus, quem hic liber facile recipiet. cuius maiorem partem dedicaui liberalibus, quæ nulli tenuere melius olim quam Mutius, Brutus, Labeo, tenent etiã nulli mel ius hodie quã qui eadem qua illi iuris arte præditi sunt. Duorum Nonius illo loco testimonia dat dicentium imberbos pro imberbes, non contra (quod etiam probatione nulla indigebat) dicentium imberbes pro imberbos, aut imberbem pro imberbum. Et *Imberbi*, inquit, *pro imberbes.* Lucilius *lib. xxx. Imberbi androgyni, barbati mœchocinædi.* Varro *ep. ad Fabium, Quod facie Statiorum similes sunt, quod maximi sunt idemque imberbi.* Quod testimonio Lucilij hodie præmittitur, *Maximus si argenti*, obrepsit ex sequenti glossemate Nonii de verbo Sexcentum. Verum vt eo vnde cœpi & finiam, quod in *d. l. si cui lana §. vlt.* scriptum est, purpuræ appellatione etiam subtemen factum contineri; id esse subtemen factum arbitror, quod Paulus negabat contineri lanæ appellatione, id est subteminis panum, nondum tamen contextum vel detextum.

Cap. VII.

Ad l. Seiæ, D. de au. & arg. leg.

MAle vulgo colligunt interpretes ex *l. Seiæ, D. de aur. & arg. leg.* eum cui testator optionem legauit poculi aurei, si nullum sit in hereditate poculum aureum, sint ærea vel argentea, ex his vnum eligere posse. Nam neque hoc æquitas patitur, vt cui certę qualitatis res legata est, præstetur longe diuersæ. Aliud enim pro alio præstaretur. neque *l. Seiæ*, ita ponit non esse in hereditate pocula aurea, sed non esse nisi trullas, modiolos, scyphos, phialas, quæ vasa possint tamen esse aurea. Et sane dubitatio potius ex eo pendere videtur, quod trullis, modiolis, scyphis, phialis non biberetur vinum, atque adeo procula non viderentur esse. Trullis, inquam, non sumi vinum, sed fundi in pocula, indicio est manubrium longum & cauum, quod fundendo vino accommodum est potius quam bibendo. Varro, *Trullei manubrium esse solidum, trullæ cauum.* Sed quin eis etiam ad bibendum abuterentur, non inficior: verum hic improprius vsus fuit, non proprius. eademq; ratio pateræ, quam Paulus *III. Sentent.* ponit in argento potorio ad speciem poculorum comparato, quanquam ea libarent vinum Diis veteres proprie, non biberent. Cæterum trullas, quas & bacriones dixere, fundendo vino esse, argumento etiam est, *l. tabernæ, D. de instr. vel instr. leg.* dum in caupona illas ait circa cœnam solere traiici. Idemque de modiolis & cyathis vt existimem, nomine ipso admoneor, eis admensum vinum scilicet in pocula fundi. Scyphis autem & phialis, licet poculorum specié haberent, raro etiam vtebãtur ad bibendum, quod essent capacia nimis & magna vasa, quibus paribus plerunque delphicæ ornarentur & abaci, quã sumeretur vinum, & scyphi ansati, *l. tigni* §. 1. *D. ad exhib.* Quia igitur his vasis non sumitur proprie vinum, dubitabatur an optione legata poculi aurei, & nullo inuento poculo in bonis, de his speciebus eligere legatarius posset. Et respondetur posse, quod pocula dicantur, non tantum vnde potatur, sed etiam omnia potui parata. Possunt etiam his speciebus adiici vrceoli, vt quemadmodum in argento habentur potorio, *l. in argento: D. de au. & arg. leg.* habeantur & in poculis, quanquam eis etiam non sumatur, sed fundatur vinum vel aqua. Separat à poculo Varro his verbis, *Capides, quod est poculi genus: & armillum, quod est vrceoli genus vinarij.* Male autem Alciatus in *d. l. tabernæ*, pro cœnam, ahenum, & falso Varronem deducere trullam à traiiciendo: male etiam vulgo interpretes, quod falso, vt docui, colligunt ex *d. l. Seiæ*, confirmant ex *l. si cui, D. de leg. 1. & l. vlt. D. de trit. vino & oleo leg.* quæ de accessionibus loquuntur vt de peculio & vase, quorum vnum serui, alterum vini accessio est, quæ tametsi in hereditate non sit, debetur tamen res principalis quæ legata est Lex Seiæ loquitur de qualitate & substantia certa. Idem male confirmant ex *l. pediculis* §. *quidam eod. tit.* quæ de genere vsus est, argento puta escario legato, an & id argentum debeatur quod fuit in promiscuo vsu, id est quo paterfamilias, & potabat & edebat, veluti calix argenteus. Nam & hoc (auctore Varrone) calida puls apponebatur & calidum bibebatur: vbi verbum, Apponebatur, emendantem, calida plus, vt auscultemus non partitur. Potasse autem calidam veteres testimonio est quod de differentia cacabi & aheni proditum est in *l. cum de lanionis, D. de instr. vel instr. leg.* Hoc aquam ad potandum calefieri, illo, id est, cacabo pulmentarium coqui, Varro de cacabo, *illo cibum coqui.* Pulmentarium igitur & cibus idem, bubula puta, vel suilla, vel caseus, quod veteribus Glossis ὀψοφάγιον, vt non male vetus interpres Euangelij, ὀψοφάγιον, *pulmentarium*: qui etiam non fallitur in A conspersionis verbo, quo & Tertullianus vtitur, & farinam conspersam eodem sensu Cælius Aurelianus & Festus Pompeius. Possim innumeris aliis exemplis probare nouandum temere nobis eum interpretem non esse. Sed aberraui iam nimis ab eo quod initio proposueram: nec forsitan tam aberrato, si, quod videar hoc capite veluti censum poculorum agere, obbam vel obquã non omisero, proculi genus, quæ apud Nonium Varronis quodam testimonio in bouam, miserè trãsiit. Locus restituendus est in hunc modum, *Æs defraudasse cauponem, obnam luto oppleuisse, cùm portitores eam induxere.* Et veteres quidem Glossæ, obuam interpretantur esse vas quo libaretur mortuis, his verbis. *Obua* ἄμβιξ ἐν ᾧ τοῖς νέκροις ἀπένδοσαν vt recte Tertullianus *in Apologetico* mortuis parari scripserit silicernium, obB bam, pollinctorem. Idem Nonius alio loco obbam vas esse ligneum scribit.

Cap. VIII.

Fullo. Mensor frumentarius. Latigare.

VLpianus, *l. 2. D. de condic. sine cau. Si fullo*, inquit. *vestimenta lauanda conduxerit.* Lauantur creta, quo ordine quoque modo, præscripsit lex Metella fullonibus dicta. Nam & hæc res maioribus curæ fuit, autore Plinio *libro xxxv.* Titinnius Fullonibus bellè fullonum officium depingens verbis, quæ vtique incC corrupta hodie in Nonio non leguntur, *Terra*, inquit, *hæc est non aqua, vbi tu solitus argutari pedibus, cretam dum compensis vestimentaque lauas.* Paulus in *leg. mensores, D. de excusat.* scribit, mensores frumentarios excusari à tutela, idque præfecto annonæ Imperatores rescripsisse. Quia præfecto annonæ, inde colligi potest eam immunitatem datam mensoribus frumentariis in vrbe tantum, non in prouincii s: quod verum esse confirmat, *l. in honoribus* §, *j. D. de vac. mun.* Hi sunt qui annonam publicam admetiuntur. In *l. j. C. de cond. in pub. hor. Mensor*, inquit, *qui frumenta modio metiatur.* Lucilius *apud Nonium, Frumentarius est, modium hic secum acrutellum vnum habet.* Vlpianus *in l. eum qui. D. de reb. auct. iud. poss.* eum qui circa columnas se occultat, latitare ait, quod expositi *Obser. 1. cap. 13.* Id veD ro Vlpianus probat hoc modo, *Nam & eum qui recidit, hoc est vt subterfugit, ne secum aliqua actio moueatur, latitare placet.* Plus est occultare se circa columnas, quam recedere & subterfugere, id est tergiuersatione & solertia quadam efficere ne secum agi possit. Si tamen hic pro latitante habetur, qui subterfugit, & ille igitur qui occultat se post columnas vel statuas, de quo ita Basilius *in Psal. xlv.* Ὁ δανισάμενος τὸ χρυσᾶ καὶ ζωπυρίας ὑποφεύγει πρὸς κίονας καὶ τοίχους, ἐποκιάζων τῷ κεφαλῷ. Et Lucianus *Lapithis*, Πρός κίονα τινα, ἢ πρὸς ἀνδριάντα ἥδεως ἂν προσελθών. Sequitur, Tam & qui vrbe profugit, vtique fraudandi causa. Quorum verborum hic est sensus, tam esse in latitantium numero eum qui frustratur & subterfugit, quam eum qui vrbe profugit fraudationis causa. *Nec enim interesse* (vt mox subiicit E idem Vlpianus) *vtrum quis profugerit, an vero Romæ agens copiam sui non faciat.* Subterfugit qui eodem loco manet: profugit qui proficiscitur peregre, Et recte vtitur Profugerit verbo, quandoquidem si reus forte debitor abierit, non temere dicam eum latitare. Honestus enim secessus, vel honesta latitatio hæc est. Afranius *Diuortio.* Qui coneris noctu clanculum reus ire, dotem ne repromittas vafer, honeste vt latites, & nos eludas diutius. Qui locus hodie in Nonio est fœdissime deprauatus, vt & complures alij. Nam laborat mendis hodie is auctor non minus certe quam ante.

Cap. IX.

Purgare ſumptus vel rationes. Multam iudicare. Cicero emendatus.

PApinianus in *l. liberto, §. qui aliena, D. de neg. geſt.* Qui aliena, inquit, negotia gerit, vſuras præſtare cogitur, eius ſcilicet pecuniæ, quæ purgatis neceſſariis ſumptibus ſupereſt. Purgatis, putatis interpretor. Nam & eodē ſenſu purgata ratiocinia, id eſt putata legimus *l. pen. in fi. C. de bo. proſ.* Suetonius *in Caligula.* Decimo quoque die numerum puniendorum ex cuſtodia ſubſcribens, rationem ſe purgare dicebat. id Græce eſt ἐν καθάρσει λογισμόν. Multam iudicare ſunt qui nolint dici iidem qui nec purgare ſumptus admittebant in *d. l. liberto.* Sed & hoc perſpicue rectum eſt. Nam ei ſolum multæ dictio eſt qui iudicare poteſt cuive iudicatio data eſt. i. qui publice iudicium exercet *l. 2. §. vlt. D. de in. l. aliud eſt, §. vlt. D. de verb. ſig.* & ità *lege Sillana de ponderibus. Eum quis volet magiſtratus multare, tantum minore, patrisfamilias taxat liceto, Siue quis in ſacrum iudicare voluerit, liceto.* Iudicari enim multam minorem etiam in ſacrum poſſe ſignificat, id eſt vt ſacro applicetur non ærario. M. Tullius *in legibus Cum magiſtratus iudicaſſit irrogaſſitve, per populum multa, pœna certatio eſto.* Vbi irrogandi verbum ad pœnam, iudicandi ad multam refertur. Fuit autem olim minor multa, vnius ouis, hodie eſt aſſium decem ex lege Tarpeia & Ateria. Veterem pecudibus multandi morem attigit M. Tullius *libris De rep.* his verbis, *Multæque dictione ouium & boum.* ſic legendum, non Multa ditione. Emendabo & ex eiſdem fragmentis *librorum de rep.* alium locum. Sed audiſſe te credo, tum vero Platonem Socrate mortuo, primum in Ægyptum diſcendi cauſa, poſt in Italiam contendiſſe ſcribendum, Sed audiſſe te credo, Tubero, Platonem Socrate mortuo, &c. Et alium ex *lib. 6. Et vero in diſſenſione ciuili, cum boni plus quam multi valent, expendendos ab his non numerandos puto.* Scribendum, *Expendendos ciues non numerandos puto.*

Cap. X.

Adl. 12. §. vlt. D. de adil. edic.

TRebatius ait nō eſſe morboſum os alicui olere, véluti hircoſum, ſtrabonem. hoc enim ex illuuie oris accidere. Ex hoc loco apparet hircoſum dici non qui ab alis, ſed etiam qui ab ore hircum olet. quod cōfirmat Martialis 12. his verbis, *Hircoſo premit oſculo.* & Plautus *Mercatore, Iamplenus ætatis animaque fœtida ſenex hircoſus.* eſt enim eo in loco anima, oris odor. At quid eſt quod hircoſo Trebatius adiungit ſtrabonem? Hic enim oculorum, non oris vitio laborat. Itaque lego Scabronem: vt ſit qui dentes aut gingiuas alluuie ſcabras & ſpurcas habet. quod vitium eſt veteribus ſcabres & ſcapres, nouis ſcrabities. & hoc quoque forſitā in iis erat quæ de ſcabro Verij Feſtº ſe præteriſſe ait. Pacuuius *Teucro. Quæ deſiderio alumnum, pœnitudine, ſqnale, ſcapre atque inculta vaſtitudine.* Varro *Manio. Ager derelinqueretur ac periret ſquale, ſcabre atque illuuie & vaſtitudine.* Coniungit ſcabrem illuuiei, vt Trebatius, dum ait hircoſi & ſcabronis vitium ex illuuie oris accidere. Ex illuuie, non ingluuie, hoc eſt ventris, illud ſordium, vt Agrætius ait, vnum à gluttiendo, aliud à non lauando. Sed & Iuriſconſultum obſcœnitatis teterrimæ exemplo vſum, qualis Tiberio obiicitur, abſit vt opinemur. Rurſus nec hircoſum vt in lurcoſum mutemus, & ex voracitate ſola, oris grauem odorem gigni fateamur, quam etiam in leone Ariſtoteles non ex voracitate manare, ſed ἐκ πνεύματος, nec tertiam quoque immutationem ſtrabonis in rapōnis. Nam & rapo raptor eſt, non lurco: & ſi quod in lurcone vitium oris, hoc ex anima interiore, δύσπνοια non δύσοσμία. Eſſet igitur hac ratione lurco morboſus: quod conceſſis tot emendationibus Trebatius tamen negaret. Budæi ſane in hanc rem ſententia nulla eſt, vel ſane pro *Straboneſt* legendum *Graſonem.* Gloſſæ *hircoſum* interpretantur γράσωνα. Archigenes *apud Actium.* τὰς τοῦ σώματος δυσοσμίας καὶ τὰς καλουμένας γρασωνίας. inde apud Senecam pro *Paſſienus, Graßienus.* A lurcone vero ſi ad edonem, non longe abiero: & quoniam apud Nonium emendauero, non longe etiam à profeſſione mea receſſero. Notantur enim illo qui abſque crimine vexant annonam. Vexat dardanarius frequenti coemptione & ſuppreſſione, quod crimen extraordinarium eſt. Vexat etiam numero & turba populus; vexant edones, epulones, collegiorum cœnæ, ſed ſine crimine. *Edones* (inquit Varro) *Romani & turba incendant annonam*, & ita *liber 3. De re ruſt.* Idem, *Collegiorum cœnæ innumerabiles incendunt annonam.* quod paulo ante, *Excandefaciunt.* Quintilianus *declam. 12. Ad annonæ incendium frumentum ſuppreſſum eſt.* Etiam hoc adiiciam ad Pacuuij illum quem ſuperius attuli locum, quo ſcapres dicitur pro ſcabres, alium addere Nonium ex *Ennij Andromeda.* quem ſic reſtituo, *Scapreo inueſtita ſaxo atque oſtreis*, & quę ſequuntur deleo, *Quam excaperent:* pro quibus veteres libri, *Quam excrabrent*, deprauate & male repetita ex his Pacuuij, *Squale ſcapreat.*

Cap. XI.

Confirmantur ex Baſilicis emendationes & interpretationes quædam.

CReditorem pignus poſſidere Iauolenus ait *l. ſeruis, D. de vſur. & vſucap.* adeo vt adici poſſit & poſſeſſio debitoris. Vbi adici docuimus nihil aliud eſſe quam accedere. hoc Baſilica confirmant, in quibus ita eſt, ἀμέλει καὶ προσδίδεται ἡ νομὴ αὐτῷ. In *eodem titulo l. 31. §. pen.* verba ſic ſemper arbitratus ſum diſtinguenda eſſe. Si vi aut clam aut precario poſſeſſionem nactus quis, poſtea furere cœperit, & poſſeſſio & cauſa eadem durat. De hoc quod precario furioſus habet, quemadmodum interdicto quoque *Vti poßidetis*, furioſi nomine recte experimur, &c. hoc Baſilica conuerſio probat, quæ eſt huiuſmodi; Ὥσπερ γὰρ ἡ διακατοχὴς ἀγωγὴ ὀνόματι μαινομένου δύναμαι κινεῖν, οὕτως καὶ τῇ κτῆσει προσέκλησιν αὐτῷ καλῶς νομῇ ὡς περὶ τῆς μανίας δὲ ἑαυτοῦ ἢ μὴ ταύτῃ δὲ ἑτέρου ἔχειν. In *l. 12. §. pen. D. de fur.* etiam ſi iam olim ſatis, vt mihi quidem videtur, euidenter probauerim ſublata negatione ita eſſe legendum, Et ſic fit vt teneatur furti & agat, accedere tamen etiam huic emendationi auctoritatem Baſilicōn teſtari iuuat; quæ ſic habent, Καὶ ὅτως συμβαίνει τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον ἐνάγειν καὶ ἐνάγεσθαι τῇ φουρτῇ. In *l. 10. D. de ſer. vrb. præd.* Obſeruatio prima docuit eſſe legendum hoc pacto. Idem dicendum eſt ſi alterarum ædium vſumfructum legauerit. & ita quoque ſcriptum eſt *in Baſilicis libr. 58.* Τὸ αὐτὸ ὅτι κἂν τῶν ἄλλου οἴκου τῷ χρῆσιν ἑτέρῳ ἐληγάτευσα. In *l. & ſi quis §. funeris, D. de relig.* funeris impenſam eſſe ſiquid ad commendandum corpus factum ſit, pro his, Ad commendandum, Baſilica, καὶ τὸ παρέσεσθαι αὐτό. Nihil igitur mutandum. Et Commendare eſt deponere quoad iuſtum funus fiat. In *l. 2. D. de lege Rhodia*, ſcripturam Flor. hanc, At ſi non totam nauem: quo de ea minus dubitet poſthac quiſquam, confirmabo ex Baſilicis, quæ ſimiliter habent, εἰ ὃ μὴ τὸ πλοῖον ὅλον, *lib. 53. tit. 3. In l. 43. D. de religio.* vim verbi Inſuperhabere, quam iampridem expoſuimus, confir-

mant Basilica, quæ sic habent, παρέχεται τὸ ἀκριβές. Insuper habere igitur est παρέχειν, vel πλημμελεῖν. Nam & πλημμελήσει, Hieronymus interpretatur, *Insuperhabebitur Ecclesiastici 19.* Et eodem sensu Agellius 1. *Eam confidentiam non insuperhabendam intelligit.* & Symmachus, *Scribendi munus insuper non habere.* quæ addi velim *Obs. 3. cap. 22.* In *l. dolum C. de dolo, Dolum, ex insidiis perspicuis probari conuenit.* Sic emendaui, liquidis rationibus: & refractarij adhuc tamen audiunt hoc magis quam auscultant. Basilica habent, ἀπὸ ὀπτουλῶν παρσφανισάτων, vetus Gallorum transuersio, *Par apers aguetz.* Veritati desinant refragari, & se præbeant dociliores in posterum.

Cap. XII.

Ad tit. De adq. rer. do. adnotationes quædam, & Cicero emendatus.

Si quis ex pluribus herbis emplastrum fecerit, aut ex pluribus odoribus vnguentum emplastri vel vnguenti, dominus est qui fecerit, non cuius herbæ vel odores fuerunt, vt proditum est in *l. quidquid §. 1. D. de adquir. rer. dom.* Nam rectius ibi disiunctim ita legitur, *Aut coctis odoribus vnguenta*: vt duæ sint species, vna de medicamento, alia de vnguento, cum nec de medicamento posita specie, recte apponatur exemplum vnguenti, & sic *in Basilicis*, eadem hæc distinctio, his verbis, Ἢ ἀπὸ πολλῶν βοτανῶν ἔμπλαστρος, ἢ τὰ ἀπὸ εἰδῶν μύρα, οὐκ ἔσονται τοῦ κυρίου ἧς ὑλῶν, ἀλλὰ τοῦ τὸ εἶδος ποιήσαντος. Recte etiam Coctis Flor. non Coactis. Plinius *xii. Non eadem vis odoribus, nisi vna decoctis.* Lucretius, *Mixtos in corpore odores Concoctosque.* Lucilius *apud Nonium*, *Vnguentum excoctum attuli.* In eodem titulo, *l. bonæ fidei*, hoc loco, *Veluti si pupilli sit, libro 50.* βασιλικῶν, Græci videntur legisse, *Veluti si populi sint,* cum sic vertant ὡς τοῦ δήμου ὄντα. Vtrumque autem verum est pupilli rem non posse vsucapi, *l. si communem fundum. D. quemadmodum ser. amit.* quod ita M. Tullius, De tutela legitima, in qua est puella, nihil vsucapi posse. Publicam quoque rem vsucapi non posse, *l. vsucapionem, D. de vsur. & vsucap.* Seneca *13. & 11. Epist. Negant Iurisconsulti quidquam vsucapi quod publicum est.* Itaque in *l. bonæ fidei*, nihil mutandum esse censeo, & Græcos parum aduertisse, legentes populi pro pupilli sicut è contrario in *l. 12. D. de verb. sign. & l. non distinguemus §. de liberali, D. de recep. qui arb. rec.* legunt pupillari, id est ὀρφανικῆς, pro populari, omnino perperam. In eadem, *l. bonæ fidei*, recte definitur, eum qui ab initio bonæ fidei emit, & postea cognouit rem esse alienam, exinde fructus suos non facere. Nam ab eo certe tempore mala fide possidere cœpit. Augustinus *lib. De fide & operibus, In iure prædiorum tandiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. Cum vero scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc iustè iniustus vocatur.* Scio opponi, *l. qui scit §. vlt. D. de vsur.* Sed ei respondi iamdiu clare, *lib. 2. Institutionum.* In *l. homo liber. eod. tit.* quibusdam codicibus ita scriptum est syncerius quam Flor. Homo liber hereditatem nobis adquirere non potest, qui bona fide nobis seruit. sibi adquiret tamen, si sponte sua, & cetera. & ita Græci quoque 50. *Basil. tit.* id est Ε' λύτρωσις, καλῇ πίστει δουλεύων μοι, κληρονομίαν ἐὰν παραπορεύῃ μοι. εἰ ὃ εἰδὼς πρὸ τύχῃ ὑπισχνεῖσθαι, πρὸ κληρονομίαν κτᾶται ἑαυτῷ. In eadem lege, vt, in *l. Si cum duorum, D. de stipul. seruor.* vsuarij accipiuntur pro fructuariis. quod notandum esse censeo, vt intelligatur non χρήσεως tantum nomen ambiguum esse, sed etiam vsus, atque adeo eandem quæ de illo in *l. 10. §. 1. D. de vsu & hab.* & de hoc nomine dubitationem induci posse. Dominium autem de quo totus ille titulus est, simplicius ita definio, proprietatem rei, vt possessionem, vsum rei. & ita, *l. 15. eod. tit.* Dominium mihi, id est proprietas adquiritur. Veteres etiam dominium accepere pro conuiuio, & dominum pro eo qui conuiuium exhiberet. Cicero *Frumentaria, In cubiculo solus, in conuiuio dominus.* & in eodem paulo ante, vt in manuscriptis legitur, *Huius argento dominia vestra, huius signis & tabulis forum comitiumque ornari.* Quæ lectio verissima est, vulgaris falsissima. Locus nondum emendatus, qui & apud Nonium Marcellum effertur ita corrupte. M. Tullius *in Verrem Frumentaria, Adria argento dominos vestræ.* Legendum enim *M. Tullius in Verrem Frumentaria. Argento dominia vestra.*

Cap. XIII.

Ad l. heres §. proinde, D. de iudic.

VLpianus in *l. heres, D. de iudic.* cum *in* §. 1. edictum proposuisset quo omnis obligatio certo loci contracta fori præscriptioni subtrahitur, mox intulit, Proinde, & si merces vendidit certo loci vel disposuit vel comparauit, debebit, nisi alio loci vt defenderet conuenit, ibidem se defendere. Vbi disponere merces idem fere est quod vendere. Vlpianus certe Demosthenis interpres 2. *Olynth.* διαθέσθαι interpretatur πωλῆσαι & recte. Est enim venum exponere, Quæ quidem expolitio sola, fateor, obligationem nullam parit: sed fieri potest vt exposuerit vnus promercii causa, vendiderit institor, vnde obligatio oritur aduersus eum qui merces disposuit, atque ita recte dicitur quo loci disposuit, eodem etiam illam defendi debere. Et lego pro Videtur, Debebit. quæ menda est frequens in Pandectis, *l. pen. de do. præl. l. pen. §. testator, D. de leg. 2.* Græci disposuit videntur accepisse pro permutauit. in quorum libris ita est τὸ αὐτὸ ἢ ὅτι τις πωλήσαντος, ἢ καταλλάξαντος, ἢ ἀγοράσαντος, quam significationem disponendi verbum non admittit, & forsitan error est eo in Basilicῶν loco, ac legendum καταλλάξαντος, Id vero quod ex edicto collegerat Vlpianus, distinctione adhibita ita temperat, vt si quis aduena, dum transit, certo loci emerit aut officinam certo loci conductam habuerit, tum in ea causa sit vt se ibi debeat defendere, nec habeat ius reuocandi domum. Deinde subiicit rationem differentiæ his verbis, sicut arbitramur esse legenda. Nam vbi sic venit & confestim discedat, quasi à viatore emit vel eo qui transuehebatur vel eo qui παρέπλει, & durissimum est quotquot locis quis nauigans vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere. Hęc ratio docet cur aduenæ sequatur domicilium actor qui cum eo contraxit, quia scilicet & quasi cum viatore cum eo contraxit, & æquitas non patitur vt locis quibus quis iter faciens, delatus est, his omnibus conueniri possit. Separatur viator ab eo, qui παρέπλει, id est, qui nauigio præteruehitur, & ab eo qui transuehitur, equo scilicet, vt *l. 2. D. de in ius voc.* Viator igitur is est qui suis pedibus iter facit, Hi vero omnes quo loco transierunt, etiam si quid obiter emerint aut vendiderint, eo nomine ibidem conueniri non possunt. At si ibi constiterint, vt puta, si tabernulam ibi aut pergulam, horreum armarium, officinam conduxerint, licet ibi domicilium non habeant, quod est suum cuiusque verum & legitimum forum, de eo tamen quod eo loci contraxerint, quasi vero & legitimo foro ibidem conueniri possunt, nec cogitur actor sequi eorum domicilium. Hoc loco pergula est exedra angusta in superficie aliqua ædium, vt Glossæ antiquorum explicant, ὑπερῶν, ἰκρία, μεσόδμη, ἐξώστη, στενὸν οἴκημα. Tertullianus aduersus Valentinianos, *Cœnacula in ædicularum dispositæ forma, aliis atque aliis pergulis superstructis.* Propertius in

lenam, *Horruit algenti pergula curta foco.* In ea plerunque merces venales dispendebant, & inde *l. 5. §. pen. D. de his qui deiec. vel effud.* Cum pictor in pergula clipeum vel tabulam expositam habuisset, vbi etiam pergulam Basilica ὑπαιθρον interpretantur esse. Et in *l. vlt. C. Th. de exc. artif.* priuilegium hoc pictoribus dari vt pergulas & officinas in locis publicis sine pensione obtineant: quibus locis adiungi debet ille Lucilij Satyrici *apud Lactantium, Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.*

Cap. XIV.

Bonorum possessio contra lignum, & Bonorum possessio, vt ex Constitutionibus.

BOnorum possessio quę liberis præteritis datur, vulgo dicitur esse contra lignum, *l. quod vulgo, D. de bon. poss. cont. tab.* quæ scilicet contra testamenti ligneas tabulas datur, etiamsi heres scriptus hereditatem non adierit, aut bonorum possessionem secundum tabulas non petierit. Non est igitur contra heredem scriptum, vt querela inofficiosi testamenti data liberis exheredatis, quæ non nascitur antequam adita sit hereditas, vtque illa bonorum possessio quę datur patrono prętorio, quę etiam est contra heredem scriptum, non contra lignum Lignum igitur tabulas dicimus, vt Satyricus 13. & 16. *Vana superuacui dicens chirographa ligni.* & Plautus *Pseudolo. Pro lignea salute vis argenteam remittere.* & Ouidius 2. *De ponto.*

Nec mea fallaci conuicta est gemma sigillo
Mendaces lignis imposuisse notas.

Libri excusi habent cæris pro lignis, scripti linguis: vnde feci Lignis, perspicua emendatione, nisi probes magis, linis. quod in quibusdam legi. Bonorum possessionis Vt ex legibus vel vt ex Constitutionibus, de qua §. *septima, Inst. de bono poss.* quæ & à Græcis, Tum cui ex legibus vel ex Constitutionibus appellatur, eadem forma qua *Vnde legitimi,* Tum quem heredem, & alia, Tum quem ex familia, illius (inquam) exemplum quæritur adhuc, nec inuenitur. Nec enim quod ex *lege Cornelia* datur ad *l. 4. C. de post. reuers.* verum est, quia l. Cornelia hereditatem tantum detulit, non bonorum possessionem, & *d. l. 4.* intelligenda est de bonorum possessione *Vnde cognati*, quia in ea de materteræ successione agitur. Congruentius exemplum dabit Cōstitutio Adriani, ex qua militis capite damnati ex militari flagitio, hereditas & bonorum possessio defertur cognatis vsque ad quintum gradum, qui tamen alias lege non vocabantur propter capitis deminutionem militis, *l. 2. D. de vet. & mil. suc. l. si quis in principio, §. miles, D. de leg. 3. l. cum hic status, §. similes, D. de dona. inter vir. & vxor. l. 6. D. de iniust. rup. testa.* Post quintum gradum fiscus vocatur *d. l.* Imo legio aut vexillatio, *d. l. 6. §. eius qui, l. 2. C. de her. dec.* & inde librarij caducorum in militia *l. vlt. D. de iu. im.* id est qui rationes scribunt eorum quæ morte militum in legionem cadunt. Sed res distinguenda est in hunc modum: Militę capite damnato ab intestato in bonis castrensibus cognati succedunt vsque ad quintum gradum, & post eum gradum fiscus. Militi non damnato, ab intestato cognati succedunt in omnibus bonis vsque ad VI. vel VII. gradum, & post eos legio. Igitur *l. 2. D. de vet. & mil. suc.* accipienda est de milite damnato, tum quia proxima est primæ, & eius interpretandæ causa subiecta, quæ de damnato loquitur, tum etiam quia *liber 16. Responsorum Papiniani*, ex quo est *d. l. 2.* totus fuit de reis capitalium criminum.

Cap. XV.

Ad l. quæsitum, D. de sponsalibus.

QVemadmodum de stipulatione quæri solet, an si inutilis sit, valeat vt pactum, vel vt constitutum, & de acceptilatione similiter, & de testamento inutili, an valeat vt codicillus, & de fideiussione inutili, an valeat vt iussio, ita de nuptiis inutilibus quæsitum inter prudentes est, an vim habeant sponsalium, vt si minor XII. annis in domum quasi mariti deducta sit, non sunt iustæ nuptię antequam maior annis apud eūdem esse cœperit, *l. si vxor §. si minor, D. ad leg. Iul. de adult. l. minorem, D. de rit. nup. l. 2. in fi. D. de pr cred.* Sed quæritur an interim hæ nuptiæ siue deductio in domum hæc, pro sponsalibus habeatur. Et verior est Labeonis sententia nec nuptias interim esse, nec sponsalia. Nuptias non esse scribit *l. pen. D. quan. dies leg. ced. l. quod vir, D. de donat. inter vir. & vxo.* Sponsalia non esse refert ex eodem Labeone Vlpianus in *l. quæsitum, D. de sponsal.* nisi scilicet nominatim facta sint, quo casu etiamsi præmature in domū deducta sit puella nondum viripotens, durant tamen sponsalia quæ præcesserunt. Sola deductio sponsalia non facit: & hanc sententiam Papinianum probare, libro scilicet decimo Quæstionum, vt idem ipse Vlpianus adiicit, *l. cum hic status, §. si quis sponsam, D. de donat. inter vi. & vxo.* Verius (inquit) quod Labeoni videtur, & à nobis & à Papiniano *lib. 10. Quæstionum* probatum est. A nobis in *d. l. quæsitum.* Priores enim fuere libri *ad edictum* libris *ad Sabinum.* A Papiniano in *l. dotis promissio, D. de iur. dot.* vbi ex lib. x. pars habetur huius sententiæ quędam. Delectabit horum locorum inter se collatio, si in ea ipsa studiosus ierit. At videamus quibus verbis hanc quæstionem proposuerit Vlpianus in *d. l. quæsitum.* Quæsitum est, inquit, apud Iulianum, an sponsalia sint ante XII. annum, si fuerint nuptiæ collatæ. Hic collatas nuptias Budæus interpretatur, dilatas reiectasque in tempus pubertatis. quæ interpretatio inanem hanc quæstionem & superuacuam reddit. Nam si dilatæ sint nuptiæ, nondum igitur fuerunt, & si non fuerunt, frustra quæritur an iustæ sint, vel an pro sponsalibus habeantur. Et rectius Accursius *Collatas*, id est contractas, cum non liceret, vt *d. §. si quis sponsam*, minorem annis XII. vxorem ductam, immaturam in domum quasi mariti deductam. Collatas enim nuptias collocatas intelligi Vlpianus voluit, vel sane potius scripsit, vt *l. ex hoc iure, D. de de iust. & iu.* ædificia collata, quod alij collocata. & ita collocatas nuptias poëta quidam dicit Ciceronis 3. *de Orat. Sed mihi cum tetulit ille coronam ob collocandas nuptias, tibi ferebat.*

Cap. XVI.

Burdones. Ornatrices. Hieronymus emendatus.

HOc legato vxoris causa parata in *l. item legato, D. de leg. 3.* inter cetera demonstratur contineri etiā lecticarios & lecticam, vel sellam, & iumenta & burdones. Vbi qui burdones mulos interpretantur, recte (vt existimo) interpretantur. eodem namque sensu ad *l. qui duos, eod. tit.* ita Græci scribunt, τῷ λεγάτῳ τῆς βορδονίων καὶ αἱ μοῦλαι περιέχονται. Et Hieronymus in *translatione secundi Regum, Vt tollam onus duorum burdonum.* Quæ Sozomeno εἰ ἡμίονοι, Cassiodoro sunt burdones. Et glossis ἡμίονος ἐξ ἵππου θηλείας καὶ ὄνου, Mulus, Burdo. Et eosdem esse mannos opinor, cum vulgo & Glossæ antiquæ & Acro & Porphyrio mannos, burdos & buricos appellari dicant. Paulinus ad Seue-

rum, *Macro & viliore asselli burico sedentem.* Hieronymus *ad Pammachium de obitu Paulinæ*, vtrunque nomen copulauit his verbis, *Feruentes buricos, mannos.* Et idem *in Ecclesiasten cap. 10. Dignitate*, inquit, *perflati vias publicas mannibus terant, quos vulgo buricos appellant.* Imitatus est Horatianum illud, *Appiam mannis terit*, sed mannibus dixit pro mannis, eadem licentia qua Lucanus fastibus pro fastis. Ceterum longe aliter hodie legitur illo Hieronymi loco, nempe hoc modo, *Dignitate per flagitia publica sublimentur, quos vulgo lubricos appellant.* quibus verbis nihil est depravatius. Omnia sunt in auctoribus mendorum plena lectito multa, corrigo quotidie multa, necdum finem vllum mendorum video. Iuuit me in eo Hieronymi loco restituendo liber calamo scriptus, qui expressis semper fidelior, & consulendus, si copia sit, vtique semper. Sequitur in *d. l. item legato*, vxoris etiam causa parata videri mancipia alia, puellæ fortassis, quas sibi comatas mulieres exornant. vbi legendum opinor, Queis sibi comas mulieres exornant. Hæ sunt quæ cinisiones dicuntur & ornatrices, *l. legatis*, §. *ornatricibus*, *eod. tit.* Festus, *Acus qua ornatrix vtitur.* Acus comatoria Petronio. Ouidius, *Tuta sit ornatrix*, &c. Martialis,

Vnus de toto peecauerit orbe comarum
Anulus, incerta non bene fixus acu.
Desine iam Lalage tristes ornare capillos,
Tangat & insanum nulla puella caput.

Galenus *de Theriaca ad Pisonem*: Ἄυται ὅ ἦσαν αἱ πρὸς τὸ κάλλος αὐτῆς εἰς τὸν κόσμον τὸ σώματος ὑπηρετεῖν ἡμοσμένην. ἢ μὴν ἀναπλέκουσα τὰς πείχας ἐυπρεπῶς.

Cap. XVII.

De arris & pacto nudo.

ARras dat plerumque emptor venditori. Et non impleto contractu culpa venditoris, arras venditor restituit in duplum, condictione ex lege, vt opinor. Nam hæc pœna legitima est, *l. contractus, C. de fide instr.* Non impleto contractu culpa emptoris, arras datas emptor amittit. Non est dispar eorum condicio siue pœna. Nam & emptor de suo quod dedit, amittit, & venditor de suo dat tantundem, alterum non dat, sed reddit. Et ita in locatione & conductione, quæ ἀντίστροφον est emptionis venditionis, conductor arram amittit, locator duplum reddit, lege Rhodia *cap.* 19. & in sponsalibus sponsus amittit arras, qui veluti emptor est futuræ vxoris, sponsa tenetur in duplum, *l.* 3. & *vlt. C. de sponsal.* Æqualis pœna est vtrinque. Inæqualis esset si, (vt Thurios obseruasse Theophrastus scribit *libris de legibus*) emptor pretium soluere detrectans arras quas dedit amitteret, venditor nolens pretium accipere, tantum daret quantum id cunque est, propterea quod pretium arram longe exsuperare solet. Sic enim locum illum Theophrasti interpretor apud Stobæum, Τῷ ὃ μὴ δεχομένῳ ἔκπυστος ὅταν δῶ ἀποδῶται, Vt venditor qui pretium accipere recusat, plectatur exactione tantæ pecuniæ quanta vendiderit. Et paulo ante lego σέρησις, non σιρήσεις. At quid fiet de arris, si paratus sit vterque emptionem venditionem implere? Imputantur scilicet venditori in pretium, si in nummis consistant, *l. vlt. D. de leg. com.* Isidorus, *Arra*, (inquit) *complenda est, non auferenda.* Vnde qui habet arram, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem. Augustinus *in Sermonibus*, *Cum fuerit res ipsa reddita pignus aufertur.* Arra autem de ipsa re datur, quæ dando promittitur, vt res quando redditur impleatur, quod datum est non mutetur. Vel si arræ in aliis rebus consistant, pretio soluto repetuntur, sicut pignora soluta pecunia. Arræ sunt veluti pignora. Pignus proprie creditæ pecuniæ vinculum, qua de causa (vt arbitror) sub titulo de rebus creditis, de pignore etiam prætor edixit. Arra venditionis aut locationis aut nuptiarum. Et non nummi tantum arrarum nomine dantur, sed etiam aliæ res, velut iaurum, *l. 2. C. quand. lic. ab emp. dis.* vel anulus, *l. ex empto*, §. *is qui vina*, *D. de act. emp. l.* 5. §. *item si institor*, *D. de Instit. act.* Theophrastus eodem loco de arris emptionis venditionis, ἐὰν δακτύλιον δῶ τῆς δέκα ταλάντων. Sic in sponsalibus non nummi, sed vel anulus pronubus vel monilia arræ nomine dantur, vt in Maximino iuniore apud Capitolinum, & apud Hesychium inde κόσμημα ἢ ἔνορμα, περιδέματα ἀρραβωνιακὰ, quæ & sponsalia vocantur in *tit. C. si rect. pro. vel ad eum per. sponsalia ded. l. vlt. C. de ing. man. l.* 6. *C. The. de sponsal.* Repetuntur autem arræ actione ex empto vel condictione sine causa, *d.* §. *is qui vina*, *l.* 2. *C. quan. lic. ab. emp. dis.* non vindicantur, *l.* 3. *C. eod. tit.* vbi arrale pactum dicit, quod contractum *d. l. contractus*, & Græci sæpe arrabonicum contractum. Sed non est nouum vt idem sit pactum & contractus. Pactum proficit ad nouum contractum, *l. si vnus*, §. *Idem dicimus*, *D. de pac.* Pactum arrale quod datione arrarum sumpsit effectum & pactum & contractus est, ideoque ex eo datur actio personalis non realis, sicut ex venditione, *l.* 1. & 3. *C. de act. emp.* & ita pactum diuisionis aut permutationis aut dotis quod traditione sumpsit effectum vel stipulatione, & pactum & contractus est, *l. diuisionis*, *D. de pac. l.* 3. *C. de re. per. l.* 1. *C. de pac. con.* nec tamen ideo minus dicitur nudum. Est enim certe nudum si per se solum spectetur: & generaliter omne pactum est nudum, etiam legitimum. Nec moueri debemus *l. vlt. C. de rer. per. l.* 1. *C. de pac. con. vel. l. legem*, *C. de pac.* quarum hæc est sententia. Rebus certa lege datis, ex ea lege actionem dari. Atquin ex pacto non datur actio. Hoc ita procedit si conuentio pacti tantum nomine censeatur. Hæc conuentio datæ rei lege certa, quia datione sumpsit effectum, non pacti solum nomine censetur, sed & contractus, vel contractus potius est, cui inest pactum. nihil refert præcedat an sequatur pactum.

Cap. XVIII.

De proxeneticis.

SOleo coniungere *l.* 1. *D. de proxenet.* cum *l.* 15. *D. de præs. ver.* vna docet promissa indicia licito iure peti, altera proxenetica. Promittuntur plerunque indicia comprehendendi furis vel fugitiui, vel rei furtiuæ per præconem, vt Curius Fortunatianus scribit, antiquissimus Iurisconsultus, aut per libellum publice propositum. Apuleius 6. *Nihil supereſt quam tuo præconio inuestigationis publicitus edicere.* Quod præco exequitur his verbis, *Siquis à fuga retrahere vel occultam demonstrare poterit fugitiuam, illius filiam, illius ancillam, nomine illo, conueniat illo loco, illum prædicatorem, acceptaturus tot indicij nomine.* Et fere similibus Venus quærens Cupidinem apud Moschum,

Εἴ τις ἐνὶ τριόδοισι πλανώμενον εἶδεν Ἔρωτα,
(Δεκαπήχεες ἐμός ἐστιν) ὁ μυντὰς γέρας ἕξει, &c.

Hæc prædicatio siue proscriptio ei similis, pro pactione est, vt & literæ, *l. qui negotia*, *D. mand. l.* 15. *D. de fund. dot.* Proxenetica sunt præmia quæ debentur interpretibus & parariis. Hi sunt qui Græce proxenetæ dicuntur, quorum scilicet beneficio & interuentione inter duos negotia contrahuntur vel nomina, vel nuptiæ vel amicitiæ, vel iudici consiliarius adiungitur, qua in opera dolum malum duntaxat debent præstare. Alioquin nulli rei obligantur, etiamsi proxeneticon siue philanthropum acceperint, *l.* 2. *D. de proxen.* Vbi interim

interim non eſt exiſtimandum philanthropi eſſe ſcriptum per ſynæreſin pro philanthropij, quandoquidem recto caſu philanthropon Græci dixerunt, vt in Gloſſis legimus Salialium ſiue Salarium, σπαπωπικὸν φιλάνθρωπον. & Diodori Siculi 4. ἔπαθλον φιλάνθρωπον. & 14. ξενία καὶ τἄλλα φιλάνθρωπα. Plato autem XII. *De legib.* videtur velle vt non minus quam venditor euictionis nomine proxeneta teneatur. Sed hoc iure nō vtimur. Probabilior autem eſt illorum opera, qui nuptiarum contrahendarum, amicitiæ, pacis, ſequeſtres & interpretes ſunt. Nam neque hæc facile niſi per interpretes expediri poſſunt. Vlpianus *l. vlt. D. deſponſ. Et fere plerunque*, inquit, *condiciones interpoſitis perſonis*, id eſt proxenetis, *expediuntur*. Condiciones autem nuptiarum intelligit ſiue ſponſalia. Itaque facilius de eorum præmio ius dicere præſidem ait *l. vlt. D. de proxenet.* quod proprio nomine Græcos ἐρμωνευτικὸν appellaſſe ait, quaſi interpretitium, (quod eſt ὑπόμνημα, vt interpondium) & pararium æs: & facilius quam de proxenetico eorum qui emptionibus, venditionibus, commerciis, contractibus, nominibus faciendis adhibentur. Eſſe enim in eo modum obſeruandum præſidis arbitrio. Nam lege certa proxeneticis nullus datus eſt modus, niſi nuptialibus Conſtitutione Græca quæ deſideratur titulo primo libri quinti Codicis, ſuppeditata Baſilicis à me præſtabitur inferius. Porro indicia & proxenetica, quæ coniunximus initio, & diximus licito iure peti, etiam non improbe petuntur, promiſſa actione in factum prætoria vel de dolo, ſi dolus arguatur, non promiſſa extra ordinem. Longe alio iure ſunt quæ deſiderantur præmia ab his qui alienum quid iacens forte fortuna inuenerunt, & domino reſtituerunt aut reſtituere parati ſunt. Hæc enim non probe peti Vlpianus ait *l. falſus* §. *ſolent*, *D. de fur.* Sane de eis ius non dicet præſes extra ordinem, vt de proxeneticis, de nutriciis, de honorariis aduocatorum, de mercedibus profeſſorum aut medicorum ius dicere ſolet: & ordinaria actio deficit, quia nulla præceſſit conuentio inter dominum & inuentorem. Hæc præmia Græcos appellare εὑρετικὰ Vlpianus ait: quod confirmat Gręgorius Thaumaturgus in *epiſtola canonica* περὶ τῆς ἐν ἀχμαλωσίᾳ εἰδωλόθυτα φαγόντων, καὶ ἕτερά τινα πλημμελησάντων, his verbis nondum integre editis, Τοὺς δὲ πλὴν ἐντολῆς πλεονεκτοῦντας, ἐκτὸς αἰσχροκερδείας πάσης πλεονεῖν δεῖ, μήτε μιμύσεται ἢ σώρας, ἢ εὑρέσεως, ἢ ὧν ὀνόματι ταῦτα καλοῦσιν, ἀπαιτοῦντες. Conſtitutio autem Græca, cuius ſupra mentionem habuimus, de proxeneticis ſponſalibus, hunc eis modum impoſuit, vt ne plus viceſima parte dotis & donationis propter nuptias proxeneta nuptiarum ſibi cauere poſſit, ita tamen vt ſi viceſima excedat x. libras auri, x. tantum libras ſibi caueat. Itaque ſi fuerit dos cc librarum auri, x ſibi cauebit recte: ſi ccc, æque x, non xv ſibi cauebit recte. Extra ordinem non promiſſam mercedē peti non poſſe. Verba Cōſtitutionis relata sūt in Baſil. hoc modo: Ἡ διάταξις βέλεται τὸν προξενοῦντα γάμον, μάλιστα μὲν μηδὲν λαμβάνειν· εἰ δὲ ὅλως ἀνέχεται λαβεῖν, εἰ μὲν μηδὲν ζωοφώνησε, περὶ τούτου, μηδὲν ὅλως λαμβάνειν. εἰ δὲ ζωοφώνησε, μὴ ὑπὲρ τὴν εἰκοστὴν μοῖραν τῆς προικὸς, καὶ τῆς προγαμιαίας δωρεᾶς ὀπίζητεῖν, ἐὰν ἡ προῖξ ἄχρι διακοσίων λιτρῶν ᾖσι χρυσίου, ἔλαττον δὲ εἰ βέλεται λαβεῖν, ὀπιτρέπει αὐτῷ. εἰ δὲ καὶ ὁσησδήποτε ποσότητός ὄντι ἡ προῖξ, περαιτέρω τῆς ἑκατὸν λιτρῶν τοῦ χρυσίου οὐκ ὀπιτρέπει τῷ προξενητῇ λαμβάνειν· οὐδὲ εἰ τελεία ἐστὶν ἡ προῖξ, ἢ ἡ προγάμου δωρεά. εἰ δὲ μηδὲ ταῦτα τὴς συμφωνήσει, μὴ ἀπαιτεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸ καταβληθὲν ἀναδιδόσθω, εἴτε χρήματα ἔλαβεν, εἴτε πράγματα, ἢ ἀποδότω αὐτῷ ὁμολογίᾳ χρέους, ἢ ὅλως ἔλαβέ τι κινητὸν, ἢ ἀκίνητον, ἢ αὐτοκίνητον, κινεμένων ἢ ἀγωγῶν οὐ μόνον καὶ τοῦ λαβόντος, ἀλλὰ καὶ καὶ τῆς αὐτοῦ κληρονόμων, καὶ οὐ μόνον μὲν τοῦ δεδωκότος, ἀλλὰ καὶ μὲν αὐτοῦ κληρονόμων· ὡσεισμένων καὶ χρυσίου λιτρῶν ὀπτὰ μὲν τοῖς μὲν ταῦτα πράττειν ὀπ-

A χειρῶν. Partem retulit Harmenopulus 3. *Epit. tit.* 3.

CAP. XIX.

Traditionis definitio ponderata.

TRaditio Theophilo noſtro eſt tranſlatio de manu in manum, quę definitio eſt ambigua. Nam plerunque his verbis de manu in manum ſignificatur mutua traditio, cum viciſſim eodem tempore datur & accipitur aliquid, vt emptione, venditione. Siquis tradenti rem numeret pretium ſtatim, vt Charondas & Plato fieri iubent, μηδ' ἐπ' ἀναβολῇ, id eſt, abſque dilatione, vel etiam ſi eadem ratione rerum permutatio fiat, dante & accipiente ſimul vno atque altero. Hæc eſt Ariſtoteli ἀγορεία διὰ τὸν χρήσιμον φιλία ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα, in qua beneficentiæ nulla laus ineſt. Theſſalus ἐν τῷ προσβευτικῷ: Ἠτήσατο χάριτα χάριτι μετρεῖσθαι, καὶ μὴ οἷόν περ οἱ ἀνευμιξίοις ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα ζωαλλάξας ἅπαξ ἀπέναι. Et hoc iure, ſi venditor rem tradiderit & emptori fidem habuerit de pretio, nulla pretij petitio eſt, quia nulla emptio venditio, nullum iuris vinculum, & conſiſtit res omnis in fide & pudore emptoris ſolo, quo genere ſane plerunque, quo ſibi quiſque velit credi, vt Liuius ait 22. ipſa magis obligatur fides. Et hoc ſenſu accipiendum eſt quod, vbi iuſſit Plato in eodem articulo rem tradi & pretium numerari, ita ſubiicit, Ἐὰν δ' ἄλλως διαμείβηται, ἕτερος ἄλλῳ πιστεύων ποιείτω ταῦτα, ὡς ἂν ὑπῶν δικῶν καὶ νόμων. lib. XI. Legum: quam Platonis ſententiam Ariſtot. notat de his ſcribens qui in contrahēdo alienam fidem ſequuntur dandi aut ſoluendi præſtituta die, his verbis, Διόπερ ἐνίοις τούτων οὐκ εἰσὶ δίκαι, ἀλλ' οἴονται δεῖν πίστιν ζωαλλάξαντας, lib. VIII. Ethic. Eandem quoque Theophraſtus exprimit ita, Ἐὰν δέ τις πιστεύσῃ, μὴ εἰς δίκην. αὐτὸν γὰρ αἴτιον εἰς τὴν ἀδικίας, i. Sed ſi fidem habuerit quis alteri, (puta venditor emptori vel contra) non eſſe actionem. Ipſum enim ſibi iniurię cauſam attuliſſe, apud Stobæum λόγῳ 42. At iure ciuili pop. Romani longe aliter ſe res habet. Nam & tradita res emptori fide habita de pretio in dominium eius tranſit ſtatim *l. quod vendidi, D. de contra. emp.* & nudo conſenſu obligatio conſtituitur, & ſimiliter permutatio etiamſi ab vno tantum res tradita ſit, exinde initium obligationi præbet *l. 1. D. de rer. permut.* Et traditionem quidem hanc quæ fit ex vna parte tantum, veluti de manu mea in manum tuam, intellexit Theophilus illis verbis, ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα, non traditionem reciprocam. Quæ tamē definitio vim traditionis perfecte non explicat. Nam fieri poteſt vt res cuius tu poſſeſſor non es, de manu tua in manum meam tranſeat, me etiam mox forſitan reddituro eandem ipſam rem aut derelicturo, nec tamen ſit traditio. Et ſane verior definitio hæc eſt. Traditio eſt datio poſſeſſionis *l. 3. C. de act. emp. l. ſi rem tradi, D. de verb. oblig.* vbi eſt πλοκὴ elegans, dum ait eum qui tradi ſtipulatur, tantum tradi ſtipulari, id eſt poſſeſſionem dari, non proprietatem. Non inficior tradere pro dare nonnunquam vſurpari. Sed in vſu eſt, vt quemadmodum ait *d. l. ſi rem*, intelligatur factum tradendi verbo, non ius. Nam & ſic dicimus tradere quaſi tranſdare. ita in Legibus ſcriptum prodidit Feſtus, *tranſque dato.* & Accius *apud Nonium* veteri lectione, *Remiſque nixi properiter nauem in fugam tranſdunt.* Adiicit Feſtus eodem modo in Legibus eſſe ſcriptum, *endoque plorato*: quod eſt implorato, inuocato ad auxilium cum quæſtione inclamato, ius ſcilicet publicum, aut magiſtratum, cum hæc ſit vox legum directa, qua etiam iuriſconſulti vtuntur ſæpe quaſi legitima, vt & inuocandi, *l. vlt. D. quod met. cau.* & proclamandi non tantum cum de libertate, ſed etiam cum alia de re

agunt. vt *l.* 4. §. *vlt. D. adleg. Cor. de ſicar.* Antiquiſſimæ leges Regiæ plorare dicebant eodem ſenſu ac ſi præpoſitio eſſet adiecta. *Si parentem puer verberit, aſt olle ploraſſit, puer diuis parentum ſacer eſto.* itemque Incalare. Pro endo autem veteres etiam dixiſſe *Indu*, non fero negantem, cum Gloſſæ moneant, induesſe εἰς, ἔνδον ὄντες, & repugnent multi veterum poëtarum loci, quos mutando corrumpere religio eſt, & vnus præter alios Lucillij nondum caſtigatus, caſtigandus autem hoc modo apud Nonium in explicatione verbi concelebrare, *Multis indu locis ſermonibus concelebrarunt.*

CAP. XX.

Labarum. Cantabrum. Collegiati. Curcuma.

LAbarum ſiue laborum quid ſit docui *lib. xiii. Codicis tit. de præpoſitis laborum.* Puto Tertulliani ætate eam vexilli appellationem in vſu non fuiſſe. Illo certe loco Apologetici, *Sypara vexilliorum & labarorum*, veteres Codices habent, Cantabrorum pro labarorum, vt Minutius Felix, *Signa ipſa & cantabra vexilla caſtrorum*: & inde ſigniferi & cantabrarij, *l. 2. C. Theo. de collegiatis:* quibus adiunguntur Vitutiarij & Nemeſiaci & collegiati. Et collegiati forſitan illo loco, qui Tertuliani libro *De ſpectaculis*, *agonum collegiarij miniſtri.* At *lib. xi. Cod. tit. 1. Nul. lic. in fre. equeſtr. ſel.* &c. quideſſet curcuma neſciui. Audiui poſt ex Chaldaico lexico erui curcumam eſſe Sandalium. Sed adquieſco Heſychio magis qui camum, quod genus eſt ornamenti equeſtris vilius freno, freni tamen vel oreæ vice, curcumam interpretatur his verbis, ἐν χαμῷ, ἐν χουρκαμῶ. Quem locum mihi indicauit Enimondus Bonusfidius, collega meus eruditiſſimus, qui ad veram iuris cognitionem ſummam adiunxit peritiã trium linguarum, ſimul ac pietatem & morum integritatem eximiam. Hunc, ſi moriens roger quod olim Ariſtoteles, ſolum habeo ex his qui modo quidem ius ciuile publice profitentur, quem diſcipulis meis oſtendere poſſim.

CAP. XXI.

Funeris ſumptus. Arca. Silicernium. Auctorum veterum loci quidam emendati.

LEx *Funeris*, *D. de religioſ.* funeris eſſe docet odores & vnguenta quib. corpus vngi ſolet, vt *l. 7. §. illud plane*, *D. de in rem ver.* & adiicit pretium loci in quo defunctus humatus eſt, vt *l. 14. § funeris*, *eod. tit.* ac præterea ſi qua vectigalia ſunt (ſic enim eſt Flor. ſcriptum & in Baſilicis) id eſt, quæ in itinere præſtantur dum corpus ex vno loco in alium perfertur. Sed hæc vectigalia tolluntur *l. vlt. C. eod. tit.* quæ deſideratur in Latino Codice, reſtat in Græco expreſſa his verbis, Βασιλικῶν *l.* 59. Ἐν ὁδενὶ τόπῳ ὁδὲν τέλος παρ' ὁδενὸς προσώπου ὑπὲρ ὧν διακομιζομένων σωμάτων παρέχεται. Sequitur in *d. l. funeris*, vel ſarcophagi & vectura: vbi Græci videntur legiſſe veſtiaria, non vectura, qui ſic id omne vertunt, Καὶ τὸ τέλος ἢ ἡ σορὸς, ἢ ἡ στολή. & ita §. *de funeris*, veſti iungitur marmor, id eſt ſarcophagus ſiue σορὸς, vt ibidem etiam Græci exponunt, eodemque nomine arcam lapideam *l. 7. l. Dini eod. tit.* plebeium ſepulchri genus. Lucanus viii. *Da vilem Magno plebei funeris arcam.* & Horatius, *Conſeruns vili portanda locabat in arca.* & Seneca *initio* 13. *Epiſt.* His non adiicit circumportationem. An quod fuerat ſublata xii. tab? Sed fuerat etiam vnctura ſublata neque hac tamen neque illa abſtinebatur, & ſane illam ſi vſu receperit populus etiam funeris eſſe dixeris recte: quam nemo melius quam Varro Meleagris deſcripſit, ſi modo apud Nonium emendate ita legatur. *Funus exequiati laute ad ſepulchrum antiquo more Silicernium confecimus*, id eſt, σιλίκνιον, *quo pranſi diſcedentes dicimus alius alij, vale.* *Et* Silicernii quidem verbum hoc videtur liber Gloſſematorum antiquus adferre, quod in ea nullolumine accenſo ſilentes tantum vmbræ cernantur, his verbis, Silicernium σιλίκνιον, λύχνους γὰρ ἅπαντες ἐν πένθει ἄσβεστους. Addam & alios apud Nonium auctorum locos nondum emendatos. Ex eiuſdem Varronis *Eumendibus de arquati morbi vi*, hæc verba referuntur: *Nam vt arquatis & lutea quæ non ſunt lutea videntur, ſic inſanis ſani & furioſi videntur eſſe inſani.* Sic legendum duobus locis apud Nonium, vno de arquato morbo, altero de luteo colore, & in ſignificationibus verbi Tangere, corruptior Turpilii locus corrigendus etiam eſt in hunc modum. *Hoc quæro ignoſcere iſtic ſolent ne eis minoreis noxias, Erum ſi forte quas galiolas vini tango.* Vbi eis, id eſt, eas: erum, herum. Is quoque apud eundem grammaticum locus de differentia inter pudet & piget, in quo ita ſcriptum eſt, Idem, intelligitur autem Accius, *An pro me, Dane, quiete &c. ſic proculdubio* corrigendus eſt. Idem *Andromeda*, *Nec qui te adeuntem inuenio, hortari pudet, non prodeſſe id piget.* Poſſem & complures alios addere. Sed vereor ne hæc me pars præcipuorum ſtudiorum meorum, aut vadimoniorum deſertorem eſſe coarguat.

CAP. XXII.

Collare. Canis. Tractatio verborum quorundam l. 7. D. de leg. Iul. rep.

COllare eſt vinculi ſiue tormenti genus hodie frequens quod collo reorum iniicitur ignominiæ aut pœnæ cauſa, idque ſignificatur *l. 7. D. ad leg. Iul. de vi pub.* his verbis, Aut quid in collum iniecerit vt torqueatur. Pœna eſt ſeruilis, vel (vt ita dixerim) canina. Nam hoc genere canes vinciri ſolent. qua de cauſa hoc etiam genus vinculi auctore Feſto interdum canis appellatur. & forſitan Plautus *in Caſina* hoc ſenſu dixit, *Deos quæſo tu vt quidem hodie canem & furcam feras:* niſi verius eſt animal ſignificari, cuius æque ac furcæ geſtatio fuerit ignominioſa, vt in *hiſtoria Friderici ab Othone conſcripta*, legimus veterem conſuetudinem pro lege eſſe apud Sueuos & Francos, incendiarium aut prædonem ſi nobilis ſit, antequam morte plectatur, ignominiæ cauſa canem ferre de comitatu in proximum comitatum. quod ita Guntherus exprimit *Ligurini lib. v.*

Quippe vetus mos eſt ibi, ſi quis rege remoto
Sanguine vel flamma vel ſeditionis aperta
Turbine ſeu crebris regnum vexare rapinis
Audeat, ante grauem quam fuſo ſanguine pœnam
Excipiat, ſi liber erit, de more vetuſto
Impoſitum ſcapulis ad contigui comitatus
Cogatur per rura canem confinia ferre:
Sin alius, ſellam.

Et ne his quoque locis canem accipiamus pro vinculo, ſed magis pro animali, facit quod ſequitur apud eundem,

.... cuius diſpendia pœnæ
Ille Palatinæ cuſtos celeberrimus aulæ
Non potuit vitare comes, cunctiſque videndus
Portauit ſcapulis paſſus plus mille latrantem.

At vero verbis illis *l. 7.* non collare aut catulum tantum ſignificari puto, ſed quidquid pœnæ cauſa collo Romani ciuis iniicitur, vt de ſporta ſabulo plena ſuppeditat exemplum Philo *de legib. ſpec. libro* 2. quam medio foro vt ferrent qui pro cognatis abſentibus tributa inferre detrectabant iuſſerit Cæſaris procurator quidam, ſiue compulſor & exactor tributorum. &

Philonis verba hæc sunt, Οὐ πρότερον ἀνῆκεν ἢ βασάνοις καὶ τρέλλαις τὰ σώματα κατακλείνων ἀποκλείναις κεκαινουργημέναις ἰδίαις θανάτοις, ἄμμοις ἀνειδέσι πλήρεσι ζόφοις ἐκδυσάμενος ἀήρτα καὶ τὸν αὐχένα, βαρύτατον ἄχθος, ἰσὰς ἐνυπαίθρῳ καὶ μέσῳ αὐγαῖς, ἵν', οἱ μὲν ἀθρόοις πιμελείαις, αὐτέμῳ καὶ ἡλίῳ, καὶ τῇ ὑπὸ τῆς παλιόντων αἰσχύνῃ, καὶ τοῖς ἐκκρεμαμένοις ἄχθεσι βραζόμενοι, χαλεπῶς ἀπαγορεύσωσιν. In *l. 7. §. illud, D. ad leg. Iul. rep.* male pro Apprehendendum, quod est in Florentinis, Budæus legit Appendendum, hoc ordine, Frumentum publice dandum, præbendum, appendendum. nec enim frumentum appendi vt panis, sed admetiri solet, & in XII. Tab. libræ farris sunt panis libræ, vt farre conuenire in manum, est farreo pane, auctore Vlpiano *in Fragmentis*, & illo quoque Persij loco, *populi cribro decussa farina*, adnotant veteres farinæ verbo panem significari. Debuit Budæus approbare quod est in aliis libris, Approbandum, & id loco suo restituere hoc modo. Illud quoque cauetur ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, approbandum, frumentum publice dandum, præbendum, farta, &c. quem ordinem confirmant quę mox sequuntur, perfecta, probata, præstita.

CAP. XXIII.

De iure postliminij.

AElius Gallus *lib. 1. significationum quæ ad ius pertinent*, scripsit, postliminio recipi non solum hominem liberum, sed etiam seruum. quod verissimum est, siue captus sit seruus siue transfugerit, cum tamen liber homo transfuga postliminium non habeat, *l. 19. §. transfugæ, D. de cap. & postl.* ac rursus postliminio recipitur seruus, etiamsi corpore solo ad nos redierit, non ea mente vt res nostras sequeretur: cum tamen hominem liberum non aliter postliminio rediisse interpretemur, quam si cum mente tum corpore ad nos redierit. Et vtitur Sabinus elegantissima ratione, *De sua quæ ciuitate cuique constituendi facultatem liberam esse, non de iure dominij l. in libello, §. manumittendo, D. de cap. & postl.* Cicero, *Magnam potestatem esse mutandæ ciuitatis aut retinendæ aut recuperandæ, sui quenque iuris & retinendi & dimittendi esse dominum.* Adiicit Ælius Gallus, *Equi & muli & nauis eadem ratio est quæ serui.* Sic lego apud Festum, obliteratis verbis illis quasi superuacuis, *Postliminium receptum is.* Et muli clitellarij ex Cicerone suppleo, quoniam hic in bello tantum vsui est: & nauis longæ aut onerariæ ex Marcello in *l. 2. D. de cap. & post.* Nam piscatoriæ vel actuariæ voluptatis causa paratæ, bello inutiles, postliminij non sunt. Equo etiam adiungo equam domitam ad frena ex vtroque. Idem vero Ælius Gallus scribit, postliminium nobis esse non solum cum hostibus, sed etiam cum populis liberis & cum regibus. quod congruit cum *l. 5. §. 1. & l. 19. in prin. eod. tit.* Sed & cum fœderatis postliminium nobis esse ita vti cum hostibus idem auctor est, quod pugnat cum *l. 7. eod. tit.* nisi genera fœderum ita distinguantur, vt Liuij XXXIV. vt qui pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venerunt, & quibus bello victis dicta lex est vt alterius populi maiestatem comiter conseruarent, quæ etiam duo genera fœderum notantur in *d. l. 7.* cum his non sit postliminium, quod Ælius Gallus etiam significauit his quæ apud Festum reponimus verbis, *Quæ nationes in ditione nostra sunt, cum his postliminium non est.* Nam & hi fœderati sunt, & ij (vt opinor) qui maiestatem nostram conseruare iussi sunt. Liuius 9. *Teates Apuli impetrauerunt vt fœdus daretur, neque vt æquo tamen fœdere, sed vt in ditione pop. Romani essent.* & VIII. *Nec in fide P. R. nec in ditione essent.* Tertium genus fœderum est, cum qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam sociali fœdere inter se iungendâ coierunt. Et cum his forsitan Ælius existimauit postlimin. esse, quasi minus firmo fœdere hi iuncti sint nobis: aut certe res hæc controuersa fuit inter Iurisconsultos. Cicero 1. *de Orat. Si quis*, inquit, *apud nos seruisset ex populo fœderato seseque liberasset, ac postea domum reuenisset, quæsitum est apud maiores nostros num is postliminio ad suos rediisset, & amisisset hanc ciuitatem.* Initio *l. 7.* Non dubito quin fœderati & liberi, nobis externi sint, nec inter nos atque eos postliminium esse. Horum verborum hic est sensus, postliminium esse ius amissæ rei recuperandæ ab extraneis, & populos fœderatos & liberos extraneos nobis esse, nec tamen cum eis postliminium esse. Extraneos esse Cicero indicat in Corneliana, cum sacerdotes fœderatarum Græciæ ciuitatum quæ Ceteris sacra facerent, ideo donari ciuitate scribit, ne peregrina & externa sacra, etiam mente aut sacerdote externo peragantur. & ita *l. qui à latronibus, D. qui testa. fac. pos.* exteri sunt non tantum hostes, sed etiam fœderati, amici, socij. & male Budæus verbis supra relatis negationem iniecit.

CAP. XXIV.

Præfecturas esse oppida quæ consilium publicum, & magistratum suum non habent.

PAulus *lib. 4. Testamenta*, inquit, *in municipiis, coloniis, oppidis, præfectura, vico, castello, conciliabulo facta.* A coloniis, municipiis, conciliabulis & aliis quibusdam separat præfecturas, vt leges antiquæ & alij auctores, quarum condicionem explicauit nemo melius quam Festus, vno nisi mendo librarioli corruptus esset. Nam cum vnum genus præfecturarum id esse ait, in quas solebant ire præfecti quatuor sex virum pro populi suffragio creati erant in hæc oppida Capuã Cumas, &c. illo certe loco legendum est in hunc modum, *In quas solebant ire præfecti quatuor ex 26. viris quipopuli suffragio creati ibant in hæc oppida, Capuam,* &c. Namque Dio *lib. 54.* nominatim in XXVI. viris, è quibus erant Decemuiri litibus iudicandis, & Triumuiri monetales, & Triumuiri capitales, & Viocuri quatuor in vrbe, & extra vrbem duo, ponit ad extremum quatuoruiros qui in Campaniam mittebantur. Hi sunt quatuor præfecti Roma Campaniam missi iuris dicendi causa. Vnde præfecturarum nomen, quas Græci νομοὺς & σατραπίας. ac de Capua quidem in præfecturam redacta, quod Festi definitionem valde confirmat, Liuius scribit his verbis *lib. 26. Habitari tantum tanquam vrbem Capuam frequentariqueplacuit, corpus nullum ciuitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse: præfectum ad iura reddenda quotannis missuros.*

CAP. XXV.

Verba directa & precaria.

ALia sunt verba legatorum, institutionum, substitutionum, alia fideicommissorum. Hæc dicuntur precaria, inflexa, obliqua, quod declinent à directis, quæ legatorum & institutionum verba sunt, & dicuntur etiam ciuilia, vt cum Vlpianus scribit, fidei commissum non relinqui verbis ciuilibus *tit. 25.* & Papinianus, conuenire inter omnes verbis ciuilibus filio puberi substitutionem in secundum casum frustra & inutiliter fieri, *l. verbis, D. de vulg. subst.* namque substitutum, vt interim omnem Papiniani sententiam exponam, neque vt substitutum ex asse succedere morienti post pubertatem, quia ius non patitur vt filio heres sit quem filio dederit pater, cum sibi heredis facien-

di filio magna potestas esset, neque vt coheredē interim admitti viuente filio, quia voluntas patris hæc fuit vt eo demum mortuo in ea bona & siqua alia sibi parasset filius, substitutus veniret. Et addi potest eundem etiam tanquam fideicommissarium quandoque non futurum, quia etsi potuerit is quidem verbis fideicommissi substitui, tamen quia pater noluit directam substitutionem quasi fideicommissum valere, non videtur fideicommissum fecisse. Quo tamen iure non vtimur, pontificum quodam decreto inducti, quo verba directa hoc casu pro precariis accipiuntur, perperam. Nam si iure ciuili, à quo pontifices se recedere non putauerunt, vel, vt simplicius dicam, in quo erraverunt, priuilegium militis ab eodem Papiniano propositum in *l. Centurio, D. eod.* & Imperatoribus in *l. precibus, C. de impub. & aliis subst.* facit vt substitutio facta puberi verbis ciuilibus valeat iure fideicommissi, consequens est ibi non valere eam iure fideicommissi vbi nullum est priuilegium. & longe alia ratio est *l. Scæuola, D. ad Treb.* in cuius specie pupillus, cui codicillis facta est substitutio verbis directis, mortuus est intra pubertatem, atque adeo non tam præsumptione voluntatis, quòd substitutio scripta sit codicillis instrumento fideicommissorum proprio, quam fauore pupilli, prudentibus placet vt quod non potest valere quasi testamentum, quasi codicillus pupillaris valeat factus ab intestato, & propter pupillum æque vt valeat inter substitutos reciproca substitutio quasi fideicommissum, quarum nulla valeret tamen si pupillus vita post XIV. annum excessisset. At facta à milite substitutio (vt dixi) ex priuilegio militiæ post pubertatem valet iure fideicommissi, quod significat palam *d. l. precibus*, nec minus aperte *d. l. Centurio*, dum ait substitutum post pubertatem patris duntaxat bona habiturum cum fructibus inuentis in hereditate. Nam differentia nota hæc est inter fideicommissum & substitutionem, quod fideicommisso non continentur propria bona filij, substitutione continentur, *l. coheredi, §. quod si heredem, D. de vulg. subst.* & fructus inuenti in hereditate paterna, patris bonis adnumerantur. Fideicommisso igitur cedunt. Sed non illi quos filius percepit. Quæ differentia fructuum simul ac nominum in iure diligenter obseruatur, *l. postulante, §. vlt. Treb. l. 24. D. de vsufr. leg. l. 1. C. de his quæ vt indig. auf.* Porro verba directa, ideo ciuilia vocantur, quia talia sunt, qualia legum ciuilium verba, vt puta, *Heres esto, Damnas esto, vel Damnas sunto, Dato, Facito, Præcipito, Capito, Sumito, Habeto*, id est imperatiua. Cicero *in Oratione pro Balbo*, explicans illa fœderum verba, *Imperium maiestatemque pop. Romani comiter conseruato*, quæ ita præscripsit Liuius 38, *Verbi* (inquit) *genus hoc, Conseruato, quo magis in legibus, quam in fœderibus vti solemus, imperantis est, non precantis.* Et Porphyrio ad hæc Horatij verba scribentis ad Trebatium Iurisconsultum, *Transnanto, Habento, directis*, inquit, *verbis vtitur propter Iurisperitos*: & Vrbanus ad hæc Virgilij, *-nullus amor populis, nec fœdera sunto, Verbo*, inquit, *iuris vsus est propter odia hereditaria.* Dē quibusdam dubitatur vtrum directa sint an precaria, quod vtrorumque vim recipere possint, quale est verbum, *Iubeo.* Nec enim imperantis est, sed interdum etiam optantis & adulantis, & idem quod *Volo*, quod constat esse precarium, vt cum dicimus Iubeo saluere, & in *l. Aurelius, §. vlt. D. de lib. leg.* Reddi iubeo, fideicommissum est. Plinius *in Panegyrico*: *Iussit. Imperij hoc verbum non adulationis esse obsequio tuo crede.* Et quod dicitur in *l. 2. C. com. de leg.* Iubeo verbum esse directum, id non abs re fulcitur hoc articulo, forte veluti verecundiore adminiculo. At solebant nonnunquam testatores directis simul ac precariis verbis idem relinquere, vt si iure legati valere nequiret, saltem valeret iure fideicommissi, vt *l. Publius, l. non ad ea, D. de cond. & dem. l. quisquis, D. de leg. 3. l. Aurelius §. Titius D. de lib. leg. l. si quis seruo, D. de manu. test. l. si tibi, D. de adim. & transfer. leg.* & his plerunque verbis, *Do lego, darique volo.* Priora enim sunt directa, posteriora precaria, *l. alumnæ in pr. & §. vlt. D. de adim. leg.* & in antiqua inscriptione, *Reip. Barcin. Do lego, darique volo XVII.*

Cap. XXVI.

Legitima tutela. Consanguinitas. Sanguis.

VLpianus in *l. 1. D. de leg. tut. Legitimæ*, inquit, *tutelæ lege 12. Tab. agnatis delata sunt & consanguineis. item patronis, id est* his qui ad legitimam hereditatem admitti possunt. Vbi Accursius, *Consanguineis*, id est, iis qui sunt agnati & cognati naturales. Nam quidam sunt agnati tantum, vt adoptiui, & hi non vocantur. Tria in hac adnotatione Accursij peccata sunt. Primum quod consanguineos accipit generaliter pro cognatis, cum hac appellatione semper & omni loco in iure soli fratres sororesve significentur ex eodem patre prognati prognatæve, qui capite minuti non sunt, *l. 3. C. de leg. tut. §. 1. §. cæterum, Inst. de leg. agna. suc.* vel etiam qui in eiusdem patris potestate sunt etiamsi ex eo progeniti non sint, vt puta quæsiti per adoptionem, vel vnus adoptiuus, alter naturalis: eademque ratione mulier quæ in viri manum conuenit, quia in eiusdem patrisfamilias potestate est & sui heredis ac filiæ loco, liberisque suis ex eo matrimonio progenitis consanguinea est. In alios consanguineorum nomen non cadit. & definitio nominis tradita à Cassio, quasi sanguine inter se connexi sint, definitionem rei non mutat, non secus quam illa Labeonis cognatorum quasi commune nascendi initium habeant, quæ solis proprie fratribus sororibusque congruere videtur, vt hac ratione, quantum existimo, Ennius & Horatius cognatos dixerint pro filiis cum aliis natis & congeneratis, communis tamē ea appellatio est propinquorum omnium. Ac proinde (vt ad rem redeam) longe aliud in iure est sanguis, aliud consanguinitas. Sanguis, cognatio est naturalis *l. 2. D. vnde cog. l. vel si sanguine, D. de manu. vind. l. qui in adoptionem, D. de adop. l. si adulterium, §. 1. D. ad leg. Iul. de adul. l. dotem, §. vlt. D. de castr. pec. l. 8. D. de reg. iu. l. 49. Cod. Theod. de his qui super rel. cont.* Consanguinitas species est agnationis, id est fraternitas §. *vulgo, Inst. de suc. cog.* neque vero soli auctores nostri, sed etiam alij cum Græci tum Latini hāc verbi proprietatem obseruant. Sophocles *in Aiace*, τὸν μανέντος ξώσαιμον, id est, Aiacis furiosi fratrem Teucrum. Et Virgilius Statiusque Consanguineum lethi Soporem, quem Homerus, κασίγνητον, Anneus Seneca & Valerius Flaccus, Fratrem. *Frater dura languide mortis Somne fratri simillime letho.* Idem Statius *11. Stat consanguineum campo scelus vnius ingens Bellum vteri.* Et *3. consanguineo gliscis regnare superbus Exule*, id est fratre. Claudianus *de statuis fratrum. Nam consanguineos eadem cum forma figuret.* Et *de consulatu fratrum, O consanguineis felix auctoribus annus. & de Ioue & Iunone fratribus, Te consanguineo recipit post fulmina fessum Iuno sinu.* Porro alterum erratum Accursij in eo est quod adoptiuos negat esse cognatos, contra *l. qui in adoptionem, D. de adop.* Tertium, quod tutelas ad adoptiuos legibus peruenire negat. Nam si perueniunt hereditates, & tutelæ igitur, nisi feminæ heredes intercedant. Nec enim vt consanguineus, ita consanguinea ad tutelam admittitur.

Cap. XXVII.

Interdiarius. Labratum. Allectus.

ATrociores sunt nocturni quam diurni fures. nec enim multum absunt à proditoribus, vt Seneca ait in *vltimæ Declamationum extremo.* Ideoque extra ordinem illi puniuntur, hi iure ordinario: & ex XII. Tab. illi deprehensi occidi possunt, hi non aliter quam si telo se defendant, *l. 4. D. ad leg. Aquil.* De nocturno hæc sunt verba XII. Tab. *Si nox furtum faxit, si im aliquis occisit, iure cæsus esto. Si furtum*, inquit, *faxit*, B vt alio capite de noxali actione, *Si seruus furtum faxit noxiamve nocuit, l. 2. D. de nox. act.* De diurno integra verba non extant, nisi quod teli verbo vsos Decemuiros Gaij interpretatio ad leges argumentum præbet, & illud quoque, *Interdiu*, quod hac in re vsurpant frequenter iuris auctores, *d. l. 4. l. si pignore §. furem, D. de fur. l. 2. D. de fur. bal.* suspicio est esse ex XII. Tab. à quo Interdiarium etiam dixere pro fure diurno. Antiquo enim Glossematorum scriptori, *Interdiarius* est, ἡμεροκλέπτης, cui contrarius ἡμερόκοιτος, dormitator, fur nocturnus. Quod vero in vtroque fure exigitur vt qui furem deprehendit, id ipsum cum clamore testificetur, si quidem iure velit quis aut nocturnum occidere aut interdiarium telo se defendentem, id non his verbis Decemuiri videntur expressisse, sed his forte quæ retuli supra, *Endoplorato*, vel *Endo clamato.* Porro ex eodem Glossematorum scriptore didici hora eadem, atque ideo eadem etiam opera quæ didici ex eo compono & studiosis benigne contrado, osculum principis Labratum appellari, vt osculum ab ore, ita labratum à labris. Id est in Constitutionibus Codicis adoratio & veneratio principis, purpuræ, imperij, *l. 3. C. de consulib. l. 1. C. de appar. præf. præt. l. 1. C. de app. præf. vr. l. 1. C. de præp. sac. cub.* & aliis plerisque locis: quæ nimirum fit manu labris admota & tacta deinde purpura principis vel genu complexo. Itaque quod ille glossematarius ait Labratum esse φίλημα βασιλικῶν, ἀσπασικὸν βασιλέως, patiendi sensu ita velim accipi, vt id accipiat princeps, non det. Idem scriptor Allectos interpretatur esse logographos, his verbis. Ex allectis, ἐκ τῶν λογογράφων, quod congruit cum *l. 12. & 13. C. Th. de susceptor. præp. & arc.* & appellationis ratio hæc quod suscipiendis tributis fiscalibus allegentur. Inde *l. 11. eod.* allegationis officium.

Cap. XXVIII.

Obseruantur quædam in titulo De fundo dotali.

IN *l. 5. & 6. D. de fund. dot.* Accursius pessime interpretatur amittere, remittere per pactum: & competere libertatem, quæ ex remissione competit facta constante matrimonio: nesciens, vt opinor, hanc esse differentiam inter seruitutes rusticorum prædiorum, & seruitutes vrbanorum, quod harum libertas vsucapiatur, illæ amittantur non vtendo, vt planissimè docui in *l. 4. §. vlt. D. de vsur. & vsuc.* Igitur perquam scite Iurisconsultus de seruitutibus rusticorum prædiorum, *d. l. 5.* seruitutes fundo dotali debitas maritum non vtendo amittere non posse. Est enim fundus, rusticum prædium. Et de seruitutibus vrbanorum prædiorum in *l. 6.* libertatem etiam seruitutis vrbano prædio dotali debitæ non competere, vsucapionis scilicet iure, quia in lege Iulia alienationis verbum comprehendit etiam vsucapionem. Eodem titulo ex *l. 7.* notaui, in iudicio rei vxoriæ rem ipsam venire omnimodo, nec A liberari maritum præstando litis æstimationem. Namque posita specie de fundo seruiente à marito adquisito, ac deinde reddito priori domino. Et hoc casu, inquit, maritus litis æstimationem præstabit, quasi scilicet alias regulariter maritus per arbitrum dotis recuperandæ cogatur abscisè prædium ipsum dotale restituere eodem iure eademque condicione qua fuit cum marito daretur in dotem. id quod fit etiam in actione ex testamento. Nam & venditor & heres rem ipsam quæ vendita aut legata est, præstare præciſe cogitur. In *l. 8.* quod adnotat Accursius, omnino delendum est. Perspicuum enim est satis, ideo mulieri cui dos relegata est, ligna, quæ ex oliueto succidit maritus rogatu B mulieris, reddi oportere, quia dotis actionem continet dotis relegatio, *l. 1. D. de dot. præleg.* & dotis actione vtique ligna hæc mulieri restituerentur, nec in fructum cederent, *l. 7. §. si fundum, D. sol. mat*, nec quidquam mutat rogatus mulieris. Nam siue is pro donatione accipiatur, nulla donatio est, siue pro mandato, ligna mulieri restitui necesse est. In *l. 10.* lego, Quia dotis talis fuit obligatio. Hic enim est sensus, vt dotis obligationem, ita potestatem legis Iuliæ esse ambulatoriam. In *l. 12. Soceri*, inquit, voluntas in distrahendo dotali prædio nulla est. Vbi soceri, id est patris mulieris & recte Soceri: nam mulieris ipsius voluntas ex lege Iulia distrahendo dotali prædio sufficit. quod tamen Iustinianus antiquauit.

Cap. XXIX.

Obseruantur similiter alia quædam in titulo de pactis dotalibus.

IN *l. 10. D. de pac. dot.* perperam ita legitur, Auus pactus est, cum dotem pro nepote susceptisset, ne à se neve à filio dos peteretur. Nam hæc pactio est contra dotem & contra vtilitatem nubentis, puta ne soluto matrimonio dos à proſocero qui accipit, vel à filio herede eius repetatur, & de ea tamen quasi iusta & vtili Pomponius in ea *l.* tractat. Igitur ex Celso, cuius auctoritate Pomponius vtitur, id est ex *l. auus, D. de pact.* ita potius videtur Pomponius scripsisse, Auus pactus est, cum dotem pro nepte sua dixisset, ne à se neve à filio dos peteretur. quæ pactio valet, *l. 11. D. de pac. dot.* & adiecit Celsus, quam ex filio habebat. Quod argumentum est etiam, Dixisset, verbo Celsum vsum, quod vbique semper Tribonianus mutat in *Promisisset.* Nam auus dotem promittendo obligatur siue ex filio siue ex filia neptem habuerit, dicendo ita demum si ex filio. auctor Vlpianus qui auum paternum scribit dotem dicere posse, non auum maternum. In *d. l. 11.* huius pactionis, Ne se viuo petatur, neve constante matrimonio dos petatur interpretatio fit, κατὰ κοινῶν repetitis his verbis, Se viuo. quod in Basilicis eo loco est, κατὰ κοινῶν, in *l. cum pater §. cum imperfecta, D. de leg. 2. ad communionem.* Ex *l. 19. eod. tit.* sumpsi animum ita emendandæ *l. 7. D. de dot. præleg.* vt vno tenore in ea legatur, Quia tunc iisdem diebus filio solui dotem responsum est cum patri pro parte heres extitit, & ad præceptionem dotis soluto matrimonio, postquam heres extitit, admissus est. & deinde separata oratione, Si forte per errorem, &c. Soluitur dos mulieri annua, bima, trima die. quod tempus legibus statutum dicitur, *l. Atilicinus, D. de pac. dot.* duodecim, vt opinor, à quibus & rei vxoriæ actio morte mariti aut diuortio soluto matrimonio. Annua bima trima die, sic interpretor tribus pensionibus. nam & tertiæ pensionis dotis Cicero meminit *xi. ad Atticum.* Liuius *vj.* dixit, *Triennio æquis portionibus.* Neque tamen retro semper tribus pensionibus est annua bima trima die, vt *lib. xxix.*

apud eundem tribus penſionibus eſt anno, triennio, A quinquenio. Nam & *lib. xxxi.* conſequenter quinto anno narratur exacta penſio tertia, & pro eo datus ager inde dictus Trientius. Illo autem loco *lib. vi.* forſitan legendum, *trienuio aquis penſionibus.* vt *xxxviii. xii. millia dato intra xii, annos penſionibus aquis*, & alio loco *Trecenta per annos ſex penſionibus aquis.* Sed ad rem. Redditur mulieri dos annua bima trima die, quæ ſcilicet pondere, numero vel menſura conſtat, etiamſi pacta ſit longiore die eam ſibi reddi, puta annua, bima, trima, quadrima, quinta die. quia hæc pactio eſt contra vtilitatem mulieris cui dotis repetitio competit. Quod ſi pater qui pro filia dotem ſe daturum promiſit annua, bima, trima, quadrima, quinta die, poſtea iiſdē diebus B ſibi dotem reddi paciſcatur interueniente filia, vti oportet, ita diſtinguimus. Aut dotem repetit pater hereſve patris, aut filia. Patre repetente vel filia herede patris, ſeruatur pactio, filia repetente non herede patris, non ſeruatur, *d. l. 19.* Eadem diſtinctio interuenit in *d. l. 7.* Pater dotem à nuru acceptam filio legauit, diuortio facto antequam filio dos ſolueretur, nurus repetit dotem annua, bima, trima die. In filio diſtinguimus, aut patri heres extitit, aut non. Si patri heres extitit, iiſdem diebus eam dotem præcipit quibus & mulier, vt qua tenetur quaſi heres patris, ea etiam ad dotis præceptionem admittatur. Si heres non extitit, de legato dotis agit ſtatim aduerſus heredem ſcriptum. In C *l. 20. eod. tit.* Græci videntur legiſſe, Ob mores quoq; & ob res donatas vel amotas vel impenſas factas tunc facta pactio valebit, id eſt poſt diuortium, Nam ita vertunt *lib. 29. βασιλικῶν tit. 5.* Μετὰ διαζύγιον ἰσχυρὰς συμφωνῆσαι δεῖ συγχωρήσεως, κακοηθείας καὶ ῥαθυμίας καὶ τῆς δωρηθέντων, καὶ κλαπέντων, καὶ τῆς γενομένων δαπανημάτων. Potuit, propter ſublatam à Iuſtiniano actionem de moribus, non minus illo loco morum mentio à quibuſdam aboleri quam fuerat ante Pandectarum Noricarum editionem abolita in *l. 5. eod. tit.*

Sacra ſigillorum nomine dicta colunt.

Alias ſigillari), vt antiquæ gloſſæ teſtantur, ſunt νόθευσαι. & hoc ſenſu Tertullianus *libro de anima*, *Anima*, inquit, *monet corpus, & conatus eius extrinſecus paret. Ab illa eſt impingi pedes in inceſſum, & manus in contactum, & oculos in conſpectum, & linguam in effatum, velut ſigillario motus ſuperficiem intus agitante.* Et eodem etiam aduerſus Valentinianos duobus locis. At quando Tertulliani De anima liber in manu eſt, non omittam indicare corrupte in eo legi in hunc modum: *Prima etiam conſtitutio infantis ſuper terram ſtatim Ædea ſacrum eſt.* Legendum enim, *Statina dea ſacrum eſt*; quam tamen Varro Statanum deum facit pueritiæ præſidem, *lib. De lib. educ.* Sed ſiue deus, ſiue dea, ſiue vtrunque, ſecundum eos qui numina dicunt eſſe hermaphrodita, quia incorporea ſunt, & quod volunt aſſumunt corpus, traxit inde nomen, quod, vt idem Varro ſcribit ii. *De vita pop. Romani*, natus puer ſimul ac ſublatus erat ab obſtetrice, ſtatuebatur in terra, vt auſpicaretur rectus eſſe. Ad quem morem forſitan referenda ſunt hęc verba *l. 3. C. de poſt. her. inſt.* Illico poſtquam in terram cecidit vel in manibus obſtetricis, certe ſic poëtæ loqui ſolent. Papinius i. *Siluarum.*

...Tellure cadentem
Excepi fouique ſinu.
Et *lib. 5.*
.....Meus ille mens, tellure cadentem
Excepi.
Et *2.*
Natum protinus, atque humum per ipſam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope ſinu recepit.

CAP. XXX.

Camum. Sigillaria, Statina. Emendatur l. 8. D. de trit. vino vel oleo leg.

MIror nondum obſeruaſſe quenquam errorem creatum ex proximitate vocis ab eiſdem literis eademve ſyllaba incipientis, qua deſinebat prior, in *l. 8. D. de trit. vino vel oleo leg.* Nam quis vnquam ex pane zithum confici audiuit? Et ſcriptum tamen in ea eſt zythum in quibuſdam prouinciis ex tritico vel hordeo vel pane confici. Vnde opinor ita eſſe legendum, *Certe zythum, quod in quibuſdam prouinciis ex tritico vel ex hordeo vel ex paneco*, ſiue *panico, conficitur.* Nec Alciato aſſentior legenti, *Farre.* Ceterum quale in ea potionis genus ſit Camum, ſane neſcio, niſi eſt lora. Namque Cælius Apicius ita videtur ſcripſiſſe *lib. iii. Camum vel defrutum immittatur, quod Romani loram vocant.* Et id forſitan quod Dioſcoridi Curmi: zytho enim proxime iungitur. His addere libet quid his verbis ſignificari putem in *l. pen. §. paterfamilias, D. de leg. 3.* Lances numero duas leues, quas de ſigillaribus emi. Leues ſunt puræ quæ non ſunt aſperæ ſignis. Sigillariorū autem ſignificatio multiplex. Sed vicus vrbis ſignificari illo loco videtur quo ſigilla vaſaque celata venibant: & erant vtique celatæ lances quas de ſigillaribus emerat teſtator, non, vt ipſe dixerat, leues, & ille tamen error non vitiat legatum. Alias Sigillaria feriæ quædam ſunt Romanorum, quibus quæ mittebantur amicis munera Sigillaria etiam & Sigillaritia Spartianus & Suetonius dixerunt. Et de his ita Auſonius.

Ædiles plebeij etiam adileſque curules

CAP. XXXI.

Conſtitutio Seueri & Antonini Græca, quæ deſideratur in titulo de pignerat. act.

FRuctus pignoris, niſi aliud conuenerit, in ſortem & in vſuras debitas imputantur non tantum percepti, ſed etiam percipiendi, vt proditum eſt, *l. 1. C. de diſt. pig. l. 2. C. de par. pig. l. 1. & 3. & vlt. C. de pig. act.* Et D legis quidem primę verba, deſiderantur hodie, hæc nos partim antiquiores libri, partim Baſilica fuiſſe docuerunt: *I M P P. Seuerus & Antoninus A A. ad Metrodorum.* Οἱ ἐπὶ τῷ ἐνεχύρου ληφθέντες καρποὶ ψηφίζονται εἰς τὸ χρέος, καὶ ἐὰν ἱκανοὶ γένωνται πρὸς τὸ ὅλον χρέος, λύεται ἡ ἀγωγὴ, καὶ ἀποδίδοται τὸ ἐνέχυρον. εἰ δὲ καὶ πλείονες εἰσὶ τῶν χρέους οἱ καρποὶ, ἀποδίδονται οἱ πρὸς ἀποδίδοντες δηλονότι κατὰμέρος τῆς πρὸς τὸ ἐνέχυρα ἀγωγῆς. *PP. Idib. Oct. Apro & Maximo Coſſ.* Hæc igitur ſententia, vt fructus ex pignore percepti in ſortem imputentur, & vt ſi eam totam æquauerint, ſoluatur tam ſortis quam pignoris obligatio, & competat debitori actio pigneratitia etiam de fructibus ſuperfluis ſi non æquauerint, ſed ſuperauerint etiam ſortem: idemque *l. 2.* conſtituitur de operis ancillarum & de penſionibus ædium pignori depoſitarum, quæ pro fructibus, accipiuntur, *l. prædiorum, l. videamus §. ante, D. de vſur. l. mercedes, D. de petit. here.* idemque rurſus de fructibus in *l. 3.* Itaque tituli illius Conſtitutionis primæ tres ſunt fere eadem de re. habet tamen vnaquæque proprium aliquid. prima de fructibus ſuperfluis quod diximus ſuprà, ſecunda de operis ſeruorum & penſionibus quæ percipiuntur ex locationibus prædiorum vrbanorum, tertia de percipiendis fructibus, vt hi etiam debito imputentur, & de pignore facto deteriore, vt damni quoque huius ratio habeatur in pigneritia actione, & tale reddatur pignus quale fuit tempore obligationis.

Cap. XXXII.

Errores Græcorum in tit. Qui pot. in pig. hab.

MAle Græci ad Papiniani responsum quod est in *l. 5. D. qui pot. in pig. hab.* ponunt primum creditorem facta nouatione, pignora obligata secundo creditori pignoribus suis addidisse, quo casu in suis pignoribus primus creditor non tam potior quam solus, & in aliis pignoribus posterior potior inueniretur, contra quam Papinianus respondeat Ponendum igitur vt in *l. creditor* §. *Pap. eod. tit.* vbi idem Papiniani responsum refertur, pignora eadem primo & secundo creditori, & rursus facta nouatione eadem cum aliis primo obligata fuisse, & esse in omnibus potiorem primum. Nouatione obligationem mutari, superioris temporis ordinem non mutari. quod & in *l. 1. D. de dist. pig.* Papinianus significauit his verbis, *Ob eundem contractum.* Malè etiam iidem *l. 10. eod. tit.* sic accipiunt quasi hoc velit, Eum in cuius persona ob causam iudicati pignus constitutum est eius iussu cui ius iubendi fuit, præferri anterioribus creditoribus. Quod priuilegij genus fando audiuit vnquam nemo: & hæc verba Latina, *Priuilegiis temporis fore potiorem*, hunc potius sensum habent, Priorem tempore, & iure fore potiorem, quam habentibus priuilegium temporis fore potiorem eum heredemve eius in cuius persona pignus postea constitutum est quod plenior interpretatio eius legis à me tradita libro nono satis aperte commonstrabit. Est & alius Græcorum error communis cum Latinorum maiore & potiore parte, nec meliore tamen, in *l. 2. eod. tit.* vt quod est secundo loco verbum, Generaliter, probent magis, quam, Specialiter, testatum à nonnullis, & vero ratione etiam certa communitum. Nam hoc posito, primum creditorem, qui generalem hypothecam accepit præferri secundo creditori in ea re quæ illi specialiter pignori data est, quamuis ex cæteris bonis vniuersum debitum redigere possit, quod congruit cum *l. si generaliter, C. eod.* addit Papinianus hanc exceptionem in *d. l. 2.* Quod si ea conuentio prioris fuit, vt ita demum cętera bona pignori habeantur, si pecunia de his quæ generaliter accepit, seruari non potuisset: deficiente secunda conuentione, secundus creditor in pignore postea dato non tam potior quam solus inuenietur. Secundum hæc verba, secunda conuentio hæc fuit, vt ita demum generali hypothecæ locus esset, si pecunia ex generali hypotheca redigi non potuisset. Nam his verbis, *Catera bona*, significatur generalis hypotheca, *l. 1. D. de dist. pig.* Porro inepta prorsus esset conuentio huiusmodi. Et mutatio quoque casus Accursii ineptissima, & verbis aduersa. Igitur pro *Generaliter*, illo loco legendum est, *Specialiter.* quæ vulgaris erat conuentio, *l. & quæ nondum* §. *1. D. de pig. l. 9. C. de dist. pig.* atque ita omnino congruet ea Papiniani rescriptio cum *l. 2. C. de pig.* & hæc erit sententia, Prima conuentio primi creditoris si fuerit specialis, & eiusdem secunda generalis, sub hac condicione tamen si specialis non sufficeret, speciali idonea existente, secundum creditorem in suo pignore non tam potiorem quam solum fore.

Cap. XXXIII.

Ad l. 55. D. de fideiussoribus.

MAle in *l. 55. D. de fideiuss.* interpretes tàm Latini quam Græci posteriora verba *Omnibus æquo iure proficere debet.* sic accipiunt, Omnibus fideiussoribus. Nam profecto, Omnibus summis dicere Paulus voluit, vt ante dixerat. Scium in omnes summas obligatum esse: & ita Vlpianus quoque in *l. 5.* §. *Imperator, D. de solut.* pretium redactum ex venditione pignorum æqualiter omnibus summis vsurarum proficere ait non pro rata. Vtraq; loquitur de eo quod redigitur ex venditione bonorum debitoris. Nam quod vltro soluitur à debitore, antiquiori summæ proficit, non omnibus, *l. 5. in pr. l. 24. l. 97. l. 102.* §. *pen. D. de solut.* & si non sit forte vnius summæ causa antiquior altera, omnibus proficit pro rata, non æqualiter, *l. 8. D. eod. tit.* vbi pro portione est πρὸς ἀναλογίαν, siue pro rata. Nec nouæ videri hæ differentiæ debent. Nam & similiter quod redigitur ex venditione bonorum debitoris, imputatur in vsuras indebitas ciuiliter, debitas naturaliter, veluti ex pacto, non etiam quod à debitore soluitur vltro, *d.* §. *Imperator.* Quod redigitur autem ex venditione bonorum debitoris, sic accipio, possessis ex edicto bonis debitoris & constituto pignore prætorio, vel etiam captis pignoribus in causam iudicati plures summas continentem. Nam vt quod vltro soluitur à debitore, ita quod ex conuentione debitoris pignus constituitur simul in causas plures, siue pretium quod ex eius venditione redigitur, omnibus causis proficit pro modo cuiusque, vt ait *l. pupilli* §. *pen. eod. tit.* quod est ἀναλόγως, non æqualiter. Et si discretis temporibus, æque ac si pecunia simpliciter solueretur, non omnibus, sed antiquiori, *d.* §. *penult.* quod discrimen rerum nescio an adhuc aliquis animaduerterit: mihi visum est obseruatione dignissimum.

Cap. XXXIV.

Emendatur §. *quod vulgo, l. Stichum aut Pamphilum, D. de solut. & liberat.*

PApinianus in *l. 95.* §. *quod vulgo, D. de solut.* rectè vulgo iactari ait, fideiussorem qui debitori heres extitit ex causa fideiussionis liberari. Neque idem vulgo iactari dicit è contrario, puta si debitor fideiussori heres extiterit, obligationem fideiussoriam extingui. Dissentiebant enim Proculiani, *l. si duo rei, D. eod.* multum interesse existimantes accederet sequela principali obligationi, an sequelæ principalis: priore casu sequelam extingui, posteriore non extingui, & vtroq; (vt opinor) eam quæ accederet extingui, siue sequelam siue principalem, eam cui accederetur retineri. Sabiniani vtroque casu sequelæ obligationem confundi, principalem remanere, & vero Iulianus, qui ex Sabinianis fuit, ita scripsit in *l. 14. D. de fideiussor.* & Africanus Iuliani discipulus in *l. heres* §. *quod si hic seruus, D. eod. & l. cum quis* §. *vlt. D. de solut.* quorum sententia recepta est. Ceterum id quod vulgo iactatur fideiussorem liberari ex causa accessionis, si debitori heres extiterit, totiens verum esse Papinianus ait in *d.* §. *quod vulgo*, quotiens rei promittendi plenior obligatio inuenitur. Plenior vtique est semper & maior, cum principalis sit obligatio, si ex ea modo efficax petitio competat, *l. 5. l. debitori, D. de fideiuss. l. debitor*, D. *de separat.* Sequitur, *Nam si reus duntaxat fuit obligatus, fideiussor liberabitur.* Quę verba nemo adhuc tentauit explicare, cui non conatus is successerit infeliciter, nec vero potuit aliter, quandoquidem neque sensum neque rationem vllam admittunt. Dico Papinianum ita scripsisse, *Nam si reus natura duntaxat fuit obligatus, fideiussor non liberabitur.* Nempe quia hoc casu rei promittendi obligatio non inuenitur plenior, cum ex ea non sit petitio, quæ tamen competit ex fideiussoria. Et ita quoque Græci locum illum in suum sermonem trā-stulerunt Βασιλικῶν 26. *tit.* 5. Εἰ γὰρ ἐναγόμενος φύσει μόνον ἐνέχετο, οὐκ ἀπόλυται ὁ ἔγγυος. Vnde è contrario si reus naturaliter & ciuiliter fuit obligatus, dicendum

est aditione hereditatis fideiussoriam obligationem A tolli, etiamsi reus personale auxilium habuerit restitutionis in integrum. Nec enim ideo minus plena fuit obligatio rei principalis, quod potuit principalis in integrum restitui beneficio prætoris, fideiussor non potuit, qui & sine vlla beneficij huius contemplatione principali accessit re ipsa circunscripto, non dolo eius cum quo contraxit. Vtroq; enim iure principalis obligatio constitit, & nihil mutauit restitutionis auxilium, quod etiam incertum fuit, *l. si Titius, D. de fideiuss.* Igitur verius est, hoc etiam casu fideiussorem adeuntem hereditatem rei principalis liberari ex causa fideiussionis, & solummodo quasi heredem rei teneri, ac proinde ex persona rei etiam fideiussori indulgeri auxilium restitutionis, quia (vt dixi) ab eo tanquā à reo debitū B petitur. Quo toto nihil est neq; veri⁹ neq; elegantius: & error tamen ille inuaserat omnes Latinorū libros. Vnus alter proprie tantum Florentinorum, non minus quam ille perspicuus, male collocata negatione in *l. si duo rei*, quam attuli supra, quæ quidem suo loco reddenda est hoc modo. Item si duo rei sint promittendi, & alter alterum heredem scripsit, non confunditur obligatio. Sed etsi reus heredem fideiussorem scripserit, confunditur obligatio. Græci vtrique clausulæ negationem adimunt, pessime certe priori. Nondum abscedam hoc titulo, vel non antequam monuerim & in *l. cum quis* §. *de peculio*, veriorem esse eam scripturam quam Accursius adnotauit, Et magis dissimile esse.

C

Cap. XXXV.

Qualis qualis seruus. Qualecunque dominium. Qualiscunque possessor.

HÆc quæ prænotaui, vulgo non explicantur, ac primum qualis qualis seruus in *l. 5. §. vlt. D. de const. pec.* dum dicitur qualem qualem seruum domino adquitere obligationem constitutæ pecuniæ, est seruus qualiscunque siue ordinarius, qui & actor dicitur & dispensator, siue vicarius, vt recte Græci interpretantur. Nec enim idem de constituta, quod de soluta pecunia dicimus, actori solui potest, non vicario, *l. si actore, C. de solut.* Constitui potest tam actori quam vicario. Qualecunque autem dominium vindicatione in D iudicium deduci in *l. si mater* §. *eandem, D. de exc. rei iud.* hoc est, siue dominium in bonis, siue dominium ex iure Quiritium, vel, vt non male Ioannes loquitur, siue dominium ciuile, siue naturale. Dominium etiam qui aliud directum, aliud vtile faciunt, magno errore labuntur. Qualiscunque possessor in *l. 12. §. pen. D. quib. mod. pig. vel hypo. sol.* hoc est siue iustus siue iniustus possessor, vt oblato debito remoueat agentem hypothecaria. Nec enim debere quæri de iure possessoris. Non cogitur fortasse creditor cedere ius nominis, nisi iusto possessori, *l. mulier, D. qui pot. in pig. hab.* qualicunque tamen possessore offerente debitum vindicatione pignoris abstinere debet.

E

Cap. XXXVI.

Emendantur vel explicantur quædam in tit. De vsufr.

IN fine *l. 25. D. de vsufr.* perspicue legendum est, *Omni fructuario adquiri*, non *omnia*, vt in Basilicis, παντὶ τῷ πλὴν χρῆσιν ἔχοντι. Nam sicut *l. 13. eod. tit.* quod dicitur à fructuario dominum recte desiderare satisdationem, hoc adnotatur ad omnem vsumfructum pertinere, siue legatus puta, siue traditus sit vsusfructus, ita illo loco quod dicitur, fructuario seruum adquirere ex re fructuarij vel ex operis, id traditur pertinere ad omnem vsumfructum, videlicet quo is cunque modo constitutus sit, ipso iure aut tuitione prætoris: atque adeo omni fructuario adquiri ex re sua & ex operis serui fructuarij. In eodem titulo *l. 60. Cuiuscunque fundi*, id est siue prouincialis siue Italici, non vrbani vel rustici. Nam nullus est fundus vrbanus. & ita quoque initio *l. 3. Omnium prædiorum*, tam Italicorum scilicet quam prouincialium. Quod & de aliis seruitutibus proditum est in *l. 3. C. de seruit. & aqua.* In *l. 15. eod. tit.* contraria significatione scriptum, *stercorandis latrinis*, pro lauandis, & stercore liberandis, vt Græcis κοπρίζειν & πυάζειν, exstercorare est & exherbare, siue runcare. Vilissima autem admodum illa mancipij condicio. Plautus, *Non magis curo quam ancillam quæ latrinam lauat.* In eadē qualus est cistæ genus, quo calx defertur, quod B & canum dicebatur, auctore Festo. Glossis, qualus. δυαλισὴρ σώεσχος κόφινος. Non alia ratione in eodem titulo, *l. 68. & seqq.* iubetur fructuarius in locum demortuorum vel inutilium capitū alia summittere, quam quod debeat generaliter in re aliena cuius vsumfructum habet, facere id omne quod bonus & diligens paterfamilias in re sua facit, *l. 8. in princ. & §. sed si lapidicinas eod. tit. §. sed si gregis, Instit. de rer. diuis* Boni autem patrisfamilias siue pastoris, vt Columella scribit, vel prima cura est annis omnibus in demortuarum vitiosarumq; ouium locum totidem vel etiam plura capita substituere, quod alio loco idem auctor appellat summittere, dum vbi pabuli sit penuria, iubet non quotannis sed alternis fœtum summitti. quod iuris verborum ignari, perperam alij interpretantur esse Educari, alii in Venerem mitti, cum sit Substitui aut suffici, vt Virgilius ait,

C

Atque aliam ex alia generando sufficere prolem.

Et paulo post,

Semper erunt quarum mutari corpora malis.
Semper enim refice: ac ne post amissa requiras.
Anteueni, & sobolem armento sortire quotannis.

In eodem titulo *l. 7. Adserere arbores* Græcis est κυνηγίζειν, id est, Forare medullam arboris sterilis, & in eam fœcundę calamum immittere: insitionis species pro genere. Qua forma *Adserere prolem* Papinianus dixit pro *Adoptare*, sicut scilicet inforatione surculus truncum adoptat.

Cap. XXXVII.

Mutui definitio

MVtuum est creditum quantitatis datæ ea lege vt eadem ipsa quantitas reddatur in genere, non in specie eadem. Creditum malo definire quam conuentionem, quia proximius est crediti siue contractus, quam conuentionis genus. Summa enim diuisio conuentionum in duo genera deducitur. Aut enim contractus est conuentio omnis aut pactum: & rursus contractus diuiditur in nominatum & innominatum. Ex nominatis est mutuum. Mutuum igitur est creditum. idem potest crediti & contractus nomen. Et quantitatis creditum. Quantitatis nomine intelliguntur eæ quæ pondere, numero, mensura constant, quibus opponi solent corpora, res, species, iura. In aliis rebus mobilibus vel immobilibus, corporalibus vel incorporalibus, mutuum non consistit: in illis consistit, nec vagatur porro. Sunt quidem illæ corpore præditæ, sed nos eis ita fungimur, vt non tam corpus earum spectemus quam quantitatem. Ceterę res corpore valent certo vel incerto. Certo, vt Stichus: incerto, vt homo. vel intellectu, vt possessio, seruitus, nomen. Quæ pondere, numero, mensura, constant, quantitate valent potius quam corpore, *l. 1. §. non solum, D. ad leg. Fal. l. Si is cui nummos, D. de solut.* Adiicio in definitione Quantitatis datæ. Dare est accipientis facere. Itaque exigitur etiam hoc in mutuo, vt quod datur, fiat accipientis

pientis. Vt igitur dominus ſit qui dat. Datione enim alienæ pecuniæ non contrahitur mutuum: ſed neque datione ſuæ pecuniæ, niſi transferendi dominij animus fuerit. Quinimo datio alienæ pecuniæ, vel datio ſuæ abſque alienandi animo, traditio eſt potius quam datio. Idcirco iuris auctores belle commenti ſunt, mutuumſic dici quod de meo fiat tuum. quod & Nonius Marcellus ſequi videtur. *Honeſtius*, inquit, *mutuum eſt quod ſub amico affectu fiat meum tuum, vſu temporis neceſſarij.* Quæ Nonij verba mihi magnopere placent, propterea quod ſubindicant honeſtum id non eſſe quod ſub auido fœnore, non ſub amico affectu ſit. ego ne mutuum quidem id eſſe opinor: Nam vt commodatum eſt gratuitum, quod eſt quaſi mutuum ad vſum, ita & mutuum, quod quaſi commodatum eſt ad abuſum. Et longe aliud eſt mutuum, aliud fœnus, quod vel ille Comici verſus indicat, *Si mutuum non potero, certum eſt ſumam fœnore*: & inde illa dubitatio in *l. Granius §. vlt. D. de fideiuſſor.* an tenear ſi Titio mandauero ſimpliciter pecuniam credere, id eſt mutuam dare, & is fœnerauerit: atque adeo longe aliud eſt actio mutui, aliud eſt actio Calendarii. Et ſane mutui obligatione contrahitur, Calendarii verbis. Nam citra ſtipulationem mutuatitiæ pecuniæ vſura deberi non poteſt, neque ex pacto in continenti facto, neque ex mora iudicis officio. & accedit obligationi mutui obligatio Calendarii. Qua de cauſa in ſpecie *d. §. vlt.* quia qui fœnerauit, cum ego mandaſſem vt crederet, ſimul etiam credidit, placet teneri me mandati, in ſortem ſcilicet, non in vſuras, id eſt mutui nomine, non Calendarii Verum vt ad mutui originationem redeamus, quod dicitur mutuum ſic appellari quod de meo fiat tuum, ſcite dicitur magis quam vere. Iuriſconſulti enim noſtri imbuti ſunt ab Stoicis, & Stoici licentiores ac propemodum inepti in ducendis nominum originibus, vt ſane etiam quod pleraque nomina etymologiæ non habeant proprietatem ſicut de veſtibulo Varro dicit, pro captu ingenii cuique licet eorum reddere rationem. & inde de Stoicis Cicero, *Opidum*, inquit, *vt imiter ineptias Stoicorum, quod opem daret.* & alio loco, *Fundamentum iuſtitiæ eſt fides, id eſt dictorum conuentorumque conſtantia & veritas, ex quo, quanquam hoc videbitur fortaſſe durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt vnde verba ſint ducta, credamus, quia fiat quod dictum eſt, appellatam fidem.* Illa quoque teſtamenti quæ à noſtris traditur originatio, conficta eſt Stoicorum imitatione, quod ſit teſtatio mentis. Scita enim & concinna magis eſt quam vera. Nam certe teſtamentum natum eſt verbum, non ab origine factum duplici. atque ita mutuum, ſi verum amamus, à mutatione potius nomen habet, quod mutetur hoc genere pecunia cum pecunia, dum par quantitas accipitur & redditur, quodque conſiſtat in his rebus quæ facile mutationem & promiſcuum vſum accipiunt. Hæc nominis origo verior quam quæ traditur à Iuriſconſultis, vel quæ à Varrone, à Siculo verbo μοῖτον, vt illo Sophronis loco μοῖτον ἔντιμον: cui ſimilis Heſychii ille, μοῖτοι ἔντιμοι, incorruptus. nam & eidem ſunt, ἀμεῖπτοι ἔντιμοι. Prouerbium autem Siculorum quod adfert, ſic emendo: Hᾶς χάεις μοῖτον οὔτοι χάειν. Cæterum, vt de leporis nomine idem Varro ſcribit, Siculi, quod Roma ſint orti, mutui nomẽ potius inde tulerunt quam illinc Latini. Idemque de vnciæ & nummi nomine dici poteſt, quod Pollux Siculum eſſe ſcribit. Sed pergamus ad reliqua. Adiecimus in definitione quod mutuum datur ea lege dari vt par quantitas reddatur in genere non in ſpecie eadem: Primum enim ſi detur vt nihil reddatur, quod creditum inſolubile Seneca vocat, mera donatio eſt, non mutuum, quia mutatio intercedit aut reciprocatio nulla. Et hac ratione proprium auctores ſolent à mutuo ſeparare, vt illo Comici loco, *Ego cum illa nolo facere mutuum. Quid ita? quia proprium facio.* Proprium eſt quod nec in genere eodem vel alio, nec in ſpecie eadem vel alia reddere cogor alteri. Mutuum quod reddere cogor. Et inde illa philoſophorum vox. Nihil eſſe homini proprium, quia nihil quod non reddi oporteat, terræ reddenda terra: & in comœdiis illa. *Nihilne eſſe proprium cuiquam?* & vitam mutuam eſſe, non propriam. Ouidius.

Vita data eſt, vtenda data eſt ſine fœnore nobis
Mutua nec certa perſoluenda die.

Quod ita Cicero: Natura dedit vſuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die. Et Attius, *Nulli vita propria in vita eſt.* Mutuum igitur eſt quod debemus reddere, ſed proprie non quod debemus reddere in ſpecie eadem, ſed in alia eiuſdem generis, Nam quod in ſpecie eadem reddendum eſt, vel commodatum eſt, vel depoſitum, vel pignus, vel precarium In his contractibus interponitur fides reddendæ eiuſdem rei. & hoc eſt quod Paulus ait, Mutuum damus recepturi non eandem ſpeciem quam dedimus, alioquin commodatum erit aut depoſitum, ſed idem genus. Nam ſi aliud genus, non erit mutuum. Et vt omnia ſint paria, ponatur exemplum in his rebus quæ pondere, numero, menſura conſtant, vt in pecunia numerata. Mutuam pecuniam damus recepturi non eandem ipſam pecuniam, ſed aliam tantam. Alioquin commodatum erit, vel depoſitum, vel pignus, vel precarium. Nam & hi contractus in pecunia numerata conſiſtere poſſunt. De depoſito & pignore non eſt dubium, quia his contractibus res vtendæ non dantur, ſed depoſito cuſtodiendæ, Commodato dantur vtendæ ad tempus, precario quam diu libuerit danti. At pecuniæ non eſt vſus. ergo nec commodatum vel precarium, niſi forte accipiatur quaſi corpus, non quali quantitas, vt ea vtamur, non abutamur, quo caſu etiam in pecunia numerata commodatum precariumque conſiſtit, ſicut retro quoque corpus nonnumquam accipitur quaſi quantitas, vt in *l. quod ſæpe §. in his, D. de cont. empt.* dum grex adnumeratur his quæ numero conſtant, ſi modo vænierit ad numerum: & hoc caſu etiam in corporibus conſiſtet mutuum, veluti dato grege ad numerum, vt totidem capita reddantur eiuſdem qualitatis, vel dato pane põderis certi vt eiuſdem ponderis alius panis reddatur æquè bonus, vel dato libro forte papyraceo, quo exemplo vtitur Accurſius, in pondus, vel piſcibus datis aut carne aut ligno. Nam & hæc appendi ſolent. Et de piſcibus nominatim Varro *iij. De re ruſt. Hirtium Cæſari duo milia muræna rum dediſſe in pondus*: & Plinius *ix. Hirrium Cæſari ſex millia muræna rum mutua appendiſſe: Nam permutare quidem pretio noluiſſe aliave merce.* Sed de his ſatis.

CAP. XXXVIII.

Inſtitutionum loci ſingulares.

EX libris iuris ciuilis, quibus ſolis nos vti Iuſtinianus voluit in reſpondendo, litigando, iudicando, libello Inſtitutionum, neque comptior neque facilior vllus eſt, quive interpretem deſideret minus, vt planè illorum videatur eſſe otium ignobile qui eum libellum longiſſimis onerant commentariis, quod poſitum eſt in vna cognitione in infinita diſpartientes, quo ſcilicet plura ſcire videantur; vt illis quidem videtur, noſtro iudicio, oſtentatione vana quo ceteris nihil ſcire videantur. Nam quæ ſcientia hæc eſt quæ modum non habet vllum? quæ fines ſuos egreditur? quæ tota deerrat à præceptis ſuis, & ſummo illo præſertim nec à Iuſtiniano prętermiſſo, vt in accipientibus iura tradantur leui ac ſimplici via, ne difficultate inſtitutionis tam numeroſæ atque perplexæ ab hoc ſtadio deterreantur;

& vt Theop. monuit, ne fiant, διέλιπσοι εἰς τὰ μετὰ ταῦτα. A Quæ me ratio potissimum impulit olim, vt corrigendo Institutionum contextui, qui hiabat locis plerisque, potius quam interpretando, operam darem. Sciebam enim nitidissimum libellum interprete nihil indigere. Et si quid tamen nostrę operæ præter correctionem paululum accessit, id sanè inuito extorsit superiorum commentariorum inscitia, quos nonnunquam verarum rerum obseruantia meliore non potuimus non adnotare tacite, & tam certe molliter, quam abuti palam nostra lenitudine sibi deinde præsumpsit multorum audacia, amplioribus quam priores fecerant, commentariis & veluti errorum omnium maculis, pulcherrimum libellum deformantium, ore quandoque etiam effuso in veterum Iurisconsultorum doctrinam singularem ac B prope diuinam: quos forsitan breui, si Deus fecerit otium, Σύγγραμμα τῶν νομικῶν meditatum iamdiu opus ac propemodum adfectum à me, cum aliis plerisque contortoribus legum ita copulabit, vt deinceps noscere cuiuis sit in facili quicquid hi sua manu attigerunt omnes, nihil aliud quam scabiem & vlcus esse. Facilitas vero in Institutionibus quam prædico, vt non potest esse magna, conditis ordine & arte tanta, quantam vix vllus hodie nobis conficere potest aut poterit vnquam, definitionum & diuisionum vel partitionum elegantissimarum plena omnia, iuris veteris à iure nouo separatio perspicua, veteris sermone purissimo veterum, noui sermone Triboniani recenti. & in his singularia innumera, quæ vix in aliis inuenias nostris alienisve auc- C toribus, vt de lege Hostilia, quod est scriptum furti agere licere eorum nomine qui apud hostes sunt, aut reip. causa absunt, quive in eorum cuius tutela sunt: & inueniendorum codicillorũ historia. Et quod prima specie iniquum videtur, de noxalibus actionibus, Seruus noxæ deditus si damnum resarcierit ei cui deditus est quęsita pecunia, vt auxilio prætoris inuito domino manumittatur. Et ratio tamen optima hæc, quod etiam is dominus factus sit non tam sua sponte, quam necessitate quadam noxalis iudicij, cum nihil ipse aliud desideraret quam noxam sarciri: qua ratione etiam Græci vtuntur in specie *l. 8. D. de nox. act.* Sed & alio loco extare non puto rationé absurditatis eam quæ redditur de actione furti manifesti cur sit perpetuetur, *in tit. de perp. & temp. act.* Leniorem fecit prætor actionem furti manifesti quam esset ciuilis ex xii. Tab. & absurdum existimauit etiam facere breuiorem. Est ergo perpetua, vt ciuilis, sed non est durior, vt ciuilis. In furto nec manifesto, prætor nihil immutauit. Item singularis locus ille est de manifesto vt non minus visus cum re furtiua quam deprehensus, pro fure manifesto habeatur. Quo argumento existimo male Bartolum in *l. 1. D. de adq. poss.* hæc ciuitatum instituta, *Si quis inuentus fuerit cum armis*, &c. interpretari de apprehenso siue capto. Nam inuentus recte dicitur & qui visus est: & quod ille de inuentore lapillorum adfert, qui quidem pro occupatore accipitur, hanc rationem habet, E quia nisi ceperit non videtur adquirere voluisse. Et in illum Virgilii locum.

Non ego te vidi Damonis pessime caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?

adnotans Seruius, Manifesti eum furti arguit dicendo, *Vidi: ad illum*, opinor, respexit locum, eumque ex Caio sumpsit Tribonianus, legit *in Caio* Seruius. Fuit enim hic iuris auctor grammaticis familiaris propter bonarum literarum & Homeri potissimum tractandi, quæ in eo fuit, peritiam summam, vt nominatim etiam quodam loco idem Seruius scripserit apud maiores omne mercimonium in permutatione constitisse, & hoc Caium Homerico confirmare exemplo, qui Caii locus, vt puto, supereſt in §. *item pretium*, *De emp. & vend.* Sed quia superioribus versibus Virgilius adiicit statim, *Et cum clamarem, Quo nunc se proripit ille*, existimo visum furem non aliter pro manifesto haberi, quam si dominus qui vidit viso acclamauerit, Quo te fur proripis? Quove res abit mea? aut quid simile. Sicut ex xii. *Clamor exigitur antequam iure furem occidere possis, l. 4. D. ad leg. Aquil.* At non illi tantum singulares loci in Institutionum præclarissimo & eruditissimo libro, verum & alij plures, de fiduciaria tutela cur liberi parentis manumissoris sint fiduciarii, liberi patroni legitimi, de tribus generibus testamentorum, de oratione Pertinacis in *titu. quib. mod. test. infir.* & oculis subiecta graduum descriptio, & enumeratio actionum bonæ fidei perfectissima, & alia de iure antiquo non pauca. Hæc iudicasse satis erit, quæ simul etiam totus liber qualis sit quantique momenti, satis, vt arbitror, indicabunt.

Cap. XXXIX.

Notantur quædam in tit. De rei vindicatione.

NOn intellecta vis horum verborum, *Cogere & Percipere*, fecit hactenus vt non intelligeretur etiam, *l. si eius fundi, D. de rei vind.* cuius quæstio in eo posita est, rectiusne dicamus bonæ fidei possessorem suos facere coactos, an perceptos fructus. Ac primum quidem de possessore alieni fundi loquitur, bonæ fidei vero an male fidei? Certe de bonæ fidei possessore vt palam Græci edicunt illo loco, quoniam de eo loquitur qui fructus suos facit. Porro bonæ fidei possessor restituit petitori fructus perceptos & percipiendos post litem contestatam si extant, non etiam non perceptos, etiamsi petitor percepturus fuisset. Labeo non ita loquitur, sed non coactos fructus, inquit, non restituit. male, vt Paulus notat. quia certe bonæ fidei possessor restituit non coactos fructus, si modo eos perceperit. Plus est *Cogere* quam *Percipere*. Percipitur frumentum spica cæsa nondum trita, vinum vindemiamve, vua adempta nondum expressa. Cogitur, si teratur frumentum vel prematur vua, *l. si fructuarius, D. quib. mod. vsus fruct. amit.* vt auctore Nonio Marcello D cogitur pecus, si premantur vbera. Labeo ait bonę fidei possessorem vindemiam non restituere, quam non coëgit, Paulus contra, vindemiam eum restituere quam percepit, etiamsi non coëgit. In *eod. tit. l. 38.* quod est scriptum Flor. *Conseruisti*, pro *Conseuisti*, reiiciendum non est. Non & ita inspectis antiquis libris inueni scripsisse Victorem *in Probo*, *Vineis conseruit*, & Liuium. in *x. Quam arborem conseruisset sub ea legere alium fructum.* In *l. 21.* placet mihi vulgaris lectio magis quam Flor. *Cmomminus enim petitor eam rem persequi potest*, id est statim, sine cessione. Nam & ita Virgilius. *1. Georg. comminus arma Insequitur*, id est statim, siue intermissione, prope: Hesiodus ὁπάδεν. Lucretius, *Comminus ipse suo contingens feruidus igni*. Cor. Tacitus *12. Non cominus Mesopotamiam sed flexu Armeniam petunt.*

Cap. XL.

Exceptio stellionatus minus honesta aduersus decotores.

EX *l. 10. §. pen. D. mand.* fideiussor habet actionem mandati, etimsi sciens omiserit exceptionem minus honestã qua ipse vti potuit ex sua persona, reus non potuit. At quæ sit minus honesta exceptio quæritur. Et valde placet primum exemplum quod Accursius adfert de exceptione ex edicto. Quod quisque iuris quam Græci vocant exceptionem stellionatus, videlicet cum, is qui decoxit creditoribus, impetratis nouis tabulis

agit cum debitoribus ſuis Repellitur enim exceptione ſtellionatus, quia vt ſtellionatus, eſt in creditore qui non numeratam pecuniam vel numeratam iterum accipit, etiamſi ex ſententia iudicis ei ſoluatur, *l. 29. §. pen. D. mand.* ita & in debitore qui decoquit creditoribus, licet legis beneficio, id eſt nouarum tabularum ei debitum remittatur, *l. bona fides, D. de act. empt.* Decoctor autem aduerſus decoctorem hac exceptione non vtitur, quia abſurdum eſt, vitium in quo ipſe eſt, obiicere ipſum alteri. Quod ita Græci interpretes enuntiant, vſurpata etiam appellatione Latina, Decoctor decoctori, ἴρωω κεκωκότος κεκωκότῳ τῷ ſtellionatus ἴρωω τῷ τὸ κακέργου ἐκ αὐτῷδήσει ἐφέχεσθαι. Nunc finge, Primus à Titio in creditum accepta pecunia, Secundum fideiuſſorem dedit. poſt decoxit creditoribus ſuis tam Titius quam Primus, non etiam Secundus, agente Titio ex ſtipulatu, fideiuſſor, id eſt Secundus, eũ repellere poteſt exceptione ſtellionatus, qua tamen primus debitor Principalis, qui in eodem vitio eſt, agente Titio vti non poteſt. Quid igitur fiet hoc caſu, ſi conuentus fideiuſſor ſiue ſciens ſiue ignorans prætermiſerit exceptionem ſtellionatus, & condemnatus integram pecuniam ſoluerit Titio? An habebit actionem mandati? Sic videtur: excuſatus enim eſt pudor eius qui min⁹ honeſta exceptione vti noluit *l. Quint D. mãd.* Et eſt illa quidẽ ideo min⁹ honeſta, quia in idẽ prope vitiũ incurrit reus qui ea exceptione vtitur quod obiicit alteri, *l. vlt. D. de quod quiſq. iur.* Studet nãq; decoctori & viciſſim ipſe decoquere: & quãuis lex odio decoctoris hanc exceptionẽ dederit, non probat tamẽ eum qui contra naturalem æquitatem propter ſuum compendium idem odium exercet in creditorem ſuum. Abhorret hæc exceptio ab æquitate naturali, *l. 3. §. vlt. D. cod. l. ſipœna, in prin. D. de cond. ind.* Ex diuerſo ſi Titius ſolus decoctor fuerit, & ſciens fideiuſſor omittat exceptionem ſtellionatus, non habebit mandati actionem, ſi modo habuit facultatem conueniendi Primi, & deſiderandi vt ipſe ſuſciperet potius iudicium vel ſuo nomine nondum litè conteſtata cum fideiuſſore, vel procuratorio nomine poſt litis conteſtationem. Nam ſi forte abſente Primo, non habuit fideiuſſor facultatem eius conueniendi, omiſſa exceptione ſtellionatus, habebit actionem mandati, nec imputabitur ei cur minus honeſta exceptione vſus non ſit, *d. l. 10. §. pen.* idemque dicendum arbitror ſi Titius & Secundus decoctores fuerint non Primus, vt habeat actionem mandati Secundus, qui dum nec volens vti poterat exceptione ſtellionatus, qua tamen Primus vti poterat, coactus eſt Titio ſoluere, ſi facultatem Primi conueniendi non habuit, vt non habeat ſi habuit. Quid ſi, vt omnia pertentemus, fideiuſſor ſolus decoctor fuerit? Res eſt perſpicua. Obſtant tabulæ nouæ ne poſſit cum eo vtiliter agi, integra tamen eſt actio cum reo principali. Quid igitur ſi fideiuſſor decoctor non ſit, ſed alia ratione incidit in idem illud edictum, Quod quiſque iuris? puta, impetrauit fideiuſſor ne debitores ſui aduerſus eum vlla exceptione vterentur, & euenit propterea vt ipſe cõuentus ex cauſa fideiuſſoria non vteretur exceptione *doli*, vel *pacti*, vel *Quod metus cauſa*, qua alioquin vti potuiſſet: An habebit actionem mandati? Minime, ne pœna fideiuſſoris pertineat ad reum, *l. 3. §. ſed ſi tu incidiſti, D. quod quiſque iur.* Quid vero dicemus ſi fideiuſſor honeſtam exceptionem prætermiſerit? An non habebit mandati actionem? Sic videtur ἐξ αὐτῷδιαστολῆς velle Iulianus in *d. l. 10. §. pen.* vt ſi omiſerit exceptionem pacti in ſuam perſonam concepti, vel interceſſionis vel temporis, qua reus vti non potuit: quod ita procedit, niſi cauere velit reo de indemnitate, *l. pen. D. ad Velle. l. 29. §. vlt. D. mand.* quæ cautio non deſideratur ab eo qui exceptionem honeſtam omiſit. Quod ſi exceptione honeſta quam ſciens & prudens fideiuſſor omiſit, etiam reus vti potuit, ſine diſtinctione illa habuerit necne fideiuſſor facultatem conueniendi rei, præcidimus fideiuſſorem non habiturum mandati actionem.

IACOBI CVIACII IC. OBSERVATIONVM LIBER XII.

CAPVT PRIMVM.

Conſtitutio Zenonis de litium expenſis.

CONSTITVTIO Zenonis de litium expenſis, cuius meminit Iuſtinianus in No. lxxxij. nec explicat ſententiam eius. Periiſſet igitur, niſi quod fuit in me ſtudium conquirendorum βασιλικῶν, neque labori impenſæ parcendum eſſe duxiſſem, dum id aliqua ex parte explerem modo: ex quibus cognoui ante *l. vlt. C. de fruct. & lit. ex.* deeſſe illam Zenonis Conſtitutionem de ſumptibus litium, & hanc eſſe illius mentem, vt victori iudex iubeat victum reddere impenſas litis vtque modum impenſarum quę in litem probabiliter facta ſunt excedere poſſit in ſua condemnatione, videlicet ad finem decimæ partis impenſarum, verbi gratia. Si impenſæ ſint L. damnando victum in LV. vbi hoc ſuaſerit victi temeritas & audacia, ita tamen vt decima illa in fiſcum redigatur tota, vel ſi videbitur, etiam ex ea aliquid victori erogetur, veluti pro ſolatio iniquæ vexationis & moleſtiæ iudiciariæ, & vt condemnationem faciat iudex huiuſmodi non in reum tantum & actorem, ſi vtrique fuerit comperentes, ſed etiamſi actori fuerit incompetens, eumque ex reconuentione forſitan condemnandum eſſe iudex arbitratus fuerit. Actor ſequitur forum rei competens, etiam ſi id actori ſit incompetens, & nihilominus damnari in eodem foro poteſt actor reo & mutua petitione, quod iuri antiquo congruit, & ſi damnari principali nomine, & expenſarum igitur nomine, vt vult Zeno: & vt poſtea voluit Iuſtin. non tantum ex mutua petitione, ſed etiam ex eadem lite, *l. cum Papin. C. de ſen. & interl. omn. iudic.* Idem Zeno remitti condemnationem expenſarum litis reo qui bonam fidem agnouerit vel actori qui deſtiterit à lite, vel vtrique ſi res dubia & perplexa fuerit, adeo vt videatur vterque iu-

stas causas litigandi habuisse, Verba Constitutionis A vt sunt relata in Basilicis hæc sunt. Η διάταξις κελεύει ὥστε πάντα δικαστὴν ἐν τῇ ἀποφάσει αὐτοῦ κελεύειν τὰ ἡμιδέντα δι-δόναι τὰ δαπανήματα πάντα τὰ ἐν τῷ δικαστηρίῳ γενόμενα, ἔχοντος ἐξουσίαν αὐτὸν τοῦ δικαστοῦ καὶ ὑπερβαίνειν τὸν δαπάνην, ἕως τῆς δεκάτης μοίρας τῆς δαπανηθέντων ἐὰν αὐτὸν ἡ ἀναισχυντία τοῦ ἡμιτέντος μέρους πρὸς τοῦτο παρακινήσει, ὥστε τὸ ὑπὲρ τὰ δαπανήματα τῷ δημοσίῳ λόγῳ διαφέρειν, εἰ μήτι ἄρα ὁ δικαστὴς τὸν βιβλιοῦτοῦ νενικηκότος μέρους κληθεὶς θεραπεῦσαι μέρος τι πότε ἐκ τούτων αὐτῷ ἀφορίσει, καταδικαζομένου μὴ μόνον τοῦ ἐναντίου καὶ ἐναγομένου ὅτε πρόσφορος ἑκατέρῳ ἐστὶν ὁ δικαστὴς, ἀλλὰ καὶ τοῦ ἐνάγοντος ἀπρόσφορός ἐστιν, ἡμιδὴ ὃ ἐξ αὐτεναγωγῆς, μὴ δυνάμενον ἐκεῖνον τὸν δικαστὴν προαιτήσασθαι, εἴτε ἄρχοντες εἶησαν δικασταὶ εἴτε θεῖοι δικασταί. ἔχουσι γὰρ καὶ ἔτοι ἐκβιβασάς καὶ ἐπείκτας. εἰ δὲ μὴ τοῦτο ποιήσει ὁ δικαστὴς αὐτὸς τὴν ζημίαν ταύτην ἀναγκάζεται θεραπεῦσαι τῷ νενικηκότι μέρει. Ἐὰν δέ τις ἐναγόμενος συγγωμόνως ἀποδώσει ἢ ἐνάγων λάβοι τὸν δίκης ἢ καὶ ὁ δικαστὴς εὕρη αὐτὸν τῇ ἀληθείᾳ ἐκ συκοφάντην, ἀλλὰ ἐπὶ ἀμφιβόλῳ πράγματι δικαζομένου, ὁ τοιοῦτος ἐκφεύγει τὴν τῆς δαπανημάτων καταδίκην. δῆλον δὲ ὅτι ἐπὶ τῆς χαμαιδικαστῶν ὁ ἄρχων ἐστὶν ὀφείλων αὐτοῖς ἀφορίσαι ταξεώτην τὸν ταῦτα μεθοδεύοντα. In vetustissimo codice annotatum erat ante *d. l. vlt.* deesse Constitutionem Græcam. Ceterum Constitutionis neque verbum neque sententia vlla referebatur. Subscriptio tantum restabat huiusmodi, *Dat. VII. Kal. Apr. post. Consulatum Longini.* Id vero in ea Constitutione etiam notatu dignum est, Iudices delegatos à Principe habere executores & apparitores proprios. habere etiam adsessores ostendit Nou. LX. quasi magistratus, vt mirum non sit si subdelegare possint, *l. à iudice, C. de iudiciis, l. 1. C. qui pro sua iurisd.* quod tamen iudices à magistratu delegati siue iudices pedanei non possunt, quos etiam eadem Zenonis Constitutio & *Nou. lxxxii. & xc. & xcix. & l xxvii. C. de procur.* dicunt non vti propria apparitione, sed sumere eam ex cohortibus vel scholis vel seriniis. Vnde existimo etiam iudicem datum à Principe sententiam suam exequi posse. Quo enim illi executores siue apparitores si sententiæ suæ executionem non habet? qua tamen in re hæsitat Accur. initio *l. à Diuo Pio., De iudic.*

Cap. II.

Constitutio Iustiniani de diuidendis capitibus litis.

DAbimus hoc capite aliam Constitutionem Græcam, sed Iustiniani non Zenonis, quæ penultimo loco ponēda est in *tit. vlt. de sent. & interl. om. iud.* quaque dirimitur quod tractant interpretes in *l. etiam §. 1. D. de minor. & l. quid tamen, D. de recep. qui arb. rec.* An quot sunt species siue capita vnius litis, tot etiam sint sententiæ vel tot ferri separatim sententiæ possint? Nam Iustinianus definit posse, his verbis, vt in Basilicis relatum est. Η διαταξις κελεύει πολλῶν ὄντων ἐν τῇ δίκῃ κεφαλαίων δυνατὸν ἐν ἑκάστῳ αὐτῶν ἐξαγαγεῖν ἀπόφασιν τελείαν, καὶ τότε πάλιν ζητῆσαι περὶ τῶν ἄλλων, καὶ πάλιν ἐξενεγκεῖν ἃ δοκεῖσαν αὐτῷ ἀπόφασιν, καὶ μὴ ἀναγκάζεσθαι μίαν ἀπόφασιν περὶ πάντων ἅμα λέγειν τῆς κεφαλαίων. & ita in actione de peculio, quia duo sunt capita, duæ etiam condemnationes sunt, §. *præterea, ver. licet enim, Inst. quod cum eo* &c. vt. in Senatu quoque olim rerum quæ referebantur diuisio sæpe fiebat. vt procuratori etiam & defensori rerum quæ mandatę sint licet diuisionem facere, *l. qui proprio, §. i. l. vlt. D. de procur.*

Cap. III.

Duæ Constitutiones Iustiniani De appellationibus.

CVm *l. xxxii. C. de appellat.* constitutum esset ex appellatione illustrium iudicum, à quibus scilicet appellari potest, causam introduci in commune auditorium senatorum & procerum sacri palatij consultationum more siue κατὰ ζωήλδσιν, vt Græci loquuntur (consultatio enim fit conuocato Senatu ad appellationem factam ad principem, *l. ij. C. vt lite pend. No. lxij.*) statim in dubitationem venit quid de sententiis præfectorum Prætorio statuendum esset, à quibus non est appellatio, sed retractatio, *l. 1. C. de sent. præf. prat. Nou. lxxxij.* An retractetur lis apud successorem, vt *d. l. 1.* demonstrat, non in sacro auditorio per consultationem? Et quid si ipsemet sibi præf. prætorio successerit? nam periculum est ne ab alio successore sententia prior rescindatur semper ab eodem, vel constantiæ causa confirmetur. Quamobrem Iustinianus vult priori Constitutione Græca quæ desideratur post *l. xxxiv. C. de app. prat.* apud quem lis retractatur adiungi quæstorem sacri palatii, ita vt aduersus eorum sententiam rursus alia retractatio postulari non possit. & verba quidem Iustiniani quantum Basilica me docuerunt, hæc sunt. Η δι τῆς τριακοστῆς δευτέρας διατάξεως εἰπόσης ὅτι πάντων τῶν ἀρχόντων τῶν ἰλλυστρίων ἐφ' ὧν ὅτιν ἔκκλητος καὶ βασιλέα τὸν ἐκκλήτου ἀκροᾶσθαι, ἡ ταχθεῖσα διάταξις εὑρεθεῖσα νόμων ἐγνωσμένον, ὅτι καὶ τῆς ἀποφάσεως τῆς ἐπάρχων ἔκκλητος μὲν ἐκ ὅτιν, ἀναφηλάφησις δὲ ὅτι, καὶ εἰ μὲν ἕτερός ὅτιν ἔπαρχος πρεσβύτερον ὅτιν ὅτι ἀναπέμπει τὰ παρ' ἑτέρῳ κριθέντα, ἐὰν δὲ ὁ αὐτὸς γένηται ἔπαρχος πάλιν ὁ ἤδη ψηφισάμενος ἕτινος καὶ τῆς ψήφου καὶ αἱ δεήσεις προενέχθησαν· ἐπειδὴ προείληπται ὑπὸ τῆς παλαίας αὐτοῦ ἀποφάσεως λέγειν, κελεύει ἡ διάταξις ὥστε τῆς κοιαίσωρα σωκροᾶσθαι αὐτῷ δεύτερον ἢ τρίτον γενομένῳ ἐπάρχῳ, καὶ ἐξετάζοντα τὰς ἐπὶ τῆς πρώτερας αὐτοῦ ἀρχῆς γενομένας ἀποφάσεις διασκέψασθαι ὥστε μηδεμίαν εἶ καὶ τῆς τοιούτων ἀποφάσεων ἀναφηλάφησιν. Sequenti Constitutione vetat appellari ante definitiuam sententiam, forte ex interlocutione iudicis qua denegauerit litigatori testium vel instrumentorum exhibitionem aut dilationem eorum causa, aut exceptionem peremptoriam, aut locum ad agendum, quod tamen licebat olim, *l. xviij. C. Th. quor. ap. non rec.* Et ratio Iustiniani hæc, ne subinde ita appellando ex qualibet interlocutione lis trahatur in infinitum, & quod si quid medio litis inique sibi à iudice denegatum litigator queratur, hoc post definitiuam sententiam interposita appellatione ei simul cum re principali omne sarciri possit: quoque magis constet de iniquitate vel impatientia iudicis, vt quoties quid iudex delegatus denegat litigatori, id scripto comprehendatur. Verba Constitutionis hæc sunt. χρήματα πᾶσαν τὸν δίκην, τότε τὸν ἔκκλητον ἐπιδιδόναι. εἰδὲ γὰρ βλάπτεταί τις ἐαν ἐν τῷ μεταξὺ ἐγένετο διαλαλιὰ ἀπαγορευμένη αὐτῷ δίκαιον φέρειν αὐτῷ τετέσιν ἢ μαρτύρων παραγωγὴν ἢ ἀνάγνωσιν συμβολαίου. δύναται γὰρ ἐν τῇ ἐκκλήτῳ πάντα γυμνάσαι ἵνα μὴ κατὰ τὴν μέσης διαλαλιᾶς ἐπιδιδομένης ἐκκλήτου μῆκος δίδωται τοῖς ὑπαρθέσι πολλάκις ἐν τῇ αὐτῇ ὑποθέσει ἐπιδιδομένης ἐκκλήτου καὶ ἐξεταζομένης, πάλιν ἄλλου κεφαλαίου γυμναζομένου καὶ πάλιν ὃ κατ' αὐτὸ παρεχομένης ἐκκλήτου. ἐαν δὲ διαλῃτὴς ὅτιν ὁ ἐν μέσῃ διαλαλιᾷ δίκαιόν τι αὐτοῖς ἀρνησαμένοις, κελεύει ἐγγράφως τοῦτο ἐποκρίνειν, ὥστε ἐν τῇ ἐκκλήτῳ φυλάττεσθαι αὐτὸν τὸν περὶ τούτου δικαιολογίαν ἀπερίκριτον. εἰδὲ παρὰ ταῦτα γένηται, μήτε δεχέσθω τὸν ἔκκλητον ὁ δικάσης, καὶ αὐτὸς ὁ ἐκκαλεσάμενος ὑπὲρ τῆς ἐξαδίκασίας πεντήκοντα λίτρας ἀργύρου παρεσχέτω. Vide cap. vj.

CAP. IV.

Temporalis dies, & fatalis, & reparatio.

QVi non intelligunt eundem esse fatalem diem in quæstione de appellationibus, & diem temporalem, mutant nescio quomodo verba hæc *l. xxxij. C. de appel. Temporali iudicet die*, perperam, cum apertissimum sit iudicem ad quem prouocatum est iudicare vel causæ cognitionem suscipere die temporali, id est, die fatali, quo nisi introducatur in iudicium, causa appellationis interire solet. & ita dies temporalis accipitur *l. ij. C. de temp. app. l. lxiij. C. Th. de appel. l. vlt. C. Th. De repar. app.* vt recte verba illa *l. xxxij.* ita sint in Basilicis Græce reddita, διαζέτω χρὶ τῶν κωείαν ἐμπρόθεσμον. Erat autem olim longe alia ratio dierum fatalium & reparationis dandæ quam sit hodie ex *l. ij. & vlt. C. de temp. appel.* & quo breuior, eo etiam, vt existimo, melior. nam duobus vel sex mensibus exactis pro locorum interuallo post appellationem interpositam, vltimus erat fatalis: post quem lapso litigatori intra menses quatuor extra ordinem dabatur reparationis beneficium, ita vt esset etiam hic exactis quatuor mensibus dies fatalis vltimus, post quem nulla spe relicta secundæ reparationis, sententiæ latæ necessario obtemperandum erat perinde atque si non fuisset appellatum. & huic iuri locus erat non tantum in appellationum causis, sed etiam in omnibus causis quę ex rescripto principis instituebantur datis certis temporibus ad denunciandum edendumque rescriptum, *l. j. C Th. de tempor. cursu*, &c. Augustinus *contra Donatistas* post collationem. *Redire ausi sunt ad illius temporis præscriptionem, vbi dixerant lapsam iam esse causam & quatuor mensibus euolutis agi iam omnino non posse.* Symmachus *in epistolis. Mensium quatuor dilata curriculis summo die temporis impetrati excidit cognitor*, &c. Et de his quatuor mensibus fuit *l. vlt. C. sipend. ap. mors inter.* vt Constitutio integrior declarat quę extat sub eodem titulo in *Cod. Theod.* coniungenda cum *l. iij. C. Th. de temp. cur.* Idem vero Symmachus mox de non danda secunda reparatione, *Post hæc cum vellet*, inquit, *infœlicem causæ lapsum reparationē sarcire, obiectu legis Constantinianæ explosa est, quæ extra ordinem temporibus indultis, longiorem negauit excursum.* Constantiniana lex est *d. l. j. C. Th. de temp. cur.* Alia refertur Constantiniana lex *l. j. C. Th. de sec' lap.* vt iudex litem suam faciat, cuius culpa lis gemino lapsu perierit, ea vero est *l. ij. C. Th. de temp. cur.* Recte, *culpa.* nam si ægritudine vel morte iudicis id acciderit, non denegatur secunda reparatio *l. ij. C. Th. de repar. appel.* & hoc est quod subiicit Symmachus eadem epistola ad Theodosium. *Parentum numinis vestri diuorum principum protulit sanctiones, quæ inter reliquas exceptiones reparationem iurgantibus tribuunt si per cognitorem causa labatur.* Reparatio est Instauratio siue redintegratio temporis lapsi simul ac litis, quam recte Græci ἀνανέωσιν & ἀναγέννησιν, male προσυγχέσμοὺν, id est præparationem. De iure nouo scripsi *libro De præscriptionibus cap. xvj.*

CAP. V.

Explicatio l. vlt. C. de reuocandis his quæ in fraud. cred. alien. sunt.

OBscura plerisque videtur *l. vlt. C. de reu. his quæ in fraud. alien. sunt*, nos abs re. nouum enim id est quod ait & inauditum, fraudatorem, qui donationis gratia nouatione facta per acceptilationem liberauit debitorem suum, teneri duntaxat intra annum in quantum facere potest. Fraudator enim is est qui fraudandorum suorum creditorum causa debitorem suum acceptilatione liberauit donandi animo, non debitor qui liberatus est, qui etiam siue fraudem sciisset teneretur creditoribus in solidum, siue nesciisset non inquantum facere posset, sed inquantum locupletior factus esset, *l. vj. §. in hoc, D. quæ in fraud. credit.* Itaque nouū, vt dixi, valde hoc edictum est quod refertur *d. l. vlt.* vt fraudator in hac specie, qui debitori suo in fraudem creditorum acceptum tulit, teneatur curatori bonorum vel creditoribus intra annum vtilem in id duntaxat quod facere potest quodve dolo malo desiit facere posse. At sciendum est eodem edicto non tantum in eos quibuscum fraudationis causa debitor aliquid gessit esse actionem, sed etiam in debitorem siue fraudatorem ipsum, *l. 1. D. Quæ in fraud. cred.* Vtramque concludi anno vtili. Et annum numerari ex die possessionis & venditionis bonorum debitoris, *l. vj. §. vlt. l. ait prætor §. annus, D. eod. l. j. l. pen. C. eod.* Dari ergo actionem in fraudatorem posteaquam omnibus bonis exutus est. Dices, frustra dari in egenum. Dicam, vel pœnæ causa dari, *l. vlt. §. vlt. D. eod.* hoc est si quidem post venditionem bonorum aliquid adquisierit, pro modo eius quod adquisierit, vel si quid fraudationis causa ita dissipauerit vt nulla ratione reciperari possit, etiam in solidum vt ait *l. si quis dolo in princ. De re iud.* in hoc vt vel carcere & vinculis coërceatur à quo quod dispersidit, neque ab vllo alio seruari potest. Denique teneri eum qui necessario coactus est pati bonorum venditionem vrgentibus ex ordine creditoribus, in id duntaxat quod facere potest, dolove malo desiit facere posse, non aliter quam eum qui sua sponte cessionis beneficio ex lege Iulia bona sua vendi patitur. Valere enim in vtroque rationem illam, quæ dictat inhumanum esse exutum suis bonis, in solidum damnari, *§. vlt. Inst. de actio*, & huic quoque rei edicto perpetuo ita prospectum fuisse, quia notant Imperatores *d. l. vlt.* quod alibi notatum non inuenietur, eo magis fuit curæ nobis enodatio siue legis siue edicti illius nondum explicati à quoquam bene. Est igitur ex antegesto in fraudatorem actio, licet inanis, si quid ita dispersiderit vt nulla ratione reciperari possit. Fraudatori vero ipsi nulla nullo casu est ex antegesto actio *l. pen. D. de cur. bo. dan.* Græci sunt admodum suaues in explicanda *d. l. vlt.* dum creditorem deceptum à debitore ponunt debitori acceptum tulisse, & esse eo nomine creditori actionem in quantum facere debitor potest. primum enim non esset eo nomine actio in factum de qua *in titulo De reuocandis his quæ in fraudem creditorum alienata sunt*, sed de dolo, *l. itaque, l. quidam, D. de dolo.* Deinde non esset in id tantum quod facere debitor posset, quia actio de dolo in solidum competit, nec minuendæ eius illo casu vlla subest causa. Nec minus suaues Latini, qui ponunt fraudatorem postea bonis cessisse, quod Imperatores si esset non reticuissent, vel qui similiter vaticinantur acceptolatum debitori ex donationis causa, vel qui contra rationem recti sermonis fraudatorem accipiunt pro eo cui fraudator acceptum tulit & hunc audent dicere si fraudem ignorauerit in id tantum teneri quod facere potest, quod refutaui statim initio supra.

CAP. VI.

Ad l. ab executione, C. quor. app. non rec.

PLacet valde quod Græci ad *d. l. v. quor. app. non rec.* in depositio, interpretantur, ἐν μέσῳ τῷ δικαίῳ. nam & ita veteres libri habent *l. vlt. C. quib. ad lib. procl. non lic. in medio iure*, pro, in depositio. Confirmat locus alius alium luculenter. Iidem vero recte in eadem lege, ab articulo, χρὶ διαλαλιᾶς. nam articulus,

præiudicium est siue interlocutio iudicis *l. 1. 3. 23. C. Th. eod. tit.* à quo non auditur qui appellat exceptis certis causis, vt si exceptio peremptoria vel locus ad agendum vel dilatio instrumentorum aut testium causa denegetur, *l. xviii. & xxiii. C. Th. eod.* Sed ex Constitutione Iustiniani ne ex his quidem causis ab articulo appellatur, vt dixi *cap. 5.* eadem etiam multa irrogata L. librarum auri, quæ antiquis legibus irrogatur ex aliis causis ab articulo appellantibus *d. l. 5. l. xv. xvi. xxx. C. Th. eod. tit. & l. 2. C. de epis. aud.* quæ multa præiudicialis dicitur *l. 50. & 65. C. Theo. de appel.* Symmachus *in epistolis. Officium partibus non defuit ad multam præiudicij suggerendam.* & alio loco. *Præiudicialem multam statuit prouocantibus inferendam*, & alio. *Cum multam dixisset exactam quam decreto sacri auditorij appellatio præiudicialis agnouerat.* Si tamen ex articulo appellationem iudex à quo appellatur recipiat, neque multatur neque reprehenditur, laudatur verecundia potius *l. 42. C. Th. de appel. Probamus*, inquiunt, *verecundiam iudicantis, si superfluam quoque recipiat prouocationem, ne interim reliquum negotium audiret.* & idem Symmachus, *Verecunde*, inquit, *potius quam iure susceperim prouocationem non extante sententia.*

CAP. VII.

Emendatur l. amitæ, C. com. de succes.

FIlius amitæ meæ, id est, meus amitinus, & priuignus eiusdem amitæ sunt fratres consanguinei, si ex eodem patre nati sint, diuersa matre, fratres vterini, si ex eadem matre, diuerso patre, vt *l. vlt. C. ad S. C. Tertull.* ideoque mortuo amitino intestato priuignus amitæ meæ quasi proximior me excludit: est enim defuncto secundo gradu, ego quarto. Sed si filius & priuignus ami æ meæ non diuersa matre sint tantum, sed etiam diuerso patre, vt si ex Titio genuerit amita Primum, & ex Gaio posteriori marito nullum, qui tamen Gaius ex priori vxore habuerat Secundum, hic amitæ est priuignus, neque tamen Primo frater legitimus vel cognatus. itaque mihi priuignus hic amitæ meæ nihil obstat in successione Primi intestati. & hoc Impp. scripserant in *l. amitæ, C. com. de succes.* Sed verba sunt deprauata, restituenda quantum existimo in hunc modum, Nam si amitinis tuis alio etiam patre natis non consanguinei eorum matris priuigni sunt, admisisse te bon. possessionem probans, eorum vindica successionem Alio etiam patre natis, id est, non alia tantum matre natis quam priuigni, sed etiam alio patre. Et admisisse te bon. possess. probans, eorum vindica successionem, possessoria scilicet hereditatis petitione.

CAP. VIII.

De varia scriptura l. 58. De leg. 3. definitio certa.

IN Flor. Pandectis ita scripta est *l. 58. De leg. 3. Cum vxori suæ quis ea quæ eius causa parata sunt, legasset, de hinc vinus purpuras comparasset in prouincia, necdum tamen aduexisset, rescriptum est, ad mulierem purpuras pertinere.* In aliis ita, *Cum vxori suæ quis ea quæ eius causa parata essent, legasset, deinde quæreretur cum is purpuras*, &c. Et nisi mauis, *erunt*, probo magis, *essent*, quod est in aliis, quam, *sunt*, quod est in Florentinis. nam si dixit, sunt, testamenti tempus demonstrauit, ac proinde legato non cedunt purpuræ quas deinde comparauit. Sed si referatur legasse quæ vxoris causa legata essent, intelligam retulisse eum verba ad mortis tempus hoc modo, Quæ eius causa parata erunt, vt *l. 2. D. de au. & ar. leg.* & vero ad mortis tempus eũ retulisse in specie *d. l. 58.* apparet ex eo quòd viuum post testamẽtum deinde ponit purpuras comparasse, quia si post mortem forte eas cõparasset, per alium puta quẽ miserat antequam moreretur ad purpuras comparandas, ad mulierem non pertinerent *d. l. ij.* & ita quoque *l. iij. eod. tit.* proponuntur viuo eo comparatæ, vbi quod refertur responsum Seruij, idem illud est, mea sententia, quod proponitur *d. l. 58.* nam his verbis, rescriptum est, non rescriptum Imperatoris significatur eo loci, sed responsum Iurisconsulti, vt *l. iij. §. j. D. de bon. poss. l. ex contractu, D. de re iud.* Proprie respondemus præsenti, rescribimus absenti. Seneca *ix. Epist. Si quando interueniunt epistolæ tuæ, tecum esse mihi videor, & sic afficior animo tanquam tibi non rescribam, sed respondeam.* Et dubitationem quidem mouebat in ea specie, quod comparatæ purpuræ essent eo viuo, non etiam aduectæ. nondum igitur traditæ vel adsignatæ. sed in his quæ ab initio vxori parantur non est necessaria traditio vel adsignatio. destinatio enim animi siue emptio sola sufficit, *l. 49. §. item interest, eod. tit.* Fateor in his quæ ex vsu vnius vxoris transferuntur in vsum alterius, esse necessariam traditionem nec nudam voluntatem sufficere. Nego ea quæ ab initio vxori parantur & tradi esse necesse. & hanc differentiam aio perspicue demonstrari in *l. lvij eodem*, vti vulgo edita est. nam Pandectę certe Florentinæ in ea mutilæ sunt vno versu. & si has sequare, efficies vt sibi contraria edidisse Vlpianus in ea videatur. Sed vulgo ita legitur recte, *Ideoque quamuis maritus posterioris vxoris causa nihil emerit, tamen tradendo quæ prior habuit, eius causa parasse videtur.* Quæ enim posterioris vxoris causa parata sunt, & si ei adsignata non sunt, legato cedunt. Et quæ posterioris vxoris parata sunt, ab initio scilicet, non translatione. Manuscripti plerique habent, *Quæ enim prioris vxoris*, &c. quæ etiam nescio quo modo placet magis, vt ostendat priori vxori cui emit, satis esse, licet non tradiderit, posteriori cui non emit non esse satis nisi etiam tradiderit. Porro non est in eo tractatu constituenda differentia inter tradere & adsignare. vtrumque verbum idem est. Plinius *x. Epist. Adsignari R. P. opus*, & paulo post *tradi.* Et *l. xix. D. de auro & argen. leg. Vasa emptoribus replumbata adsignantur.* Et *l. xxij. De man. test. Si vasa heredi adsignauerit.*

CAP. IX.

Ex eodem titulo explicatur l. Quæsitum §. pen.

VVlgo putant in *l. quæsitum*, §. *penult. De leg. iij.* bene iudicasse prætorem fideicommissarium, & Paulum sententiæ prætoris adquiescere: ego contra puto male iudicasse prætorem, nec ei etiam Paulum adquiescere. nam species ita ponenda est. Mulier res æstimatas dedit in dotem, quo genere contrahitur vera venditio, *l. plerumque, D. de iur. dot.* deinde easdem res vir mulieri dedit vtendas. tum moriens ei per fideicõmissum legauit quæ eius causa parata essent. Mulier ex fideicommissi causa apud prætorem fideicommissariũ petebat res quas æstimatas marito dederat in dotem & ab eodem vtendas acceperat. nam si non acceperat vtendas, quo vultu vel ipsa vel Paulus qui ei aderat aduocatus eas peteret nomine mulieris quasi fideicommisso comprehensas? necessario igitur ponendum est, eas maritum mulieri dedisse in vsum. & hanc solam petendi rationem mulieri fuisse, aduocato Paulo. Sed non obtinui, inquit Paulus, credo quia prætori absurdum videbatur vt paratum intelligeretur vxoris causa quod ab ipsamet vxore comparatum esset. Con-

tra Paulus nihil referre exiſtimabat ab ipſa emiſſet an ab alio, dummodo id vxori in vſum dediſſet, atque idem ita poſtea reperit ſcripſiſſe Aburnium Valentem. Male igitur iudicaſſe Prætorem. Pertinebat ad dignitatem Pauli ne iniquæ cauſæ adfuiſſe videretur. Iuriſconſulti eſt adeſſe clienti. Ouidius *in arte.*

Munera det dines, ius qui profitebitur, adſit.
Facundus cauſam ſæpe clientis agat.

Adſunt vero vt aduocati, vel vt aduocatis ſuggerant rationes iuris *l. moris D. de pœnis*, *No. Valent. de epiſc. aud.* & in libello κατηγορικῆς ὁμιλίας. δῶρόν σοι λόγῳ πρακτῷ καὶ τοῖς συμφέρουσι καὶ τῷ νομικῷ ἵνα ἀσφαλέστερον ἐνδικήσωσιν ἡμᾶς.

CAP. X.

Negatio tollitur ex l. Deducta, §. pen. Ad S.C. Trebell.

VT Scæuola, ita Papinianus quod libris quæſtionum ſcribit fere etiam reponit libris reſponſorum. Libris autem quæſtionum eum qui rogatus eſt poſt mortem ſuam reſtituere quod ex hereditate ſuperfuerit, ſcribit deminuere quidem bona fide poſſe ex eis bonis, ſed non etiam fructus ſuperfluos retinere. Venire namque eos in reſtitutionem fideicommiſſi ex voluntate defuncti, qui contentum eſſe voluit heredem medij temporis deminutione, quam modo bona fide facere, & quidquid ſupereſſet id omne pleniſſime reſtituere, *l. ij. §. nonnunquam, D. de vſur.* in qua cum regula eſſet, in fideicommiſſariam hereditatis reſtitutionem non venire fructus medio tempore perceptos, niſi id teſtator nominatim expreſſiſſet *l. in fideicommiſ. Ad Treb.* duobus exemplis oſtendit nonnunquam euenire vt veniant tamen præſumptione voluntatis ſola, quorum vnum eſt quod retuli ſupra ex *d. §. nonnunquam*, alterum ſequitur ſtatim *in §. Cum Pollidius*, cui & ſimile tertium aliud addi poteſt ex *l. ij. §. vlt. D. de præleg.* quod ibi Accurſius explicat recte. Hoc vero cum ita de priori exemplo ſcripſerit Papinianus quæſtionum libris, conſequens eſt vt libris reſponſorum non reſponderit aliud. Et tamen legitur adhuc in Pandectis ex Papiniani reſponſorum libro nono, heredem qui quod ex hereditate ſuperfuiſſet poſt mortem ſuam rogatus eſt reſtituere, fructus ſuperfluos reſtituere non debere, *l. deducta, §. pen. Ad Trebel.* Sed videamus an ea quam ſubiicit ratio conſentiat cum adſertione. *Cum*, inquit, *ea verba deminutionem quidem hereditatis admittant, fructuum autem additamentum non recipiant.* Huius rationis hic procul dubio ſenſus eſt, his fideicommiſſi verbis, Quod ex hereditate ſuperfuerit, heredi tantum permitti deminutionem medio tempore, non etiam hoc vt poſſit fructus ſibi adiicere ſuperfluos nec reſtituere fideicomm. Debere igitur heredem fructus ſuperfluos reſtituere: ac proinde ratio non conſentit cum adſertione, & ex ea potius emendanda eſt adſertio ſublata negatione, quam ex adſertione ratio vel caſtiganda vel detorquenda aliorſum, quæ aperta & æqua & voluntati defuncti & eiuſdem Papiniani Quæſtionibus admodum conſentanea eſt. Et diſtinguenda omnino hæc fideicommiſſi verba, Quod ex hereditate peruenit: ab illis, Quod ex hereditate ſuperfuerit. Ex his enim ſuperfluos fructus reſtitui, ex illis nullos fructus reſtitui ab herede perceptos. Quia nec verba illa deminutionem admittunt, atque ita cui non licet deminuere, licet retinere fructus, & cui licet deminuere, non licet retinere fructus ſuperfluos.

CAP. XI.

Ad l. Si ex pluribus, De ſuis & leg. her.

LEx Iulia & Papia ius adcreſcendi abrogabat, non ius ſubſtitutionis. & ius adcreſcẽdi heredibus ſcriptis, non legitimis. qua de cauſa *l. ſi ex pluribus, D. de ſuis & leg. her.* quæ explicanda mihi videtur ſecundum ius nouum, id eſt, legem Iuliam & Papiam, heredem legitimum qui poſt aditam hereditatem deceſſit antequam ei deferretur portio coheredis iure adcreſcendi, confert cum herede ſcripto & coheredi ſubſtituto qui deceſſit poſt aditam hereditatem ex ſua inſtitutione antequam iure ſubſtitutionis portio coheredis ei deferretur, non cum herede ſcripto qui deceſſit antequam ei iure adcreſcendi deferretur coheredis portio. nec enim hanc collationem ius nouum patitur quo inter heredes ſcriptos non verſatur ius adcreſcendi. eademque ratione non confert heredem ſcriptum qui vita deceſſit antequam ei deferretur coheredis portio iure adcreſcendi cum herede ſcripto & coheredi ſubſtituto, qui deceſſit antequam ea deferretur ſubſtitutionis iure. Denique hoc tantum agit *d. l. ſi ex pluribus*, ſecundum ius nouum, vt intelligatur quod etiam Paulus *lib. 4. Sent.* ait ſcribens eadem de re, aliam eſſe cauſam heredis inſtituti, aliam legitimi. Heredi heredis legitimi qui adiit, adcreſcere portionem non adeuntis coheredis quæ non adcreuit defuncto. Heredi heredis ſcripti & coheredi ſubſtituti, qui adiit ex ſua inſtitutione, iure ſubſtitutionis non deferri portionem coheredis non adeuntis quæ non fuit delata defuncto. Sed ex iure antiquo & nouiſſimo quam non patitur ius nouum fieri collationem heredum, faciemus probe hoc modo. Heredi heredis legitimi qui adiit pro parte ſua adcreſcere portionem coheredis omittentis hereditatem quæ non adcreuit defuncto. Heredi quoque heredis inſtituti qui adiit ex ſua inſtitutione iure adcreſcendi obuenire portionem coheredis non adeuntis, quæ non fuit delata defuncto. At heredi heredis inſtituti & coheredi ſubſtituti qui adiit ex ſua inſtitutione, non obuenire iure ſubſtitutionis portionem coheredis non adeuntis quæ non fuit delata defuncto. quia ſicut adiri non poteſt hereditas quæ nondum delata eſt, ita is qui adiit ex ſua inſtitutione intelligi non poteſt adiiſſe etiam ex ſubſtitutione ex qua delata ei numquam hereditas fuit. & hoc eſt quod Vlpianus ait in *l. totiens, De adquirend. hered.* totiens videri heredem inſtitutum qui ſcilicet adiit ex ſua inſtitutione etiam in cauſa ſubſtitutionis adiiſſe quotiens adquirere ſibi poſſit, id eſt, quoties repudiatione vel omiſſione coheredis ex ſubſtitutione delata ſibi hereditas eſt: & hoc caſu ſubſtitutionem in heredem transferri. Sed ſi mortuus ſit ante delatam hereditatem ex cauſa ſubſtitutionis, ſubſtitutionem ad heredem non transferri. & hoc quoque Vlpianus ait ſcribens ad legem Iuliam & Papiam, cui tamen ex iure antiquo & nouiſſimo addi poteſt, heredem heredis inſtituti & coheredi ſubſtituti, qui adiit ex ſua inſtitutione, mortuo herede inſtituto eodemque ſubſtituto ante delatam hereditatem ex cauſa ſubſtitutionis quam non poteſt iure ſubſtitutionis capere hereditatem, capere iure adcreſcendi. Quod & in ſubſtituto pupillari locum habet *l. qui patri, de adquirend. hered.* & ratio differentiæ inter ius adcreſcendi & ius ſubſtitutionis hæc eſt, quia iure ſubſtitutionis capitur pars coheredis velut alia quædam hereditas, hereditas autem non adita non tranſmittitur, iure adcreſcendi capitur ipſo iure quaſi ab initio aſſe relicto. Eſt igitur coheredi ſuo ſubſtitutus ſimilis ei qui ſolus ex parte pure, ex parte ſub condicione heres inſtituitur, *l. j. §. id quod*

j. Ad leg. Fal. nam hic si in partem condicionalem substitutũ habuerit, & decesserit post aditam hereditatem ex institutione pura pendente condicionali, in heredem suum non transfert institutionem condicionalem, ius tamen adcrescendi transfert, id est, iure adcrescendi adquiritur heredi eius portio hereditatis si extiterit condicio quam non potest adquirere iure institutionis, atque ita substituto præfertur. Quod si substitutum nõ habuerit, perinde est atque si pure ex asse heres scriptus fuisset, & siue extiterit siue defecerit condicio, tota hereditas ad heredem eius pertinet iure institutionis. & ita excipienda est *l. qui ex duabus, de adq. her.* eius legis quæ præcedit adhibito §. *vlt.*

Cap. XII.

Explicatur & emendatur l. Papinianus, ad Trebel.

NOn in omnem successorem iuris transit ius adcrescendi. Successor iuris est fideicommissarius Trebellianus, nec tamen in eum transit ius adcrescendi: nam si heres rogatus semissem ex quo institutus est, Titio restituere, restituerit, & postea defecerit portio coheredis, tantum abest vt adcrescat fideicommissario, vt nec ei debeatur vel competat ex causa fideicommissi, si heres sua sponte adierit, ne scilicet plus habeat fideicommissarius quam testator eum habere voluit. ius enim adcrescendi non facit vt plus habeat quis quam testator dari voluit, sed ne minus habeat, cum nihil aliud sit quam ius hereditatis vel legati integrum nec deminutum per socij concursum. Adcrescet igitur ea portio heredi qui sponte adiit quasi ab initio asse relicto, nec pertinebit ad fideicommissarium, quasi semisse tantum ei relicto. Nec quidquam offendor *l. Papinianus, D. ad Trebellia.* quæ de eo loquitur qui compulsus adiit, non qui sua sponte. Constat autem ei qui compulsus adiit, quique quantum in ipso fuit irritam fecit voluntatem defuncti, indignum esse qui ex voluntate defuncti vel occasione eius quidquam quasi heres consequatur. quamobrem omne perdit quod non haberet si hereditatem non adiisset. Falcidiam igitur & præceptiones & substitutionem pupillarem factam sub condicione, si patri heres esset, & mortis causa capionem, & ius adcrescendi, *l. ita tamen* §. *qui suspectam* §. *si præceptis l. si patroni* §. *adeo, eod. tit. l. is cui, de cond. ind.* quia hęc non haberet si heres non esset. Contra non perdit ea quæ haberet etiamsi heres non esset, veluti substitutionem vulgarem aut substitutionem pupillarem factam pure. At is qui sponte adiit, nihil omnino perdit. retinet enim Falcidiam & cetera omnia, & id quod adcreuit. Sed enarremus quæso plenius quod est in *d. l. Pap. Heres scriptus ex semisse rogatus est restituere hereditatem*, id est, portionem hereditatis, vt *l. si Titius, de leg. 3.* ex qua heres scriptus est, eamque coactus adiit & restituit, deinde adcreuit heredi scripto alia portio hereditatis & hoc ignorauit fideicomm. Papinianum tractare ait, *libris quæstionum* scilicet, vt *l. vj.* §. *si ædes Si ser. vind.* an opus sit fideicommissario alia actione, id est, An fideicommissarium oporteat cogere iterum heredem scriptum ad adeundam portionem hereditatis quæ adcreuit. Et ait ex sententia Papiniani securum esse fideicommissarium, id est, deberi ei portionem quæ adcreuit etiamsi eam heres scriptus non adierit. Videntur duo illo loco inesse menda. Primum quia ponit fideicommissarium ignorasse portionem adcreuisse his verbis, *Deinde fideicommissarius ignarus sit adcreuisse.* Debuit enim potius ponere id cognouisse postea fideicommissarium. Itaque lego, *Deinde fideicommissarius gnarus sit*, vel, vt veteres loquebantur, *gnarus adcreuisse*, &c. Est & aliud mendum in illis verbis, *An opus sit eis alia actione.* nam ad compellendum heredem adire nulla est prodita actio fideicommissario, sed extra ordinem à prætore decretum postulatur, *l. recusare, l. si postulante, l. seruo inuito* §. *Cum prætor, eod. tit.* Itaque malo, *An opus sit ei alia aditione.* Recte autem respondet Pap. non esse opus noua aditione. prior enim aditio sufficit, *l. xxxv. in princ. De adquirenda hered. l. 6. De bonorum possessionibus, l. 2.* §. *si duo, De bonorum possessionibus, secundum tabulas.* & qui semel adiit ex sua Institutione videtur etiam adiisse ex causa quæ accedit iure adcrescendi vel iure substitutionis. Itaque securus erit fideicommissarius etiamsi non postulauerit decretum vt adeat heres portionem quæ adcreuit. Verum adiicit de illo magis esse quęrendum an opus sit fideicommissario noua restitutione, id est, vtrum videatur etiam heres restituisse quod postea adcreuit, vt sicut noua aditione non est opus, ita non sit opus noua restitutione, sed incrementum sequatur fideicommissarius ipso iure, an vero restituendo aliam heredis operam interuenire oporteat. & illud forsitan verius est: nam omnia quæ heres perdit qui compulsus adiit tacito iure fideicommissarium sequuntur. Sed de hoc potius quam de illo esse quærendum Papinianus ait. Illud enim erat certissimum, non esse opus aditione noua.

Cap. XIII.

An in emptorem transeat ius adcrescendi.

NOn probo consentientem fere vocem omnium Ius adcrescendi transire in emptorem hereditatis vel rei legatæ. Nam si ius adcrescendi non plus tribuit quam dari voluit testator, ne faciat contra voluntatem quod ducitur ex voluntate, nec sane alij hereditatem vel legatum tribuit quam cui dari voluit, vel ei qui propius ad eius personam accedit, id est, successori directo vniuersi iuris. Item vendita hereditate aut legato id plerumque agitur vt væneat quod ad venditorem peruenit venditionis tempore *l. ij.* §. 1. *de edit. her. vend.* Non igitur quod postea adcreuit, non quod accessit ex substitutione vulgari aut pupillari. nam & fideicommissarium hæc non sequuntur, si sponte adierit heres, quamuis fideicommissario restituta sit hereditas ex Senatusconsul. Trebelliano, id est quamuis sit successor iuris, vt exposui superiori capite. In contrarium obiicitur id quod dicitur, portionem portioni adcrescere veluti alluuionem, emptori ergo adcrescere Et *l. si totam, de adquirend. hered.* quæ non habenti partem suam negat adcrescere. Venditori ergo non adcrescere. quibus ita respondeo, Comparationem alluuionis non omni ex parte respondere, verum quod dicitur portionem portioni adcrescere, hoc eo tantum pertinere vt intelligamus habenti rem siue portionem suam alienam adcrescere, non amittenti. At qui vendidit hereditatem aut legatum possidere videtur, *l. iiij.* §. *vlt. Si quis omis. caus. test.* ergo rem non amisit. nec ius adcrescendi igitur. Contra is cui velut indigno erepta est hereditas quod tacite cauit se incapaci restituturum hereditatem, vt in specie *l. si totam*, plane rem amisit, *l. 5. De his quæ vt ind. auf.* ergo & ius adcrescendi. nam & Falcidiam ex Senatusconsul. Planciano *l. beneficio Ad leg. Falcidiam.* & caducum, vt Vlpianus scribit in *titulo De fideicom.* & omne emolumentum *l. cum quidam* §. *in tacito, De vsur.* non tamen substitutionem vulgarem vel pupillarem nec si facta fuerit sub condicione Si patri heres erit *l. ex facto,* §. *vlt. De vulg. substit.* qua in re deterior est condicio eius qui compulsus adiit:

nam

nam & si vterque patri heres sit sine re, tamen maiore odio dignus & quodammodo indignior honore delato est is qui quantum in se fuit destituit & euertit primas secundasque tabulas, quam qui fidem tacitam dando fideicommisso inutili accommodauit in fraudem legum caducarum.

Cap. XIV.

Qua ratione sit concilianda l. 35. §. 1. De adquir. hered. cum l. 8. §. item si seruus eod. tit.

SI filius f. 1. vel seruus alienus ex parte institutus & coheredi substitutus adeundo iussu patris vel domini ex institutione sua hereditatem patri vel domino adquisierit, ac deinde emancipato vel manumisso eo condicio substitutionis extiterit, licet e. ea causa filius vel seruus hereditatem rursus adierit, hæc tamen eis aditio non proficit, sed patri vel domino ex hac etiam causa adquiritur hereditas, quia scilicet adcrescit portio portioni potius quam obueniat iure substitutionis *l. penult. De iniusto rup. test.* atque adeo obuenit etiam inuito, licet alias substitutione non vtatur inuit⁹, & sine aditione noua *l. 35. De adquiren. her. l. testamento, C. de imp. & aliis subst.* & in summa substitutio quæ est appendix præcedentis institutionis, id est, quæ etiam omissa obueniret iure adcrescendi, per omnia ius adcrescendi imitatur, & fit à testatoribus, ne quis superfluam dicat, hac sola ratione vt excludantur leges caducariæ, sub nomine substitutionis introducto iure adcrescendi. Sed videtur cum *d. l. xxxv.* in ea specie quam proposui pugnare *l. lxxx. §. item si seruus*, eodem titulo, quæ seruo instituto ex parte pure, ex parte sub condicione, & adeunte iussu domini ex pura institutione, ait post manumissionem eius existente condicione seruo non domino adquiri portionem ex institutione condicionali. ac necesse est distinguere substitutionem qua coheres coheredi substituitur ab institutione condicionali, qua ex parte relinquitur hereditas eidem cui alia etiam pars hereditatis adscripta est pure, dato scilicet coherede, vt proponitur *d. l. lxxx.* nam substitutio appendicula est institutionis, & accretio potius quam substitutio, ac proinde merito sequitur eum cui ex institutione prior portio adquisita est. Institutio autem condicionalis dato scilicet coherede non est appendix institutionis puræ, nec enim ei cui pars relicta est, pure etiam pars alia obueniret soli, qua de causa & noua aditione est opus.

Cap. XV.

De adoptionibus.

ADrogatio per populum olim fiebat lege Curiata, hodie fit per principem, sed necesse est vt postea intimetur magistratui *l. vlt. C. de adopt.* sicut emancipatio *l. penul. C. de eman. lib.* & ea quidem fere formula is qui adoptat apud principem vtitur qua in adoptando Aureliano Vlpium Crinitum vsum apud Valerianum Imperatorem Vopiscus scribit, *Iube vt lege agatur, sitque Aurelianus heres sacrorum nominis & bonorum totiusque iuris Vlpio Crinito.* Alia ratio adoptandi ea est qua Nerua sedens pro tribunali, præsente Senatu & populo, solemni sacrificio facto, Traianum adoptauit, hoc vno verbo, *Adopto.* Adoptauit, inquam, in liberi locum, vt Sex. Victor loquitur, qui adiicit, & in partem imperij. male, quia nec in partem imperij adscitus est, sed Cæsar in Senatu duntaxat appellatus post adoptionem. Cæsar autem nec Imperator est nec particeps imperij, sed designatus imperatoriæ maiestatis heres & interim veluti Imperatoris, apparitor, vt A duobus locis scribit Ammianus Marcellinus. ac præterea adoptio filium facit, non Cæsarem: & vt cuilibet non omnis filius heres, ita nec Imperatori filius quiuis Cæsar. Fateor tamen etiam nuncupatione Cæsaris sola adoptionem fieri posse, quasi quicumque Cęsar designatur, Imperatori fit loco filij. & hoc genere Ælium Verum Adrianus adoptauit & Diocletianus Constantium & Maximianum. Spartianus *in Ælio Vero. Ælium Verum Adrianus*, inquit, *adoptauit non testamento, vt antea solebat, neque eo modo quo Traianus adoptatus est*, sed eo prope genere quo nostris temporibus à Diocletiano Maximianus atque Constantius Cæsares B dicti sunt, quasi quidam principum filij veri & designati Augustæ maiestatis heredes. De adoptione quæ testamento fit, scripsi *Obs. vij. cap. vij.*

Cap. XVI.

De diuersis paribus vel imparibus iudicum sententiis.

SI diuersis summis iudices condemnent, & sententiæ sint æquo numero, minimam summam spectandam esse Iulianus scribit, vt quemadmodum paribus sententiis reus absoluitur, quod ita esse lege cautum ait Dionysius *lib. vij.* tamen male cum essent xvi. tribus & absoluerent Coriolanum ix. si accessissent ei C aliæ duæ, absolutum eum fore διὰ τὴν ἰσοψηφίαν. nec enim pares sententiæ fuissent, sed vna maior absolutio Coriolani, quem rursus quod idem duorum iudicio damnatum *lib. vij.* & Plutarchus trium, vtrunque verum esse concedo, duarum scilicet quæ absolutioni deerant, & trium quæ condemnationi supererant. Aristophanes Grammaticus ὅταν ἴσοι γένωνται ψῆφοι, ἀπολύεται ὁ κατηγορούμενος. qui & de iudicio Orestis qui paribus sententiis absolutus fuit citat locum hunc Euripidis in Iphigenia Taur. ἐξέσωσά σε κἀ πρὶν ψήφους ἴσους κρίναι' ὀρέστᾳ. Verum, quemadmodum cœpi dicere, vt paribus sententiis reus absoluitur, ita minimum condemnatur, *l. inter, D. de re iudic.* idemque dicendum D est si diuersis pœnis condemnent, quia semper in dubiis, vt Seneca quodam loco ait, humanitas inclinat in leniorem, recte nam huius iuris ratio omnis imputatur humanitati & publicæ misericordię, quod possim multis auctoribus comprobare, sed contentus sum *l. si pars, D. de inoff. test.* quæ humanius esse ait eam partem sequi quæ secundum testamentum dedit, inter pares numero diuersasque Centumuirorum sententias, non fauore quodam, vt plerique putant, vltimæ voluntatis, sed reorum miseratione communi. Quæ enim pars pro testamento facit, pro reo facit. Illud vero quod dixi siue pœnis siue summis diuersis iudices condemnent, satis perspicuum est, si duæ tantum sint diuersæ sententiæ, duæ pœnæ, duæ summæ. At si tres fuerint quid fiet? Finge ex tribus iudicibus alium pronuntiare summam maximam, alium mediam, alium E minimam. Et hoc etiam casu, vt idem Iulianus scribit, perspicuum est prævalere minimam, quia in eam omnes consenserunt, *l. diem §. si plures, D. de recep. qui arb. rec.* quod tamen dici de pœnis tribus non potest similiter, vt si ex tribus iudicibus alius capitis pœnam, alius exilij, alius pecuniariam pronuntiauerit. Nec enim possis dicere omnes consensisse in minimam. & omnimodo illæ nobis diuidendæ sententiæ sunt vt sint tres numero, non prima & secunda coniungendæ aduersus tertiam, nec rursus secunda & tertia aduersus primam. sunt enim diuersæ. & contrariæ igitur. nam, vt eleganter Plinius ait *vij. Epist.* quæ sententiæ dicuntur tanquam diuersæ, numerari debent tanquam contrariæ: & rectissime in *l. xxvij. De re iud.* Duo iudicis dati diuersas sententias dederunt, atque ideo, in-

quit Accursius, contrarias, & metaphrastes Græcus. δύο χαμαιδικαστῶν ἐναντίαι ψῆφοι. Contrariæ autem sententiæ coniunctionem nullam admittunt. Prævalebit ergo mitior sententia, quæ scilicet irrogat multam pecuniariam, quia non sunt plures qui vel capite vel exilio plectant, quam qui pecunia. Non prævalebit certe grauior quæ mortem pronuntiat. Non prævalebit etiam media, quod tamen Alciatus voluit, quia excluſa grauiore, comparanda media est cum minore, qua in comparatione minori succumbat necesse est, ex quo efficitur necessario prævalere minorem. idem est si è iudicibus sex duo mortem, duo exilium, duo multam pecuniariam pronuntient. Idemque multo magis si ex septem iudicibus duo capite, duo exilio, tres pecunia multent, quia plures sunt qui pecunia multant quam qui vel exilio vel morte. Quid tamen fiet è contrario si tres capite puniant, duo pecunia, duo exilio? Et sane grauior sententia quæ capite punit, cum sit potior numero duabus singulis, meo iudicio, magis obtinere debet non aliter quàm si tres capite damnassent, vnus relegatione, vnus deportatione, vnus pecunia, vnus fustibus, quia diuersarum sententiarum coitio non est aduersus eam in qua sunt plures idem sentientes. Nam quoties impares sententiæ sunt, necesse est minoris numeri voces etiam si eæ sint forsitan honore vel æquitate maiores, cedere numero maioribus, paruaque, vt quidam Poëta ait, sileſcere parte. denique vt maximus Poëtarum nonnunquam τὰ χρείονα νικᾷν. Quod & in testimoniis seruari conuenit: recte enim ducitur hac in re argumentum à iudiciis ad testimonia, *l. lege, De manumiss.* sed non inficior licere tamen prudentissimo iudici ex causa inclinare potius in minorem partem testium *l. ob carmen*, §. *vlt. De testibus.* Et ita ex Constitutione Theodosij & Valentiniani responsa quoque prudentum numerantur non ponderantur. Vincit enim maior numerus auctorum. inter pares autem sententias obtinet magis ea pars in qua Papinianus fuerit, qui vt singulos vincit, ita non vincitur nisi à duobus. quod honori forsitan Bartoli etiam facile quidam deferant, quem alij saccum legum, alij lucernam iuris vocitant eadem forma qua Plato quendam θύλακον λόγων, & Quæstorem Valentinianus armarium legum, & Theodorum Balsamonem Nicetas λύχνον τῶν νόμων πλανητείας πάμφωτον. sed non ego facilis neque credulus illis. nam neque δικαιομάσηας huiusmodi iurisprudentibus comparauerim, & Accursium longe magis corona donauerim, à quo quidquid aberrat Bartolus, vanæ fictiones & ægri somnia videntur. Sed ad rem. Si ergo & septem iudicibus tres capitis pœnam dixerint, duo exilij, duo pecuniæ, non dices prævalere minimam, dices forte mediam, & negabis maximam, quo genere non constabis tibi ipsi: nam si tribus in vnam sententiam consentientibus non vis cedere dissentientes inuicem quatuor, cur vis quinque, id est, tres consentientes in capitis pœnam, & duos in pecuniariam, cedere duobus? Vincant ergo potius qui reum capite condemnarunt. Sed in omnibus his casibus solent hodie ex tribus sententiis facere duas, auctoribus grauioribus sententiæ quotquot fuerint compulsis eam omittere & accedere è reliquis duabus alterutri. quo genere vinceret vsque media sententia. nam quorum grauior sententia est, id est qui capitis pœnam dixerunt, si compellantur, mediæ accedent, potius quam leuiori, vt quam minimo fieri potest à priori sententia recedant. & hoc si facerent vltro non coacti, vel si persuasi, vt accidit in ea specie quam tractat Plinius supradicto loco, vehementer probarem. Compelli recedere non possum adduci vt probem. quinimo sic statuo, quæ iure potior non est media sententia, nec fortior reddi debet in eam compulsis iudicibus quibusdam inuitis, nec vbique mediocritatem esse amplectendam semper, quam elegantèr poëta ait certis duntaxat rebus concedi recte.

Cap. XVII.

Explicatur locus ex l. si extraneus, De iur. dot. qui aduersari videbatur l. Nesennius, De re iudic.

MVltum interest debitor mulieris mârito eius dotem promiserit, an is qui mulieri donare volebat: nam quod ille promisit, periculo viri est. quod autem alius scilicet donaturus promisit, periculo est mulieris. & ratio redditur huiusmodi in *l. si extraneus, De iur. dot.* quia vt cumque parcendum est marito qui eum non præcipitauit ad solutionem qui donauerat, quemque in id quod facere posset si conuenisset condemnauerat. Fallit sensus hic, quasi dicat, eum qui pro muliere cui donare volebat marito eius dotem promiserit, à marito in solidum conueniri & condemnari non posse. Sed repugnat huic sensui *l. Nesennius, De re iudic.* & manifesta iuris ratio, quia extraneus est marito, cui etiam noluit donare, sed mulieri, & maritus dotem de eo stipulando negotium suum gessit, *l. qui id quod* §. *vltime, De donat. l. penult. De nouat.* & hoc vtique si constante matrimonio maritus agat in solidum. nec enim dabitur promissori exceptio in eo quod facere non potest, nec soluto matrimonio nisi in eo quod mulier receptura est iudicio dotis, *l. si donaturus in fin. De condic. caus. dat.* Ergo sic potius intelligendus locus ille est, vt marito imputare mulier non debeat quod cum non vrserit ad solutionem qui donauerit mulieri, quemque mulier si conuenisset, in id duntaxat quod facere posset condemnatura erat. Hac igitur excusatione vtetur maritus, siquidem tarditatem eius arguat mulier, Peperci ei cui tu etiam pepercisses, quique erga te munificus & liberalis extiterat. Qui donauerat, inquit. Cui vero donauerat? vtique mulieri non viro. Sequitur: Quemque condemnauerat. Quis vero condemnauerat? Et mulier igitur non vir. Nam cum vir, profecto in solidum condemnaret.

Cap. XVIII.

Diem diffindere. Horatius emendatus.

MOrbus sonticus litigatoris diem iudicij ipso iure differt etiam inuito iudice, *l. quæsitum, De re iud.* Plus enim potest lex quæ nominatim ob morbum sonticum diem diffindi iubet, quam iussum aut voluntas iudicis, *l. si feriatis, De recep. qui arb. recep.* quæ etsi adhiberi plerumque soleat iudice ita pronunciante, vt ex Acrone inferius intelligemus, Hic dies diffisus esto, tamen non ideo minus verum est diem diffindi ipso iure, arg. *l. quamuis, De acq. rer. dom.* Sed & morbus sonticus iudicis ex eadem lege iudicium diffindit non etiam dissoluit, *l. iudex, D. de iud.* nam diffindere est differre non dissoluere. Non idem omnino est proprie differre & diffindere, sed ex diffissione sequitur dilatio. idcirco nihil refert dixeris morbo sontico differri diem, vt *d. l. quæsitum*, an diffindi, vt l. xij. tab. *l. ij.* §. *siquis iudicio, Si quis caus.* quo loco etiam Græci iudicium diffisum, dilatum interpretantur his verbis, τὸ δικαστήριον διαρπάθηται ἐνὸς τῶν δικαζομένων ἢ τῶ δικαστοῦ νοσοῦντος. Proprie diffindere est diuidere, infringere, interrumpere iudicij diem, siue tempus illud quo iudex aut alteruter ex litigatoribus morbo sontico laborat, demere numero dierum, quibus iudicium fieri iudicioue sisti oportet. Varro vno loco, æstate diem meridie diuidere, quod est partem

solido demere de die, alio diffindere. *Si non diffinderem*, inquit, *meo insiticio somno meridie.* & in elegantissimo quoque illo Horatij sermone & Trebatij Iurisconsulti, Trebatius, *Nihil hinc diffindere possum*, id est nihil quidquam deducere ex tua sententia possum, quò modo per quam decenter vti eum verbo artis suæ etiam integer Acro siue quisquis ille est vetus interpres Acronis adoptiuus adnotauit hoc modo: *Trebatius*, inquit, *respondens iuris verbo vsus est. Prætor enim solebat dicere, Hic dies diffisus esto. vt verbis similibus, Transnanto, Habento sermone eodem. Iuris*, inquit, *verba dicit loquente Trebatio, sicut Virgilius, sunto.* Hæc autem assidue Iurisconsulti. Diffingere habent male Codices quidam: vt & illo loco, *O vtinam noua incude diffingas*, cum antiquus interpres legerit diffindas, id est deducas, refabricas & exacuas contra barbaros. At præterea in eodem sermone non possum non approbare quod habent antiqui libri, Non Lælius aut qui Duxit ab oppressa meritum Khartagine nomẽ ingenio offensi? frequentissimum noſtris Iurisconsultis loquendi genus, frequentissimum Horatio. *Non tandem? suffians si magna fuisset, Maior dimidio, non tanto?* nam & ita scriptum inueni, vt alibi, *Non furis? Non viperinus his cruor?* Sed & quæ nomina in libris inuenio, Venidi⁹ aut Benidius Ruffus, Benidius Quietus, Pactum eius Androsth. Pactum eius magnus, Pactum eius Clemens, Fufidius Iur. & in Horatio, maxime fide vetustiorum librorum approbata, placent magis. *Ne facias quod Venidius. Tunsque venter Pactum eius. Suppositi partus* nomen proprium. *Fufidius vappæ famam timet.* Sed nominum forsitan restituendorum inanis labor, vt nec quidquam attineat in Epistolis Dossennus magis approbare, sicut Plinij 14. veteres habent Fabius Dossennus, atque etiã noui Senecæ illo loco, *Inscriptus Dossenni monumento titulus, Hospes resiste & sophiam Dossenni lege.* Et vtiliora nescio an hæc sint, legendum esse alio loco, *Plorem artis in te nihil agentis exitus*, id est artis meæ irritos exitus, vt contra alibi, *Secundos reddidit exitus, bonos eduxit ad exitus.* Item alio loco.

Vt studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris, & Curij statua taciturnius exit
Plerunque, & risu populum quatit.

Sublata scilicet societate quæ vix vnquam coit curarum cum libris, nisi curas pro cogitationibus siue meditationibus acceperis. quod Græca quidem vox feret, sed vix Latina. Et alio, *Matronæ peccantis in ambo iusta potestas.* Et alio, *Irriguo nihil est elucius horto*: vt sit elucius, languidius, insipidius, vt elucum, languidum & stupidum. Et in *Epodis* volente Circa. Plautus *Epidico. Hanc asserua Circam.* Sic enim legit Probus *in Catholicis*, & lectum est etiam à me in veteribus libris, vt Penelopa apud Plautum & Ciceronem & Papinianum *l. 9. De sup. leg.* Circa apud Plautum *Pseudolo.* Possim addere alia & aliena à professione mea, ad quẽ redire me officij me mei ratio compellit, & post iudicij diffidendi causam expositam *d. l. ij. §. si quis iudicio*, adnotari quod additur, Exceptionem dandam mulieri grauidæ, falsum videri, quandoquidem morbo sontico non laborat, nec pleno minus quam vacuo vtero mulierem iudicio sisti oportet. Itaque malim exceptionẽ ei non dandam, vt etiam recte subiiciat statim, si tamen post partum decubuerit, probandum erit quasi valetudine impeditam.

Cap. XIX.

An sua conscientia contentus esse debeat iudex ad condemnandum vel absoluendum reum.

SI de re qua de agitur liqueat iudici, longe aliter quã constet probationibus, vel etiamsi probationes deficiant, res cognita compertaque sit iudici, vetus est quæstio & à Gellio proposita *xiv. cap.* 2. oporteatne iudicem secundum ea quæ sciuerit iudicare, an secundum ea quæ aguntur, quæque producuntur in iudicium. Et tractari à nostris interpretibus solet in *l. illicitas §. veritas, D. De offic præs.* in quo nihil tamen inuenias quod possis ad eam quæstionem accommodare, nec enim confertur eo loci scientia iudicis cum probationibus prolatis in iudicium, sed veritas rerum gestarum quæ quidem veris & idoneis probationibus confirmatur cum erroribus, veluti mendis testium vel scriptorum errore veritatem non minui, vt *l. nec omissa C. de liber. caus. l. v. C. de iur. & fact. ignor. l. adsumptio D. ad Municip.* Verum placet in ea quæstione mihi quidem magis Ioannis stare sententiæ, vt iudicet iudex secundum ea quæ aguntur & allegantur in iudicio, quia tutior hæc est ratio finiendarum litium, quam si obtentu scientiæ iudicis licere permissis probationum nullam habere rationem, quamuis euenire interdum possit vt aliud quidem sciat iudex, aliud in causa agenda probetur. sed vt in iudicijs deteriorem sententiam valere præstat si numerosior sit, quam in ponderandis sententiis posteaquam dictæ sunt semel iterum laborare quasi instaurata lite, vt iniquam sententiam vnius iudicis valere publice interest, quam incertam esse rerum iudicatarum auctoritatem, ita melius multo est probationes sequi iudicem, quam quod se scire profitetur & dicit, vero an falso cæteris nescientibus, ne & testis & iudicis partes egisse videatur, quæ & si in aduersario coire videantur cuius iureiurando res committitur *l. vlt. C. de fideic.* non tamen possunt coire in eo qui iudicandi munus suscepit. Et hac ratione vsus posterior Africanus in censura recognoscens centurias equitum iussit C. Licinium Sacerdotem transducere equum, & lucrifacere censoriam notam, quem tamen dixerat se scire verbis conceptis peieraſse, quod idem nemo alius testificabatur, vt M. Tullius & Valerius Maximus scribunt. ac præterea si licet iudici secundum ea quæ scit iudicare, probationibus deficientibus, aut his quæ productæ sunt plane contemptis, licebit etiam deficiente accusatore damnare quemlibet, quod tamen iura non patiuntur Probarim tamen hac in re, quod suasere Doctores quidam, valde, si religione moueatur iudex quo minus iudicet contra quam ipse sciat rem se habere, vt personam iudicis deponat & suscipiat testis vel accusatoris, vt apud Liuium *iij. C. Iulius Decemuir accusator apud populum maluit esse eius rei cuius iudex legitimus erat.* Nec enim, vt dixi, & testis & iudicis partibus fungi potest. Si iudicis partes suscipit, deponat testis: vel contra si testis, deponat iudicis, vt est in Platonis legibus scriptum hoc modo, Ἐὰν δέ τις τινὰ δικάζοντα ἀφεστήκῃ μάρτυρα μαρτυρήσας, μὴ διαψηφιζέσθω τοῦτ' αὐτὸς ἐν δίκῃ.

Cap. XX.

Reprehenditur Accursij responsum quod est in l. ex contractu, De re iudic.

SI pupillus qui patri suus heres extirit atque etiam miscuit se suscipiendo iudicium nomine patris cum creditoribus paternis quasi heres, ac deinde abstentus

est, nec substitutum nec coheredem habeat, quærit Accursius in *l. ex contractu, De re indic.* an ad successores ab intestato perueniant bona paterna. Et respondit hereditatem non ad eos peruenire sed ad fiscum, argumento ducto ex *l. vlt. De suc. edic.* quia scilicet successores ab intestato semel excluſi sunt immistione pupilli sui testamento heredis scripti, male, quantum existimo: quia si substitutus mistione illa non excluditur, vt est proditum in *d. l. ex contractu*, cur excluditur legitimus vel honorari[a] successor quo minus veniat saltem iure prætorio quasi ad bonorum possessionem intestati? Et *d. l. vlt.* non de eo loquitur qui miscuit se & abstinuit suo iure non petita restitutione in integrum, quo de agitur in *d. l. ex contractu*, sed de extraneo qui adiuit vel accepit bon. poss. ac deinde restitutus est abstinendi causa, de quo etiam est *l. ait prætor*, §. *sed quod Pap. De minor.* à quo fateor bona quasi vacantia transire in fiscum, quia aditione illius confecta res est: adeo vt non potuerit absque restitutione in integrum suo arbitrio ab ea resilire & abstinere se, atque ita semel adeundo & substitutionem excluſit & ius adcrescendi & causam intestati, idemque eadem ratione constituto in pubere suo, qui miscuit se, deinde abstinuit beneficio restitutionis. Pupilli sui heredis qui miscuit se, longe alia ratio est. nec enim mistione statim excludit substitutum vel successores ab intestato, cum liberum sit ei adhuc ipso iure non petita restitutione in integrum intra deliberandi tempora pœnitere & abstinere se. nec enim necessaria ei est prætoris aditio, sed sufficit edictum quo pupillis suis prætor abstentionem omnimodo permisit, *l. necessariis*, *De acq. her.* Non videtur stabile aut confectum quod idem ipse qui fecit statim suo arbitrio & facillime mutare potest. itaque quasi nondum confecta mistione siue adquisitione hereditatis perinde atque si eam non adquisiisset, si pupillus ille postea abstinuerit se vt ius substitutionis & ius adcrescendi, ita ius intestati successionis saluum & integrum permanere puto.

Cap. XXI.

Constitutiones Zenonis & Iustiniani de plus petitionibus.

DE sunt in titulo de plus petitionibus duæ Constitutiones græcæ, prima Zenonis, secunda Iustiniani, Latina enim eiusdem Iustiniani quæ sola restat in eo titulo, tertia est. Et prima quidem Zenonis Constitutio de his qui tempore plus petierint, id habet quod Iustinianus retulit in §. *hodie*, *Inst. de excep.* ac præterea vt alterum tantum temporis quod indulgetur debitori immune sit ab vsuris dependendis, & ne minores plus petitionis periculum incurrant quorum tutores vel curatores tempore vel summa plus petierunt, sed tutores ipsi vel curatores, vt & in specie *l. properandum* §. *vlt. C. de indic.* Ne etiam plus petitionis periculum incurrant hi qui res hereditarias persequuntur, vel qui de rationibus reddendis agunt tutelæ aut negotiorum gestorum, vel qui de rebus ab aliis depositis quasi heredes depositi agunt. iustæ enim ignorantiæ suffragio excusantur. nec enim plerumque scire liquido possunt quot res hereditariæ ab eo quocum agant possideantur. negotiorum quoque ab alio gestorum ratio actori per quam obscura est, itemque rerum à defuncto depositarum heredi, qui tamen alias ignorantiæ colore plus petitionis periculo non absoluitur *l. lxij. De reg. iur.* & in summa is tantum incidit in pœnam plus petitionis quem manifesto apparet plus debito appetere scientem dolo malo. Licet vero ex ea Constitutione Zenonis qui tempore plus petit causa non cadat, sed aliter coërceatur, is tamen qui summa plus petit causa cadit, vt olim, id est ius crediti amittit, non tamen ius pignoris, *l. seruum quem, D. de pign. l. Stichum aut Pamphilum*, §. *pen. de solut. l. Titio c.* §. *vlt. De cond. & demon.* sicut confusione receptum est ius crediti amitti, non ius pignoris *l. debitor, ad Trebel. l. cum quis* §. *vlt. De solut.* Nam vt ne is qui summa plus petit causa caderet, primus introduxit Iustinianus secunda Constitutione, quam mox subiiciam post hanc quam tracto Zenonis, quæ præter ea quæ dixi, postremo etiam id habet de his qui re minus petunt quod retulit Iustinianus in §. *si minus, De act.* & verba eius hæc sunt. Πᾶς τῆς ἐναγόντων, ἢ ἄῤῥενες ἢ γυναῖκες, περὶ τ ὠειλμένης περιθεσμίας τῆς χρεῶν ἐνάγοντες, ἢ χρὶ τοῦτο τὸν ἐναγόμενον βλάπτοντες, ἄλλον τοσοῦτον παρελυέτωσαν χρόνον, μηδένα τόκον ἐν τῷ μέσῳ λαμβάνοντες ὅσον αὐτοὶ περιφθᾶναι τὴν περιθεσμίαν ἐπεχείρησαν. ἢ τὸ χρόνε ᾧ τότε παρεγένετος, μὴ ἄλλως ἐναγέτωσαν, εἰ μὴ τὰ διαπανήματα τ προσόδου τὰ ὑπὲρ τ μεθοδείας σύμβαντα τῷ διαδίκῳ καταβάλωσιν. ἐὰν ᾧ ἐπίτροποι, ἢ κουράτορες, ἐν χρόνῳ ἢ ποσότητι πλέον ὑπερβήσωσιν ἀπαιτῆσαι τὰς τῆς κινδευομένων χρεώσας, ὧδεν καταβλαπτέτωσαν οἱ ὑπιτροπευόμενοι, ἢ κουρατωρευόμενοι. αὐτοὶ ᾧ οἱ ἐπίτροποι ἢ κουράτορες ὑπομνωσκέτωσαν αὐτοῖς τὴν ἐντεῦθεν συμβαίνουσαν ζημίαν. Οἱ ᾧ κληρονομίαν διεκδικοῦντες πράγματα, ἢ λόγους ὑπιτροπικοὺς, ἢ κουρατωρείας ἀπαιτοῦντες ἢ οἱ χρὶ ἀφηλίκων, ἢ μειζόνων περὶ διοικήσεως κινοῦντες, ἢ παρακλήκας ὑφ' ἑτέρων δεδομένας ἀπαιτοῦντες, ὡς αὐτοὶ τῆς περιθεμένων διάδοχοι γενόμενοι, μηδὲν ἐκ τ ὑπαναπαύσεως ζημιέτωσαν, ὡς δίκαιον ἔχοντες τῆς ἀγνοίας αἰτίαν. τότε ᾧ ὁ ἀπαιτῶν ζημιέτω ὅτε περφανῶς ἠλέγχθη πλεονεκτῶν. Εἰ ᾧ τὶς εἰς ἔλαττον τ ἀληθείας διεπιμήσατο τὴν ἑαυτοῦ δίκην, μὴ περισχέτω τούτῳ ὁ δικάζων ἀλλ' περὸς τὴν ἀληθῆ ποσότητα τὴν ψῆφον ἐκφερέτω. Secunda Constitutio Iustiniani tripli pœna coërcet eos qui summa plus petunt in libello conuentionis, quod repetitur ab eodem in §. *tripli* & §. *sed hæc quidem, De act.* quæ à titulo de sportulis abesse præsumebatur antea, sed longe alia est earum Constitutionum sententia quæ ab eo titulo absunt, vt sequenti capite demonstrabo. Interim Constitutionis Iustiniani, vti sunt in Basilicis, verba proponam. Εαί τις τῆς ἐναγόντων ἐν τῷ διαπεμπομένῳ παρ' αὐτῆ βιβλίῳ πλείονα ποσότητα τε δικαίε πλείονος ζημίας αἴτιος τῷ αἰτηθέντι γένηται, τριπλασίονα διδότω τὴν παρ' αἰτίαν αὐτῆ συμβᾶσαν τῷ διαδίκῳ ζημίαν. ἀληθὴς ᾧ ποσότης τῆς ἐναγωγῆς νοείσθω εἰς ὃ ὁ δικάζων ἐκφέρει τὴν ψῆφον.

Cap. XXII.

Constitutiones Græcæ quæ desiderantur in tit. De Sportulis.

QVarta Constitutio quæ deest in *tit. de sportulis*, Iustiniani est, atque etiam quinta. Secunda scripta est Duci Thebaïdos, sed cuius sit, nescio, & vt expediar ab ea, hoc tantum vult. qui principis edicta in prouinciam perferunt de his qui ciuilẽ aut militarem administrationem in ea prouincia gesturi sunt, si plus xv. aureis ex prouincia retulerint, vt teneantur in quadruplum, vtque hanc pœnam patiantur etiamsi dicant se à volentibus accepisse. Si, inquam, dicant. Nam si reuera constet volentes dedisse vltro, huic pœnæ vt arbitror qui ab eis acceperunt nequaquam subiiciendi sunt. Et similis huic pœna est in *l. vlt. C. pub. læt. vel Coss. nunt.* aduersus nuntiatores sacrarum literarum si quid vltra vi. aureos ab inuitis exegerint aut nuntiatores generalium formarum præfectorum prætorio, aut statuendarum statuarum imperialium in ciuitate aliqua, quod honori summo esse sibi ducebat quælibet ciuitas, aut publicorum commonitoriorum. Nam συμβόλαια illo loco malim commonitoria in-

terpretari, vt No. cxxviii. θεῖον κομμονιτόειον, Basilica θεῖον συμβόλαιον, quod aliter Zonaras in *Concilio Carthaginensi* ἐνταλτήειον, idque euidenter demonstrat alia Constitutio Græca, id est, *l. xxvi. C. de epis. aud.* in qua repetitur sententia *d. l. vlt.* & pro συμβολαίων habet κομμονιτοείων. Verbis autem his ea de sportulis Constitutio refertur in *Basilicis*. Οἱ τὰ διατάγματα νομίζοντες μὴ μελλόντων ἄρχειν πολιτικῶν ἢ στρατιωτικῶν, ἀρχῶν, δεκαπέντε μόνους χρυσοῖς ἐκ τῆς ἐπαρχίας κομιζέσθωσαν. εἰ δὲ πλέον λάβωσι τὸ τε στρατήσιον διδότωσαν, μὴ διωάμενοι πρὸς ἀπολογίαν προφέρειν ὡς παρ' ἑκόντων τὸ πρέπον εἰλήφασιν. ἀλλ' ἄχρι μὴ ταῦτα ἐντελῶς γένηται ἡ διάταξις. λοιπὸν δὲ ἰδικὸν δείξαι πρέσιμον κατὰ τὸ δουκὸς δικαίως πρὸς ὀναντιγράφη, καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν τῷ αὐτῷ παραληφομένους ἀρχῶν εἰ μὴ τὰς ὑφεσταλμένους τῷ νομοθεσίαν, τῷ ὡρισμένῳ ἅπασι ποινῷ. Hanc sequitur tertia Iustiniani latina quæ nota est omnibus, tum quarta Græca, cuius ex Basilicis hanc didicimus esse sententiam, vt qui exequenda negotia publica vel priuata suscipit à principe vel ab aliqua illustrium potestatum, reum conueniat, nec tamen antequam insinuauerit ei iussiones huiusmodi: nam nesciri interdum eas expedit, vllas ab eo sportulas accipiat vel exigat, ipsum nisi exemplum ei ediderit diuinæ aut maximæ iussionis ex qua eum conuenit. Sed & si alterius potestatis vel prouinciæ præsidis publicum aut priuatum præceptum habeat, vt ne exigat reum vel sportulas accipiat antequam præceptum quod habet præsidi prouinciæ insinuauerit, quo scilicet rei exemplum inde sumere possint, atque etiam reis libellum ediderit vel inscriptionem in causis criminalibus, alioquin repelli ipsum excecutorem à reo impune posse, si his non peractis conuentionis libellum obtulerit vel sportulas exegerit, vt *l. v. & vlt. C. de execu. & exact.* Additur insuper ne erga prouinciales sint molesti exactores, per causam vel prestandæ satisdationis vel constituendi procuratoris. sed rerum immobilium possessores iuratoriam cautionem præstent, secundum regulam, *l. sciendum, D. qui satis. cog.* non possessores, satisdationem de indemnitate in summam L. librarum auri: & si qua de persona fideiussoris oriatur quæstio vel de tenore cautionis iuratoriæ, vt ea dirimatur ab episcopo & patre ciuitatis & defensore, exactore compellendo accipere fideiussorem quē illi idoneum iudicauerint, vel cautionem iuratoriam. Verum si à principe vel præfecto Prætorio sit executori iniunctū personam ipsam ducere omnimodo nec eam fideiussoribus committere, tum licebit executori non accipere fideiussores & ipsam adducere personam. Postremo vt ne executores pro editione libellorum vel inscriptionum vel actorum vel instrumentorum plus exigant solatij nomine quam si definitum sequenti Constitutione, id est quinta, data Kal. Iu. CP. DN. Iustiniano perp. A. iij. Coss. Diem habemus, verba non habemus, sed constat ex multis locis eam definiuisse executoribus certum sportularum modum & pœnam quadrupli in superexactores §. *quadrupli, Inst. de act. No. xvij. lxxxij. cxxiij.* Modum autem definiuit pro modo petitæ quantitatis, id est, in centenos aureos dimidiatum & consequenter in ducenos aureum vnum, in millenos, aureos sex, vt Theophilus scribit in §. *tripli*: excepto fisco, quem gratis litigare cauit, vt Iuliani antiquus interpres refert in *No. xvij.* *sine xxj.* At verba Constitutionis quartæ vt breuiter relata sunt in Basil. hæc sunt. Ὁ ἐγχειριζόμενος δημοσίας ἢ ἰδιωτικὰς χρείας παρὰ βασιλέως, ἢ παρά τινος τῶν ἐνδοξοτάτων ἀρχόντων, ὑπομνηστέω μὴν τὸν ἐναρόμενον καὶ πρὶν ἐμφανίσαι αὐτῷ τὰς τοιαύτας κελεύσεις, ἐὰν ὅτε γὰρ καὶ ἀγνοεῖσθαι αὐτὰς, μήτε ἀξιωσθείας λαμβανέτω παρ' αὐτῶν, μήτε ἐνβιαζέτω αὐτὸν, εἰ μὴ τοῦτον τῆς θείας ἢ μείζονος κελεύσεως ἐνδῶ αὐτῷ ἐξ ἧς ὑπέμεινεν αὐτόν. Εἰ δὲ ἄλλα τινὸς ἄρχοντος δημοσίαν ἢ ἰδιωτικὴν πρᾶξιν ἔχει, ἢ τὸ καθ' χώραν ἄρχοντος, μὴ ἐνβιαζέτω τὸν ἐναρόμενον μηδὲ ζωωθείας κομιζέσθω, εἰ μὴ ἐμφανίσει πρότερον τῷ ἄρχοντι τῆς ἐπαρχίας, ὥστε δι' αὐτοῦ ἐκεῖθεν ἐκλαβεῖν τὸν ἀπαιτοῦντας, καὶ βιβλίον αὐτοῖς ἐπιδοτέν, ἢ γραφὴν ἐπὶ τῆς ἐγκλημάτικῶν. εἰδὲ μὴ γενομένων τούτων ὑπόμνησιν προσφέρῃ, ἢ ζωωθείας ἀπαιτεῖ ὁ ἐνβιασθείς, ἐξέστω τῷ ἐναρομένῳ ἀποδεῖξαι αὐτὸν, μήτε δὲ προφάσει ἐγγυῶν ἀλόγως ζημιούσθωσαν οἱ ὑποτελεῖς ἢ ἄλλα τι πράκτορες, ἢ καθ' ἑκάστου ἐντολέως, ἀλλ' εἰ μὴ ἀκίνητον κτῆσιν ἔχουσιν, ἐξωμοσίας ἐκπιδέδωσαν γραμματεῖον. εἰ δὲ μὴ ἔχουσιν, ἐγγυητὴν ἕως πεντήκοντα χρυσοῦς λιτρῶν παρεχέτωσαν ἀζήμιον. ἀφιβολίας δὲ γινομένης περὶ τοῦ προσώπου τοῦ ἐγγυητοῦ, ἢ περὶ τοῦ ὕφεσις τῆς ἐξωμοσίας ἢ παρὰ τοῦ ὑπατικοῦ τῆς πόλεως, καὶ τοῦ παρὰ, καὶ τοῦ ἐκδίκου τοῦ περὶ τούτου κεινέδου ἀνάγκην ἔχοντος τοῦ πράκτορος δέχεσθαι τὸ κεινόμενον ἀξιόπιστον ἐγγυητήν, ἢ τῆς ἐξωμοσίας κομιζόμενον. Ἐὰν δὲ ἐξ θείας κελεύσεως, ἢ μείζονος προστάξεως ὑπερπαρεὶς πάντως τὸ πρόσωπον ἀναγαγεῖν, καὶ μὴ καταπιστεῦσαι αὐτῷ ἐγγυητῇ; τότε ἐξέστω αὐτῷ μὴ λαμβάνειν ἐγγυητὴν, ἀλλὰ διάγειν τὸ πρόσωπον ἀζημίως, καὶ μὴ πάσης φόβοις. Ὁ δὲ θεοφιλὴς περὶ τόπων ἐπίσκοπος ἐὰν συγχωρήσῃ παραβαθῆναι τὸν νόμον, ἢ μὴ μηνύσῃ κατὰ τοῦ παραβαίνοντος, καὶ τῷ Θεῷ προσκρούσῃ, καὶ βασιλικῆς πειραθήσεται κινήσεως. Ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἄρχων τῆς ἐπαρχίας εἰ ῥαδυμήσει τὸ νόμου, καὶ παύεται τῆς ἀρχῆς καὶ ἀημευθεὶς πλουσίως ἐξοείζεται, μὴ λαμβανέτωσαν δὲ οἱ ἐπιδιδόντες τὰ βιβλία, ἢ τὰς γραφὰς πράκτῆρες καὶ τὰς ἐντυχίας, ἢ τὰ συμβόλαια περιττὸν τῆς διωρισμένης τῇ μὴ ταῦτα διατάξῃ παραμυθίας, ἢ παραβαίνοντες ὑποκείσθωσαν τοῖς ἐπὶ τιμίοις αὐτῆς. Sed illo loco, ἢ τῆς ἐξωμοσίας κομιζόμενον, lego, ex *lege xxvj. C. de epis. aud.* μηδὲν πρὸ τοῦ ἐγγυητοῦ, ἢ τῆς ἐξωμοσίας κομιζόμενον. Ideo autem verba Constitutionis quintæ non sunt relata in Basilicis, quod longe alium modum imposuisset sportulis & sumptibus in diuersis iudiciis faciendis Constantinus Porphyrogenneta No. vii. & viii. abrogata Constitutione Iustiniani. Subiicerem vtramque Nouellam, nisi pararem omnes edere in publicum simul cum aliis plerisque posteriorum Imperatorum Orientis.

Cap. XXIII.

Emendatur l. 51. De reiudicata.

IN *l. 51. D. de reiud.* scio legisse ex veteribus plerosque, si vetitor præstiterit creditori quanti eius interfuerit, vocem latinis inusitatam, ex qua etiam si recipiatur exeat sententia falsa, vt ab extraneo consecutus pœnam qui se possessione prohibuit non possit rem è debitore petere. est enim pœnalis actio in factum quæ datur aduersus eum qui creditorem ex decreto missum in possessionem prohibuit, *l. j. §. hanc actionem, D. ne vis fiat ei qui in pos. mis. est*: & exemplo eius quæ datur in suppressorem tabularum per eam non perimitur crediti actio quæ in debitore competit, *l. iij §. condemnatio, De tab. exhib.* nec enim idem est quod à debitore petitur, & quod exigitur ab eo qui vim fecit creditori. illud namque res, hoc vero pœna. & pœnalis actio non perimit rei persecutorem. Græci deterius legunt, *Si emptor præstiterit* &c. & ponunt extraneum qui creditorem prohibuit possessione ea bona vendidisse, ac deinde emptorem creditori præstitisse quanti interest, & hoc facto debitorem liberari. nam quod accepit ab emptore creditor non id est quod petit modo à debitore, & hoc amplius possit quidem emptor ille vltro soluere vice venditoris qui prohibuit, non etiam compelli actione in factum pœnali ex edicto Ne vis fiat ei qui in possessionem missus est. Et nequis hanc lectionem atque sententiam Græcis causetur tribui falso cognoscat verba huiusmodi τὸν πεμφθέντα εἰς νομὸν τῆς ἐμῶν μὴ δεχόμενος, ἐπώλησα ταῦτα εἰ ὁ ἀγοράσας πληρώσει τὸ διαφέρον ἐλευθερώσαι. ὁ γὰρ ἃ ἔλαβε δὶς ἀποτῶν ἀνοσίως ἔστιν. *Alij venditor*, inquiunt, id est emptor nominis. Sed his appellationibus iuris auctores promiscue nunquā vtun-

tur. Et consequenter male etiam qui venditor, id est, emptor cui fraudator vendidit, quoque latitante creditor missus est in possessionem bonorum eiusdem & non admissus exegerit quanti sua interest ex edicto, *Ne vis fiat ei qui in poss. miss. est.* nam & hoc genere debitorem liberari non est æquum, cuius res nihil habet connexum cum re illius emptoris: cui eadem ratione malè etiam adnectunt alium creditorem & quemlibet extraneum. Ego dico esse legendum, *Si debitor præstiterit* &c. & mox. *quæsitum est an debito liberetur:* vt quæ in extraneo est pœnalis ex edicto, *Ne vis fiat ei* &c. in eodem debitore qui creditorem possessione prohibuit, non censeatur esse pœnalis, vt in edicto *De tab. exhib.* proditum est *d. l. ij. §. condemnatio*, atque adeo vt solutione eius quod interest possessionem hoc habere etiam debiti contingat liberatio Et similis error est in *l. emptionibus, De pac. l. quod dicitur, De fur.*

CAP. XXIV.

An interdicto vsu purpuræ, segmata purpurea interdicta videantur.

MVlti Imperatores vestis purpureæ vsu interdixerũt tam viris quam fœminis. Primus certe Cæsar omnibus, præterquam Senatoribus qui in magistratu essent, vt Dio scribit *xlix.* & Neronem matronam purpura cultam non veste tantum, sed bonis exuisse Suetonius: ac propterea etiam commercio hominum prorsus alii purpuram exemerunt, *l. 1. C. quæ res van. non poss. l. pen. C. de vest. holo.* adeo vt nec segmentorum quidem purpureorum vsum permiserint, quem tamen permisit postea Leo philosophus *No. lxxx.* vt interdicto vsu sericeæ vestis constitutionibus Henrici & Caroli V. permittuntur tamen institæ & segmenta duorum digitorum latitudine, vt nominatim Tiberium posteriorem Cedrinus scribit permisisse purpuræ διὰ πλατέων ὄφεις ἐν ταῖς στολαῖς αὐτῶν κόσμου χάριν φορεῖν, qui voce ex latino detorta ὄφεις vocat quasi oras vel quasi ornaturas, vt Isidorus ait, Leo τμήματα, nos limbos vel segmenta, vt Liuius integer *lib. xl. Non inuiderunt*, inquit, *laudes suas mulieribus viri Romani, adeo sine obtrectatione alienæ gloriæ viuebatur.* tunc enim primum sancitum fuit, in mulieribus de via cederetur, vt inauribus aureis, vt purpurea veste, vt aureis segmentis, vt nouo vittæ discrimine vterentur. Monumento quoque quod esset, templum muliebri Fortunæ ædificatum dedicatumque fuit. & Arator Poëta Christianus de pontificis habitu in Exodo præscripto: *Qui segmentatus mediis altaribus adstat.* Eodem sensu institas dicimus segmenta scilicet huiusmodi & limbos siue sint assuti vestibus, vt forte in *l. vestis §. 1. De aur. & arg. leg.* scribendum, Quæ vestibus accessionis vice cedunt institæ, picturæ, clauique qui vestibus insuuntur, vt Paulus Diaconus, vestimenta ornata institis latioribus: siue non sint assuti vestibus, vt Scribonius Largus dixit ventrem constringendum instita longa, & Petronius Arbiter, *duas institas ancilla protulit de sinu, alteraque pedes nostros alliganit, altera manus.* Et Hieronimus in Ezechielem. *Lazarus qui fasciolis & institis vinctus iacuerat in sepulchro.* Laciniam alij nescio an rectè, qui scio esse propius oram siue extimum vestis aut panni, vt Prudentius loquitur, siue κράσπεδον, & prouerbium illud quo Cedrinus vtitur, ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γνῶναι, ex lacinia cognosci pannum interpretor, quod Galli, *de la lisiere le drap.* Plinius v. Nat. his. *Promontorium in quo Megaria oppidum fuit, inde Craspedites sinus vocari, quoniam id oppidum velut in lacinia erat.* Petronius Arbiter *laciniam extremam concutere cœpimus, si quem forte emptorem splendida vestis posset adducere.* Acro institam περιπόδιον interpretatur, quod extrema ea parte vestis insuatur quæ pertingit pedes.

CAP. XXV.

Emendatio l. sæpe, D. de re iudicata.

REcepta iam est ab omnibus Florentina scriptura in *l. sæpe, D. de re iudic.* illo loco, *Veluti si creditor experiri passus sit debitorem de proprietate pignoris:* quam etiam Bernardus iamdiu approbauerat in *c. pen. De sent. & re iudic.* & Basilica confirmant his verbis, εἰ ὁ χρεώστης φεὶ ὧν ἐνεχύρασεν δικάζεται, καὶ ὁρᾷ ὁ δανιστὴς, σιωπᾷ πάσχει, & *l. iv. §. alio De appel.* & quod paulo post, in *d. l. sæpe*, eum qui agit vel defendit causam, dominum vocat, qualis certe creditor non est. Non ergo creditor egit de proprietate pignoris, quia nec de proprietate, sed de iure pignoris in rem actionem habet, sed debitoris est qui egit de proprietate pignoris, sciente creditore. quo casu si sententiam contrariam acceperit, ea res etiam creditori nocet, & vterque appellare potest. quod non ita procedit, si ignorante creditore de proprietate debitor causam egerit, *l. ij. D. de pig. l. si mater §. vlt. l. Iudicata §. vlt. De exc. rei iud.* At emendanda etiam ea lex est in principio, dum ad regulam iuris, nec res inter alios iudicata aliis præiudicet, adhibet distinctionem hoc modo: *Nam sententia inter alios dicta aliis quibusdam etiam scientibus obest: quibusdam vero, etiamsi contra ipsos iudicatum sit, nihil nocet.* Est enim in prima parte distinctionis huius negatiue legendum, *non obest*, vt in Noricis Pandectis, vt in apponendis ad eam partem exemplis mox infert, *Nam scientibus nihil præiudicat*, &c. In secunda autem parte est ὑπερβιβασμὸς sive traductio verborum, quę ab eo quod prima pars habet diuersum, nihil proponunt vt debuere tamen, vtque eius partis resumptio & subiecta exempla requirunt in illo loco: *Scientibus sententia quæ inter alios data est, obest*, &c. nisi suo ordini restituantur hoc pacto, *Quibusdam vero etiamsi contra ipsos iudicatum nihil* sit, nocet. Aut sane punctis ita distingui debent, *Quibusdam vero etiamsi contra ipsos iudicatum sit, nihil nocet:* vt eandem sententiam efficiant, quibusdam scilicet etiamsi inter alios & contra alios res iudicata sit, non contra se, rem iudicatam obesse, puta si scierint rem inter alios agi; nam propter scientiam solam rei inter alios iudicatæ subiiciuntur. Et scientia est si viderint, si interuenerint, & si passi sint. hæc enim duo sunt quibus scientes & experientes rerum sumus, Videre & pati, vt adnotant veteres Grammatici in illum locum. *Iam nunc times quasi nunquam ad fueris*, nunquam tute pepereris.

CAP. XXVI.

Confessio fidei Impp. Iustiniani scripta ad Ioannem Archiepiscopum vrbis Romæ, & multa alia.

MErito doctissimus Alciatus non tulit eos qui à titulo *De sum. tr. & fid. cath.* conabantur abstrahere epistolam Ioannis Papæ siue Archiepiscopi Romani ad imper. Iustinianum, cui inserta etiam est ab ipso Iustiniano ad eundem scripta fidei professio. nec enim in eo titulo ponendæ epistolæ illius auctor alius fuit quam Iustinianus ipse, qui pontificis Romani cui libenter defert primas in ecclesia, iudicio & approbationi tribuebat omnia. & omnino res ita procedit. Posuit primum in eo titulo Iustinianus fidei suæ profes-

sionem, quam ediderat statim ipso initio sui imperij, quæ est *lex v.* Deinde edictum de fide & hæreticorum condemnatione, propositum omnibus populis fidelibus, vt Ioannes ait in sua epistola, Constantinopolitanis scilicet & Ephesiis & Cæsarienſibus, Cyzicenis & Amidenis & aliis pleriſque, quæ est *lex vi.* Tum ad Epiphanium Archiepiscopum Constantinopoleos specialiter epistolam eadem de re, quæ est *lex vij.* & octauo atque vltimo loco similem aliam, præterquam quod Latine in rei summa verborum serie & consequentia parem ad Ioannem Achiepiscopum vrbis Romæ quam maluit vna confirmationi & approbationi Ioannis iniectam nobis quam solam exhibere. & probatur hic ordo euidenter libris Basil. in quibus vltimo loco quod Ioannis Latine exordium & huiusmodi, *Inter claras manſuetudinis veſtræ laudes*, ita redditur Ἐν τῇ λαμπρότητι τῆς ὑμετέρας φρενός &c. & de hac epistola idem Ioannes scribens illustribus viris Auieno, Senatori Liberio, Seuerino & aliis, *Iuſtinianus*, inquit, *Imperator vt ex eius epiſtolæ tenore cognouiſtis, de his tribus quæſtionibus orta certamina fuiſſe ſignauit, vtrum vnus ex trinitate Chriſtus & Deus noſter dici poſſit, an Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibili Deitate, an proprie & veraciter mater Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti Maria ſemper virgo debeat appellari. Probauimus in his catholicam Imperatoris fidem* &c. & ex scripto Ioannis ad Auienum & alios etiam intellexi in rescripto ad Iustinianum esse legendum, de Acumitensi monasterio, quod ab aliis dicitur ἀκοιμήτων. Acumitos vero, inquit, qui se monachos dicunt, quia Nestoriani euidenter apparuerunt, Romana etiam damnat ecclesia. & pari modo ex lege sexta & septima, subtiliusque inspecta veteri scriptura, in eadem epistola Iustiniani ad Ioannem didicimus esse legendum. In vna enim substantia Deitatem suscipimus, & confitemur, quod dicunt Græci τὸν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν: iuxta quod Hieronymus, *Taceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & vna teneatur.* Ac præterea placet in *epiſtola Ioannis ad Auienum & alios*, illud, *His euidenter oſtenſum eſt quid ſperauerit Imperator*, id est quid crediderit, vt in *l. ij. C. eod. tit.* Spiritum sanctum quem ex summo rerum parente speramus. quod interim non videtur congruere cum recte credentibus, qui ex patre & filio spiritum sanctum deducunt, & *l. v. & vj.* περὶ τῆς ἐν ἡμῖν ἐλπίδος. & *l. iij. C. de his qui ad eccleſ. conf.* δίδομένης αὐτοῖς ἐλπίδος καὶ ὅρκου, vbi quidam male καὶ θάρσους. Datur enim hæc fides quæ alibi λόγος πίστεως interposito iureiurando, vt dixi *Obſ. viij. cap. xl.* At vero quo capite restitit merito Alciatus *iv.* παρέργων his qui codice Iustiniano eiicere conabantur Ioannis & Iustiniani mutuas epistolas, eodem immerito dubitat verum ne sit Iulianum antecessorem scripsisse quod ex eo Gratianus ducit monachismo deleri ingratitudinem liberorum erga parentes, & è contrario. nam Iulianus certe idipsum scripsit iisdem omnino verbis quibus retulit Gratianus & ex *Nou. cxxiij.* §. ἀδελφίαν ἢ ἀδελφὴν, vt certissimum sit monachum non posse exheredari ex antefacto, id est ex causa ingratitudinis quæ monachismum anteceſſerit.

A B C D E

tu heredē des, a deo vt ne rogari quidē possit vt aliquē heredē faciat, *l. ex facto in pr. D. ad Treb.* Quare post pubertatē frustra substituim⁹ liberis nostris pupillariter & directo. nam per verba fideicom. possumus eam ætatem egredi, *l. coheredi §. cum filiæ, D. de vulg. subſt. §. vlt. Inſt. Depup. ſubſt.* & de vulgari substitutione nō est quærendum an egrediatur pupillarem ætatem, cum ætas & tempus vulgari substitutioni non apponatur. Solus tāmen miles egreditur pupillarem ætatem, *l. in teſtamento, C. de teſt. mil. l. precibus, C. de impub.* verbis scilicet directis non inutiliter hactenus vt verba directa post pubertatem trahantur ad fideicommissum, siue mater in medio sit siue alius agnatus. nam licet in *l. precibus*, mater in medio sit, tamen in *l. Centurio*, *D. de vulg. ſubſt.* generaliter ait Iurisconsultus, substitutum ex priuilegio militis capere bona militis non bona filij. Venire igitur eum iure fidecommissi. nec enim illa ratio idonea est. Cur non capit nisi bona militis? quia priuilegium militis non debet cuiquam fraudi esse. at si legitimis heredibus filii hereditatem adimeret, illis iniuriam faceret. Imo quia substitutus venit iure fideicommissi, & fideicommisso non continentur bona propria filii, *l. coheredi §. quod ſi heredem. D. de vulg. ſubſt.* Falluntur igitur interpretes in *l. Precibus*, qui quando mater in medio est, non alii heredes, putant militarem substitutionem trahi ad causam fideicommissi. Denique priuilegium militum in eo est quod facta ab his vltra pubertatem directa substitutio inutilis non est, paganorum autem inutilis, vt nec ad causam fideicommissi proficiat. idque demonstrat satis aperte *l. verbis De vulgar. ſubſt.* quæ substitutionem pupillarem dicit vltra pubertatem fieri frustra. frustra autem non fieret si tanquam fideicommissum valeret. Sed contra nos hæc ipsa lex facere videtur. Ait enim substitutum postpubertatem qui vt substitutus non admittitur eo quoque non admitti tanquam adiectum heredem, ne interim fiat contra voluntatem testatoris; si filius interim non habeat totum quod ei pater testamento dedit. Ergo post mortem filii ei datus substitutus tanquam coheres admitti poterit, vbi iam contra voluntatem testatoris nihil fieri videtur. Non igitur frustra fit. nam intra pubertatem si pupillus decedat, substitutus vt substitutus admittetur, *l. in pupillari, eod.* Si autem post, tanquam coheres, cum iam nihil contra voluntatem fiat testatoris. quod si ita est, vtilius paganus quam miles substituit post pubertatem. Verum coheres coheredi non succedit nisi coheres heres non fit. nam vbi semel coheres heres extitit, eius portio non accrescit coheredi, sed transmittitur ad heredes. Ius namq; accrescendi non habet locum nisi in casum vulgarem. Post mortem igitur nullo modo admitti potest propter eam causam quā diximus ante, propter causam quam adfert Papinianus in *d. l. verbis*, ne contra voluntatem testatoris fiat si filius interim totum non habeat quod ei testamento pater dedit. Sed ad rem. Falli etiam opinor interpretes, qui putant vulgari factæ à milite non inesse pupillarem, si mater, non si alij heredes legitimi sint in medio. nec enim hac in re vllum esse discrimen inter paganum & militem, & siue hic siue ille testatus sit, vulgari inesse pupillarem, sed effectum non habere aduersus matrem, non si coheres sit adiecta filio, vt *l. vlt. C. de inſt. & ſubſt.* sed & si non sit adiecta, vt *d. l. precibus*, quia non ea tantum ratione vtitur *d. l. vlt.* quod mater sit coheres adiecta filio, sed quod æquum sit matrem ad quam summus mœror morte filii peruenit, & amissi filii & luctuosæ hereditatis damnum non sentire ex solo tacito intellectu pupillaris substitutionis. quæ ratio locum habet etiam matre filio coherede non adiecta, & cessat in alio legitimo herede.

Cap. XXVII.

Subſtitutionem verbis directis à milite factam poſt pubertatem, trahi ad fideicommiſſum, etiam ſi mater non ſit in medio.

CErti iuris est non posse quemquam substituere post pubertatem. Quod enim receptum est vt pater filio impuberi substituere possit, eo receptum est quia impubes testamentū facere non potest. nullo autē modo tolerari potest vt ei qui heredem facere potest,

CAP. XXVIII.

De Constitutionibus quibusdam Græcis tit. de sacr. eccl.

DOnatio non aliter fit absenti recte, quam, si absens rem sibi missam acceperit vel rem apud se constitutam sibi donatam scierit eamque donantis liberalitatem agnouerit, *l. absenti, D. de donat.* Nec enim est donatio sine acceptione. & recte *l. vlt. de bon. lib.* Si patrono libertus donauit, ille accepit: & in illum locum Terentii, *Dos Pamphilæ est x. talenta. Accipio. Nisi dixisset, Accipio, dos non esset, Donatus inquit. Datio enim ab acceptione confirmatur, nec potest videri datum id quod non sit acceptum.* Et hodie quia exemplo emptionis venditionis donatio solo consensu perficitur non re, vt olim, etiam non videtur perfecta antequam is cui donatur scierit sibi donari, eamq; donationem ratam & gratam habuerit. & hoc est quod Græci dicunt donationem factam μονομερῶς non valere excepto casu *leg. xv. C. de sacr. eccles.* quo donatio valet si quis ædem orando Deo vel hospitibus aut ægrotis vel pauperibus recipiendis, curandis, alendis ædificaturum se vltro receperit, etiamsi opus nondum inchoauerit, & ex pollicitatione huiusmodi quamuis nuda & opere nondum inchoato, quod non tamen ita procedit in pollicitatione facta Reipublicæ, pietatis ratione obligationem nasci & actionem dari episcopis vel œconomis atque ita donationem siue pollicitationem donandi animo factam κατὰ μονομέρειαν valere, si modo quę excedit quingentos solidos apud acta insinuata sit, saluo donatori iure patronatus, saluisque legibus donationi appositis. Verba Constitutionis iam dedit optimus & doctissimus Ant. Augustinus, cui omnes non modo iuris sed & bonarum artium studiosi tantum debent, vt debere etiam se palam profitentur multi, quantum homo homini debere potest bono publico nato. sed addam, vt breuiter eam inuenerim in Basilic. Ὁ συνηπάμενος δωρεασικὸν ἐπὶ τῷ εὐκτήριον οἶκον κτισθῆναι ἢ ξενῶνα ἢ νοσοκομεῖον, ἀπαιτείσθω καὶ αὐτὸς καὶ οἱ κληρονόμοι αὐτοῦ παρὰ τῆς ὁπισθόπων καὶ οἰκονόμων τὰ ὑποσχεθέντα, διοικήματα μήτοι κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτῷ. Δωρεασικὸν vocant instrumentum donationis, vt ὠνεακὸν instrumentum emptionis. nam & Græci interpretes hoc casu desiderant scripturam, vt ex ea donatione siue pollicitatione sit actio. In eisdem Basilicis Constitutionis xx. in hunc modum expressa sententia est. Μηδὲ ὑπὸ θείου τύπου ἢ ἀρχιεπισκόπου φράξεως (vbi tamen malim ἀφχικῆς προσάξεως) ἢ οἱασδήποτε δικαιοπραξίας ἀπαιτείσθω εἰς εὐκτηρίους οἴκους ἢ κληρικοὺς ἢ μοναστήρια μεταγέσθω ὡς ἐλλιπόντων ἤδη τοῖς ἀριθμοῖς σωματείων. In Constitutione xxv. quo loco edidere, εἰς τὸ ἐνοίκιον legendum reor, εἰς τὸ Αἰγύπτου, vt sit perfecta enumeratio diœcesum Orientis, *l. 1. C. vt nemo ad suum patr. &c.*

CAP. XXIX.

Imaginem Imperatoris præferri præsidij & tuitionis causa.

QVod scriptum est in *l. 5. C. de iniur. & l. capitalium §. ad statuas, D. de pœnis*, vinculis publicis coërceri eum qui in inuidiam vel iniuriam alterius depictam imaginem Imperatoris præfert, satis demonstrat præferre quidem nobis eam licere bona fide & defensionis nostræ causa, sed non tamen hac mente vt ab aliquo fingentes non vereri periculum, exinde in eum concitemus inuidiam. eidemque distinctioni locus si A quis confugiat ad statuas vel imagines principis. nec enim hoc præsidio ad flagitia abuti licet. Cor. Tacitus *lib. III. Incedebat deterrimo cuique licentia impune proba & inuidiam in bonos excitandi arrepta imagine Cæsaris*, & paulo post. *nec ipse audeat ius experiri ob effigiem Imperatoris oppositam.* Præsidium igitur & securitatem præbent vel etiam commiserationem mouent, vt prælatæ naufrago tempestatis pictæ tabellæ, ita prælatæ imagines principum, & integra constitutio Theodosii & Valentiniani de his qui ad ecclesiam confugiunt, forsitan de prælatis accipienda est nedum arrepti illo loco, καὶ οἱ τὰ ἴχνη τῆς ἡμετέρου χαρακτῆρος καταλαμβάνοντες τῆς ἀπειλῶν τῆς σκαιᾶς τύχης ἐλευθεροῦντες τε καὶ ἀμειμνοῶντες γενήσεται. & eleganter ἴχνη τῆς ἡμετέρου χαρακτῆρος, id est B planam effigiem nostram. In eadem Constitutione quo loco ita scriptum est, ὡν τοῖς εὐξαμένοις προφθημένοις πρῶτον ὑπαίθριον συμβαίνειν. emendo προσευξαμένοις, ex Latina, quæ sic habet, quas oratum gestiens populus primas ingreditur. & hæc Latina, etiam docet initio potius esse legendum τὸ εὐκτήριον ναῦ, oratorium templi. & paulo post, ἐντοπάτω ναῦ. ac deinde, μηδένα εἰς τὸ ἐξωθεῖσθαι τόπους. & infra, οἷς ὁ προσφεύγων εἰ μὴ ὑπνώοι μήτε πίθοι, ac rursus ex Græca, in Latina est ita legendum, & post loca publica ianuas primas ecclesiæ. & alio loco, vt Ant. Augustinus, doctissimus Iurisconsultus, sanctissimus episcopus docuit, manere vel vesci vel cubare. Porro initium supradictæ constitutionis Græcæ, quam idem vir doctissimus dedit ex tertia Ephesina synodo, tale C est quale *l. vt inter diuinum, C. de sacros. eccl.* inter diuinum publicumque ius & priuata commoda semper & vbique fuisse discrimen, nec mista vnquam fuisse sacra prophanis, hoc est τὰς θείας θρησκείας τῆς δημοσίων διοικήσεως, καὶ τῆς ἀνθρωπίνων χρήσεων ἐν πάντι τε χρόνῳ καὶ ἔθνει διωρισμένας.

CAP. XXX.

In tit. de hæreticis obseruata quædam, & in tit. De Iudæis.

QVod in *l. IV. C. de hæret. & Man.* ad hæc verba *Quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur*, in *C. Th.* legimus adiectum. Quæ tamen cedere iubemus proximis quibusque personis ita vt ascendentium vel descendentium, vel venientium ex latere cognatorum vsque ad secundum gradum velut in successoribus ordo seruetur, quibus ita demum ad capiendas facultates esse ius patimur si non & ipsi pari conscientia polluuntur. Quod item in eadem lege post hæc verba, *sine quolibet alio genere reliquerit voluntatis qui Manichæus fuisse conuincitur*, in eodem codice adiectum est, *Hoc quoque casu eadem illa circa gradus superius comprehensos condicione seruata.* Hæc, inquam, omnia quæ amplius sunt in codice Theodosiano, putem etiam ex suo codice Iustinianum minime detraxisse. Ex codice dico repetitæ prælectionis quem vtiq; sequuntur Basilica non codicem primum: vt si probauerim E agnouisse ea verba, vincere facile possim & debeam ea desiderari in *d. l. IV.* Probabo relatis verbis quibus in Basilicis exprimuntur. ἀλλὰ καὶ δημεύειν τόπους προσάπομεν. ἀφαιρούμεθα ὑπὲρ τῆς τούτων οὐσίας, καὶ δημευομένης τοῖς αἰτίοις καὶ κατὰ γένος συγγενέσι αὐτῆς ἕως δευτέρου βαθμοῦ, ἵνα μήτοι ὁ ἐγγύτερος τῷ βαθμῷ προπάτωρ. τότε δὲ τούτοις ἀφαιρούμεθα τὴν οὐσίαν εἰ μὴ καὶ αὐτοὶ τῇ ὁμοίᾳ ζωῇ δόσει χρώνται. Illa autem posteriora, Hoc quoque casu &c. referuntur hoc modo, Τότε γὰρ ἔρρωται ἡ περὶ τούτων βούλησις ὡς εἴπομεν αὐτοτέρω, ὅτε μὴ ἦσαν οἱ συγγενεῖς μανιχαῖοι. In eodem titulo lex nona Imp. Martiani græca & breuis admodum sic restituenda est. Ἀνδρώπινον καὶ ὅσιον εἶναι λογισάμενοι, τὰς αἱρετικοὺς ὑπερέπομεν ἀπλέως ταῖς νενομισμέναις

νάις παφαῖς. cuius ſubſcriptio hæc, D. Conſtantinop. Id Aug. Conſtantino & Rufo Coſſ. quæ vulgo perperam tribuitur *l. viii.* cum tamen conſtet ex actis Chalcedonenſis concilij in quibus ea lex integra relata eſt & ex *l. vlt. C. de apoſt.* quæ pars eſt *d. l. viii.* hanc potius eius ſubſcriptionem eſſe. Dat. ſub die Kal. Aug CP. Diuo Valentiniano viii. & Anthemio V. C. Coſſ. In titulo autem de Iudæis *l. x.* nihil mutaſſe Tribonianum opinor, ſed ſcripſiſſe omnino, vt erat in codice Theodoſiano, *Iudæos quodam feſtiuitatis ſuæ ſolemni Aman.* quo de ſolemni in hiſtoria Eſther *c.* II. *& IX.* & Ioſephi *libro. XI.* In eodem titulo *l. Hac valitura*, ſic lego: *Nec defenſoris ciuitatis fungi ſaltem officio nec patris honorem arripere.* Vulgo male, *nec patriæ.* Baſilica recte, *μηδὲ ἐκδικοι πόλεως, μηδὲ πατέρες.* quod idem ſub titulo de hæreticis Conſtitutione Iuſtini Græca fuit repetitum ex *d. l. hac valitura.* hoc modo : *καὶ οἱ Ιουδαῖοι κωλύονται ἔκδικοι, ἢ πατέρες πόλεων γίνεσθαι*, &c. Hi ſunt curatores ciuitatis vt docui, *l. iij. C. de his qui ſpon. mun. ſuſc.* qui & ædilium munus in ciuitate ſua implent. Vlpianus *in Demoſthenem*, *ἀσυνόμως, ὁ ὁπὸ τὸ ἐν καθεσθῆναι τὴν πόλιν ἀσχολούμενος, ὁ παρ' ἡμῖν πατήρ.*

CAP. XXXI.

Conſtitutio græca in tit. De legibus, & alia in tit. De mand. princ.

QVæ eſt ſubſcriptio in *l. IX. C. de legib.* legis eſt decimæ, non nonæ, ſed nonæ huiuſmodi, *Dat. prid. Non. Apr. C P. Aetio & Studio Coſſ.* & ſequitur Leonis & Anthemij conſtitutio græca quæ legibus alligat etiam homines pertinentes ad domum Auguſtam, vt *l. I. C. de cond. & proc. ſiue act. præd. fiſ.* quæ ita breuiter in Baſilicis inuenitur expreſſa, *πάντες καὶ νόμους πολιτεύεσθαι καὶν εἰ τῷ θείῳ διαφέρειν οἴκῳ :* cuius ſubſcriptio fuit talis, *Dat. VIII. Id. Feb. Anthemio A. XI. Coſ.* Addam & hoc loco etiam Conſtitutionem græcam quæ deſideratur in *tit. de man. princ.* Lex prima eius tituli vetat fidem haberi mandatis quæ quis ſe habere adfirmat ex ore principis ſine ſcripto, quæ mandata ſecreta vocat, & lex ſecunda (ea eſt Conſtitutio Græca) idem fere repetit, ne iudices in ſuis ſententiis adſcribant ſuo ore principem iuſſiſſe vel in ius exhiberi aut deduci aliquem, vel quid aliud fieri apud ſe. nec enim mandata principis valere aliter quam ſi in literas relata ſint. ſed excipiuntur vt No. CXIII. ea mandata quæ dãt iudicem certum aliquem, vel quæ iudici collegam adiungunt, vel quæ acta edi aut celeriter litem finiri iubent, quæ iudices ipſi accipiunt ex ore principis, vel ex relatione quæſtoris aut referendariorum ſacri palatij, etiam nulla ſcriptura interueniente. Et vt conſtat ex No. CXXIV. fuit ea Conſtitutio Iuſtini & Iuſtiniani quam tum neſcieram cum ſcribebam in eam No. poſitam ſub hoc tit. & ſuſpicabar poſitam in tit. *De adſeſſ.* Verba autem eius hæc ſunt in Baſilicis. *Θεσπίζομεν μηδένα τῆς ἐνδοξοτάτων ἀρχόντων ἡμῶν μείζων, ἢ μέσων ταῖς οἰκείαις ἐγγράφοις ψήφοις ὡς θείῳ ῥήματι ὑποτάξαμεν, ἀγώνιμον γενέσθαι τινὰ, ἢ διάξιμον, ἢ ἄλλό τι ψηφίζεσθαι τῆς ὅσα φράπεται παρ' αὐτοῖς, πλὴν ὅσον ἐν ταῖς τῆς Ϛωδικῶν δόσεσιν ὀρθῶς φέρεσθαι τὰς ψήφους, τὰς μνημονεύσας ἄχραφον ἡμετέραν γεγενῆσθαι θείαν κέλευσιν ἢ δικαστὴν, ἢ Ϛωδικαστὴν δίδουσαν. ὡσαύτως καὶ τὴν ἐνδοξότατον κοιαίστωρα τὸ θείου ἡμῶν παλατίου, καὶ τοὺς ὑπερβλέπτους ῥεφερενδαρίους τῆς ἡμετέρας δεσποτείας ὀρθῶς τὴν ἄχραφον θείαν κέλευσιν τὴν γενομένην ὁπὸ τοῖς πρόσθεν, καὶ δικαστὴν, ἤτοι Ϛωδικαστὴν αὐτῶν, ἢ ἄλλόπ τῆς εἰς τὰς δίκας τινόν των διὰ καταδόσεως προσκαλέσηγίνεσθαι φανερόν. ὁπὸ τούτῳ γὰρ δὴ καὶ μόνῳ τὴν τῆς θείας ἀχράφου κελεύσεως μνήμην γίνεσθαι συγχωροῦμεν.*

CAP. XXXII.

Modeſtini euremática. Menda quædam in Ciceronis orationibus.

MOdeſtini euremática, conſilia & cautiones ſunt à Modeſtino excogitatæ, rei iuriſque cuique ſui tuendi cauſa : quod ſermo is quo libro de euremáticis vtitur ſatis indicat. modo enim ait, *Conſulendum eſt, l. lVIII. Sol. mat. modo*, *Suaſerim, l. XLV. Ad Treb.* modo, *optimum factum eſt, l. IX. De ſuſp. tut.* Sic enim ſcriptum Flor. *non optimum factu eſt.* nec male : nam & veteres libri ſic habent Ciceronis *I in Catil. Ego ſi hoc optimum factum iudicarem.* & Salluſtii *Iugurthino. Quare optimum factum videri ſibi.* Plautus *Aulul. Hoc mihi factum optimum eſt vt te auferam aula in fidei fanum.* Non improbo ſi dixeris, optimum factu, ſed ne improbes etiam vel mutes optimum factum : vt ſimiliter placet quòd in *l. XIV. Ad munic. Municipes intelliguntur ſcire quod ſciant hi quibus ſumma Reſp. commiſſa eſt.* Placet & quod in *l. I. §. licet, D. de exerc. act. Quia ad ſummam Remp. nauiũ exercitio pertinet*, & Gelli *XVIII. ca.* III. *Populus Lacedæmonius de ſumma Rep. ſua deliberabat.* & Ciceronis XI. *Phil. De ſumma Rep. taceo.* & vt in eadem illa ſuperiore in Catil. inuectiua habent veteres libri : *Ad illa venio quæ ad ſummam Remp. pertinent.* & in eadem placet etiam illud, *Summa ſalus periclitandæ Reip.* quod & in tertia iidem libri veteres, hoc modo, *Senatum conſului de ſumma Reip. ſalute*, vt in IV. *De ſumma ſalute populi Romani.* Et quando inuectiuæ ſunt in manu tritæ licet iam ſtudio vſuque multorum, non grauate, & ſuccincte, tamen ne quis me longe dicat extra fines oberrare meos, expromam quod in eas habeo, quodque exiſtimo meum eſſe proprium. In prima, ſic ſcriptum habeo, *Vtinam tibi iſtam mentem Dij immortales duint* : vt in ea quæ pro Deiotaro eſt, *Dij te perduint fugitiue.* Rurſus in eadem inuectiua prima, *Nihil cogitas quod ego non modo non audiam ſed etiam non videam*, & alio loco. *Neque enim ſics Catilina, ſi te aut pudor à turpitudine aut metus à periculo aut ratio à furore reuocauerit*, & in tertia, *Quod vix videtur humanis conſiliis tantam molem rerum gubernatio conſequi potuiſſe.* & alio loco. *Ita conlocandum Coſſ illi locauerunt.* Placet & in ſecunda *Obligurierunt*, vt Iulij Firmici V. *Faciet audaces, temerarios, obliguritores.* Rectius etiam illud, *Certare cum vſuris & fructibus prædiorum.* Cum vſuris nimirum contracto fœnore, cum fructibus prædiorum contracta antichreſi.

CAP. XXXIII.

Ad l. Abeſſe, D. ex quib. cau. maiori

NOn dubito quin ſit legendum in *l. abeſſe, D. ex quib. cau. ma. Abeſſe Reip. cauſa intelligitur & is qui ab vrbe profectus eſt, licet nondum prouinciam acceſſerit, & is qui acceſſit donec in vrbem reuertatur.* quod à Petro Fabro indicatum quidam ita reprehendunt vt profecto veriſſimum potius vt eſſe oſtendant. Regula enim eſt præclara, quæ nec aliter concipi commode poteſt, eum qui vrbe in prouinciam mittitur, veluti proconſulem, abeſſe videri Reip. cauſa non tantum dum vrbe it in prouinciam, licet nondum prouinciam ingreſſus ſit, ſed etiam dum prouincia redit in vrbem licet prouinciam egreſſus ſit, donec portam vrbis ingrediatur. nec enim ante deponit imperium quam ſit Romæ portam ingreſſus, *l. vlt. D. de off. proconſ.* vt non abs re Auguſto data Proconſulari poteſtate id adiectum

sit specialiter ne Romam ingressus eam deponeret potestitem, vt D. scribit *liij.* quod & Q. Fuluio proconsuli datum & M. Marcello Liuius scribit *xxvj.* & ob id imperium Proconsulis dicitur esse ad vrbem, id est ad vrbem vsque, non in vrbe, & Consul ad vrbem Cæsari & Ciceroni, id est, proconsul. Et esse eam regulam de his qui vrbe mittuntur in prouincias Reipu. causa, exempla euidenter demonstrant, quæ regulæ apponuntur his verbis, Et hoc ad proconsules legatosque eorum & ad eos qui prouinciis præsunt pertinet, &c. nam & ante Pandect. Florentinarum editionem perperam legebatur, *Et hoc etiam.* nec igitur vrbem potes accipere pro qualibet ciuitate, sed pro vrbe Roma tantum. quia nec nostris vel aliis auctoribus vrbs accipitur vnquam pro qualibet ciuitate, sed pro metropoli tantum *l. iv. §. vlt. D. de dam. infect.* Cicero II. *in Calinam. Vrbes coloniarum ac municipiorum.* Et illo loco, ne pro metropoli quidem, sed pro vrbe Roma, vt dixi. Et prouinciam quoque nullus vnquam dixit Italiam. Sunt enim prouinciæ procul Italia positæ regiones in ius populi Romani vincendo redactæ. Diceres porro incongrue, imo stulte abesse Reipub. causa eum qui Roma profectus est, licet nondum prouinciam excesserit, mittitur enim non vt excedat, & in ea moretur ad tempus certum, eamque regat iure potestatis, vel in ea officium publicum administret. Regulam dixi proponi in ea lege, quia dicitur ex libris regularum Modestini. At exempla videamus quæ ad eam statim Modestinus apposuit. Et hoc ad proconsules, inquit, &c. id est, hæc regula ad proconsules legatosque eorum, & ad eos qui prouinciis præsunt pertinet, veluti præsides, correctores, moderatores, consulares, legatos Cæsaris, & ad procuratores Cæsaris siue rationales, qui de causis fiscalibus in prouinciis iudicant, quibus ex *l. inter, eodem.* possis adiungere aduocatos fisci, & ad tribunos & præfectos militum qui mittuntur in prouincias, & ad comites legatorum, id est, ad adsessores legatorum Cæsaris, siue rectorum prouinciarum, vt *l. xv. De offic. adsess.* non tamen ad omnes, sed ad eos tantum adsessores qui in ærarium aut in commentarium principis relati sunt, id est, qui salarium ferunt de publico. Quod Græci intellexerunt probe qui loco horum verborum, Et comites legatorum qui ad ærarium aut in commentarium principis delati sunt, habent, καὶ ζωέδροι τῆς ἀρχόντων οἱ σίτησιν ἔχοντες ἐκ τοῦ δημοσίου. Et eodem ordine ac sensu M Tullius *pro Postumo, vt tribuni, præfecti, comites magistratuum.* & paulo post : *Nec tribunus, nec præfectus, nec ex Italia comes.*

A ratum non habeam vt recipias pretium quod dedisti: denique te inuitum teneri, me inuitum non teneri, nihil est inæqualius. & ita diximus ante iniquum esse vt sit tibi mecum actio si remittas, id quod excedit, non sit mihi tecum si non remittas id est si rem tibi retinere malis, si contendas, quod & verissimum est, non te id feciisse quod erat in mandatis, sed aliud. quo casu est mihi quidem in te actio quod mandatum non expleueris, sed non quasi mandatum expleueris vt rem recipiam quasi perfecto mandato, & æque tibi vt centum, id est, pretium statutum recipias. Contra quoque ratum habente me quod gessisti, & ratihabitionem accipiente & approbante te, fateor esse vltro citroque B mandati actionem, & tibi etiam ad cxx. Sed sola remissio tua, vel sola ratihabitio mea, nihil agit. concurrat enim necesse est consensus vtriusque. alioquin erit in arbitrio vel meo vel tuo, sit actio necne. Itaque magna est profecto, vt dixi, & grauis Sabinianorum ratio. Et Proculianorum sententia vt agat mandatarius qui remittit quod excedit statutum pretium, sustinetur humanitate & beneuolentia sola, non mera ratione iuris, *l. quarta, D. Mandati.* Cuius imitatione dabimus etiam vtilem actionem mandatori ad rem recipiendam qui ratum habet quod excedit, id est, qui integrum pretium reddere paratus est, etiam inuito altero. Ex hac vero disputatione interea intelligimus quam non debeat à forma mandati procurator recedere. maxime si certum sit mandatum, vt adiicit *l. si quis pro eo, eod. tit.* cum ab ea si recesserit, vix remittenti vel admittenti C quod excedit detur actio mandati. idemque ex *l. maritus, C. de procur.* intelligitur probe, quæ marito sine mandato rebus vxoris intercedenti liberam potestatem permittit, mandato interueniente, non item. nam lex mandati marito eripit libertatem agendi quodcumque volet pro vxore. Et placet igitur valde quæ mandatario datur lex in tragœdia Sophoclis: ἕρπε νῦν φύλασσε τἀμὰ μὴ μόνον, τὸ μὴ ἐπιδυμεῖν πομπὸς ὢν, ἀλλὰ δρᾶν. & quod ex nimia licentia egrediendi officium mandati sæpe contingere in arte amatoria Ouidius notauit sub nomine amicitiæ. nam quos alios facimus nobis procuratores quam amicos aut eos quos esse nobis amicos arbitramur, *l. liberto, De neg. gest. l. i. §. vlt. Mand. l. fundi §. vlt. De acq. poss. l. si negotium. De reb. auct. iud. poss. l. i. Quib. mo. pig. velhy. sol.* & versus Ouidij hi sunt.

Tua frequensque via est, per amici fallere nomen:
Tuta frequensque licet sit via, crimen habet,
Inde procurator nimium quoque multa procurat,
Et sibi mandatis plura videnda putat.

Vbi videnda id est, procuranda aut prouidenda, vt in vsu sermonis. Tu domi videbis, quem ex Varrone didicimus. & Plautus. *Qui herilem rem procurat, videt.* Corrupte legitur vulgo propinator & propinat. & quia vitis Centurionum nonnihil ad nos pertinet vel propter *l. milites §. irreuerens, De re mil.* etiam notabo in eadem arte non ferre me vt perperam legatur iure pro vite. sic enim habent veteres libri. *Dux bonus huic centum commisit vite regendos.*

CAP. XXXIV.

De seruanda forma mandati.

CONtrouersia fuit inter veteres Iurisconsultos, an esset mandati actio procuratori qui fines mandati excessisset, vt in hac specie, Mandaui vt fundum mihi emeres c. emisti cxx. an esset tibi in me actio in aureos centum parato scilicet remittere xx. quos numerasti vl- E tra mandati formam. & Sabiniani negabant esse actionem. nam impar & iniquum esse aiebant illi parato remittere superfluum, esse in mandatorem actionem, & mandatori non esse in illum rei recipiendæ causa ne parato quidem superfluum exsoluere, *l. 3. D. Mandati.* quæ ratio grauis & magna est. Cum mandatario inuito agi non potest. nec cum mandatore inuito igitur. eademque est ratihabitionis causa. finge, Cum te rogassem vt fundum emeres c. emisti cxx. ego ratum habeo, an statim mihi in te mandati actio est, vt fundum recipiam? non vtique. nam iniquum est mihi si ratum habeam esse tecum actionem, & non esse tibi mecum si

CAP. XXXV.

Causa promulganda l. vlt. C. de transact.

ANastasius *l. vlt. C. de transact.* constituit, non esse illicitam transactionem de condicione seruili vel adscripticia. & huius Constitutionis edendæ causam

Græci repetunt ex Codice Hermogeniano, quam enarrare libet, vt dilacerato & amisso corpore Hermogeniano vel reliquias quascunque offenderimus studiosè colligamus, & in vsum aliquem quantum potest reducamus ex Alarico, Papiano, Licinio Rufino, & ex Consultatione quadam antiqui iurisconsulti de pactis habemus quasdam. non est dubium & sparsas esse pleraſque in Codice & Digestis Iustiniani. Sed & Græci ad *d. l. vlt.* memorant, in Codice Hermogeniano fuisse legem quæ irritam faceret transactionem habitam de condicione seruili, hac scilicet ratione, ne si aliter constituatur, & re vera seruus sit is cum quo transigimus de liberali causa, eueniat vt inter seruum & dominum habita trasactio rata sit, quod ius non patitur, *l. interpositas* §. *vlt. C. eod.* & hanc Constitutionem postea interpretatione fuisse porrectam ad adscripticios, quoniam seruorum condicionem imitantur & vbique in iure serui esse censentur, *l. xx. C. de agr. cens. & col.* atque ita non fuisse etiam admissam transactionem de condicione adscripticia inter dominum & adscripticium. Verum Anastasij Constitutio neglecta subtili ratione iuris, benignitati adhæresens magis, vel vt illi loquuntur, καταφρονήσασα τῆς ἀκριβείας καὶ ὀπτικωτέρῳ τῇ δικαίᾳ, vult valere transactionem factam de statu & condicione adscripticia, vel seruili, videlicet si de ea lis dubia necdum finita fuerit: denique post litem factam valere, ante litem mottam vel contestatam non valere, vel sic, de condicione seruili aut adscripticia, de qua non ambigitur, non licere: de qua ambigitur lite aut controuersia mota, licere transigere: atque ita *d. l. vlt.* abrogatio est constitutionis Codicis Hermogeniani.

Cap. XXXVI.

Ius vetus, vt de se quis non de alio promittens obligetur.

HOc iure vtimur, vt non obligetur nobis qui alium promittit daturum facturumve, quia negotium quod instituimus gerere cum promissore, iam non cum eo gerimus si is nihil de se promittat, sed de alio. & quasi igitur ex negotio cum eo non contracto, nulla aduersus eum nascitur obligatio, *l. Stipulatio ista, in princ. l. inter stipulantem, De verb. oblig.* ac merito non placet, Vulcano quod promitit Neptunus, Martem Vulcano præstaturum quod deberet his verbis, Ἐγώ τοι αὐτὸν ὑπόσχομαι ὡς σὺ κελεύεις. Τίσειν ἄσιμα πάντα. Et his qui alium daturum facturumve aliquid promittunt, proprie conuenit & obiicitur quod & Neptuno Vulcanus. Δολαὶ τοι δειλῶν γε καὶ ἐγγύαι ἐγγυάασζ. Πῶς ἂν ἐγώ σι δέοιμι. quia scilicet difficile est præstare quod ita promittitur, maxime de homine perfido qui vix sit bonam fidem vnquam agniturus, & quia si id non præstetur ex ea etiam cautione promissor non tenetur: nam placet Aristarchi interpretatio, vt δέοιμι sit δέθωόιμι. Πῶς ἂν σι δέοιμι, id quemadmodum te obligatum habeam, aut qua actione tecum experiar, si nolit dare is quem tu daturum caues? nam ex promissione huiusmodi nulla nascitur obligatio. Quamobrem mox Neptunus emendat cautionem, & seipsum daturum promittit, si suum Vulcanus à Marte consequi non potuerit. Εἴπερ γάρ κεν Ἄρης χρεῖος ὑπαλύξας οἴχηται φεύγων, Αὐτός τοι ἐγὼ τάδε τίσω. quod proprie est fideiubere, atque Vulcano satisfacit respondenti. ὡς ἔος ἠδὲ ἔοικε δεὸν ἔπος ἀρνήσασθαι. Odysseæ octauo.

Cap. XXXVII.

Vasa plumbo colligata.

SOlebant veteres paria vasorum, aut bina paria, aut plura, plumbo colligare nodo quodam metuente, solui, ne facile contrectari, & loco moueri possent, quod demonstrat *l. 19. De aur. & arg. leg.* quæ certo pondere argenti facti legato, docet non posse legatarium separare vasa quæ inuicem colligata sunt, & vnum quidem amplecti, alterum respuere, licet optio ei legata sit, & replumbari ea non vt separentur, sed vt appendantur sine plumbo, nec plumbum legatario præstari, vel etiam emptori: nam emptori, inquit, replumbata adsignantur. Legendum, *replumbata*, non *replumbatæ*. Et aliud seruari legatis certis speciebus argenti, facti, veluti lancibus quadratis: tunc enim etiam plumbum legatario præstari quo colligatæ sunt lances, quod iam non pondus argenti sit legatum, sed species argenti certæ, quibus accessionis iure nodus plumbeus cedit. & huc forsitan pertinet quod scribit Plinius *xxxiii.* *conditas arcis vestes Homerum indicare, ac vasa aurea argenteaque, & ea colligata nodi, non annuli nota.* quamquam non vasa inuicem colligata indicet Homerus, sed arcam, in qua erant vestes & vasa, posito operculo fuisse colligatam firmissimo nodo, ne quis ex ea quid subriperet. Sic enim Arete offerens arcam compellat Vlyssem, eodem Odysseæ libro.

Αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλον,
Μή τίς τοι καθ' ὁδὸν δηλήσεται.

Cui mox paret Vlysses præligans arcam nodo multiplici quem docuerat Circe.

Λύτην' ἐπίρρεπε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε
Ποικίλον, ὃν ποτέ μιν δέδα εφρεσὶ πότνια κίρκη.

Nondum enim erant in vsu claues & seræ quibus vtimur, quarum inuentum Laconibus tribuitur, clauis aliis Homeri locis plerisque claustri genus est longe diuersum.

Cap. XXXVIII.

Edictum ædilicium ad locationes pertinere.

HAabent, vt dicitur, familiaritatem inter se emptio, venditio, & locatio, conductio, eisdemque iuris regulis consistunt, *l. 2. D. loca.* nec tamen adhuc vllus extitit iuris interpres qui edictũ ædilicium quod est de emptione venditione auderet porrigere ad locationem & conductionem, & ædiles ipsos mirum esse Vlpianus ait in *l. sciendum est, D. de ædil. edict.* non idem edixisse de locationibus quod de emptionibus, & reddit quidem hãc rationem, vel quod ædilium de locationibus iurisdictio non fuerit, vel quod non eodem modo contrahantur locationes atque emptiones, nec interpositis iisdem cautionibus. ratio est duplex, ἔνστασις & ἀντωθέλησις, & ob id liquida neutra satis, vt plerumque eius quod mirum iuris auctoribus videtur, nulla constat ratio certa, *l. liberum, D. de relig.* & prudenter Vlpianus refert tantum illas rationes reddi, quas ipse tamen se probare non indicat. At ex diuerso ratio non parua est producendi ædilicii edicti ad locationes & conductiones: nam si forte ædes in quinquennium conduxero, ac primo anno deprehendero esse pestilentes, insalubres, male sanas, cur mihi licebit agere redhibitoria vt locator ædes suas recipiat, & recedamus à locatione conductione? & sane hæc videtur esse mens Constitutionis Zenonis in *l. pen. C. de loc. & cond.* ex

qua locatori & conductori impune licet vbique intra annum à contractu discedere, nisi aliud nominatim conuenerit. Conductori supradicta ratione, vt opinor. Et locatori igitur æquæ, quod postea cognouerit eum sibi conductorem incommodum esse. non dico quod prædio conducto abutatur, quod fundum non colat vt oportet, quæ causa iam erat recepta, *l. 3. C. eod. l. quæro §. inter, D. locat.* Sed si qua alia ratio ei sit improbandi conductoris, vel ob mores hominis, vel ob existimationem malam, vel quod sit forte difficilis conuentu, nec negotium cum eo vllum contrahatur quin sequatur ex eo lis semper aliqua. Græca est constitutio, cuius hæc verba restant in Basilicis. Ἑκατέρῳ ἡ διάταξις ἐπιτρέπει καὶ τῷ μισθώσαντι, καὶ τῷ μισθουμένῳ ἐξεῖ ἐντὸς ἐνιαυτοῦ λύειν τὴν μίσθωσιν, καὶ ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐπαρχίαις, καὶ μὴ δίδοναι τοῦτο ἀναβολὴν ἐκ παραβάσεως, εἰ μὴ ἄρα ἐν ἀρχῇ τοῦ συναλλάγματος ἀπετάξαντο τῷ τοιούτῳ συμφώνῳ, ὃ ἀχρέωσε ἀπεῖπον. Et de hac lege ita scriptum legi in antiquissima notatione locorum quibus quæque res in iure tractetur, quam mihi communicauit Petrus Pithœus homo nunquam laudatus satis. de emphyteusibus & de conductionibus inuenies *lib. IV. Codicis, tit. vlt. & pen.* In illis autem titulis non prætermittas illam pulcherrimam legem, qua cauetur licere intra annum sine pœna à contractu conductionis recedere.

CAP. XXXIX.

Colobia, Laticlaui, Angusticlaui, Penula.

INter vestimenta alius est angustus, alius latus clauus. hunc Græci vocant πλατυσήμον, illum στενόσημον. Ac inde pro qualitate claui quo vtebantur, alij tribuni militum laticlauij, vt ille Rufinus de quo *l. 4. C. de test. mil.* alii angusticlauii. Senatores omnes laticlauij, equites angusticlauij, vt merito hæc separentur in *l. nuper, D. de do. inter vir. & vx.* vt latum clauum impetret, vel equestris ordinis fiat: quia scilicet qui sunt ex equestri ordine non sunt laticlauii, sed Senatores vel Tribuni militum quam maioris dignationis. Et tribunum quidem laticlauium puto significari illo Horatii loco: *Sumere depositum clauum fierique tribunum.* Non fuit autem clauus siue latus siue angustus quod existimant fuisse vulgo: Inuenio enim clauos esse potius partem vestimenti quam vestimentum, & sicut insitas, vt diximus *cap. XXIV.* ita clauos alios consui vestimento, alios non consui, & indistincte vestimento legato contineri quasi partem, *l. XIX. §. plane l. XXIII. §. 1. De aur. & arg.* Sane quibus honoris causa vtebantur Senatores vel tribuni vel equites, non erant consuti vesti, sed supra eam, demissi in pectus vsque alii arctius, alii latius, vt recte Horatius dixerit alio loco: *Latum demisit pectore clauum.* & integer Acro in illum locum: *Prætextam & latum clauum prunaque batillum*: *Latum clauum*, inquit, *purpuram dicit, quæ in pectore extenditur senatorum*, Græci τὰ κολοβίωνα *vocant. vsum eius retinent hodie principes iniicientes vesti à ceruice ad pectus indumentum ex purpura vel pellibus pretiosis muris pontici vel aliis, dum regio habitu prodeunt in publicum.* & hanc interpretationem confirmant aperte hæc Petronii Arbitri verba: *Pallio coccino adrasum incluserat caput, circaque oneratus veste cervices laticlauiam immiserat mappam simbriis hinc atque illinc pendentibus.* Quod autem clauum & colobium pro eodem accipit Acro, etiam valde probo. & auctoritate eius adductus in *l. 1. C. Th. de hab. quo vti opor. intra vrb.* Ne Senator intra vrbem vtatur veste militari, veluti lacerna siue chlamide, sed colobiis ac penulis, colobia interpretabor latos clauos superiectos interiori vesti pariterque apud Hieronymum quæstionibus in Genesim & Seruium dum antiquos scribit colobiis vsos, *Æn. XI.* & seruos nec colobia nec calceos habere, *Æn. I.* & in *epistola Pij ad Iustum*, colobio episcopum vestiri: nam & eo genere indumenti vtuntur episcopi vt principes, & vt etiam monachos Ægyptios Isidorus scribit, imo & nostros quosdam, sed viliore vti compertissimum est. Penulas autem quibus Senatoribus intra vrbem vti permittit *d. l. 1.* pluuiæ tantum aut frigoris causa permittit, vt arbitror, superiectas etiam interiori vestimento. Tertullianus *In Apolog. Ne vel hyeme voluptas impudica frigeret, Lacedemonij penulam ludis excogitarunt.* Penula igitur itinerarium aut frigoris & pluuiæ vestimentum est, quo nec Senatores vti permisit aliter Alexander auctore Lampridio *Imperatores ne pluuiæ quidem tempore vtebantur.* Spartianus in Adriano: *Penulis*, inquit, *vti tribuni plebis pluuiæ tempore solebant, imperatores autem nunquam.* Idem in eodem refert, Senatores & equites Romanos Hadrianum iussisse semper in publico esse togatos, ipsum cum in Italia esset, semper togatum processisse. Sed *d. l. 1.* satis habet si Senator in senatu & in fungendo munere senatorio togatus fuerit.

CAP. XL.

Adnotantur quædam ad Orationem à Iustiniano antecessoribus scriptam.

ANtecessorum nomine significari eos qui ius ciuile in scholis docent, nemo ambigit. nam & quos in Oratione ad antecessores scripta, Iustinianus vocat antecessores veluti Dorotheum, & Anatolium, Theophilum, Cratinum, in ea quæ est de confirmatione Digestor. vtraque lingua conscripta, & in aliis de Codice faciendo, confirmando, emendando iuris præceptores, doctores, interpretes, ἐξηγητὰς vocat: & in eadem illa oratione professores legitimæ scientiæ, quibus etiam præscribit quid quoquo tempore docere debeant. Discipulis autem definit quinquennium quo scilicet dent operam audiendis professoribus & perlegendis libris conditorum iuris. Erat antea definitum quadriennium, nec nisi qui probasset tantum se temporis legum studiis impendisse, admittebatur in numerum aduocatorum, *l.* iubemus pro tempore. *l.* petitiones, *C. de adu. diu. iud.* Si quinquenium quadriennium illa ætate, qua mores & iura & verba ciuilia sane erant notiora aut faciliora perceptu, quid non erubescimus istà, quæ horrere spinis omnibus videntur omnia quæcunque de iure ab antiquis prodita sunt, vix tamen in eis nos transigere triennium, plurimum vitio parentum, qui vt Petronius Arbiter ait, cum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum impellunt. In eadem Oratione Iustin. indicat primo anno nouos auditores iuris olim quasi per contemptum Dupondios appellatos. Sic Hieronymus *aduersus Heluidium. Quis te oro dupondij supputabat?* Et Petronius quoque à vilitate, dupondium sicel, quod penderet drachmas duas: nam ita in antiquorum grammaticorum commentariis scriptum reperi, Sicel apud Latinos & Græcos esse quartam partem vnciæ & stateris medietatem drachmas appendentem duas, apud Hebræos esse vnciæ pondus. Et in *epist. Senecæ, dupondio fatur*, id est, perexiguo sumptu Rursus in eadem Oratione Berytum legum nutricem appellat. Eunapius autem matrem, in Iuliano his verbis: καὶ τῆς τε νομικῆς τελουμένης παιδείας εἰς ἄκρον ἀφικόμενος ὡς ἂν πατρίδα ἔχων τὴν Βηρυτὸν, ἣ τοῖς τοιούτοις μήτηρ ὑπολαμβάνεται παιδεύμασι. & hoc esse Agathias 2. Hist. πάτριον τῇ πόλει καὶ ὥσπερ γέρας τι μόνιον,

Et quod in aliis duabus Constitutionibus, idem & illà inhibet destricte ne librarij in exscribendis Institutionibus, vel Digestis, vel Codice vllis sigillis vtantur. quod tamen posteriores non obseruauere, atque ex ea re in eis libris errores procreauere quamplurimos. Et sigla vel singla ἐν συγκοπῇ dicit quasi singula, vt vincla, secla, vt vigilias siue excubias posteriores dixere viglas. quod Niceph. rex περὶ φυλακῶν cap. 11. hoc tit. demonstrat aperte περὶ βιγλῶν, ᾗ πόσον διάστημα ὀφείλειν ἀπ' ἀλλήλων διΐστασθαι. Et Eustathius qui viglam interpretatur σκοπιὰν. Multum autem singula distant à notis. Notæ enim non sunt literæ, *l. vj. §. vlt. D. de bo. pos.* Singula sunt singulariæ literæ, vt Aulus Gellius loquitur *xvij.* sine coagmentis syllabarum, & ita literas à notis separat Manilius illo loco, *Cui litera verbum est, Quique notis linguam superet*, &c. vt exemplis hoc demonstrem, *Senatum, populumque Romanum*, singulis ita designant S. P. Q. R. notis hoc modo ℘. Senatusconsultum per singula sic S. C. per notas sic. ℈. *Dolus malus abesto*, singulis ita, D. M. A. notis ⅁. *Vnde de plano recte ita legi possit*, ad eum modum scribes facile per literas singulares; per notas autem hoc modo ⅁. Hoc didici ex antiquissimo libro notarum, ex quo proferam & alia quædam verba iuris vti per notas scribantur ℥ hoc est *stipulatione Aquiliana*. ℥ *Aspargine*, vt & Flor. scriptum habent in tit. Ad *l. Rhod.* & Palæmon in Glossis, & Virg. *Salsa spumant aspargine cantes*. ℒ *Lautumiæ*. ℒ *Libera ciuitas* Ⅴ *Viocurus*: vox vsurpata à Varrone. ⅋ *Virgobretus*, summus Heduorum magistratus. Et inde mihi persuasi inanem esse laborem quærentium cur notauerint Digesta maiores nostri in hunc modum ff. Notariorum enim inuentum est, quod plerumque nullam habet rationem. Notarios dicimus eos qui scribunt notis. Singularios eos qui singulis, in notitia *l. 1. C. de off. præf. prat. Afr.* & in *Notitia Romani imperij*, & in *formulis Cassiodori*. & de notariis eleganter Basilius in *Epistolis*. οἱ λόγοι τῷ φύσιν ὑποπτεύειν ἔχουσι. διὰ τοῦτο σημεῖον χρήζουσιν ἵνα ἐπαμβύων αὐτῶν λάβῃ τὸ πάχος ὁ χαλκοῦς.

IACOBI CVIACII
IC. OBSERVATIONVM
LIBER XIII.

CAPVT PRIMVM.

De officiis quibusdam præfecti vrbi.

NOTITIA Romani Imp. inter officia præfecti vrbi numerat eum qui dicitur ab actis & actũ qui dicitur Cura epistolarum & Adiutores. Et de his qui sunt ab actis, & adiutorib⁹ eorũ est *l. per hanc, C. de adu. diu. iud.* quæ eorum singulos multat x. auri libris, si culpa eorum vel datus fuerit cõmeatus aduocatis statutis in foro præf. vrbi vltra triennium, vel in aduocatorum collegium assumpti vltra LXXX. vel confusus & perturbatus ordo aduocatorũ permutatis locis, iuniore scilicet vetustiorem occupante & anteuertente. Nam Iustini ea lex est ad Theodorum præf. vrbi scripta. Sic enim emendanda ex veteribus libris, & ex Basilicis est cum eius legis inscriptio, tum *l. 14. C. de non num. pec.* Ex Basilicis, quod in eis, scilicet ita exprimatur prima pars supradictæ legis. Μηδεὶς ᾖ ἐξὸν τῷ ἐπάρχῳ τ πόλεως ζωγράφῳ μίσχεις εἰς ὀγδοήκοντα ἀριθμῶσιν οἱ παρ' ἡμῖν δικολόγοι. & argumentum rei, quod matriculam aduocatorum constare velit LXXX. tantum, quam in foro præfectorum prætorio esse CL. compertissimum est *l. 8. l. 11. l. inbemus aduocationem, eod. tit.* & *Nou. Theodosij de postul. & perpetuanda adu.* Nec *l. vlt. C. eod. tit.* quæ de lege Iustini loquitur, scripta de aduocatis præfecturæ prætorianæ, intelligit *d. l. per hanc*, quæ non est de aduocatis præfecturæ prætorianæ, sed præfecturæ vrbicariæ, verum aliam quandam. Et probem magis vt legatur in ea *biennium*, non ex *d. l. per hanc*, *triennium*, hoc sensu, vt aduocatorum præfecturæ prætorianæ albo eradatur, qui vltra biennium sine commeatu peregre abfuerit, vel vltra quinquennium cum commeatu: nam & Græci ita eam nobis enarratam reliquerunt Ὁ μὴ ἀπολύσεως τ βασιλίδος πόλεως ἐκδημῶν δικολόγος ἐὰν ἀπόλυσι τ ἴδιον ἐαυτὸν καὶ ἐπὶ πενταετῆ ἀπολφθῇ· ὁ γὰρ δίχα ἀπολύσεως ἀπολφθεὶς δύο ἔτη μόνον δύναται μεῖναι ἔξωθεν. Est & alia constitutio de officiis præf. vrbi, in *l. vlt. C. de off. præf. vrb.* quæ primicerium, id est, primatem, priorem, antiquiorem adiutorem officij vrbicariæ præfecturæ post biennium in eo gradu consumptum, vult suscipere curam personarum. Sic est scriptum, vulgo nullo sensu malim, *Curam epistolarum*. nam hæc etiam cura, vt initio dixi, numeratur inter officia præf. vrb. Sed fuit etiam inter officia præf. præt. & dicitur à Cassiodoro cura canonicarum epistolarum, *lib. xii.* Curam igitur epistolarum noui, curam item cursus publici, & curam palatij, Curam personarum non noui, non legi in iure vel Notitiis.

CAP. II.

Pacti solatium; & Constitutiones græcæ de aduoc. diu. Ind.

DIu quęsiui quid esset puncti solatium in *l. laudabile, C. de aduoc. diu. ind.* nec scio an adhuc inuenerim plane, torquet me varia lectio. Alij enim *puncta consequi solatia*: alij, *punctos consequi solatia*, habent: alij & ij quidem frequentiores, & vt arbitror veriores; *puncti solatium*. Vult igitur Imperator patronos qui fisci causas defendunt in foro præf. prętorio, Kalend. Ianuarijs inter comites consistorianos de manu sua puncti consequi solatium. Basilica, consequi τὸ pactum. an igitur potius, pacti solatium, id est, vt ait l. iube-

mus pro tempore. & *l. petitiones*, *C. eod. titulo.* quod Communi consensu siue communi placito & conuentione totius collegij aduocatorum patronis fisci constitutum est, aut si mauis, pacta solatia. Ex eisdem Basilicis didici in eodem titulo hodie deesse *l. xvii.* & *xviii.* & hanc *xvii.* fuisse sententiam, ne quis alius præter præfect. prætorio multæ dictionem habeat in aduocatos sui fori, qui non sint supra numerum. Et xviii. ne ideo lis protrahatur quod non sunt præsto aduocati tres, sufficere enim duos: mos enim erat vt aduocaret quæque pars sibi plures, *l. pen. C. de postul.* & ad summum tres. Sed duos sufficere lex arbitratur, vnum quasi pro oratore, alterum pro Iurisconsulto: nam vel hos duos in litibus interuenire solere indicat Nou. Valentiniani de episcopo. iud. quæ causidicum qui in extraordinario iudicio adfuerit, & egerit, plectit officij amissione, Iurisconsultum existimationis & ciuitatis damno. Id vero omne ita breuius in Basilic. Οὐδεὶς ὅπλα φερέτω τοῖς ἐν τάξει ὄσι δικολόγοις εἰ μὴ μόνον ὁ τῆς πραιτωρείου ἔπαρχος. Δίκη δὲ οὐ καθίσταται κἂν μὴ εὑρεθῶσιν ἐν αὐτῇ τρεῖς συνήγοροι. δύο γὰρ ἀρκοῦσιν. In veteribus quibusdam libris adnotatum legi aliam quoque sub eo titulo constitutionem græcam desiderari ordine XXVIII. Sed hanc non inueni.

Cap. III.

Restituuntur Græca verba in l. fustibus, C. ex quib. cau. infam. irrog.

NOndum restituit quisquam Græca verba quæ desiderantur in *l. xvi. C. de causis ex quib. infam. alicui non irrog.* nec enim legendum est ἐσυκοφάντησας, vel *d. l. xvi.* vel *xvii.* Sed *xvii.* συκοφαντεῖς, quo verbo inter locutorio non irrogatur infamia, quamquam idem sit statuendum de verbo ἐσυκοφάντησας, nisi causa cognita pronunciatum sit *l. 1. D. ad Turpillia.* In lege autem XVI. legendum est, Κατηγορίαν ἄνδρὸς δικαίας πρὸς ὑποστάσεως ὅτως ἀγεννὴς ὑπάρχων μὴ ἐνίσασο. quod me docuere Basilica. & sententia igitur hæc est, lictum fustium per se solum non importare infamiam, vt *l. ictus, D. de his qui not. infam.* Sed si inter cædendum præco ita dixerit, Ne sis adeo vilis vt sine iusta causa accusationem instituas: hoc enim perinde est ac si dixisset, Ne calumnieris in posterum, vel Ne sis adeo infamis. quæ causa irrogat infamiam Inter cædendum præconem pœnæ causam dicere solere nemo ambigit, quod superdicere est, in *l. si duo*, §. *vlt. de iureiur.* ad quam similes locos notaui plures *Obseruatio VIII.* præter quos Ambrosius *Serm. xc. Iussit ad lupanar duci sub voce præconis, dicentis, Agnem sacrilegam virginem, Diis blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datam.* Et simili ratione Petronius Arbiter, *Me cœpit verberare non perfunctorie, adiectis & petulantibus dictis, Sic dinidere cum fratre nolito.* Et de Pisistrato apud Sudam nescio quis auctor. ἐκέλευσε φέρειν τὴν ὁδὸν μαστιγοῦν κηρύσσοντας, ὁ δ' ἀνὴρ ἀκολαθεῖς ὑποθανεῖται ὁπ ὀλιγορεῖ τὸ γράμματος. Eundemque morem in suis legibus comprobat Plato, qui venditorem adulterinæ mercis iubet fustibus cædi præcone dicente causam propter quam id pati meruit, *lib. XI.* Τυπτέσθω, inquit, ὑπὸ κήρυκος ἐν τῇ ἀγορᾷ κηρύξαντος ὧν ἕνεκα μέλλει τύπτεσθαι. Iosephus *in Maccabæis*, μάστιξι κατάκεντον, πάσῃ τῇ τοῦ βασιλέως ἐντολῇ ἐτέρωθι κήρυκος ὑπιόντος. Arrianus 3. ἀναβάσεως, μαστιγοῦν ἐκέλευσεν αὐτὸν καὶ ἐπιλέγειν τὸν κήρυκα ταῦτα ἐκεῖνα, &c. Similis locus apud Niceatam.

Cap. IV.

Per nuptias filios naturales, suos & legitimos fieri posse etiam sine dotalibus instrumentis.

FIlij naturales sui & legitimi fiunt si cum matre eorum, concubina sua, pater contrahat matrimonium confectis dotalibus instrumentis §. *vlt. Inst. de nup. Nou. xii. & xviii.* Imo & sine dotalibus instrumentis, vt opinor, sine dote, sine donatione propter nuptias, si modo apud acta profiteatur velle se eam sibi vxorem esse, aut filios quos ex ea forte suscepit sibi esse suos, quæ singulari priuilegio fieri possunt, non solum apud eos magistratus qui actorum conficiendorum potestatem habeant, sed etiam apud vtrumque vel alterum fisci patronum qui ærarij causas agit in foro præf. prætorio ex constitutione *l. laudabile*, *C. de adu. diu. iud.* absque præiudicio tamen absentium. quinimo, vt fit hodie in Gallia, vocandi essent agnati, qui possent lædi suauitate, vt ita dixerim, liberorum naturalium, quemadmodum in confirmanda adoptione non iure facta adhibendos esse ait *l. xxxix. De adop.* eos qui contradicerent, id est qui læderentur confirmatione adoptionis. & hoc quod ita obseruaui ex *d. l. laudabile* confirmat *No. cxvii. c.* 11. Verum alia etiam in re ex eadem lege fisci patroni ius actorum habent. nam si quis velit fidem bonam & debitum agnoscere iterata cautione, eam ob rem non est necesse delegari arbitrum specialem apud quem acta fiant, quia fieri etiam possunt apud fisci patronum. & iteratam cautionem huiusmodi eleganter Græci ad *l. cum notissimi* §. *sed & si quis*, *C. de præf. xxx. an.* vocant γνωσιμαχικὴν ἀσφάλειαν, ac similiter in *d. l. laudabile* apud patronum fisci fieri acta γνωσιμαχούντων.

Cap. V.

Constitutiones Græcæ de procuratoribus.

IN *tit. de procurat.* desiderantur duæ constitutiones Græcæ XXVII. & XXVIII. hoc est penultima & vltima. Et vltima quidem non extat in Basil. vel Eustathio auctore lib. de temporibus, qui & illius nobis sententiam conseruauit, à nobis explicatam in enarratione eiusdem libri. Penultimæ verba hæc sunt in Basilicis. Διάταξις ἀπαγορεύει δύο δικαστηρίων, τὸν αὐτὸν ἔτι δημόσιον ἐντολέα, ἀλλ' ἄλλους μὲν ἔτι ἐν τοῖς μείζοσιν δικαστηρίοις τῆς ἐνδοξοτάτων ἀρχόντων τοὺς ἐντολέας, ἄλλους δὲ τοὺς τοῖς λαμπροτάτοις διαιτηταῖς ὑπηρετουμένους ἢ δίκης. καὶ μήτε τὸν ἀφωρισμένον τῆς δίκης ἐντολέα φέρειν τῷ διαιτητῇ, αὐτὸν περαιοῦν τὴν δίκην φέρειν τῷ ἐνδοξοτάτῳ ἄρχοντι, ἀλλὰ μετέντευξιν γίνεσθαι παρ' αὐτῷ περὶ τοῦ ἐντολέως τοῦ τῆς ἐνδοξοτάτου ἄρχοντος παρεδρεύοντα, μηδὲ μιᾶς δαπάνης ἐπὶ προσθολῇ ἐντολέως γινομένης ἐπὶ τούτῳ τῷ μετεντεύξει, μηδὲ καινῆς ἱκανοδοσίας διὰ τοῦτο τὸ μετέντευξιν ἀπαιτουμένης, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐπὶ τῇ τῆς κρινομένων ἐκπληρώσει ἱκανοδοσίαν, καὶ τὴν ἐπὶ τῇ ὑποδοχῇ ἀσφάλειαν ὅτως ἐξ ἀρχῆς ὑπαγορεύεσθαι, ὡς προείχεσθαι αὐτάς, καὶ τὰ δαπανήματα τοῦ τοιούτου μετεντεύξεως, ἵνα ὁ ἐγγυώμενος τὴν μίαν τούτων τῆς ἱκανοδοσιῶν ἐπιφορτᾶται ὅπ ὁμολογῶ, καὶ τοῦτον φέρειν τῷ διαιτητῇ ἐντολέα ἐπὶ τῇ τῆς κρινομένων ἐκπληρώσει, ἢ τὴν ἱκανοδοσίαν ἐγγεγυῆσθαι. Καὶ εἰ συμβῇ ἐξ ἀναφορᾶς τοῦ διαιτητοῦ ἢ ὑπὸ ἐκκλήτου διδομένης καὶ τὸ αὐτὸ ψῆφον μετενεχθῆναι τὴν δίκην εἰς τὸ μείζον δικαστήριον ἔτινος ἐστὶν ὁ διαιτητής. καὶ τὸν ἐκ μετεντεύξεως μέλλοντα ἔτι ἐντολέα ἐν τῷ μείζονι δικαστηρίῳ καὶ τὸν ὅμοιον τρόπον ἐγγεγύημαι. Ἐὰν μὴ πάντα ταῦτα παραφυλαχθείη εἰ μὴ ἑνὶ τῆς μείζονων δικαστηρίων ἡ νομοθεσία φερέσθω τῷ πρωτοφόρῳ σκευίῳ πέντε χρυσίου λιτρῶν καταθήσει ποινήν. Εἰ δὲ φέρειν διαιτητὴν ἡ νομοθεσία φερέσθω ὁ τῆς δίκης πλησιάσας,

ὁ πεφυτευκὼν τῷ λογιωτάτῳ διαιτητῇ μιᾶς χρυσοῦ λίτρας ἀπαιτησάτω τὰ ποιηθέντα. Οἱ δὲ ἄλλοι δύο οἱ ἐκ τῆς τάξεως ἀφορισμένοι τῷ διαιτητῇ, ἤτοι ἐκ τῶν χρεῶν δύο χρυσᾶς λίτρας ἀπαιτησάτωσαν τοὺς φύτας. αὐτὸς δὲ ὁ ἐντολεὺς ἀφ' ἧς τὴν ἀγωγὴν πληγῆς συμφωνιζέσθω τῷ τε ἄρχοντος, καὶ τῷ διαιτητῇ κεκωλυμένος τὸ λοιπὸν ἐντολεὺς ἐν δικαστηρίῳ γίνεσθαι.

Et tollit hæc Constitutio dubitationem eam quæ moueri solet ad *l. inuitus, eod. tit.* an qui procurator datus est ad litem agendam, sententia dicta & interposita appellatione causam appellationis exequi possit vt debeat. Vetat enim ne quis duobus iudiciis cuiusque procurator sit, sed vt alius sit in maiori auditorio procurator; veluti in foro præsidis prouinciæ, alius in minori, à quo soleat ad maius appellari vel referri, veluti apud iudicem pedaneum, atque ita eidem qui procuratorio nomine apud pedaneum iudicem agit, agat etiam eandem rem eodem nomine apud præsidem, sed vt translationem negotij siue mandati, μετένταλμα vocat, faciat in aliquem ex his qui in foro præsidis procuratorum officio funguntur, ita tamen vti nihil nomine μετενταλματος huiusmodi eroget vel impendat, vt fieri solet in ordinando procuratore, nec solitam etiam pro eo siue communem cautionem præstet. nam satis est in eo confirmando & constituendo cui priori causæ actio vel defensio mandatur, ita concipi cautionem Iudicatum solui & de rato, vt comprehendat etiam sumptum quem fieri conuenit nomine μετινταλματος, ita vt qui hanc vel illam cautionem emittit non tantum prioris procuratoris apud pedaneum iudicem personam confirmet per Iudicatum solui vel de rato satisdationem, sed & posterioris, qui forte lite translata in maius auditorium per relationem iudicis dati vel appellationem eius negotii in eo iudicio procurationem susceperit. Et nouissima parte irrogantur pœnæ procuratoribus & executoribus litium siue apparitoribus, qui Constitutioni non obtemperauerint. nam & iudices datos habuisse apparitores docuimus initio libri duodecimi. Id autem præter principalem sententiam huius constitutionis, ex ea obseruandum est, vt aduocatorum, ita procuratorum in vnoquoque foro vel iudicio certum fuisse numerum, quibus solis causas suas committere litigatoribus liceret, vt fit hodie, non quibuslibet. Obseruandum etiã illud Iudicatum solui stipulationem in ea communem appellari non qua forma in *l. v. D. de verb. oblig.* aut *l. 1. de præt. stipul.* Sed qua in *l. creditoribus, D. de separat.* quod sit vulgaris & frequens. Item ex illo loco, τὸ μέγιστον δικαστήριον ἕνος ἑκάστου ἐστὶν ὁ διαιτητὴς, singulis iudiciis etiam adscriptos certos & proprios iudices pedaneos, quibus causæ delegarentur. nam maius inquit, iudicium, cuius est iudex pedaneus, id est, quod obseruat cuique adhæret iudex pedaneus. Id quod est ex Constitutione Zenonis, vt legimus Nou. LXXXI. & forsitan tota ea l. penult.

CAP. VI.

De eo qui equis alienis equas suas subiicit.

SI quis sine voluntate mea equis meis in spem gentis, vt Virgilius loquitur, subiecerit equas suas, placet quod Vlpianus scribit in *l. si quis uxori, §. si quis asinum, De fur.* teneri eum furti si furandi animum habuerit, hoc est, si celandi, supprimendi, & lucrandi animo eos retinuerit, ac semper quidem hunc intelligitur animum habuisse si diu retinuerit, licet prætendat studium quærendæ stirpis & admissuræ. Si hunc animum non habuerit teneri eum in factum, id est, vtili actione furti in simplum, quia & sola summissio veluti furti quoddam genus est, vt Homerus declarat his versibus *Iliad. v.*

Τῆς γενεῆς ἔκλεψεν ἄνακτ' ἀνδρῶν Ἀγχίσης
Λάθρῃ λασιμέδοντος ὑποσχὼν θήλεας ἵππους.

Ac dicitur eleganter ea summissio ab Eustathio κλοπὴ οἰκονομικὴ, id est, furtum quoddam attenti & diligentis patrisfamilias, cupientis rem augere minima reprehensione. nam qui ex equabus nascuntur, dominuim equarum sequuntur, *l. 5. §. idem scribit, D. de rei vind.* vt magis videatur ille subtraxisse sibi ex alienis equis prolem, quam equos alienos subripuisse. nec enim si in veritate furtum esset, deceret Anchisen, nec subiiceret Homerus furti explicationem, ne quis grauius quiddam eum admisisse opinaretur, ὑποσχὼν θήλεας ἵππους, subiiciens equas. Ita vero etiam actioni furti succedit actio in factum in specie *l. si is qui rem, §. pen. & l. si quis uxori §. sed si filius, l. in furti §. vlt. D. de furt. l. si heredis, D. de leg. §. interdum, Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc.* Tenetur autem ille actione in factum, quia non ex voluntate domini equos summisit, in qua veniet id quod interest, si forte ex ea re læsi fuerint equi non admissarij, vel summissi admissarij nulla oblata mercede. nam plerique solent non nisi mercede certa equos admissarios summittere e quabus alienis, quam Varro equimentum vocat.

CAP. VII.

Emendantur duo loci in titulo Digestorum De negotiis gestis.

IN edicto vrbano de negotiis gestis cum scriptum esset, *Si quis negotia alterius gesserit*, Vlpianus ad vocem alterius, notat ea vtrumque sexum comprehendi, *Si quis negotia maris vel feminæ gesserit, l. 3. D. de neg. gest.* & consequenter adiicere debuit, referri quoque eam vocem ad pupillum, *Si quis negotia pupilli gesserit*: cum subiiciat referri etiam ad furiosum, *Si quis furiosi negotia gesserit.* Quamobrem *d. l. 3.* arbitror non esse legendum, *Pupillus sane si negotia gessit*, &c. Sed hoc modo, *Pupilli sane si negotia gessit*, id est, pupilli sane siquis negotia gessit, post rescriptum D. Pij pupillus conueniri neg. gestorum contraria actione potest in id quod factus est locupletior, quod & ita proditum est *l. 6. in princ. & l. litis, eod. tit. l. 2. C. eod.* Sequitur, Agendo autem, compensationem eius quod gessit patitur, Id est, Si pupillus cuius negotia gesta sunt, agat directa negotiorum gestorum, gestorem id etiam quod gessit quoque locupletiorem pupillum fecit eo iudicio iure compensationis saluum habere posse. nam qui patitur actionem, & compensationem multo magis. Compensationem patiebatur pupillus ante rescriptum D. Pii. Post rescriptum patitur etiam actionem, quod & in aliis omnibus causis locum habet, *l. pupillus de auct. tut. l. 3. Commod.* In eodem titulo *De neg. gest. l. 14.* non est legendum, *Si filius fam. Sed si filiaf.* vt subiiciat recte idem esse in ancilla, & sit par sententia *l. & ancillarum, de pecul. & l. 3. §. penult. Commod.* quæ & filiæf. & ancillæ nomine de peculio actionem dari aiũt. & dubitandi causa oritur ex verbis edicti, *Quod cum eo*, quæ tamen sic accipienda sunt, *vel cum ea.*

CAP. VIII.

Emendantur alij duo loci in Digestis.

PAulus refert in *l. xxxiv.* Iulianum existimare à domino quasi à iuris possessore hereditatem peti posse, si pretium rerum hereditariarum venditarum in peculio serui habeat. vbi illa verba, Quasi à iuris possessore, irrepsisse videntur ex *l. 35.* quæ sequitur, in qua Gaius refert, eundem Iulianum existimare, etiamsi nõdum pretia rerum hereditariarum venditarũ consecu-

tus sit seruus, à domino quasi à iuris possessore hereditatem peti posse. Et est sane hoc casu dominus iuris possessor, quia habet actionem ex vendito de pretiis rerum venditarum, quæ ei etiam ignoranti & inuito per seruum acquiritur, *l. seruus vetante, de verb. oblig.* Illo autem casu non iuris est possessor, sed corporis, quia pretia ipsa in peculio serui habet, & in patrimonio suo igitur & possessione sua, vt quod est in peculio vicarij, est etiam in peculio ordinarij. Et simili errore in *l. 37. §. seruum, de peculio. Seruum*, inquit, Iulianus, *communem quem cum Titio aut cum Sempronio habebam*. Quis vnquam ita scripsit? cur non certum socium dicit? Corrigas, *seruum communem quem cum Sempronio habebam*. & recte sequitur, me Titio partem meam vendidisse antequam eius serui nomine mecum ageretur de peculio. & inde quærit, *Si de peculio cum Titio aut cum Sempronio ageretur, an eius peculij quod apud me esset ratio haberi deberet.* Recte, cum Titio, emptore scilicet, aut cum Sempronio socio quondam meo. Ex quo sane loco perperam irrepserunt initio eius §. verba illa, *Cum Titio.*

Cap. IX.

Eum cui seruus aut liber homo noxæ deditus est, per prætorem cogi manumittere.

LOcus est singularis in §. *Dominus*, *Inst. de nox. act.* quo ostenditur seruum noxæ deditum manumitti inuito domino, cogente prætore si quæsita pecunia nouo domino damnum resarcierit. & ratio hæc, vt opinor, quod prior dominus eum abiecerit, & posterior magis noxam sarciri voluerit, iudex quoque imprimis noxam sarciri iusserit. ita enim solet pronuntiare, vt est proditum in titul. *De off. Iud.* P. Mæuium L. Titio In x. aureos condemno aut noxam dedere. Præcedit verbum, condemno. & hoc est quod ait *l. 6. De re indic.* post pecuniariam condemnationem, noxæ deditionem sequi, & in x. dominum condemnari, & iudicati teneri in x. tantum. Si noluit satisfacere iudicato, noxæ dedere licet. At rursus noxæ dedito integrum etiam est satisfacere iudicato, cui noluit satisfacere prior dominus, & hac ratione, vt opinor, sub titulo *de Iudicatis*, Papinianus *lib 2. Definitionum*, idem propemodum docuit seruari in homine libero noxæ dedito his verbis. Per hominem liberum noxiæ deditum si tantum adquisitum sit quantum damnum dedit, manumittere cogendus est à Prætore qui noxæ deditum accepit, sed fiduciæ iudicio non tenetur. Noxæ dediti liberi hominis fit mentio *l. iij. §. proinde, De lib. ho. exh.* & à Paulo *lib. sing. de adulteriis*, & noxæ deditorum filiorumfamilias §. *vlt. Inst. de nox. act. l. 5. §. pen. De obl. & act.* At liberos homines vt opinor, noxæ deditio non faciebat seruos, sed addictos, vt xij. tab. iubent liberos homines addici ei cui furtum factum est. Sed neque noxæ deditione siue addictione, liberi hominis pignus aut fiducia contrahebatur. & recte Paulus 5. *Sent.* liberum hominem pignori aut fiduciæ dari non posse. qua de causa Papinianus ait, oblata litis æstimatione non compelli fiduciæ iudicio eum cui liber homo noxæ deditus est, vt eum manumittat, quia nulla scilicet fiducia est, nullum pignus, sed compelli extra ordinem per prætorem. Manumittitur non tantum seruus, sed & is qui seruit, veluti addictus. Siue seruus igitur siue liber sit is qui noxæ deditus est, noxam sarciendo, id est, soluendo iudicatum, inuito domino manumittitur, quia addicti locum obtinet. & ideo, nec patronus est qui manumisit. eademque condicio redempti ab hostibus: Nam redemptori seruit donec soluerit pecuniam pro se datam vel ex Constitutione *l. vltima, C. de postul.* & *redempt. ab host.* quinquennij seruitio expleto libertatem consequitur.

Cap. X.

Sententia l. aut damnum §. quicunque, De pœnis.

CVm scripsisset Vlpianus in *l. aut damnum §. quicunque, De pœnis*, damnatos in ludum venatorium vt ferro depugnent cum bestiis, esse seruos pœnæ, subiecit. *Hoc enim tantum distant à ceteris, quod instituuntur venatores aut purricharij, aut in aliam quam voluptatem, gesticulandi vel aliter se mouendi gratia.* Putaui aliquando esse legendum, *qui instituuntur*. hodie nihil mutari volo. Egregia enim sententia ex his verbis efficitur, damnatos in ludum venatorium non minus seruos pœnæ fieri quam eos qui damnantur ad bestias vel ad gladium, & in hoc tantum meliorem esse eorum condicionem, quod ita damnati conseruantur ad populi voluptatem vt discant venari in theatro, & pugnare cum bestiis, vel vt artem discant mimicam aut purrhicam. & est purrhica simulacrum pugnæ equestris, quę & Troia dicitur, πύρλις & ἱππασία Dioni, idque ex Suetonij *libro de lusibus puerorum* Seruius & Donatus scribunt in 5. *Æn.* Sed transiit etiam vsus purrhicæ in pedestris pugnæ simulacrum adhibitis numeris & concentu musico. Marius Plotius *libro de metris. Pyrrhichius pes à pyrrhica lusus genere nomen accepit, quia hoc sono milites vsi sub armis, vt ait ille, per ludum ciunt simulacra pugnæ, ipsa tamē pyrricha dicta est à Pyrrho Cydoneo, quia primus Cretenses sub armis saltare ad huius pedis sonum instituit. Alij à Pyrrho Achillis filio, quem primum in tumulo patris sui armatum honoris gratia saltauisse dicūt. Aristoteles autem Achillem ait huius lusus inuentorem fuisse. Quibusdam placet ab ardore. i. à velocitate sui soni nomen accepisse hunc pedem. Cognatus enim sensus ardoris & velocitatis est. vnde instant ardentes Tyrij, id est festinantes. Et ardet abire fuga, id est, festinat.* Hæc sunt antiquissimi grammatici verba nondum formis expressi. cui in eo quod scribit de Pyrrho Cydoneo consentit Nicolaus apud Stobæum his verbis: Οἱ ἀπὸ χρητῶν παῖδες ἀγελάζονται κοινῇ κὴ τῷ ἐνόπλιον πυρρίχιον ἐκπονοῦντες ἀλλ' ἄνα τινὰ ἡγεμόνος εὗρε πύρριχος κυδωνιάτης κρῆς τὸ γένος. Verum ad rem. Qui ad bestias damnantur, statim consumuntur. & male Budæus separat damnatos ad bestias ab his qui bestiis obiiciuntur. Qui damnantur ad gladium, æque vel statim consumuntur vel intra annum consumendi sunt, vt Paulus scribit *lib. 5. Sent. tit. xvij.* & mandatis contineri Licinius Rufinus scripsit. Qui vero damnantur in ludum siue venatorium siue gladiatorium, reseruantur populi voluptatibus. imo, vt idem Rufinus scripsit, etiam post quinquennium pileari, ac deinde post triennium rudem accipere atque ita liberari solent, & præfici cæteris gladiatoribus, vt sentiunt qui rudem interpretantur esse ῥάβδον τῆς ὀπτάτων μονομάχων. Tertullianus *de spectaculis. Gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat.* Quod igitur est scriptum de ludo venatorio in *d. §. quicumque*, idem censeo de ludo gladiatorio. Et vt melior est condicio damnati in ludum venatorium quam damnati ad bestias, ita censeo meliorem esse condicionem damnati in ludum gladiatorium, quā damnati ad gladium: ac rursus vt damnati in ludum venatorium, non in venatione tantum instituuntur, sed in aliam nonnunquam populi voluptatem, ita & damdati in ludum gladiatorium. Ac sublatis iam penitus gladiatorum spectaculis *l. j. C. de gladiat. penitus tol.* non arbitror etiam sublatum ludum gladiatorium, & ex mente Iustiniani in Digestis damnationem ad gladium, hodie esse accipiendam de damnatione in ludum gladiatorium, *l. xxv. §. si quis plane, De acqu. hered.* Cer-

te *l. j. De abigeis*, in rescripto Hadr. quo abigei ad gladium damnantur, necesse est eã interpretationem adhiberi vt ad gladium, sit ad ludum gladiatorium. nam post ea verba quæ sunt ex eodem rescripto relata *d. l. j.* ita erat scriptum. Ideoque puto apud vos quoque sufficere genus pœnæ quod maxime huic maleficio irrogari solet vt ad gladium abigei dentur, aut si quis tam notus aut tam grauis in abigendo fuit vt prius ex hoc crimine aliqua pœna affectus sit, tunc in metallum dari oportere. quæ verba Tribonianus non debuit prætermittere, qui postea intulit mentionem metalli pœnæ, de qua nihil ante retulerat. Quia vero ex eo rescripto gladij pœnæ succedit quasi grauior pœna metalli, ideo recte coniectat Licinius Rufinus in eo libro quo contulit leges Dei cum legibus Popu. Romani, inuento à Petro Pitheo summo librorum antiquorum & veritatis purioriſque doctrinæ inuestigatore, Imperatorem Hadrianum gladij pœnam dicendo, sentire damnationem ludi. Debemus Rufinum Petro Pitheo, debemus & alia innumera, hoc agente, hoc perquirente, instigante, docente, discimus semper & adinuenimus aliquid. nec mihi laudis quam totam desiderat tanta Pithei sedulitas, partem vllam attribui volo. & si quid est laudis hoc satis esse reor, quod omnẽ in eum conferendam esse cognoscã.

Cap. XI.

Constitutio græca De in ius vocando.

NEscio quo errore factum sit, vt non posuerit librarius aut non posuerim ipse integra verba eius constitutionis græcæ quæ desideratur in *titulo De in ius vocando*, quod tamen mens agitabat quidem mea *Obseruationum lib. x. cap. x.* Sensus tamen me nescio inquam, vt fefellerit. Integræ Constitutionis verba hæc sunt. Ὁ ἅπαξ αἰτιασάμενος τινὰ ἐν τῇ βασιλίδι πόλει ἢ ἐν ἐπαρχίαις μὴ ὑπόμνησιν ποησενεχθεῖσαν αὐτῷ, μηκέτι τὸν αὐτὸν ἐγκαλείτω, μηδὲ ἐγγράφως μηδὲ ἀγράφως αἰτιάσθω, τοῦτο μὴ ποιείτω κατὰ αὐτοῦ ποιησελεύσεις ἀγράφως, ἀλλὰ τῷ ποιήτῳ δικαστῇ ἐξαμβυέσθω. Ὁ δὲ τὴν ὑπόμνησιν δεξάμενος εἰ καὶ εἰς ἑτέραν μετασαθῆ τάξιν, στρατευσάμενος τυχὸν ἢ κληρικὸς γενόμενος, ἀποκρινέσθω πάντως ἐν τῷ ποιήτῳ δικαστηρίῳ τῷ κατὰ τὴν ὑπόμνησιν τοῦτο τάξιν νομιζόμενα ποιοφόρῳ μηδεμίαν ἔχων φόρα παραγραφήν. ὁ δὲ ἅπαξ αἰτιασάμενος ἐὰν μὴ τὸ ποιησενεχθῆναι τὴν ὑπόμνησιν τῷ αἰτιαθέντι εἰς ἕτερον αὐτὸν καλέσαι δικαστήριον ὑπὲρ τῶν αὐτῶν αἰτίας, καὶ τὸ ἀζήμιον ποιείτω τῷ αἰτιαθέντι καὶ τὴν δίκης ἐκπιπτέτω εἰ καὶ δικαίαν εἶχεν ἀγωγήν. Duo igitur sunt præcepta huius constitutionis. Vnum vt qui semel aliquem vocauit in ius, postea eundem ex eadem causa non possit ad aliud iudicium vocare ex scripto vel sine scripto: atque ita non vbi semel lis contestata est, ibi & finem accipere debere, *l. vbi, D. de ind.* Sed etiam ita dicamus, ad quem quis semel vocatus est, apud eundem reum peragi debere. Alterum, vt qui semel vocatus est in ius, si postea militiæ vel clero nomen dederit, vel qua alia ratione alterius fori esse cœperit, non possit in ea causa vti præscriptione fori, quasi præuentus, vt ait *l. vij. D. de indic.* cui congruit *l. pen. De iurisd. omn. iud. l. vlt. C. de veteranis.*

Cap. XII.

Fructus sine vsu.

VT actus potest esse sine itinere *l. loci*, §. *j. Si ser. vind.* ita fructus sine vsu, *l. 5. §. j. vsufru. quemad. can.* Placebunt species in quibus id contingit. vna est in *l. xiiij. §. vlt. De vsu & habit.* Titium heredem feci, tibi fundi vsumnudum legaui, Titius heres meus eiusdem fundi fructum Gaio legauit, Gaius habet fructum sine vsu. nec enim voluit aut potuit heres meus legare vsum quem tibi legaueram. Ergo Gaius non poterit in eo fundo habitare & à te prohibebitur illo venire nisi veniat ad fructus percipiendos, quia fructum habet sine vsu. Altera est in *l. & per iusiurandum*, §. *si quis vsumfructum, De accept.* Cum essem stipulatus vsumfructum, vsum accepto tuli qui inest in vsufructu, acceptilatio valet quasi partis acceptilatio. adiicit lex, *Cum possit vsus sine fructu constitui.* Est ὑπερίθεσις, ὑπερβιβασμὸς siue traductio verborum. Debuit scribere & vero scripsit aut voluit: *Cum possit fructus sine vsu constitui.* nec enim huiusmodi acceptilatione constituitur sed tollitur vsus, & fructus constituitur sine vsu. Secundum hæc ita constitues recte, Si non licet vti frui, nec vti igitur. Contra autem minime, Si non licet vti, nec frui igitur. & similiter recte, Si non licet ire agere, nec ire igitur. Contra male, Si non licet ire, nec agere igitur. Secundũ id quod præcepit Ar. ὅταν τὸ ὦ τῷ δὲ ἕπεται, ἐκείνῳ ὦ τούτῳ μὴ.

Cap. XIII.

Specularia, Spongiarum vsus, Podia.

INstrumento domus legato, Vlpianus in *l. quæsitum* §. *si domus, De instruct. & instru. leg.* negat deberi specularia & vela quæ voluptatis causa in domo sunt, frigoris forte æstate aut vmbræ accersendæ causa, sed cum mox subiiciat, vela tamen cilicia deberi quæ ideo parantur ne domus vento aut pluuia laboret, putem & specularia deberi quę in eundem vsum parantur. Et parari in eundem vsum Plinius *11. Epist. Egregium aduersus tempestates receptaculum. nam specularibus ac multo magis imminentibus tectis muniuntur.* Seneca de diuina prouidentia. *Quem specularia semper à flatu vindicarunt.* & Martialis illo loco notissimo, quem sic restituo.

Hibernis obiecta notis specularia puros
Admittunt soles, & sine sole diem.

Et idem alio loco specularia significauit his verbis, *Condita perspicua viuit vindemia gemma.* Basilius *Hom. 3.* ὡς τὸν ἑξαήμερον. Ἡ δὲ τοῦ ασκλαείτα φύσις ἐν μετάλλοις ζωωσαμένη λίθος, &c. Cilicia esse vela aut tegumenta aspera ex pilis pecorum constat, quæ & segestria dixere. Proc. 11. *de bel. Pers.* τὰ καλύμματα ἐκ τραγείων τριχῶν ἃ δὴ καλοῦσι κιλίκια. Et Sudas egesta pro segesta scribens fieri ἐξαί γείων τριχῶν τῶν λεγομένων κιλίκιων. Illo sane loco Suetonij *in Augusto*, *Sestertio vel lodicula inuolutus*, legendum, *Segestrio.* Idem vero Vlpianus in §. *item pertica*, instrumento domus adnumerat spongias, quibus columnæ, pauimenta, podia extergũtur. Alij dicunt effinguntur. Cicero *pro Sestio*, *Spongiis sanguinem effingi.* Cato. *Fiscinas spongia effingat.* Apuleius 1. *Vulnus spongia effingens.* Sic malo quam effulciens. & illo quoque loco Martialis, *Hinc oleo corpus fingo*, non *frico.* Podia autem an appellat Vlp. mensas, quæ monopodia T. Liuius 39. ne prætermiserit quæ præcipue in domo spongiis effingi solent. Homerus *Odyss.* οἷσ' οὔτε ποσσὶν πολυτρήτοισι τραπέζας νίζων. & xx. αἵ ῥ' ὑπὸ ποσσὶν τράπεζας πάσας ἀμφιμάσαντε. & xxi. δρόνας τε καλλείας ἠ ὑπὸ τραπέζας ὕδατι καὶ ποσσὶν πολυτρήτοισι κάθαιρον. Et Martialis.

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis
Vtilis, expresso cum leuis imbre tumet.

Sed & in ædibus sunt podia quæ emundari perquam necesse est, quod his incumbamus spectantes in publicum vel in aulam domus. idemque vsus podiorum in theatro & in æde sacra, vt illa inscriptio indicat, Theatrum strauit pauimento, podio circumscripsit: & illa, HS. L. M. L. ad exornandam ædem Pomonis, ex qua summa factum est fastigium inaura-

tum, podium, pauimenta marmorea, opus tectorium.

Cap. XIV.

Emendatio l. xij. D. ad municip.

QVod ita scriptum est *l. xij. D. ad municip. Et ei contra collegam nominati actionem vtilem dari non oportet*, mihi videtur abundare verbo, *nominati*, & indicio esse satis Accursium, qui id subaudiri vult quasi prætermissum. Ex interprete igitur aliquo irrepsit in contextum. Sed neque incorruptum neque suo loco. nam ita scribi potius & collocari debuit. *Et ei nominanti contra collegam actionem vtilem dari non oportet:* vel sicut vulgo scribitur, *Et ei qui nominauit contra collegam vtilem actionem dari non oportet.* Verum nihil sane opus fuit huiusmodi adminiculo. Est enim euidens de eo legem esse de quo proxime actum in fine *l. xj.* qui nominauit sibi successorem in magistratu, suo periculo, qui cum esset *l. xj.* redactus ad exemplum fideiussoris in eo quod non in fideiussorem tantum magistratus qui rem de qua agitur gessit, sed etiam in nominatorem prius sit agendum quam in collegam, probatur statim *l. xij.* alio argumento nominatorem magistratus similem esse fideiussori. nam vt fideiussori qui solidum soluit non datur actio vtilis aduersus confideiussorem *l. vt fideiussor, D. de fideiuss. l. cum alter, C. eod.* ita *l. xij.* ait nominatori qui solidum soluit non dari vtilem actionem aduersus collegam suum, tutori tamen aduersus contutorem est vtilis actio ex constitutionibus *l. j. §. nunc tractemus, D. de tut. & rat. dist. l. ij. C. de cont. iud.* & duumuiro aduersus collegam *l. ij. §. ius Reip. D. de adm. rer. ad ciuit. pert.* quia scilicet pro contutore siue collega soluit & nomine eius, fideiussor vel nominator soluit suo nomine, id est propter suam obligationem. Sunt enim vere duo rei eiusdem debiti, duo fideiussores vel duo nominatores. Duo tutores vel duo magistratus non sunt omnimodo conrei; nam & in singulos magistratus non est in solidum actio, si ambo soluendo sint, *l. si pupillus D. de adm. tut.* & tutores magistratusque habent beneficium excussionis, vt ne scilicet ante agatur in eum qui non gessit rem de qua agitur quam excussæ sint facultates eius qui gessit, deinde fideiussoris eius post nominatoris magistratus, tum ad extremum collegæ. Nominator autem tutoris conuenitur post contutorem.

Cap. XV.

Emendantur l. socium in princ. Pro Socio, & l. idemque §. si procurator. Mand.

IN *l. socium, D. pro socio*, sic lego adiecta distinctione, *Socium qui in eo quod ex societate lucri fecerit reddendo moram adhibuit aut cum ea pecunia ipse vsus sit, vsuras quoque præstare.* nam & paulo post ait *si aut vsus ea pecunia non sit, aut moram non fecerit*, vsuras non præstare. Debet igitur vsuras ex mora quam crearit interpellatio. debet & mora non interueniente si pecunia communi vsus sit, *l. j. §. j. De vsur.* quasi in re ipsa sit mora dum ea pecunia abutitur. & subiicit eas vsuras, id est non quasi fœnus (nam si quasi fœnus, etiam citra moram aut abusionem eius pecuniæ proculdubio deberentur *l. cum quidam, §. si pupillo De vsur.*) sed quod socij interfit moram eum non adhibuisse, id est non paruisse interpellationi aut non fecisse moram in re ipsa pecunia versa in suos vsus. nam hic moræ nomine comprehendi volumus vtramque, eam quæ fit ex persona, quæ proprie est mora, & eam quæ fit ex re ipsa. Eodem tempore indagans ea quæ sunt scripta de vsuris quę in bonæ fidei disceptationibus debentur & veniunt, incidi in *l. idemque §. si procurator, Mand.* in qua non possum non adfirmare, traiectionem esse manifestam horum verborum. Quæ legitimo modo in regionibus frequentantur. Et debere ea primo loco collocari, quod dicitur procuratorem eius pecuniæ quam habet, vsuras ex mora præstare, quæ scilicet legitimo modo in regionibus frequentantur vt *l. j. in princ. De vsur.* Secundo autem loco ait, *si procurator eam pecuniam fœnori occupauerit, eum præstare vsuras quas consequutus est*, ac deinde tertio, *Si eam pecuniam in vsus suos conuerterit. eum debere vsuras legitimas*, vsuras centesimas exemplo tutorum & curatorum & Duumuirorum qui Reip. negotia gesserunt. nam ab his procuratores vel gestores separari non sinit *l. qui sine De neg. gest.* Et hæc verba *si ad vsus suos conuerterit*, in malo semper accipiuntur, si clam & improbe pecuniam domini in suos vsus auerterit, ne quis hoc casu dicat deberi tantum eas quę in regionibus frequentantur, quod eam pecuniam palam & sincera fide in suos vsus conuerterit, puta sibi mutuam rationibus scribendo *l. quoties, §. non tantum, l. non existimo, D. de adm. tut.* Non possis hoc fingere tu ipse syncera fide, & supplere quod lex prætermisit, quodque auctores dum ita loquuntur semper accipiunt in malam partem.

Cap. XVI.

Emendantur quædam lib. Regularum Vlpiani.

FRequenter accidit librario Pandectarum Florentinorum quemadmodum quorumcunque librorum scriptoribus vt vnius nominis literas traiiceret, quod Græcis est ὑποβιβάζειν τὰ στοιχεῖα. Exempli gratia in *l. xix. §. Cum me absente De neg. gest.* in archetypo accepi esse scriptum *suscepisti* pro *vsucepisti.* & simili errore *l. apud Iulianum, de fid. lib. si vero seruum susceperit*, pro quo Græci *si vero seruum vsuceperit.* & Tit. Liuij *xij. Quod Annibal iam velut suam cepisset Italiam.* vbi legendum *iam vel vsucepisset Italiam*, & in *fragmentis Vlpiani. Statuliber seu alienetur ab herede siue suscipiatur ab aliquo, libertatis condicionem secum trahit.* Legendum enim est, *siue vsucapiatur ab aliquo.* quibus verbis non hoc tantum significatur statuliberum emi vel vsucapi cum sua causa, *l. ij. in prin. De statulib.* sed etiam condicionem statulibertatis quę scilic. in dando consistit impleri posse in personam emptoris vel in personam eius qui vsucepit *l. 3. §. non solū eod. tit.* vt *l. vij. eod. t.* cum dicitur vsusfructus alienationem condicionem statuliberi secum non trahere, hoc dicitur condicionem impleri non posse in personam eius qui vsumfructum, sed in personam tantum eius qui proprietatem emit. & idem de eo est proditum cui fideicommissoria libertas relinquitur *l. generaliter §. quoties De fid. lib.* nam & hic statuliberi locum obtinet *l. non tantum §. cui per fideicom. eod.* In hisdem fragmentis Vlpiani *tit. de caducis*, sic lego. *Sed & legata & fideicommissa cum suo onere fiunt caduca.* & *tit. xxij. Extraneus heres si quidem cum cretione sit heres institutus, cernendo fit heres. si vero sine cretione, pro herede gerendo.* Et in *titul. 5.* non possum non vehementer approbare hanc scripturam. *Nunc autem ex tertio gradu licet vxorem ducere, sed tantum fratris filiam non etiam sororis nec amitam nec materteram quamuis eodem gradu sint. Eam quæ nouerca vel priuigna vel nurus vel socrus nostra fuit vxorem ducere non possumus.* & ita emendatius hæc Vlp. verba apud Licinium Ruf. referuntur, vbi & edictum quoddam Diocl. & Maxim. refertur quo cum sororis filia connubium inhibetur non cum fratris filia. Verum enim est licere ex tertio

gradu fratris filiam vxorem ducere ex S. C. vt auctores sunt Tacitus, Suetonius; Zonaras. Sed si non etiam sororis filiam, & ob id in *l. sororis & l. etiamsi concubinam De rit. nup. l. si adulterium §. j. Ad leg. Iul. de adul.* de sororis filia, nepte, pronepte loquuntur auctores cum qua neque connubium neque concubinatus est non de fratris filia. & in *l. vlt. De condic. sine caus. & l. qui in prouincia, de rit. nup.* de auunculo non de patruo. & quod Dio scribit vetuisse Neruam nequis ἀδελφιδῷ duceret, sororis filiam intelligit non fratris, ne duceretur cuius mater duci non potest. Sed hanc differentiam posteriores Constitutiones sustulerunt, nec licet hodie vllam ex tertio gradu vxorem ducere, §. *fratris, Inst. de nupt. l. nemini, C. de nup. l. vltima, C. de inc. nup.*

CAP. XVII.

Quemadmodum sit in concordiam adducenda l. vij. De Iud. cum l. eum qui, §. j.

LEgatus prouincialis Romæ non inutiliter fideiubet pro alio, quia priuilegio suo vti non potest si Romæ conueniatur cum Romæ contraxerit, *l. cum furiosus §. vlt. De iudiciis.* idemque esse opinor si Romę constituerit pro alio. Sed si pro seipso constituerit Romæ quod ante legationem in prouincia contraxit, magna est quæstio an Romæ conueniri possit. Gaius non posse, *l. vij. eodem tit.* Iulianus & Vlpianus posse, *l. eum qui, §. j. De constituta pecunia.* nec tamen arbitror dissentire hac in re auctores inter se. nam *l. eum qui §. j.* ita videtur distinguere: aut legatus Romæ constituit se Romæ soluturum quod in prouincia contraxit, & Romæ conueniri potest: aut legatus in prouincia constituit se Romæ soluturum, & Romæ legationis tempore conueniri non potest, alio tempore potest. Quod si legatus Romæ constituit se soluturum simpliciter, non adiecto loco, quod scilicet in prouincia contraxit, proculdubio Romę conueniri non potest, quia principaliter Romæ non contraxit, sed in prouincia, & constituti origo inspicienda est *l. qui id quod, De donationibus.* & ita loquitur *d. l. vij.* Item si legatus in prouincia constituit nominatim se legationis tempore soluturum: hoc casu non ambigitur quin etiam Romæ legationis tempore conueniri possit, *l. ij. de legation.* & ita accurate hi quatuor casus inuicem distinguendi sunt, & nulla erit auctorum inter se pugna. Non probo quod astruunt quidam in *l. vij.* contraxisse legatum in prouincia, in *l. eum qui §. j.* non contraxisse sed accepisse: nam accipere puta pecuniam mutuam, quid aliud est quã contrahere? Nolo etiam negationem addi in *d. l. eum qui §. j. hoc modo. Conueniri non debere*, quod tamen suadere posset verbum debere. nam adfirmans debuit dicere, *Conueniri posse.* Negans, *Conueniri non debere.* idemque suaderet forte quibusdam oratio coniunctiua quæ sequitur, sed & si, in qua negatur eum Romæ conueniri debere. Sed nihil ego hisce commoueor: nam his verbis debere & posse vtuntur promiscue auctores nostri, & oratio hæc. Sed & si, sæpissime in eorum scriptis discretiua non coniunctiua est, & contra solus articulus, sed, coniunctiuus non discretiuus. Græci vt omnes alij, legunt adfirmate, ὁ πρεσβευτὴς ἐν ῥώμῃ αὐτοφωνῶν ὅπερ ἐν ἐπαρχίᾳ ἐδέξατο, ἐνάγεται. Rationem verò concordiæ quam iniuimus satis perspicue, vt arbitror, Accursius attingit, dum ait, in *l. vij.* non fuisse appositum locum vbi solueretur, In *l. eum qui*, fuisse appositum.

CAP. XVIII.

Verior Interpretatio l. xv. De Iudiciis.

CVm scripsisset auctor Digestorum in *l. xij. §. vlt. De Iudic. filiumf. Iudicem dari posse.* non multo post *l. xv. filiusfam. Iudex si litem suam fecerit*, scripsit in tantam quantitatem teneri eum quæ tunc in peculio fuit cum sententiam dicebat. quod vix vllus est qui capere aut sibi persuadere possit esse verũ. & audent etiam ψυχροί τινες filiif. legere insolito genere dicendi, ac si rectę diceretur filijf. iudex qui addictus est actioni de peculio institutæ aduersus patrem ex contractu filijfamilias. Basilica habent, filiusfamilias. nec sane mutandum est quidquam. & interpretatio Azonis neglecta vulgo fere ab omnibus, adserenda est nobis & elaudanda. Non de filiofam. loquitur ea lex qui in iudicando fecit dolo malo aduersus præceptum legis, quo casu teneretur in solidum in veram æstimationem litis *d. l. xv. in fin.* sed de filiof. qui per imprudentiam perperam iudicauit. hic non tenetur in solidum, sed in id tantum quod religioni iudicantis bonum & æquum videbitur, actione in factum, *l. vlt. D. de var. & extr. cogn.* & bonum & æquum ita definitur, vt ne vltra quantitatem eam conueniatur quam habuit in peculio quasi in patrimonio suo iudicati tẽpore, ita tamen vt satisfaciat non quidem de ipso peculio inuito patre, sed aliunde, aut carcere contineatur, *l. pen. C. qui bo. ced. poss.* Et secundum hanc distinctionem accipiendus erit §. *si filiusf. Inst. de obl. quæ quasi ex del. nas.* dum ait, filiumfam. iudicem qui litem suam fecit teneri, non patrem. Conuenietur autem in eam quantitatem quæ fuit in peculio eo tempore quo sententiam dixit, statim ab initio. nam si ab initio ageretur in solidum, minueretur autem actio in condemnatione, tempus condemnationis spectandum esset, *l. filiof. ij. solut. matr.*

CAP. XIX.

An qui priuatam pecuniam in ede sacra depositam abstulit, sacrilegus sit.

NOn inter Rhetor. tantum sed etiam inter Iurisconsultos de illa quæstione controuersia fuit, vtrum qui priuatam pecuniam in ede sacra depositam abstulit fur an sacrilegus sit. Sed definita est Constitutione Seueri & Antonini, *l. v. Ad leg. Iul. pecul.* quæ furti actione teneri eum, non sacrilegij ait. Opus fuit Constitutione: nam non deerant magnæ rationes quibus adducerentur homines ad existimandum sacrilegij crimen esse aut certe grauius sacrilegio crimen, quo scilicet fit iniuria & priuatis & Diis priuatorum pecuniæ custodibus vtique semper futuris infidis nisi ab ea subripienda maiore supplicio fures coërceantur. quæ ratio in ea declamatione quę inscribitur ὁ αὐτονομάζων à Sopatro est elegantibus verbis expressa. ἔτος ἦν ἄλλων κλεπτῶν καὶ ἱεροσυλῶν χαλεπώτερος. Οἱ μὲν γὰρ τὰς ἰδιώτας μόνας ἀδικήσαντες τῶν ἦν ἱερῶν ἐκ ἐλυμήναντο φυλακῶν· οἱ δὲ τὰ ἀναθήματα λαβόντες τοῖς τῶν ἰδιωτῶν ἐκ ἐλυμήναντο χρήμασι νεῖτος δὲ καὶ τὰς ἰδιώτας καὶ τὰς θεὰς ἀδικεῖ, τὰς μὲν ἀφαιρούμενος τὰς οὐσίας, τὰς δὲ εἰς ἀπιστίαν καταφρονεῖσθαι ποιῶν. Accedant & aliæ quod cum locus sacer præstantior sit pecunia, par sit pecuniam loci condicionem sequi. & quod non debeamus nos pecuniam priuatam à sacra separare, cum ingredieus templum eo animo fuerit fur, vt siue sacra esset siue priuata quam inueniret, eam auferret. Et his rationibus, vt arbitror, motus Claudius Saturninus scripsit *l. aut facta §. locus De pœnis*, locum facere vt idem vel furtum vel sacrilegium sit,

scilicet existimans furtum à sacrilegio separari ex loco non ex re quæ aufertur, ac consequenter si qua res loco sacro moueatur, sacrilegium esse, si profano, furtum. Denique sacrilegium esse subripere aliquid ex sacro. quæ tamen definitio ex Constitutione Seueri hodie solui *αἰτειομῷ* potest hoc modo. Imo sacrilegium est subripere aliquid sacri. Secundum quam recte etiam dices in sacrilegij crimen incidere eum qui ex priuato loco rem sacram abstulerit.

Cap. XX.

Emendatur l. 16. De cond. ind. & l. pen. De const. pec.

IN *l. xvj. De cond. ind.* manifestum est Pomponium voluisse constituere differentiam inter debitum sub condicione & debitum sub die incerto. Nam cum scripsisset debitum sub condicione per errorem solutum, pendente condicione repeti, existente non repeti, subiecit, Quod autem sub incerto die debetur, quæ oratio notam differentię præ se fert, & tamen differentia nulla est inter hoc & illud debitum, si sequatur, D*ie existente non repeti.* itaque legendum opinor, *die pendente*, vel *die non existente*. quod & legis quæ sequitur explicatio flagitat huiusmodi. Nam si cum moriar dare promisero, & ante soluam, die scilicet non existente, repetere non possum. Recte autem loquitur de die incerto quem tamen venturum esse certum est, veluti *Cum moriar*. Nam si dies adeo incertus sit, vt & illud sit incertum an quandoque venturus sit, veluti *Cum Titius consul erit*, hic dies condicionis instar obtinet *l. sufficit, eod. tit.* nec quidquam interest sub illo die an sub condicione debeatur, & quod interim soluitur, repeti potest. Adnotabo & aliud mendum quod occupauit *l. pen. De const. pec.* Si stipuler mihi aut Titio, & soluatur Titio, & prior obligatio ex stipulatu & posterior ex constituto ipso iure perimitur, §. *plane*, *Inst. de inut. stip.* Sed si vt est ponendum in *d. l. pen.* stipuler mihi non adiecto Titio, & constituatur mihi aut Titio, & soluatur Titio, actio quidem Constitutoria ipso iure perimitur, prior autem actio stricto iure non perimitur, quia priori obligationi non fuit adiectus Titius solutionis gratia, sed æquum est tamen eum qui soluit Titio defendi exceptione: At si non ex voluntate tua soluit Titio. hęc est sententia *l. pen.* in qua cum sit Flor. scriptum propriæ actioni, ausim emendare priori actioni, manere obligatum eum qui promisit mihi non adiecto Titio, licet postea constituerit mihi aut Titio, & soluerit Titio. Et ita prior obligatio dicitur collata cum obligatione constitutæ pecuniæ, *l. si actor*, *De iureinr.* quæ alibi sortis obligatio quasi principalis. sequens enim accessio potius est. Propria autem vtraque mea, non communis cum Titio.

Cap. XXI.

Nihil interesse duobus quis eandem rem diuersis contractibus in solidum vendiderit, an pignerauerit.

QVi duobus eandem rem diuersis contractibus in solidum vendidit, tenetur crimine falsi, *l. qui duobus, ad l. Corn. de fal.* quia scilicet vendendo posteriori rem suam esse dixit & mentitus est, cum eam priori iam vendidisset & tradidisset. Nam si hoc non dixerit, sed dissimulauerit rem esse alienam, putem crimine stellionatus eum teneri non falsi: nec male veteres Glossas interpretari, Stellionatum cum res eadem venditur duobus. atque ita nullum hac in re esse discrimen inter venditionem & pignus. Nam si duabus quis eandem rem pignerauerit in solidum diuersis temporibus, & dixerit posteriori creditori rem esse suam, & mentitus sit, meo iudicio, æque tenetur crimine falsi. Idemque erit si falso dixerit se liberam, vt apud Demosth. sæpe, *ἐλευθέρα χρήματα ἢ ἀνέπαφα*. quo sensu & libera res dicitur, id est non pignerata *l. si profundo*, *C. de transaction. l. vlt. §. sed & creditor*, *D. ad Velleian.* Sed si dissimulauerit rem esse alienam vel alij obligatam, hoc casu Stellionatus crimine tenetur, *l. tutor §. contrariam, l. si quis in pignore §. vlt. de pign. act. l. ij. C. de cr. stel.* non ergo crimine falsi. nam Stellionatus cum alio crimine legitimo non concurrit. & dissimulatio quoque illa, non est falsum. & hoc demonstrat *l. iij. D. de cr. stel.* in illo loco. *Dissimulata obligatione.* His obstat *l. vlt. eod. tit.* quę non falsi sed Stellionatus crimine eum teneri ait qui rem suam esse falso dixit quam pignori dabat, iurando aut peierando eam esse suam. At respondeo, Periurium esse plus quam falsum, cui tamen nullum legibus crimen proditum est, nulla accusatio, nulla pœna, si quis per Deum peierauerit, & ratione huius periurij per se tantum ea lex non subiicit periurium crimini stellionatus, sed quod deficiente crimine falsi, par sit non minus teneri eum crimine stellionatus qui peierauit pignus suum esse quam qui simulauit.

Cap. XXII.

Cur in libertatibus non remittitur condicio Iurisiurandi.

RAtio cur non remittatur condicio Iurisiurandi adscripta libertati, non est certe alia quærenda quam quæ adfertur in *l. xij. De man. test.* ne impediatur libertas, quæ scilicet aliter competere non potest quam si condicioni pareatur. Hereditates, legata, fideicommissa consequi potes data à prætore vtili actione etiamsi condicionem non impleueris, *l. facta §. si dandæ, Ad Trebell.* libertatem hoc remedio consequi non potes. nullo denique alio quam condicione impleta. Constat etiam simplicem hanc condicionem, Si iurauerit. i. si iurauerit legatum sibi cordi esse, non remitti, *l. municipibus, De cond. & demonst. l. Antistius De acq. her.*

Cap. XXIII.

An non in fœminam compromitti possit.

VIdetur ante Constitutionem Iustiniani mulier integræ opinionis ex compromisso arbitrium recipere potuisse, & vel patrona saltem inter libertos suos, & domina moribus Galliæ inter beneficiarios aut subditos suos etiam ordinariam iurisdictionem habet, qui mores confirmantur *c. dilecti, De arbitris.* & Homeri *viij. Odyss.* Areta vxor Alcinoï dicitur etiam inter viros disceptare lites, his versibus.

ἐ μεὶ γὰ π νόε γε κὴ αὐτὴ δόμεν ἐόντε
Οἶσιν τ' ἀφεγνέσι κὴ ἀνδράσι τείχεα λεύς.

Est & huius rei exemplum in *epist. decet. iv. Var. Cassiodori.*

Sed hoc vetat Iustinianus in *l. vlt. C. de recep. arb.* At Vlpianus *l. ij. De regul. iuris*, scribens fœminas iudices esse non posse, non adiecit, nec esse arbitras posse. & rursus cum de mare scribit *l. vij. de recep.* nihil interesse, ingenuus quis an libertinus integræ famę an ignominiosus arbiter sit, idem de fœmina non adiecit, quod in fœmina multum interesset ingenua an libertina, integrę famæ an ignominiosa esset. nec enim libertina vel infamis mulier arbitrium recipere potuit. Sed neque, vt arbitror ingenua & integræ frontis nisi inter libertos vel familiares suos vel quo alio iure sibi subiectos. his enim quamuis liberi sint non

eſt indignum mulierem vetare vel iubere. quæ ſunt arbitrorum non minus quam Iudicum verba. & his igitur videretur etiam mulier iudex eſſe poſſe, niſi alia ratio obſtaret, quia iudicandi munus ciuile munus eſt quod inuitis defertur: arbitrium autem inuiti non recipiunt & officium arbitri priuatum eſt potiùs quam ciuile.

CAP. XXIV.

Circumſcriptionis exempla duo quibus Rhetores vti ſolent, ſecundum ius explicantur.

PRoponunt quidem nobis ex iure Rhetores controuerſias multas, ſed quemadmodum eæ definiendæ ſint vel earum aliquæ aliquando definitæ fuerint, ferè nunquam explicant. videlicet expectant ſententiam noſtram vel iudicum potius aut principum. Equidem libens me nonnunquam in eis definiendis exerceo. Et hoc loco circumſcriptionis ſpecies duas explicabo à Cyro propoſitas libro περὶ διαφορᾶς πάσεως, Circumſcriptionem dico quod ille κατασοφισμὸν, cum quis ſcripto quidem legis paret & ſatisfacit, ſed non etiam menti. Et vna ſpecies hæc eſt, qua etiam Seneca vtitur *vii. Declam.* & Sulpitius Victor in *Inſtitutionibus. Lex eſt filios ex ancilla ſuſceptos eſſe liberos, nec minus heredes patri quam legitimos. Lex vt bona paterna diuidat qui eſt maior ex fratribus, eligat autem minor.* Qui habebat filium ex legitimo matrimonio, & alterum ex contubernio, vita deceſſit. filius legitimus diuiſit patrimonium quaſi maior natu, ita vt ex vna parte poneret matrem fratris, ex altera bona reliqua, quæ ſcilicet non erant pluris quam mater. minor elegit matrem, & à fratre ſe circumſcriptum eſſe ait, qui diuiſerit quidem vt potuit, ſed non ſecundum ſententiam legis, quæ diuiſionē ita fieri vult vt ad vtrumque perueniat emolumentum, ex hac diuiſione nullum ad ſe emolumentum peruenire, quod omnino ſit matrem electurus nec eam habiturus in ſeruitute. Certe Communi diuidundo vel familiæ erciſcundæ iudicio circumſcripto officio iudicis emendari poteſt etiamſi is qui in diuiſione circumſcriptus eſt maior ſit xxv. annis, *l. 3. C. com. vtriuſque iud.* vt in aliis iudiciis bonæ fidei, *l. 3. C. ex quib. cau. ma. l. iure §. vlt. D. de iur. dot.* Verum in hac ſpecie cum iuſta ſit diuiſio, etiamſi forte maior circumſcribendi animum habuerit, non eſt quod minor de diuiſione queratur qui matris ſuæ libertatem adeptus eſt, quam alioquin frater maior natu retinuiſſet in ſeruitute, ſi minor alteram partem elegiſſet. Prior lex illa fictitia eſt. Poſterior vera, vt maior diuidat, minor eligat, & vetus, licet in hanc rem ex libris iuris quod proferri poſſit hodie ſuppetat tantum *c. 1. de parrochiis.* Auguſtinus *de vita clericorum.* Ad ipſum, inquit, quia maior eſt pertinet diuiſio, & ad fratrem eius electio. & ita Democritum apud Diogenem legimus in diuidenda hereditate elegiſſe quod eſſet tertius frater: & in aliis quoque cauſis optionem iuniori deferri apud Xenophontem III. ἀναβάσεως. Verum apud Cyrum ita eſt legendum, νόμος κελεύοντος διανέμειν μὲν τὸν πρεσβύτερον, αἱρεῖσθαι δὲ τὸν νεώτερον. Altera autem ſpecies quæ ab eodem proponitur hæc eſt. Senatuſconſulto ſiue Oratione D. Marci & Commodi cautum eſt, ne tutor pupillam vel filio ſuo vel ſibi nuptum collocet, quæ porrigitur etiam ad tutoris heredem extraneum, *l. libertum § 1. De rit. nupt.* nam prohibitionis cauſa hæc eſt, ne ſi is qui tutelæ rationibus reddendis obnoxius eſt pupillam vxorem ducat, ſimul & circumducat eam & circumſcribat cohibitis tutelæ rationibus. quæ ratio cum ceſſet in filia exheredato, ideo videtur filio tutoris exheredato pupillam nuptum collocari poſſe, nec enim exheredatus tutelæ à patre geſtæ iudicio tenetur. Nunc finge: Tutor filium exheredauit. poſt filius pupillam vxorem duxit, ac deinde mutato teſtamento tutor eundem filium heredem inſtituit. Pupilla ſe à tutore circumſcriptam eſſe ait, qui non alia mente filium exheredauerit, quam vt interim nupta ei pupilla, mox alio teſtamento eundem filium heredem inſtitueret. & eſt ſimilis κατασοφισμὸς in ſpecie *Nou. lxiii. & l. iii. C. de repud.* Verum nihil eſt neceſſe hac de re quærere, quandoquidem filio tutoris exheredato pupillam conſtat nuptum collocari nec viuo tutore poſſe, quia mutare teſtamentum poteſt in quo filium exheredauit, nec mortuo, quia fieri poteſt vt per fraudem in eum contulerit bona quædam legati aut fideicommiſſi aut donationis cauſa, quæ iure tacitæ hypothecæ propter tutelam reuocari oporteat, *l. pen. D. de ritu. nupt.*

CAP. XXV.

Circumſcriptionis ſpecies quæ eſt in l. 3. C. de repud. & alia quædam.

STipulatio reddendæ dotis concepta eſt in caſum mortis non in caſum diuortij ab eo qui dotem pro muliere dedit. matrimonium ſolutum eſt diuortio non morte. defecit condicio ſtipulationis. at poſtea redintegratum matrimonium eſt. an etiam redintegratur ſtipulatio. Sic ſane ſi imaginarium diuortium fuerit, ſi factum circumſcribendi ſtipulationis gratia. quia nec tali diuortio ſoluitur matrimonium, nec extinguitur ſtipulatio. atque ideo ex morte committitur ſtipulatio perinde atque ſi nullum diuortium interceſſiſſet. & hæc eſt ſententia *l. 3. C. de repudiis*, ad quam quod Græci adnotant in integra Conſtitutione Diocletiani & Maximiani illud inſuper additū quod etiam probatur, *l. inter §. vlt. De pact. dot.* non redintegrari ſtipulationem ſemel extinctam redintegrato matrimonio, videlicet ſi verum diuortium fuerit, ſummè notandum eſſe cenſeo nobis qui neque habemus Codicem Hermogenianum, neque integras Conſtitutiones Imperatorum, ſed ὑποσημάτα tantum quædam, & optamus tamen habere, & eſſet melli habere. nam ſi non omne, vel tantillum quod vnde vnde poteſt corradi quodque licet habere, ne contemnamus. Aberrabat his animus qui eam Græcorum adnotationem ſic accipiebant ac ſi eſſet in *l. 3.* ſupplendum quod illi ſcribunt fuiſſe in integra conſtitutione. & multo magis legentibus ad *l. vnicam, C. de rei vx. act.* quod ſcribit Theodorus in fine propoſitæ Conſtitutionis caueri, vt liceat mulieribus renuntiare hypothecis lege introductis propter cauſam dotis, idque referentibus ad finem *l. vbi, C. de iur. dot.* cuius ante mentionem Theodorus fecerat, & mox autumantibus deeſſe illud idem in extremo *d. l. vbi*, & ex Theodoro ſuppleri debere. nam propoſitam Conſtitutionē ſiue πρόκειμένου, vt eſt in Græco Theodorus vocat non *l. vbi*, ſed eam ipſam in quam ſcribit quæ non longè à fine ex Anaſtaſiana Conſtitutione tradit, mulieribus licere hypothecis renuntiare quas dotis nomine lex eis dedit in bonis mariti. Τὰ δ' ἄμα τούτοις ἀλογήματα, μακρὸν ἂν εἴη λέγειν πάντα, πλὴν πλέως ὀλίγων. In *l. 7. C. de nupt.* ita legunt. *Atque ideo non pœnitente filia, petitionem dotis repetere non prohiberis*: & ex ea plane ius conſtituunt iniquum & nouum, vt poſſit pater repetere dotem profectitiam non conſentiente filia. corrupta quidem ea lex eſt fateor, ſed non ita emendanda: quis enim ſic loquitur? verum hoc potius modo. *Atque ideo non renitente filia petitioni, dotem re-*

petere non prohiberis. Non renitente, id est, non contradicẽte: nam taciturnitas filiæ consensum imitatur, *l. 2. §. voluntatem, solut. matr.* Iidem in *l. 6. C. de nupt.* pro susceptos reponentes conceptos, mouentur eo quod sic habeat Thalelæus siue τὸ χτὶ πόδας. Sic habet sane secundum Herueti interpretationem. Ceterum in Græco est συλληφθέντας, quod possis non minus interpretari susceptos quam conceptos. & ita *l. ex facto §. ex facto, D. ad Trebel.* & aliis plerisque locis, susceptis pro conceptis. nec mutandæ igitur scripturæ receptæ ratio vlla. Sed neque in *l. 23. D. de inr. dot.* Nam quod ait in stipulatione vel datione dotis causa facta non esse necessariam adiectionem dotis, cur tu mutabis etiamsi id Græci ita expresserint rei dilucidius explicandæ gratia, adiectionem condicionis huius scilicet, Si nuptiæ sequantur? nam si dicis dotis adiectionem non esse necessariam, & hoc dicis nuptiarum mentionem siue adiectionem non esse necessariam. nec enim est dos sine matrmonio. & qui dotem dicit, & matrimonium dicit. Et rursus hisdem ex Græcis in *l. Bæbius, De pact. dot.* post hæc verba, Marullus nata filia diuerterat, libet adscribere, pacto cũ vxore interposito ne ab ea peteret. quæ verba si essent ἐν τῷ χτὶ πόδας, mouerent aliquantulum. sed cum sit ἐν τῷ πλάτει, quo copiosius pleraque enarrantur quam fuerint expressa in ipso contextu & temere contraque mentem Iurisconsulti sæpenumero, non possum nisi dolere vicem istorum qui libris abutuntur. Nam si ἐκ τοῦ πλάτους licet supplere quasi desit aliquid, non lex Bæbius tantum sed nec vlla alia lex erit quæ non iudicetur esse manca.

Cap. XXVI.

Sententia l. 3. §. Sed si supra, vti possid.

NOnnunquam euenit vt quis supra alienum ædificium cœnaculum habeat in quo moretur non quidem iure seruitutis, *l. hoc quod dictum, De seru. vrb. prad.* sed quasi iure dominij, puta quod inferius ædificium alter ædificauerit suis sumptibus, ille vero cœnaculum superius, fortè data duobus aut tribus facultate ædificandi in loco publico. quod ita quandoque factũ Romæ Dionys. indicat his verbis *lib. x.* εἰ οἱ ὦ οἱ ζωὴ δύο ἢ ἐπὶ πλείονες ζῶντες οἰκίαν κατεσκεύάζοντο μίαν ἑτέρου μὲν τὰ κατώγεια λαμβανόντων, ἑτέρου τὰ ὑπερῶα. Et hoc casu multũ interest vtrũ cœnaculi dominus scalis aditum habeat in cœnaculum, an è si plano, siue è solo publico: nam si scalis, in interdicto vti possidetis potior erit is qui inferius ædificium possidet, quia solus ædes intelligitur possidere. nec quidquam interesse opinor scalæ sint versæ in ædes, an in publicum. quem vsum scalarum Liuius demonstrat *xxxix.* his verbis. *Cœnaculum supra ædes datum, scalis ferentibus in publicum obseratis, aditu in ædes verso.* Sed si è plano aditum habeat, puta altero habitante in cryptis, sane hoc casu non is qui in cryptis sed qui supra cryptas habitat, intelligitur ædes possidere, & vincet alterum interdicto vti possidetis. & hæc est sententia *l. ily. §. sed si supra. vti poss.* Inferiora ædificia Dionysius κατώγεια dixit quæ alij κατώγια. & apud Harmenopulum Epitomarum 2. sic legendum est, ὁ ἔχων τὰ ἀνώγια, τοῖς ἰδίοις ἐπικεῖσθαι ὅσον δέλει μὴ βαφῶν μόνοι τὰ κατώγια ὑπὲρ δώμων, ex *l. cuius. D. de seru. vrb. prad.* Etiam illud addam quod docuimus libro decimo, eum qui in alieno solo mala fide ædificauit sumptus domino reputare posse ex *l. plane, de pet. her.* confirmari plebiscito relato à Dionysio, vt qui vi aut clam ædificassent in loco publico receptis sumptib⁹ ea populo restituerent, quam in rem creabantur curatores locorum publicorum persequendorum, sic nuncupati. Verba Dionysij hæc sunt eod. libro. ὅσα βεβιασμένοι τινὲς ἢ κλοπῇ λαβόντες ἀνῳκοδομήσαντο, κομισαμένους τὰς δαπάνας αὐτῶν οἱ διαιτηταὶ γνῶσι, τῷ δήμῳ ἀποδιδόναι.

Cap. XXVII.

Sententia §. vlt. l. vlt. De ser. vrb. prad.

NVnquam probaui quod scribunt quidam in *l. vlt. §. vlt. D. de ser. vrb.* Ianuam in publico aperire hoc esse, ianuam in publicum reiicere, ita vt fores aperiantur in viam publicam, vt mos erat Græciæ. nam Romæ hic mos nunquam inualuit, & præter Plinium, Plutarchum, Asconium, etiam Dionysius è publicis vel priuatis ædibus solas M. Valerij Publicolæ fratris ædes Romæ scribit habere ianuam reiectam in publicum his verbis: ταύτης τῆς οἰκίας αἱ θύραι μόναι ἦσαν ἐν τῇ Ρώμῃ δημοσίων τε καὶ ἰδιωτικῶν εἰς οἶκον τὸ ἔξω μέρος ἀνοίγουσαι. Sed id commenti sunt qui præclaram eius loci speciem non adsequebantur. L. Titius aperto pariete domus suæ ianuam in publico aperuit quatenus stillicidij rigor & tignorum protectus competebat, quatenus ambitum ædium Scæuola definiebat auctore Cicerone: non est igitur egressus ambitum ædium in aperienda, neque vero potuit. & aduersum se tamen aperiri ianuam quæ non fuit ante: vicinus æquo animo non fert motus inuidentiæ quadam, qua etiam moti quidam sæpe non ferunt è regione ædium suarum construi ædes nouas è quibus sit conspectus in suas, de quibus vt de illo *d. l. vlt.* etiam dubitatur apud Harmenopulum, *2. lib. tit.* περὶ κατοπτείας, an ad prohibendum aliquam actionem habeant. & placet nullam huic inuidentiæ paratam actionem esse, & iniquum videri si vel non liceat cuique in suo solo ædificare vel ianuam in suo aperire qua exeat in viam publicam propter conspectum vicini. Sed addit modum *d. l. vlt.* si aperta ianua neque itineri vicini officiat neque eripiat vicino lumen de cœlo quod forte χτὶ ζωόθλιψιν capit, nec rursus vicini stillicidium cohibeat ita porrecta ianua quantum patitur ambitus ædium, efficiendo ne vt solebat, stillicidium à vicini domo cadat. Sic enim proculdubio illa verba sunt accipienda, Neque stillicidium ne vicini domo cadat, ὑπὸ κοινῆ repetendo, neque officeret ne stillicidium vicini domo cadat. quod qui non intelligebant malebant legere, neque stillicidium in vicini domun caderet. Placet autem valde breuis & simplex quæ à Grcis prodita est eius paragraphi interpretatio. ὁ καλῶς τὴς κωλύσῃ ἢ γείτονα αὐτῷ ἀνοίγοντα πυλῶνα χτὶ τῆς δημοσίας, ἐντὸς τῶ ὑπὸ τῆς κεράμων αὐτῷ σταλαγμοῦ, ἐν ᾧ μὴ βλάπτῃ τὸν πάροδον.

Cap. XXVIII.

Cur creditis vel solutis alienis nummis non aliter mutuæ obligatio contrahitur vel liberatio contingit quam si nummi consumpti sint.

CErti iuris est, creditis vel solutis alienis nummis ita demum quasi ex mutuo contrahi obligationem vel soluenti contingere liberationem si nummi consumpti fuerint. quamdiu enim integri sunt nummi, nec condictionem esse nec liberationem. & consequenter si pater filiæ nomine nummos alienos creditos sibi vel solutos à non domino in dotem dederit, non ante dotem profectitiam fieri quam nummi consumpti sint, *l. pater filiæ, de inr. dot.* quæ coniungenda est cum *l. si is cui nummos, De solut.* & his quæ duobus

locis ex eodem Papiniani libro Vlpianus refert, *l. xiij. De reb. cred.* Huius iuris rationem nescio an vnus quisquam intelligat, qui nec quando nummi consumpti dicantur intelligat. Consumpti sunt qui domino consumpti sunt, qui domino perierunt, quorũ vel nomine nulla domino actio, petitio, persecutio est. Sane si is cui crediti aut soluti sunt nũmi alieni, eos ita dissipauerit bona fide vt nusquam appareant, consumptio huiusmodi cõciliat multũ conciliat numerationẽ quã nõ conciliarat numeratio. quia numerationis tempore earum nomine actio domino sufficiebat, quę consumptis nummis bona fide nulla sufficit, ita vt post consumptionem bona fide factam perinde res habeatur atque si nummi alieni non fuissent. nam & meum non est cuius nomine nulla mihi supereſt actio. Quod si mala fide consumpti sint, pro integris habentur non pro consumptis, quia domino supereſt actio ad exhibendum, *l. xi. §. vlt. De reb. cred.* Sed si quis mala fide nummos alienos in creditum vel in solutum dederit quos ita miscuerat suis vt discerni non possent, hoc casu nulla cum eo qui bona fide acceperit, domino competit actio, sed est furti & condictio furtiua & vindicatio aduersus illum qui dederit, atque ideo cum his actionibus satisfactum sit domino vel satisfieri possit, restat consumptos ei esse nummos vt scilicet iam non possit eorum nomine amplius experiri cum eo qui acceperit, etiam si forte apud eum nummi extent integri, *l. si alieni, De solut.* nec putem nummos hac in re separandos esse à frumento. nam & si meum & tuum frumentum confusum sit ita vt aliud ab alio discerni non possit, vt in *l. in naue. locati*, est quidem mihi tecum in rem actio, *l. v. in pr. De rei vind.* sed non cum creditore tuo, cui forte ex eo aceruo tu soluisti quod debebas. & sic quod ad creditorem attinet consumptum domino frumentum videtur. idemque est dicendum si quis sciens dolo malo vel pecuniam vel frumentum alienum non suo confusum sed integrum crediderit alij vel soluerit bona fide accipienti, & furti vel ex causa condictioni domino præstiterit, quia cum domino satisfactum sit, & extincta satisfactione actio quæ ei competebat plane iam consumpta ei videtur pecunia, consumptumve frumentũ quamuis extet integrum, *l. si is cui nummos §. j. De solut.* & consequenter dominium eius pecuniæ frumentive illius esse intelligitur qui acceperit. quo posito, sequitur soluenti liberationem contingere, credenti condictionem competere si non ex numeratione, ex consumptione, si non De rebus creditis, De bene depensis.

Cap. XXIX.

Defenditur vetus scriptura quibusdam locis Digestorum.

NOlo in *l. si is cum quo Com. diuid.* pro *motu iudicis* reponi *magistratus imperio.* Motus est indignatio, vt *l. nullum, C. de testib. l. omnes, C. de off. rec.* pro qua impulsus Iudex non respondente aliquo ad delectum dicitur domum eius euertisse & arbusta succidisse, vt accidisse alias legimus apud Dionysium Alicarnassæum *lib. viij.* his verbis, ἡ στρατιωτικὸν ἐποίουν καταλογον, καὶ τοὺς ὑπακουόντας τοῖς νόμοις εἰς χρήματα ἐζημίουν δσοις, μὴ χωρία ὑπῆρχον ἐκκόπτοντες ταῦτα, καὶ τὰς αὐλὰς καταβαλλοντες. Nolo etiam in *l. ij.* in Ius voc. emendari, *neque eos qui propter loci religionem inde se moueri non possunt.* & placet magis, *se mouere*, sicut in *l. pen. De vac. mun. excusari*, ait, *munere iudicandi eos qui sacerdotium nacti sunt vt discedere ab eo sine religione non possint.* & *l. neque, De fid. lib. non contineri S. C. Rubriano eos quos religio moratur*, & si de loco sacro siue asylo in ius vocari quem non posse voluisset, vt opinor, adiecisset, nec de domo sua. Sed neque è quo loco non possit quis in ius vocari in ea lege tractat. & *iij.* & *iiij.* sed quę personæ quove tempore non possint in ius vocari: ac præterea se mouendi verbo vix fuisset vsus, sed adducendi vel si quo meliore. At mox certo certius est in *d. l. ij.* non sic Vlpianum scripsisse, Nec eum qui equo publico in causa publica transuehitur. quæ verba Budæus retulit recte ad transuectionem equitum. sed scripsisse Vlpianum adnotare debuit, in Capitolium, vt Plinius, vel in Castoris Pollucis, vt Dionysius, qui eam transuectionem πόμπλω τῆς ἐχόντων δημόσιον ἵππον vocat. Vltimo autem loco dum ait *d. l. ij.* eum in ius vocari non posse qui funus familiare iustave mortuo facit, iusta, operationes denicales vocat, nam & inter causas excusandi militis qui condicto die non adesset, has duas ita coniunxit Cincius apud Gellium, *Funus familiare, Feriæ denicales, & non iusta facere dixerunt tantum*, sed & iusta ferre. Ouidius. *Illa qua positis iusta feruntur auis.* Statius *Miserabile surgit Certamen qui iusta ferant. qui funera ducant.* & his locis Ouidij *iiij. Trist. Matri proxima busta tuli.* & Statij *vj. Quid inania fertis busta rogis*, scribendum iusta non *busta.*

Cap. XXX.

Explicata & emendata quædam in his quæ ex Iuliano Ascalonita architecto prodidit Harmenopulus.

SYmmachus *in Ezechielem* fenestras obliquas & anguſtiores veluti quibus etiam hodie tela emitti solent aduersus hostes τοξικὰς vocat. & ita in his quæ ex Iuliano architecto retulit Harmenopulus τοξικὰς interpretari oportet non arcus, sed fenestras anguſtiores. nam si inter vnius aulam & locum purum alterius sit decennio integro medius paries antiquus & aulæ dominus lumina exceperit annis x. per fenestras τοξικὰς, ait dominum loci puri, si eum inædificare velit intermittere debere tria cubita & trientem. Sin vero lumina non exceperit per fenestras eiusmodi, sed ex alia parte ædium (quod vulgo male interpretantur) nullum intermini spatium ob fenestras. & hoc est quod ait τοξικὰς νομιὼ ἐκ ἔχειν, vt in consequentibus, νομιὼ θυρίδων καὶ τοξικῶν. Est autem superiore loco legendum, τῷ οἴκῳ τιὼ τοῖτον ψιλὸν τόπον οἰκείαν ἔχοντος & τοξικὰς fenestras significari puto in Constitutione Zenonis de ædificiis priuatis & in *No. Iustiniani clxv.* dum vetat vicino auferri vsum fenestræ apertæ maris prospiciendi causa etiam si ea sit obliqua & coacta. Virgilius dixit obliqua luce & incertas fenestras. Hieronymus eas fenestras quarum mentionem propheta facit fenestras vocat clausas cancellis ligniſque interrasilibus & vermiculatis, quæ profecto non sunt τοξικαί. Sequuntur alia in eodem auctore. Locus ille de furno pani coquendo destinato, qui stella notatus est, sic est restituendus, ιϛ ϛ′, id est *xiij.* & trientem, quod est bes cubitorum xx. & titulo de gypsario legendum, ἔξωναι τῷ τὸ γυψαρεῖον ἔχοντι ἀφισῶν τὸ τοίχε πήχεις δύο μόνας. Loco alio inter machinas grandes numerantur dolabræ & amæ his verbis, τὰς ἀξίνας καὶ τὰς ἄμμας καὶ τὰ τοιαῦτα μεγάλα ὄργανα: & adnotatur in veteribus amas esse δρεπάνας, non quidem vt interpretor messorias aut putatorias aut fenarias, sed grandiores quibus ædificia disturbantur incendij compescendi aut extinguendi causa confixas longissimis contis, id est longuriis, quales etiam legionem portasse Vegetius refert simul ac harpagones ferreas manus quos lupos vocabant, & amas vero & harpagones instru-

mento domus Vlpianus adnumerat, *l. quæsitum §. canales, De instr. vel inst. leg.* quod sc. ab incendiis tueantur domum, & *l. j. De off. præf. vig.* ob incendia restinguenda præfectum vigilum ait oberrare calciatum cum amis & dolabris. nec calciatum alia ratione quã vt noctu securius ambulet per medios etiam ignes si necesse fuerit. qua ratione etiam in armatura Christianorum, D. Paulus inserit vt sint calciati pedes. Hieronymus *lib. Quid cauendum in libris* περὶ ἀρχῶν. *Calciatis pedibus pergere, necubi à serpentibus mordeatur & arcuato scorpij vulnere verberetur.* & *ad Damasum. Calciamenta in pedibus eius necubi coluber insidians plantam ingredientis inuaderet & super scorpiones & serpentes securius ambularet.* & alibi, *Calciati sumus necubi in eremo istius seculi scorpius & coluber obrepat, necubi serpens plantam gradientis inuadat.* Idem auctor vtens basternarum vocabulo recte adiicit, id est transennarum siue protectorum quę habentur in ędibus transeundi vel spatiandi gratia, παρόδων, ἤτοι διαβάσεων, vt Zeno, διαβάσεων περὶς παρόδου μόνλω χρησίμων, ex qua Constitutione Zenonis illo loco Harmenopuli scribendum δυοχώρητα πόδες. Adiicit autem interpretationẽ, quoniam alio sensu basternę vehicula sunt siue lecticæ, vel vt est in Glossis veterum, essenda, quæ quod plerumque speculari lapide clauderentur, eędem Glossę, vt opinor, illo loco Iuuenalis, *Quæ vehitur clauso latis specularibus antro*, recte interpretantur basternas. Antrum vero ille dixit, vt Hieronymus caueam basternarum. Amites autem basternarum Palladio sunt perticę quibus ea vehicula sustinentur. Seruius Honoratus *Pilenta sunt vehicula sicut nunc basternas videmus.* Lampridius *in Heliogabalo. Dedit basternas & rhedas*, Ammianus Marcellinus *xiv. Basternis per latera ciuitatis cuncta discurrunt.* At in Cõstitutione Zenonis, vt dixi, basternę transennæ sunt. Greci in *l. 1. De ser. vrb.* protecta basternas, proiecta siue mœniana solaria interpretantur. Est & alius locus quem attigimus supra *cap. xxvij.* ne quis in suo ædificare prohibeatur ob id solum quod è regione habiturus sit conspectum in vicini ædes, ita construi ædes in ciuitatibus vt medio itinere publico se mutuo respiciant nec propterea videri alias aliis damnum inferre: & vt videantur, ęquum esse damnum à vicino ipso propelli munitis suis ædibus aduersus conspectum aliorum vel cancellis vel syrtibus. Syrtes vela, vt opinor, vocat quod trahi, obduci & reduci soleant. & ita cancellis iunguntur vela. *l. cætera, § . sed si cancelli, De leg. j.* Cancelli non trahuntur sed aperiuntur, facti in modum retis, quem vsum pręstant etiam specularia & vitrea. neque refert quo genere quis suas ædes sæpiat & defendat à vicinorum oculis. Notantur autem illa duo inter opera Hieronymi de institutione monachorum his verbis. *Velum in fenestrula tractum.* & in consequenti. *Sit vna vel plures fenestrulæ sic ferreis virgis artatæ vndique vt vix digito pateat aditus.*

CAP. XXXI.

Quo tempore sit interponenda auctoritas tutoris in negotio pupillari.

GAius in *l. obligari. §. tutor, De auct. tut.* tutorem ait statim in ipso negotio debere auctorem fieri. vbi statim quidam interpretatur perseueranter cum negotium geritur à principio ad extremum, quod non admitto. nam satis est si statim atque peractum est negotium in re pręsenti tutor auctor fiat, nec quidquam nocet si in ipso tractatu & gestu negotij non interfuerit, *l. si quis mihi bona §. iussum, De adq. her.* Putem & ante gestum negotium auctoritatem interposi-

A tam valere. nam & ita *l. 1. De solut.* licet statim in ipsa solutione dicatur creditorem constituere debere in quam causam solutum velit, tamen de hoc etiam non intempestiuè decernat ante solutionem, *l. si vsuras, C. de vsur.* nec moueor *l. nunquam. de vsuc.* nam initio venditionis nondum intellecto totius tenore contractus, fateor auctoritatem interpositã non valere. Sed si tractatum omnem intellexerit tutor eumque probauerit, rata est auctoritas tutoris, licet mox abscedẽte illo inter se pupillus & extraneus contractum habuerint. Cæterum post peractum negotium si interponatur tutoris auctoritas, nihil agitur. Peractum autem negotium intelligitur non simul ac vendidit
B quis vel locauit pupillo iudicato pretio per nuntium scilicet vel per epistolam, sed postquam nuntio vel epistolę consensit pupillus. Summam vt dicitur manum venditio accipit consentiente eo cui se vendere quis scribit. quod & de pacto dici potest facto per epistolam. & secundum hęc si postquam consensit pupillus tutor factum approbauerit, nulla venditio est, si statim atque consensit, venditio valet *d. l. obligari, §. etiam.* Vnde quęsitum est si pupillus seruum manumittat per epistolam, quo tempore tutor auctor
C fieri debeat. nec enim peragitur libertas per epistolam antequam cognouerit seruus domini voluntatem, ideoque auctor fieri tutor debet quo tempore seruus epistolam legit non quo eam pupillus scribit. & ita Iuliano videbatur. Sed Neratius sufficere arbitrabatur tutoris auctoritatem interponi epistolam scribente pupillo. cuius sententia fauore libertatis comprobata est Constitutione Imperatoris. nam ita in muliere quę sub tutela est hoc idem scriptum reliquit Vlpianus, quantum intelligo ex antiquis fragmentis eiusdem nuper inuentis à Petro Pithœo Iurisconsulto vigilantissimo & studiosissimo veri & antiqui iuris. Verba Vlpiani hæc sunt. *Mulier sine tutoris auctoritate manumittere non potest nisi liberorum ius habeat. tum enim ex vindicta sine tutore potest manumittere. Vnde si mulier absens liberum esse iusserit quæ ius librorum non habet, quæsitum est si tutores eius auctoritatem commodent eo*
D *tempore quo epistola scribitur seruo à domina, an interposita auctoritas vllius momenti sit. Iulianus negat, existimat enim eo tempore debere auctoritatem præstare quo peragitur libertas. tunc autem peragi intelligitur quando seruus cognouerit dominæ voluntatem. Sed Neratius Priscus probat libertatem seruo cõpetere. Sufficere enim quando epistola scribitur adhiberi auctoritatem tutoris, cuius sententia & Constitutione Imperatoris confirmata est.*

CAP. XXXII.

Cur malam rationem scripserit Papinianus esse qua seruus se emi mandat ab extero.

E NOn videtur mala ratione aut improbato more vti seruus qui se emi mandat vt manumittatur, & tamen malam hanc esse rationem Papinianus ait, *l. cum seruus Mand.* An quod se domino inuito auferat, qui cogi possit vendere etiam ipsemet, seruo oblata pecunia pro capite, quod forsitan quis comprobauerit illo Plauti loco, *Quid tu me vero libertate territas? Quid si tu nolis filiusque etiam tuus? vobis inuitis atque amborum ingratiis vna libella liber possum fieri.* Sed verius est hoc in ea comœdia Olympionem villicum velle, inuita vxore & filio domini impetraturum se à domino libertatem minimo aut nullo pretio, non à domino inuito seruum se redimere posse. nec enim vxor aut filius domini sunt serui mei, licet quandoque domini appellatione contineantur dum augetur significatio verborum ex sententia legum, *l. j. §. domini,*

mini, & §. si vir, ad Sylla. & certum est cogi non posse dominum ad vendendum seruum, *l. seruus meus Mand.* ac mala ratione dicitur seruus se à domino auferre qui se emi mandauit, non quod inuitus dominus eum vendat, sed quod ex parte serui malo ingenio supponatur emptor forte clam domino qui se domino auferat, quam si dominus technam serui cognouisset, forsitan non hoc indulsisset animo & maleuolentiæ serui vt eum abalienaret, quod arbitror satis esse manifestum. Illud est valde singulare quod eadem *l. cum seruus* ostendit & *l. eo tempore* §. *vlt. De pec.* non teneri dominum actione de peculio ex eo contractu quo seruus domino se aufert. nec de eo contractu cogitasse prætorem cum generaliter ex contractibus seruorum dedit actiones de peculio. puto nec ex delictis seruorum dari noxalem actionem quibus colludens cum eo aduersus quem deliquisse videtur, id egit vt se domino subtraheret qui forte soluendo non est. & eadem est sententia Platonis *xi. de legib.* Seruus noxam nocendo domini condicionem deteriorem facit, *l. i.* §. *quod ergo, D. de vi & vi ar.*

CAP. XXXIII.

Thalelæi interpretatio ad l. pen. C. fam. erc.

REctissime Thalelæus Græcorum doctissimus & vt cæteri fatentur τῆς νομικῆς ὀφθαλμὸς *l. pen. C. fa. erc.* accipit de filio vel nepote emancipato, vt si repudiet hereditatẽ aui, non cogatur fratribus conferre quæ donationis vel quo alio titulo ex bonis aui ad eum peruenerunt, quia donatio quæ in emancipatum confertur statim valet nec indiget confirmatione siue alieno adminiculo, vt ait, *l. ij. C. de inoff. don.* Sed si fuerit in potestate aui, donatio in eum collata non valet nisi auus perseuerauerit in ea voluntate vsq; ad mortem, atque etiam nisi eam donationem confirmauerit arbiter diuidendę hereditatis & quasi præcipuam à nepote deduci permiserit, vt *l. xvij. C. fam. erc.* nam & hoc est inter emancipatum & suum, quod facta donatio emancipato si inofficiosa fuerit reuocetur pro modo Falcidiæ per querelam inofficiosæ donationis, facta autem suo, per officium arbitri familiæ erciscundæ *d. l. ij.* Secundum hæc si nepos qui est in potestate aui abstineat se hereditate eius, etiam donata sibi ab auo perdit & confert fratribus, quia cessat iudicium familię erciscundę, ac proinde cessat remedium quo res donatas pręcipere possit, & *l. ij. C. de reu. his quæ in fr. cred.* erit accipienda de filio emancipato (nam & emancipati se abstinere dicuntur) vt spreta hereditate patris donationem amplecti possit. Sane in specie *d. l. pen.* Sui iuris fuisse nepotem ex eo apparet quod dicitur sibi acquisiisse ex causa donationis vel ex alia causa de bonis aui. Ex Thalelæi interpretatione videntur esse hæc quæ adduntur in Basilicis ad *d. l. pen.* Ὁ μὲν τοι ὑπεξουσίῳ δωρεαὶ δεξάμενος πρὸ παιρὸς ἢ πάππου ἐὰν μὴ συγκληρονομήσῃ, ἐ δύναται λαβεῖν κατ' ἐξαίρετον. nam & pleraque alia ex Thalelæo sæpe in contextum βασιλικῶν inserunt, vt nominatim alij interpretes Greci notarunt ad *l. iv. C. de lege Aq.*

CAP. XXXIV.

Defenditur Constitutio l. 1. C. quod cum eo &c. aduersus ea quæ obiici, nec contraria obiectione bene explicari solent.

SI filiusfa. voluntate patris decurio factus sit, & post Duumuir creatus tutorem dederit nec exegerit satisdationem, pater pupillo tenetur tantum de peculio & de in rem verso, non in solidum, *l. ij.* §. *vlt. De pecul. l. ij,* §. *pen. ad munic. l. j.* §. *vlt. de mag. con.* Contra, *l. 1. C. quod cum eo,* &c. ait patrem pupillo teneri in solidum si voluntate patris filiusfa. factus decurio, & à Duumuiris tutor datus, male gesserit tutelam. Diuersæ sunt species. In hac filiusf. qui voluntate patris decurio factus est & postea tutor datus videtur voluntate patris, ideoque quasi agnouerit tutelam pater pupillo tenetur in solidum vt fideiussor. quia consentiendo decurionatui filij agnoscere videtur omnia munera ciuilia quæ quandoque iniungentur filio. Taciturnitatem pro voluntate accipimus atque consensu, *d. l. ij. l. honores* §. *vlt. De decur.* longe aliter quam si filius non decurio, aut qui decurio factus est contradicente patre tutor detur. nec enim hoc casu scientia & taciturnitas patris pro consensu habetur, imo nec admonitio patris si filium moneat forte & cohortetur simpliciter vt bene tutelam gerat, *l. si filiusfam. De tutel. l. Lucius, de adm. tut.* atque ideo pupillo non aliter tenetur in solidum quam si tutelæ consenserit specialiter. Illo autem casu quem initio proposuimus si patris vel tacito consensu filiusfam. decurio factus sit, videtur Duumuir creatus voluntate patris, sed tutor quem is dedit non videtur etiam datus voluntate patris, ideoque pupillo cui extraneus datus est tutor non filius, pater non tenetur in solidum. Priore casu non videtur cauisse pupillo, posteriore videtur cauisse.

CAP. XXXV.

Emendantur loci quidam libro tertio Codicis & de repræstandi ac quasi fideiubendi verbo.

IN *l. vt. C. ad exhib.* perspicuum est legi debere, *solemnibus accusationis impletis,* non *accusationibus,* vt *l. miles* §. *quidam, D. ad leg. de adul. solemnia accusationis implere. & l. si quis C. ad leg. Iul. de vi pub.* Solemnia sunt inscriptiones & subscriptiones & satisdationes de peragendo reo. In *l. 1. C. fin. reg.* legendum, *fundi proprij.* & paulo post malim, *traditione,* quam *ratione,* vt *l. 3. in prin. D. de act. emp.* Traditio possessionis non ratio, & *l. pen. C. com. diuid. diremptam communionem,* non *direptam. & l. 7. C. vbi cau. fisc.* limitum quod Accur. notauit non militum, in Basilicis τῶν ἀπὸ πολεμίων ἀχθῶν ἀποσπασθέντων. In Digestis, *l. Lucius, de act. emp. l. mulier* §. *1. ad S C. Treb.* nunc mihi valde placet verbum repręstandi & mutari displicet in repræsentandi. nam vt Plauto & Catoni & nostris auctoribus resoluere est, quod aliter rem soluere, ita repræstare rem pręstare, vt *l. 6. D. quod cum eo,* &c. Quamuis rem pręstare non possit. Expromissor quasi fideiussor dicitur, *l. in persona* §. *1. de pact. & in S. C. Velleiano* fideiussionis verbo continetur expromissio. & *l. x. De in rem ver.* paria hæc sunt, fideiubere iudicium pro alio susscipere, Expromittere. & apertius, *l. vlt. Quod cum eo,* [&c. *quasi fideiussionem esse videri* [sic lego) *cum quis pro alio debitum susscipit,* id est, cum expromittit. qua ex causa non est in dominum actio vlla, quia nec seruus naturaliter obligatur extra rem peculiarem, *l. xx. de fideiuss.*

CAP. XXXVI.

Lex prædiorum vendendorum de qua in l. vtimur. De sepul. viol.

POmponius ait in *l. 5. D. de sepul. viol.* legibus prædiorum vendendorum caueri solere vt ad sepulchra quæ in fundis sunt iter eius aditus ambitus funeri faciendi sit. Sic est scriptum Flor. Alij habent, *iter eis* Alij malunt *itus aditus.* Florentina scriptura veriori proximior est: nam vna tantũ literula adiecta sententia egregie restituitur hoc modo, vt ad sepulchra

quę in fundis ſunt iter & ius aditus, ambitus funeri faciendo ſit, Iter debetur ſepulchro quaſi ſeruitus prædialis, *l. 3. Quemad. ſer. amit. l. 14 §. ſeruitus, De ſeruit.* & accipitur ita frequenter legibus prædiorum vendundorum, aut vltima voluntate, vt in inſcriptione Neapolitana, *Locus exc. ſepulchri & itineris.* & in Canuſina, *Libertis libertabuſque meis C. in cultu. monumentum cum P. xv. & iter. C. in cultu,* id eſt centum in culturam, vt in alia inſcriptione, *Huic monumento ex teſtamento in culturam legata ſunt HS. 7. cum P. xv. Hic vero eſt ambitus monumenti.* & ſic M. Tullius *Plilip. 9. vt locum ſepulchro pedes xxx. quoquo verſus adſignet.* His addi & hæc Veronenſis poteſt. *Huius monumenti emptioni acceſſit iter ac ius ad puteum hauſtus aquæ.* Nonnunquam iter accipitur pro iure perſonali, vt cum dicitur fructuario aditum & iter eſſe præſtandũ, *l. 1. §. 1. Si vſufr. pet.* quod ius tranſeundi dicitur in *l. pater, de ſeru. leg.* & ius aditus illo loco, vt emendauimus, & paulo ante, ius eundorum ſepulchrorum, & in antiqui lapidis inſcriptione huiuſmodi, *In hoc monumento ius aditus ambitus libertis libertabuſque meis omnibus pateat.* Et forte aditui quotiens iter iungitur, ſiue iter præcedat ſiue aditus, non pro ſeruitute iter accipitur ſed pro aditu & iure perſonali. vt in illa inſcriptione quæ ſic habet, Huic monumento iter aditus ambitus debetur ex ſententia Erotis Aug. L. iudicis. & mox, Idem monumenti iter aditus debetur. Porro inutille eſt monumentum ſiue ſepulchrum ſine aditu, & ideo qui excepit ſepulchrum, videtur etiam excepiſſe iter vel aditum, *l. ſi venditor, De relig.* & non tantum aditum ſed etiam ambitum, vt excepta aqua etiam excipitur iter & ambitus, *l. qui duo, De ſer. ruſt.* & in antiquo titulo, *Itu ambitu acuæ præſtandu.*

CAP. XXXVII.

Emendatur l. x. §. quotiens, De compenſ.

CONdictio ex cauſa furtiua ſimilis eſt actioni in factum ex cauſa doli quæ datur ex edicto, de alienatione iudicij mutandi cauſa facta. vtraque ad rei perſecutionem pertinet, vtraque pecuniaria non pœnalis, & tamen videtur ex delicto dari, atque ideo in heredem datur non niſi in id quod ad eum peruenit, *l. quia pertinet, De alien. iud. mut. can. l. xxj. §. hæc actio, D. rer. amot. l. vlt. C. eod. l. ix. §. vlt. & l. ſeq. De tut. & rat. diſt.* & rectè *d. l. xxj.* ſcriptum eſt duntaxat heredibus eam dari, nec adiectum, & in heredes. Non datur, inquam, in heredem condictio rerum furtiuarum vel condictio rerum amotarum, niſi fuerit lis conteſtata cum defuncto, vt *l. ix. D. de cond. fur.* adhibita *l. ij. in fi. De præt. ſtip. l. ſi hominem §. j. depoſ.* vel rem heres ipſe cõtrectet, *l. vij. §. vlt. D. de cond. fur.* Et niſi obſtaret *d. §. hæc actio,* poſſet tentari exemplo illius actionis de alienatione iudicij mutandi cauſa facta, eam finiri anno, *l. vel poſt annum, D. de alien. iud. mut. can.* Nec enim perpetuanda videbatur actio, quę prodita eſt contra regulas iuris ciuilis. Et ex delicto eam naſci probat etiam *l. x. §. quotiens, De compenſ.* his verbis, Quotiens ex maleficio oritur actio, vt puta ex cauſa furtiua. quibus ſane condictionem furtiuam demonſtrat, non actionem furti pœnariam, vt & ſequentibus, Si de ea re pecuniariè agatur, ſignificãs pecuniariæ actioni ex maleficio compenſationem opponi non pœnali. ideoque mox legerem non *Idem eſt,* Sed, *Id eſt & ſi condicatur ex cauſa furtiua,* quod confirmãt Baſilica, in quibus omnis illa pericope iſto breui ſermone comprehenſa eſt. ὁ ἐναχόμενος χρηματικῶς ἀπὸ κλοπῆς, τῇ τῶν κλοπιμαίων ἀπαιτήσει, ἢ noxalia αὐτὸ λοχίζεται: & condictioni furtiuæ iungitur actio noxalis, quia eum A inſit etiam ei condictio & ipſa pecuniaria eſt, *l. vj. §. j. De re iud. l. quod ait, D. de nox. act. l. iij. C. eod.* Condemnatio enim ex ea, fit in pecuniam certam, vt patet ex formula ſententiæ proferendæ in pœnali iudicio in Inſtitutionibus, *tit. de off. iud.* & noxæ deditio in ſolutione eſt ex xij. tab. non in condemnatione. Similes errores duos notauimus *Obſ. ix. cap. xv.* Et eſt in Flor. perſimilis *l. xxx, in fin. De act. emp.* Et ita quoque in *l. lxxvj. De her. inſt.* legendum opinor, *Seruus vxori à marito mortis cauſa donatus, mariti manet, vt & Iuliano quoque videtur, id eſt, ſi accipiat,* &c. & *l. 1. C. de alim. pup. præſt.* id eſt & ſi de ſtatu. *l. item veniunt §. ait Senatus, De pet. her. l. item ſi pretio, locati.* B *& l. 2. D. de vſuf. leg. Quas ſi prohibeat heres capi, tenebitur, id eſt etſi ſeruus ſe locauerit,*

CAP. XXXVIII.

Conſtitutiones Græcæ quæ deſiderantur in tit. De teſtibus.

TItulus *de teſtibus lib. iv. Codicis* incipit à Græca Conſtitutione forte Antonini, ne teſtes recipiantur aduerſus tabulas vel inſtrumenta quæ etiam teſtium ſubſcriptionem habent. plus enim virium habere inſtrumenta contractuum vel tabulas teſtamenC ti & teſtes qui his conficiendis adfuerunt quam nudam aliorum teſtium vocem, & eſt relata in Baſilicis his verbis, Κατὰ ἐγγράφου μαρτυρίας ἄγραφος μαρτυρία οὐ παραφέρεται, & ab Harmenopulo his verbis, Ἄγραφος μαρτυρία κατ' ἐγγράφου μαρτυρίας ἰσχὺν οὐ δύναται. ac ſane putem ex ea Conſtitutione ſumptam eſſe hanc ſententiam Pauli *lib. v. Teſtes cum de fide tabularum nihil dicitur aduerſus ſcripturam interrogari non poſſunt.* Ergo ſecundum hanc conſtitutionem aduerſus chirographum teſtibus communitum vt dixi non audiuntur alij teſtes ſoli qui adfirment ſolutam eſſe pecuniam, quod verum eſt niſi ex *l. teſtium, C. eod. & No. xc.* quinq; teſtes adſciti rogatique ſolutioni adfuerint, viri vtique probi & exiſtimationis bonæ, qui Deo teſte ex animi ſui ſententia adfirment ſolutam eſſe pecuniam. alias chirographum apocha vel alio ſcripto tantum refellitur non teſtibus, *l. cum de indebito in fin. De probat,* Item ſecundum eam conſtitutionem aduerſus teſtamentum ſcriptum non audiuntur teſtes qui eodem teſtamento dixiſſe teſtatorem ſe mori nolle adfirment. nam & nuda voluntate teſtamentum infirmari non poteſt. Nec me mouet *l. xxvij. C. de teſtam.* quia tres teſtes non ſufficiunt niſi tempore etiam decennij antiquatum fuerit teſtamentum. Nec *No. xcvij.* quia ſeptem teſtes non ſufficiunt niſi & aliud teſtamentum vel ex non ſcripto fecerit qui ante fecerat ex ſcripto. Deſideratur etiam in eo *titulo xiij.* Conſtitutio cuius hæc ſunt verba in Baſilicis: ὁ τὰ ψευδῆ μαρτυρήσας, πρώτευον μὲν ὀφείλει, δεύτερον δὲ ὡς πλαστογράφος ἐνάγεται. καὶ ἐν αὐτῷ δὲ τῷ χαρτῷ τῆς μαρτυρίας ὑπονοηθεὶς ψευδεῖς, βασάνοις ὑποκείται. εἰ δὲ βουληθῇ ὁ ἐκ τῆς ψευδοῦς μαρτυρίας καταδικασθεὶς πολιτικῶς κινῆσαι καὶ τὸ ψευδομαρτυρήσαντος, λήψεται παρ' αὐτὸ πᾶσαν ἣν ὑπέσχη ζημίαν πρὸς τῷ καὶ τιμὴ ὑπὸ τῶν νόμων ὡρισμένην πρωείαν ὑφίσασθαι. εἰ δὲ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ προτύπῳ δίκῃ ψευσάμενος ἐλεγχθείη, ἔργον ἔστω τοῦ δικάζοντος, ἢ εἰς πᾶσαν τιμὴν ὀφειλομένην ἐκείνῳ καθ' οὗ ἐμαρτύρησεν δίκην καταδικάζειν αὐτὸν, ἢ εἰς ἔλαττον, καὶ πρωείαις ὑποβάλλειν αὐτὸν φυλαττομένων πάντων τῶν ἤδη νενομοθετημένων περὶ τῶν ψευδῆ μαρτυρούντων. Conſtitutio eſt de falſis teſtibus eos peierare primum, quoniam non niſi iurati audiuntur, *l. ix. eod. tit.* & Deum habere vltorem deinde teneri falſi, nec audiri ſine tormentis, ſi ſuſpectę fidei ſint, vt *l. ob carmen §. 1. de teſtibus,* & *No. xc.* De falſo agi criminaliter aut ciuiliter, vt *l. 5. §. 11. 16. 17. & l. pen. & vlt. C. ad l. Corn. de fal. & l. 1. C.*

quand. ciuil. acc. crim. præiud. & cuiiliter agere damnatum ex falsis testimoniis, in id quod interest, vel si nondum condemnatus sit, agnita falsitate, officio iudicis in tantam summam condemnari falsarium in quantam actum apud eum est, vel in minorem prout ei videbitur. nec iuuari præscriptione fori, *l. xiv. & xv. eod. xiv.* latina est xv. græca quę dat in primis pedaneis iudicibus testes falsos corrigendi, & tormentis subiiciendi, si plebeij sint, ius potestatemque adhibito præf. vigilum, vel hodie ex *No. xiii. & xc.* prętore plebis si res grauiorem animaduersionem exigat. Quod si testes decuriones sint, vel in alia qua dignitate positi, vt non possit in eos iudex pedaneus animaduertere: tunc ab eo rem omnem referri & denuntiari debere magistratui à quo iudex datus est, ita vt pro B insinuatione relationis nihil inferatur, & si res aperta sit à magistratu sententiam ferri de testium fide suscipienda, vel non suscipienda. Sin maiori indagatione indigere videatur, rursus eius rei cognitionem iudici delegari, non obstante vlla præscriptione fori, vllove priuilegio. nam cum vltro testimonium perhibuerint (nec enim in causis pecuniariis inuitis testimonium denuntiabatur ante Constitutionem Iustiniani) suo priuilegio testes renuntiasse videntur. Additur in eadem Constitutione xv. vt qui falso negauit aduersarium suum esse cognatum, exegitque ab eo probationes generis aut gentis quam is se habere dicebat, non habeat ius vindicandorum bonorum intestati, & quoniam fieri potest, vt quidam metu amittendæ successionis ab ea calumnia non deterreantur, dum non sperant sibi eam successionem delatum iri etiamsi non obiecerint aduersario seruitutem, forte illo moriente testato, etiam vult ea Constitutio vt non audiatur qui ab aduersario probationes generis exigit, nisi prius ipse iuret de calumnia, iurato conseruari ius legitimę successionis. Probari genus testibus quinque si desint instrumenta, vel tribus, quibus modo instrumenta suffragentur & sufficere etiam instrumenta quædam sine testibus, veluti monumenta publica quæ potiora esse testibus ait *l. census, D. de probat.* Vltimum vero caput Constitutionis hoc est, vt qui instrumento testis adfuit, & qui deposuit quasi testis quæ sciebat, post lite mota non possit defugere testimonium, & vti præscriptione fori. Verba autem constitutionis D hæc sunt in Basil. Η διάταξις ἀκολούθως τῇ περὶ αὐτῆς ἐπιτρέπῃ τοῖς διαιτηταῖς ἐξουσίαν ἔχειν, τοῦ τὰ ψεῦδη μαρτυρουῶτας ὑποβάλλειν σωφρονισμῷ τῷ δέοντι, ἐαὐ ἰδιωτικὰ ἐπιγραφόμενοι δίκαι δικάζονται βασανιζόντων, ἢ ἐαὐ ζωίδωσιν αὐτηρότερας τὸ πρᾶγμα δεῖσθαι κολάσεως. καὶ διὰ τὸ πραότερος τὸ δήμου τύτες ἐπιφέρειν. εἰ δὲ ζώνλω τυχὸν εἴη ὁ μάρτυς περιβεκλημένος, καὶ μὴ δικάζεται πρὸς τὸ διαιτητὸ σωφρονίζεσθαι, τότε γίνεσθαι μὲν ἀναφορὰν περὶς τ ἄρχοντα τ πέμψαντα αὐτῷ τὴν ὑπόθεσιν τὰ περὶ τὸ πράγματος μηνύοσαν, καὶ ἡ τοιαύτη ἀναφορὰ ἀζημίως ἐμφανιζέσθω πρὸς τὸν ἄρχοντα, καὶ λοιπὸν ὁ ἄρχων δεχόμενος τὴν περὶ τῆς μαρτύρων τῷ ἀναφορὰν, εἰ μὲν δόξει τὸ πρᾶγμα τελείως κινεῖσθαι τῆς τῆς μαρτύρων καταθέσεως τὰ περὶ αὐτῶν τῆς μαρτύρων ἐξετάσας, παρέχει τὴν αὐτοτελῆ ψῆφον. ἐαὐ δ' ζωίδοι καὶ μὴ τὴν τῆς μαρτύρων ἐξέτασιν δεόμενον τὸ πρᾶγμα ζητήσεως τινος, τὴν εἰκαῖα πάλιν παραπεμπέτω τὰ λοιπὰ τὸ πράγματος πρὸς τ διαιτητὴν. ὀφειλὴ δὲ ὅτω ταῖς μαρτυρίας κρίνειν ὡς εἴρηται ἐν τῇ περὶ ταύτης διατάξει, τουτέστιν ἵνα μηδεμίαν φόρα παραγραφὴν δύωνται προβάλλεσθαι πρὸς ἀποφυγὴν τῆς κατ' αὐτῆς ἀναγκαίσεως, ὡς ἄπαξ ἐπιορκίας ἑλόμενοι μαρτυρῆσαι. Ἐαὐ δέ τις ἴδιον αὐτάδικον περὶ συγγενείας ἀπαιτήσῃ συπάσεις λέγων αὐτὸν μὴ εἶ συγγένη ἐλεύθερον εἶναι φιλόμενος. τούτῳ ὑπολαμβάνετω τὴν πρωτείαν, ἵνα κἂν ταῖς ἀληθείαις ὅτι συγγενὴς, ὑπολέσῃ τὰ ἐξ ἀδιαθέτου δίκαια τὰ πρὸς ἐκεῖνον ὃν ἀπάτησε ταῖς περὶ τῆς συγγενείας ὑποδείξεις, μᾶλλον δ' ἐπειδὴ τοῦτο τὸ πρωτόμον δικαστήριον ἦν ἑκάστου λέγοντος, ὅτι κἂν μὴ δουλαγωγήσω ἅ πάντως γὰ μέλλω κληρονομεῖν αὐτὸν, ἴσως γὰρ ὅτι διαθήκη τελευτήσεται, καλδὲ ἡ διάταξις τ ἀπατεώνα γένους σύσασιν τῶν περὶ παν-

A των ὀμνύναι ὡς νομίζων μὴ εἶ συγγενὴ τὸν δικάζον τοῦτο λέγει καὶ μὴν ἐπομόσεται, δύναται κληρονομῆσαι. λοιπὸν καὶ μὴ τ τοῦτο ὅρκον ὀφείλῃ ὁ τὰς συστάσεις ἀπαιτούμενος παύτας ποιήσασθαι. χρεία δ' ἐν τῇ τοιᾷδε δείξει μαρτύρων πέντε εἰσὶν μὴ ὧσι δικαιώματα περὶς σύσασιν ὀπτήδεια. εἰ δέ εἰσί δικαιώματα ἀρκούμενα περὶ μάρτυσιν. εἰ δ' τὸ δικαίωμα τοιοῦτον ὄζιν ὥστε αὐτὸ πάντων ἀρκεῖν, ἴσως γὰρ ὑπόμνημα δημόσιον ἦν, τότε ἑνὸς μένα μαρτύρων. ὁπόσης δ' καὶ ἕτερον κεφάλαιον ἡ διάταξις τοιοῦτον. ἐάν τις ἐν ὑπομνήμασι, καὶ ἐν συμβολαίῳ περιμαρτυρήσῃ, ἀνάγκλω ἐχέτω πᾶσι τρόπις, καὶ δίκης ἐπὶ τῷ πράγματι κινουμένης μαρτυρησάτω κἂν ἕτερον φόρον ὑπηρέφηται. εἰ γὰρ μὴ τοῦτο εἴρηκεν, ἐλάττεται ὁ δεινδεὶς τῆς αὐτῆς μαρτυρίας. Sequitur XVI. Constitutio cuius se auctorem esse Iustinianus profitetur in *l. pen. eod. tit.* vt non tantum in criminalibus, quemadmodum olim obtinuit, sed etiam in ciuilibus causis inuitis testimonium denuntietur, vt cum iureiurando quę sciunt proferant in iudicium, aut iurent nihil eorum se scire quæ interrogantur. excipiuntur qui prohibentur esse testes, & illustres viri, aut qui supra eos sunt qui testimonium ferre non coguntur sine iussione sacra, & ex iussione sacra præsentes in vrbe, absentes, autem missis ad eos procuratoribus partium testimonium dicunt, & depositiones faciunt, quæ ὑπομνήματα & καταθέσεις vocat, & si instrumentis conficiendis adfuerint, subscriptiones recognoscunt, vel non recognoscunt, quod obtinet etiam in aliis personis, *l. indices, C. de fid. instr.* & *No. xc.* & additur vt productiones & quæ interuenient in eam rem interlocutiones iudicum quas διαλαλιὰς vocat, vt *No cxxvi.* fiant sine vllo C impendio testium. quod etiam in aliis personis locum habet. Verba autem eius Constitutionis non proferam quæ protuli iam *Obs. viii. cap. xiii.* quo loco & decim æquintę duntaxat particulam obscurè protuli, cum nondum eam essem nactus integram nec satis bene tenui numerum & ordinem earum Constitutionum.

Cap. XXXIX.

Tentatur, in heredem non temere dari actionem venientem ex contractu si delictum quoque versetur.

Actio aut ex delicto nascitur aut ex contractu. Scio esse vulgatum, actione ex delicto defuncti, D heredem in solidum non teneri, ex contractu teneri, licet in ea delictum vertatur, veluti dolus malus aut lata culpa. Sed repugnare *l. 1. C. de her. tut.* si modo detracta negatione in ea sicut est in Basilicis legas hoc modo, *Heredes tutorum ob negligentiam quæ latæ culpæ comparari possit, condemnari non oportet.* Basilica, τὸς κληρονόμους τὸ ἐπιτρόπου ὑπὸ μεγάλης ἀμελείας ἢ περσήκῃ καταδικάζεσθαι. & sane ita legendum est omnino. nam heres si ex contractu defuncti tenetur, & ex ea causa tenetur qua defunctus tenebatur. ergo ex leui culpa, quod indicat *l. 4. D. de fid. tut.* dum ait, negligentiam propriam, id est, culpam leuem heredis propriam heredi non imputari, περὶς διαιτολὴν scilicet negligentiæ defuncti quę heredi imputatur. & in *l. 4. D. de mag. conuen.* de negligentia heredis propria agitur, E dum ait, heredem tutoris negligentiæ nomine non teneri, vt ostendat scilicet pleniorem esse in tutorem, quam in heredem tutoris actionem, id est, tutori imputari negligentiam suam, heredi tutoris non imputari negligentiam suam. Sed quia in ea lege heres tutoris comparatur heredi magistratus, & heredem magistratus proditum est non teneri ex culpa defuncti non magna, non lata, *l. 2. C. eod.* videtur ergo nec ex sua nec ex defuncti culpa leui heredem tutoris teneri, nisi & negationem sustuleris ab ea, *l. 2.* sicut *à d. l. 1. C. de her. tut.* eadem enim vbique tollendæ eius ratio subest, & secundum hæc tentari potest, ex dolo, aut lata culpa defuncti heredem non teneri, licet

actio veniat ex contractu & rei persecutione, id est, non ex quolibet dolo, non ex qualibet culpa lata, nisi vt est in *d. l. i.* lucrum ex damno eius quo cum contraxit defunctus, captauerit, licet id non peruenerit ad heredem, & nisi lucrum ex eiusdem damno gratia ductus alij præstiterit. exceptiones duæ sunt, vna doli exemplum continet, altera latæ culpæ, *l. si procuratorem §. vlt. Mand.* Ergo propositio eius legis esse debet de dolo, aut lata culpa defuncti: quæ inspectio satis per se sola demonstrat ab ea lege eradendam esse negationem. quod si in ea est eradenda, & in *d. l. 2.* igitur. & quod vulgatum dixi initio, illis duntaxat casibus locum habet, cum lucrum ex damno alieno captatum aut gratia præstitum est, non ex qualibet causa doli aut magnæ culpæ defuncti, nisi cum eo lis fuerit contestata. Et hoc est quod dicitur in Institutionibus *tit. de perp. & temp. act.* aliquando ex contractu actionem in heredem non dari veluti cum testator dolose versatus sit, & ad heredem eius nihil ex eo dolo peruenit.

A B

Cap. XL.

Emendatur l. x. D. de cond. & dem. & l. lix. in fi. D. de Iu. dot.

QVi dotem promittit pro muliere, sub hac condicione eam promittere videtur, si nuptiæ sequantur, *l. stipulationem, De iu. dot.* qua re fit vt regula Catoniana ad eam stipulationem non pertineat, *l. lxviij. eod.* Est autem condicio accipienda de iustis nuptiis: nam si iniustæ sequantur, non videtur impleta condicio. sed non videtur etiam defecta, & integrum est eam implere, *d. l. lxviij.* Defecta semel condicio postea impleretur frustra. nec enim solent resumi condiciones, *l. quidam, in pr. de fid. lib.* Idemque erit si quis legauerit mulieri sub condicione, si nupserit: nam si iniustas contraxerit nuptias, benignius est dicere nondum impletam condicionem non defectam. Sic omnino legendum est in *l. x. D. de cond. & dem.* addita negatione. In eodem tractatu de dotibus, *l. lix. in fi. De iu. dot.* addita voce, marito, ita lego, *Quemadmodum si eum, qui sibi donaturus esset, mulier ipsa marito donare iussisset*: cuius vocis primam tantum literam quasi notam, qua vox marito designetur, habent Pand. Florentinę, & ita Basilica: ὥσπερ ἂν ἡ γυνὴ ὑπηρέτηη τῷ μέλλοντι αὐτῇ δωρεῖσθαι, παρασχεῖν τῷ ἀνδρί: & sententia est aperta, ei qui dotem dedit pro serua quam liberam esse existimabat, dari condictionem ob causam, nisi mulieri donaturus dedit. hoc enim casu domino mulieris condictionem dari: itemque, si cum donaturus mulieri erat, iussu mulieris marito donauerit. nihil igitur referre donaturus mulieri, iussu eius marito dederit, an absque iussu, vt Cyrillus perstringit his verbis: εἰ δὲ αὐτῇ βουλόμενος δωρήσασθαι ἔδωκε, εἴτε κελεύσει αὐτῆς, εἴτε μή, ὁ δεσπότης ἔχει κονδικτίκιον. & est πλοκὴ in verbo, *donare.* nam postremo loco significat dare, vt *l. quemadmodum, eod. tit.*

C D

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM

LIBER XIV.

Caput Primvm.

Prothyrum, Epoche, Locarium.

ACTIONE Iniuriarum tenetur qui me prohibet in mari piscari ante ædes suas vel prætorium suum. nam quod vsurpatum est vt prohiberi quis possit, nullo iure vsurpatum est. & ita est proditum *l. xiij §. vlt. De iniur.* Hodie vsurpatur iure ex *No. Leonis Sophi lvi.* nec tenetur iniuriarum dominus qui prohibet alium piscari ante ædes suas vel prætorium suum, id est in prothyris ædium suarum, aut prætorij sui. namque vt ædium ita προθύρων æquum est dominum quemque pleno dominio frui. In his autem prothiris maxime angusto mari, vt in Bosphoro Thracio, plurimum erant quæ dicuntur ἐποχαὶ aut certe ἐποχῶν initia, quæ posteriores dixere, τράνας vel θράνας retia in mare extensa confixis palis. Phauorinus, δίκτυα ἀχεδίοντα τὰς ἰχθύας, quam ob rem ἐποχῆς τιλὼ πῆξιν dixit idem Leo *No. civ.* & ἐφάπλωμα Interpres *No. cij.* ἵνα ἐφάπλωσιν ᾖ ποιήσει τιλὼ ἐποχὴν, ad quam etiam idem interpres docet consterni & alio loco ἐποχὴν quam in prothyro, dum ait, ὅταν τὶς εἰς οἰκεῖον τόπον σῆσαι βέλητιι ἐποχὴν, εἴτε προθυρον ὁ τόπος ὄζιν, εἴ τε ἀλλοῖος τόπος. qua de causa dixi plurimum ἐποχὰς collocari ante prothyra. Sterni vero ita debent ex *No. eiusdem lvii.* vt intermittatur spatium vlnarum *clxxxiii.* à superiore vicina epocha, & totidem ab inferiore, quem modum qui non seruauerit in figenda & constituenda epoche, cogitur eam transferre in alium locum, si quis modo ei suppetat idoneus. quod si modus prædij sui hanc translationem siue mutationem loci non ferat & possederit prothyrum vicini, in idque ἐποχὴν porrexerit suam decennio vicino præsente & tacente, aut vicino, absente, non poterit moueri possessio tot annorum ex *No. civ.* Sed integrũ seruabitur vicino, vt ait προθυρεῖον κέρδος, quod Græci interpretantur τοπαπκὸν, id est solarium vel potius locarium, vt locarium Varroni dicitur merces quæ datur ab eo qui locum quo consisteret conduxit in taberna vel in stabulo. addam, vel in naui, vt *l. ij. §. j. Adleg. Rod. de iac.* Et verba interpretum hęc sunt, quibus dilucidius & breuius expressa est eius Nouellæ sententia. Τῶ Λέοντος ὅτι χῆ πεὶ πῆς ἐποχῶν διαφορὰ νομοθετήματα, ἐν οἷς ὅτι χῆ τοῦτο, ἵνα ὁ νεμηθεὶς ἀλλότριον προθυρον δὶ ἐποχὴν, ἢ ἐπὶ χρόνοις τῦ δεσπότυ παρόντος ἢ ἀπόντος τῦ δεσπότυ ἐπὶ χρόνοις, μὴ διώκηται, χῆ ἀπὸ τῦ τοιύτυ προθύρυ ἐκβάλληται, πλιὸ χῆ ὁ πρότερος τῦ προθύρυ δεσπότης λαμβάνῃ ὑπὲρ τῦ προθύρυ τὸ ὀπλαγχάνον αὐτῷ τοπαπκὸν, ὃ χῆ κέρδος προθυείυ ὀνομάζεται ὡς ὑπὲρ τῦ προθύρυ διδόμινον. ex quo intelligitur recte in ea No. legi, τῦ προθυείυ κέρδους. Rursus in ea No. libri veteres habent, ὅπω χῆ πεὶ τῆς ἐποχῆς ὑποδιαιτίζοντες σάσιως. & recte sequitur. ὅσιι, per ἐναλλαξιν numeri, qua & Græci & Latini vtuntur sæpe. & in fine, κἂν μὲν τὸ κράτος ἔσχε καθάπαξ τῆς ἐκδιώξεως, διὰ τιλὼ ἀναφωνῆσαν τῦ ἀντιπλωσιν. Etiam illud placet quod iidem interpretes Græci addunt de locario ad *No. cij.* vt cogatur non habenti locum idoneum ad ædificandam epochen intermisso spatio legitimo, vicinus de suo conferre, & inuitus cũ eo inire locorũ

C

ſocietatem ſi modo, quod illi addunt, & illi præſtetur competens locarium ſiue lucrum epoches. apponam verba: ἔχω ἐπ' ἀδείας ὁ θέλων σῆσαι τ ἐπιχὴν, κ μὴ βουλομένε τὸ πλησιάζοντος αὐτῷ, λαμβάνειν ἀπὸ τὸ τόπου τέτε τοσοῦτον ὅσον ἀρκεῖ εἰς τ ἐποχὴν, κ ἴσησι τ ἐποχὴν, κ μὴ θέλοντος αὐτὸ, πλεῖω ἵνα δίδῳ κ πρὸς τὸν πλησιάζοντα αὐτῷ ἀφ' ὧ ἔλαβε τ τόπον τὸ ἀνῆκον κέρδος ὑπὲρ τὸ τόπου αὐτοῦ. Prothyron autem quo ſenſu accepi ſupra, non eodem accipitur in *l. pen. De verb. ſign.* vel *l. quæſitum* §. *Pap. De inſtr. vel inſtr. leg.* Sed eſt illis locis idem quod Græcis diathyrum, vt puta velamen quo aditus ædium obtenditur, quod inſtrumento ædium continetur. Prothyrum autem de quo in Nouella Leonis pars & ſequela eſt ædium, *l. arbor* §. *de veſtibulo, Com. diuid.* veſtibulum ante ianuas, vel quidquid eſt ante in ianuis ædium.

Cap. II.

Promiſcuæ & non promiſcuæ condiciones.

IN *l. xj. De cond. & dem.* videntur condiciones poteſtatiuæ appellari promiſcuę, caſuales non promiſcuæ. An quia poteſtatiuę ſunt in facili, caſuales in difficili? vt promiſcuę ſint δίχρεῖς & promptę. hoc eſt ſatis probabile. ſed malim poteſtatiuas promiſcuas appellari, quod nulla fere ſit poteſtatiua, quę & non poſſit eſſe non poteſtatiua, *l. iv.* §. *puto, De her. inſt.* Caſualis autem quæ eſt, non poteſt eſſe poteſtatiua, veluti, ſi fulſerit cras, ſi tonuerit. Eſt & tertium genus, miſta condicio, *l. j.* §. *ſin autem aliquid, C. de cad. toll.* quam vulgo male accipiunt pro promiſcua, cum ea potius ſit cuius euentus pendet partim ex caſu, veluti, ſi Titio reuerſo ab hoſtibus x. dederit, ſi Titio Conſule Capitolium aſcenderit. Communis igitur non promiſcua.

Cap. III.

Explicatio §. quotiens l. vlt. D. De Publican.

LOcus eſt valde obſcurus in *l. vlt. De public.* §. *quotiens. Quotiens quis*, inquit, *mancipia inuecta profeſſus non fuerit*, apud publicanum intelligo, *ſiue*, inquit, *venalia ſiue vſualia*, hoc eſt ſiue quæ vt vendat, aduehat, ſiue vt vtatur, *in pœnam commiſſi incidit.* quod vtrum in vſualibus verum ſit dubito. quæ enim qui vſu ſuo mancipia aduehit, vſualia ſunt, neque tamen eorum nomine portorium ſoluit, *l. in lege, De verb. ſign. l. v. C. De vect. & com.* & in antiqua inſcriptione, *Quid vſuarium innehitur, anſarium non debet.* Vectigal anſarium dicit, vt in alia inſcriptione, *vectigali Fonencularij & Anſarij promercalium.* & *l. 1. C. Hermog. de iu. fiſ.* Videamus tamen ne aliud ſit profiteri, aliud vectigal ſoluere, cogamurque profiteri ea quoque quæ vectigal non pendunt. quod quidem rationem habet. Et certe in *d. l. vlt.* ita paulo poſt ſcriptum eſt, Diuus quoque Pius reſcripſit, cum quidam intra legitimam ætatem eſſe dicebat, & vſus cauſa mancipia duxiſſet, & in ſola profeſſione erraſſet, ignoſcendum eſſe ei. In ſola poſſeſſione erraſſe eum ait, qui mancipia quæ vſus ſui cauſa ducebat profeſſus non fuerat, quia ſcilicet vectigal nullum eorum ſeruorum cauſa debebat. Vnde illud liquido colligi videtur, neceſſariam eſſe profeſſionem etiam vbi vectigal nullum ſoluitur. Subiungit Iuriſconſultus, *Si tamen nouicia mancipia fuerint, non etiam veterana.* Veterana, inquit, mancipia, hoc eſt quæ in vrbe non in agro (ruſtici namque ſerui veterani non dicuntur) anno ſeruierunt, non cogimur profiteri. Nouicia, hoc eſt, quæ anno continuo non ſeruierunt, qui proA feſſus non eſt, in commiſſi pœna eſt. Cuius rei cauſam reperire nullam poſſum, niſi illam habitum hunc veluti honorem veterano ſeruo propter vſum & peritiam rerum. nouicij enim ſerui vix hominum habendi numero ſunt. Itaque Cicero *in Piſonem, Iamne vides bellua, iamne ſentis quæ ſit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur Syrum neſcio quem de grege nouiciorum factum eſſe Conſulem.* Illud prę terea notandum eſt, ſeruos ruſticos veteranos nunquam dici, ex quo intelligitur quod eſt in *l. vlt.* §. *vlt. de ædil. edic.* veteranos non tam ſpatio ſeruiendi æſtimari, quam genere, cauſa, qualitate, condicione ſeruitutis. ruſticos tyrones nouicioſve cenſeri vrbanos, veteranos, ſi modo anno continuo cultui & tuitioni patris fam. inſerB uierint, vt qui enumerantur *d. l. in lege, cubicularij, coci, obſonatores, iunctores, & generaliter miniſtratores quiue miniſterio alicui præpoſiti ſunt, quod vrbanum ſeruitium eſt & honoratius, l. 51. D. de man. teſt.* Emendabam olim *vnctores* in *d. l. in lege*, idque ex Arriano cõprobabam qui inter mancipia vſus patris f. cauſa comparata numerat cocum, obſeruatorem, veſtiſpicum, comites, ſtrigilatorem & ἀλιπίλω, id eſt, vnctorem. Plauto *in Trinummo*: *Ducitur familia tota, veſtiſpici, vnctor, auri cuſtos.* Martiali *xij. Atque olei ſtillam donaret Opelicus vnctor.* & antiqua inſcriptione, *Aurelius Eros vnctor.* Sed legi etiam in antiquis Gloſſis, *Iunctor* ζεύκτης, id eſt *qui iungit mulas ad rhedam vel carrucam qua vehitur pater f.* quem eſſe de vrbano miC niſterio conſtat ex *l. ſeruis* §. *Muliones, De leg. iij.* & quem carrucam cum iunctura legatam non ſequi prodidit Paulus *iij. Sent.* Nec igitur velim pro iunctores reponi vnctores. In eadem vero *l. vlt.* §. *Serui*, malim, *Serui qui in fuga ſunt, in commiſſum non cadunt, cum ſine voluntate domini fines ingreſſi ſunt.* vt ſi ſeruus ingreſſus ſit in eos fines in quos niſi ſoluto pro eo vectigali ingredi non poterat quin fiſco committeretur, ſi quidem id ſine voluntate domini fecerit, in commiſſum non cadit. Etiam illud notandum ex §. *licet*, & §. *Diui quoque fratres*, aliud eſſe errorem, aliud ignorantiam. Per errorem enim in commiſſi cauſam incidit, qui putabat publicano iam ſatisfactum. Ignorare nemini licet quæ ad ius publicum ſpectant.

Cap. IV.

Non eſſe nouum, vt pars bonorum eius qui cædem fecerit, addicatur occiſi liberis, vel parentibus, vel vxori.

QVod fit hodie ſæpe, idem inuenio factitatum olim, vt pars aliqua bonorum eius qui alium occiderit addicatur occiſi liberis vel patri vel vxori. Taurinus Ignatius proconſul Beticę cum quidam per laſciuiam cauſam mortis præbuiſſet, decreuit inter cætera vt is parenti mortui duo millia perſolueret, idque D. Adrianus comprobauit, vt refertur *l. 4.* §. *j. Ad leg. Cor. de ſic.* non tantum quod eum relegauit in quinquennium, ſed & illud, quod Conſultatio Taurini ad Adrianum liquido demonſtrat, quæ eſt huiuſmodi in collatione legis Iudaïcę cum Romana compoſita, vt arbitramur, à Licinio Rufino Iuriſconſulto. *Inter Claudium, optime imperator, & Euariſtum cognoui, quod Claudius Lupi filius in conuiuio, dum ſago iactatur, culpa Marij Euariſti ita male acceptus fuerit, vt poſt diem quintum moreretur. & quamuis apparebat nullam inimicitiam cum Euariſto fuiſſe nec cupiditatis culpam, coërcendum credidi, vt cæteri eiuſdem ætatis iuuenes emendarentur. Ideoque Mario Euariſto vrbe, Italia, prouincia Beticæ in quinquennium interdixi, & decreui vt impendij cauſa duo millia patri eius perſolueret Euariſtus, quod manifeſta eius fuerat paupertas. Velis reſcribere.* Verba reſcripti hæc ſunt: *Pœnam Mary Eua-*

ristiri recte Taurine moderatus es admodum culpæ. refert enim & in maioribus delictis consulto aliquid admittatur an casu. & sane in omnibus criminibus distinctio hæc pœnã aut iustitiam prouocare debet aut temperamentum admittere. Constantinus quoque Porphyrogenneta Imper. in No. περὶ τῶν φονδίοντων constituit, vt ex homicidę bonis qui ad eccleſiam confugerit, trientẽ habeat monaſterium quod ingredi maluerit, trientem liberi homicidæ, trientem liberi & vxor hominis occiſi περὶ παραμυθίαν αὐτῶν vt aiunt interpretes, ſolatij loco, vel ſi nulli ſint liberi vxor & parentes, vel his deficientibus cognati: aut ſi monaſterium noluerit ingredi, vt eæ perſonæ pro triente ferant beſſem. neque vero alia ratione homicidium Ariſtotelem numerare inter ζωαλλάγματα, in quibus verſatur τὸ διορθωτικὸν δίκαιον, quam quod & is qui cæſus eſt quodammodo capere videatur quæ vxor aut liberi aut cognati eius ex bonis homicidæ ferunt, Euſtatius auctor eſt.

Cap. V.

Negationem deeſſe videri in fine l. xlvij. De bon. lib.

VIx vllæ ſunt leges in Digeſtis magis inuicem aduerſæ quam eſt principium *l. xij.* cum fine *l. xlvij. De bon. lib.* Hæc vult, filium præteritum teſtamento militis non ignorantis ſe eum filium habere, repelli quidem à bonis patris quaſi exheredatum, vt *l. ſicut & ſeq. C. de teſt. mil.* quod ei non ſit neceſſe nominatim filium exheredare, vt diligens teſtamentorum ordinandorum ratio poſtulat, ſed non repelli à bonis paterni liberti. Illa vult, eum repelli etiamà bonis paterni liberti, ſecundum id quod generaliter receptum eſt filium patroni exheredatum à patre non habere bon. poſſeſſionem contra tab. paterni liberti, quaſi indignum. nam quem ſua hereditate indignum exiſtimauit pater, & vel paganus nominatim vel miles ſilentio exheredauit, liberti quoque hereditate indignum exiſtimaſſe videtur, arg. *d. l. xij. §. penult.* vt in veteri formula exheredationis ſiue abdicationis apud Valerium Maximum, adiici ſolebat, *Et domo mea eum indignum eſſe iudico.* & hæc pœna legibus xij. Tab. & edicto prętoris de bonis libertorum conſentiente cum legibus, adeo vt eius edicti auxilium etiam legitimum auxilium dicatur. *l. viij. §. j. eod. tit.* liberis exheredatis irrogatur, vt & libertos paternos vel maternos amittant. Sed videamus ne potius principio *d. l. xij.* cum extremo *l. xlvij.* ſit magna concordia. nam *l. xlvij. §. vlt.* ait, filium quidem à patre milite præteritum pro exheredato haberi & conſequenter à bonis patris repelli & paterni liberti, non tamen eouſque ſilentium patris filio nocere, vt & à bonis libertorum auitorũ repellatur. Illud *Et*, quod habent Pan. Florentinę hoc plane ſignificat, repelli quidem eum à bonis paternorum libertorum, ſed nõ etiam à bonis libertorum auitorum, licet alias regulariter qui exheredatus à patre non ab auo repellitur à paternis, repellatur etiam ab auitis libertis *l. x. §. j. eod. tit.* vt ita non vſquequaque ſilentium militis pro exheredatione habeatur. Congruit igitur ſententia *d. l. xlvij. §. vlt.* cum principio *d. l. xij.* quo non agitur de bonis auitorum ſed de bonis paternorum libertorum. itaque perſpicuum eſt in fine *d. l. xlvij.* deeſſe negationem, & ita eſſe legendum, *Idem reſponſum non eſt etiam de bonis libertorum paternorum.* vt ſimili lapſu in *l. cum Stichus, De ſolut.* alibi oſtendi eſſe ſcribendum, *idemque non eſt.*

Cap. VI.

Explicatur ſententia l. libertus, De tut. & cur. da.

QVi hoc tantum notant ex *l. libertus, De tut. & cur. da.* libertum liberis patroni patronæve tutorem aut curatorem datum nullum excuſationis priuilegium habere, ſi in eo patronus liberique eius plenum ius patronatus habeant, vt ſi vltro eum patronus manumiſerit nulla neceſſitate cogente, ſi libertatem donauerit non ſoluerit, *l. xxiij. De exc. tut.* hi non videntur aſſecuti ſententiam legis. nam non hoc idem vult *d. l. libertus* quod eſt in *d. l. xxiv.* vt beneficium excuſationis habeat libertus quem quis ex cauſa fideicommiſſi manumiſit quaſi debitor, ſed vt idem etiam beneficium habeat ſi liberi patroni iura patronatus ſperare non poſſint. & iura patronatus per excellentiam appellat iura ſucceſſionum in bonis liberti per bon. poſſ. contra tabulas, vel per bon. poſſeſſionem vnde legitimi. huiuſmodi autem ſunt liberi à patrono exheredati, vt docuimus ſuperiori capite. Item liberi eius qui contra legem Æliam Sentiam à liberto iuſiurandum exegit ne vxorem duceret *l. qui contra, De in. patr.* vel qui non aluit libertum *l. ſi patronus non aluerit, De bo. lib.* vel qui reuendiderit libertatis cauſa impoſita, donum, munus, operas, *l. Iulianus eod. tit.* atque ita vt *l. j. De leg. tut.* dicitur legitimos tutores eſſe eos qui ſperant ſucceſſionem pupilli, ita *d. l. libertus*, ait tutorem datum filio patroni ita demum ab omni excuſatione repelli ſi pupillus ſperet ſucceſſionem eius, id eſt ſi eius ſit patronus. nam & filius patroni patronus dicitur *l. x. De iur. patr.* maxime ſi ius in bonis liberti habeat, licet non ſit principalis patronus, nec idem ſit per omnia ius patroni & filij patroni *l. ſi filius, §. penult. De fid. lib. l. filius qui patri §. Paulus, De bon. lib.*

Cap. VII.

De Clauſula derogatoria.

IN legatis poſterior voluntas potior eſt priore, vt legibus, quarum etiam modo legata relinqui Vlpianus dixit. Prior autem & poſterior dicitur duobus modis, ſcriptura & intellectu. atque ita fit nonnunquam vt quæ ſcriptura eſt prior, intellectu ſit poſterior, & contra vt quæ ſcriptura eſt poſterior, intellectu ſit prior. ac quotiens quidem illud euenit, intellectus ordo ſpectatur potius quam ſcripturæ. vt *l. xij. §. vlt. l. xiv. De leg. j.* Teſtator ita priore loco ſcripſit, *Cui bis legauero, ſemel ei deberi volo, deinde bis eidem legauit vnum tantummodo legatum valet, alterum ademptum videtur.* nam & ſi ademptio datione ſit prior inſpecto ordine ſcripturę præpoſtero, natura tamen ſiue intellectu eſt poſterior. verum quia non apparet vtrum potius ſit ademptum, in obſcuro heredi parcimus *l. Sempronius, de leg. ij.* & amplius legatum ademptum, exiguius non ademptum interpretamur. & hoc eſt quod dicitur, In obſcuris Iuriſconſultos aut Iudices ſequi minimum. At contra in eadem ſpecie *l. xxij. De leg. iij.* Si primum quis ita ſcripſerit, Cui bis legauero, ſemel deberi volo, poſtea eodem teſtamento vel codicillis ſæpe eidem legauerit, ait plura eſſe legata & poſteriorem ſcripturam ſeruari non priorem, quod nemo poſſit ſibi eam legem dicere vt à priore ei recedere non liceat *l. quod autem §. pen. De donat. inter. & vir. vx.* At ſubiicitur *d. l. xxii.* hoc ita procedere ſi ſpecialiter dixerit ſe prioris voluntatis pœnitere. quæ dicitur clauſula derogatoria. hac non appoſita prior ſcriptura potior habetur vt dict. *l. 14.* Et ita in

specie, *l. Diui*, §. *licet De iur. cod. & l. vlt. in princip. De leg.* 2. ex supradicta *l. xxii.* subaudiunt specialiter defunctum derogasse priori voluntati. quæ subauditio plus nimio licentiæ habet. & profecto superuacuum etiam est aut durum exigi specialem derogationem si alias constet scientem prudentem recessisse à priori voluntate: & parit hodie hæc clausulæ derogatoriæ necessitas lites innumeras, ac, vt libere dicam quod sentio, videtur introducta à Iustiniano vel Triboniano, cui amicum & familiare est desiderare specialem voluntatem vbi sufficit quælibet *l. vltima, C. de nouat. No. xcix.* Sane hęc verba dict. *l. xxij. Sed hoc ita locum habebit, Si specialiter dixerit prioris voluntatis sibi pœnituisse & voluisse, vt legatarius plura legata accipiat*, Triboniani sunt non Hermogeniani. nam prętereā quod sermo ipse satis se suo indicio prodit, sumpta lex est ex libris Epitomarum, in quos rotundiores sẽtentias iuris Hermogenianus contulit, non interpretatione aut condicione veluti quadam eas ampliauit. Et sane non conuenit etiam bene hęc condicio superioribus. Exigit ante scientiam, nunc exigit specialem derogationem. Quid enim scientiam si & præter eam specialem derogationem desideras? aut quid specialem derogationem si scientia contentus es? Et agnoui in re simili etiam Triboniani manum in *l. iv. §. quæsitum, si quis caut.* nam cum Vlpian. scripsisset generalem conuentionem valere, ne vlla exceptio obiiciatur, Tribonianus hunc suo Marte adiecit modum, ita si specialiter causæ exceptionum expressæ sint quibus à promissore sponte renuntiatum est, male etiam cohærentem. Et puto ex iure constituendam esse distinctionem talem: Aut cum scripsissem initio, Cui bis legauero, semel deberi volo, postea inuito vel imprudenti mihi excidit vt eidem sæpius legarem eodem testamento vel codicillis. & hoc casu prior voluntas potior habetur qua vel memoriæ meæ diffidens vel constantiæ, dum vereor ne suasionibus forte & blanditiis amicorum non possim resistere, præmuniui me statim ab initio, mihique præcaui in posterum ne ea res mihi heredive meo fraudi esset. Aut sciens prudens sæpius legaui, quod Hermogenianus non omisit in dict. *l. xxij.* & tunc posterior voluntas derogat priori satis etiamsi specialis vel latior prioris derogatio non adscribatur in testamento. Ex scientia præsumitur voluntas, id est, qui sciens quid facit, sponte id & prolixe facere videtur, & ita in specie *l. Diui* §. *licet*, posteriores codicilli valent quamuis neque signati, neque subscripti manu testatoris, quia codicilli imprudenti non excidunt. & in specie *l. vlt. in princ. De leg.* 2. manifestum est scientem prudentem recedere à priore voluntate ex eo quod in epistola satis non habet filio peculium palam donare, sed etiam adiicit, se id præcipuum suique iuris & post mortem suam filium suum habere velle, vt superuacuum sit prętereā desiderare specialem derogationem. eademque distinctione vtor in rescriptis & Constitutionibus principum; quoties exit Constitutio noua quæ sit veteri contraria. nec enim specialem derogationem veteris Constitutionis requiro vt per nouam abrogata censeatur, sed vt quidam interpretum ita distinguo, aut ex certa scientia, sicut loquuntur, princeps fecit nouam animo abrogandæ vetustioris, aut non. hoc casu non videtur abrogata, illo videtur abrogata satis etiam sine speciali abrogatione, quam qui requirunt, hos Valentinianus ait in *Nou. de xxx. ann. præf.* minutias iuris & captiosa verba sectari, vt quæ specialiter iussa sunt, specialiter abrogentur; tractans de Constitutione Theodosij, quæ induxit præscriptionem xxx. annorum, qua plerique tolli tantum putabant iura & actiones specialiter designatas in ea Constitutione, sed eos deridet Valentinianus, & ait A generale verbum, *Omnia*, quo Theodosius vtitur, *vniuersa consumere, nec posse exceptum aliquid esse quod per illam Constitutionem illo peremptorio vocabulo concludatur.* Dicendo enim, Omnia, inquit, nullum penitus cuiuslibet litis aut causationis fomitem dereliquit. Idque ita esse statuo etiamsi in priori Constitutione nominatim adiectum sit, ne per saturam abrogetur, vt nonnunquam in sanctione legum adscribi Festus auctor est. *Neve per saturam abrogato aut derogato*, id est, ne commistis rebus plurimis abrogato, ne confusæ, sed specialiter, explicate, diserte, si modo appareat scientem principem fecisse nouam prioris abrogandę, obrogandæ vel derogandæ causa. vt enim priuatus, & princeps multominus potest sibi legem dicere, vt à priori non possit recedere. quæ omnia B summe notanda sunt.

CAP. VIII.

Dies quibus pater sciuit infanti filiofam. competere bon. possessionem, an cedant filio.

SVppositicia videntur esse hæc verba in *l. 7. §. vltimo, De bon. poss. Aut pater*, & perperam repetita ex §. *pen.* nam dies quidem quibus tutor sciuit, pupillo cedere constat, exemplo actoris ciuitatum, cui tutor comparatur quasi persimilis, *l. qui solidum* §. *etiam De leg.* 2. & pupillę Resp. *l. 3. C. de iur. Reip.* nam dies C quibus actor, siue syndicus sciuit, municipibus cedunt, & hoc voluit Papinianus in *l.* 14. *Ad municip.* scribens municipes scire videri quod sciant hi quibus summa Reip. commissa est. respicit enim ad bon. possessionem, cuius tempora eodem libro scripserat *l. 1. de bon. poss. fur. inf. com.* scientibus tantum procedere. Scientibus sibi delatam esse bonor. possessionem morte alterius *l.* 2. *Quis ordo in bon. poss. ser. l. x. De bon. poss. l.* 2. *C. qui admit.* & hoc idem in tutore voluit *l. vlt. De iuris & fact. ign.* dum ait. Impuberes sine tutore agentes nihil scire videri. Significat enim cum tutore agentes, scire videri. ea igitur quæ tutor scit: ac proinde pupillo cedere dies petendæ bon. possessionis quibus tutor sciuit eam pupillo competere, D quod in patre Papinianus apertissime negat ita procedere in *d. l. 1.* hoc est, dies quibus pater sciuit infanti procedere bon. possessionem non cedere infanti, & similiter *l. 3. Quis ordo in bon. possess. ser.* scientiam patris filio non nocere. quamobrem maior est hac in re auctoritas tutoris quam patris. nam & tutor propius ad pupillum accedit, eumve repræsentat magis quam pater, adeo vt passim loco domini esse dicatur *l. qui fundum* §. *si tutor, pro empt. l. tutor qui tutelam, D. de adm. tut.* Plus autem est esse dominum quã patrem, maior potestas domini quam patris. Tutor pupillo petit bonor. possessionem siue infans sit siue maior infante *l. 6. & 7. de bon. poss.* sicut actor municipibus *l. 3. §. à municipibus, eod.* Pater infanti tantum, propterea quod infans fari & eam ipse sibi petere non E potest *d. l. 7. si infanti, C. de iur. delib. l. 1. C. Th. de cret. vel bon. poss.* Fœmina testamentum facere potest tutore auctore, vt est in fragmentis Vlpiani, non patre auctore *l. 6. Qui test. fac. poss.* Pupillus tutore auctore obligatur non patre auctore, *l. vlt. §. pupillus, De verb. obl.* Et similiter quod scit tutor, pupillus scire intelligitur, quod scit pater, filius scire non videtur, & ideo dies quibus pater scit infanti delatam successionem, infanti non cedunt, scientia patris filio non nocet. At scientia tutoris pupillo nocet circa bonor. possessionem & circa alias pleraque causas, *l. 3 in fin. De trib. act. l. non solum §. penult. de lib. cau. l. 4. §. illa, De do. exc.* Nec obstat si quis dixerit, Pater infanti

potuit petere bon. possessionem. ergo dies cedunt quibus pater sciuit. nam & curator furiosi potuit furioso petere bonor. possessionem, & dies tamen quibus curator sciuit furioso non cedunt *d. l.* 1. Neque igitur curatoris qui furioso neque patris qui infanti potuit petere bon poss. scientia & cessatio furioso vel infanti nocet: nec minus falsū est, dies quibus pater sciuit infanti cedere, quā dies quibus curator sciuit cedere furioso. Dicemus forte dies quibus pater sciuit cedere in vtilitatem non in perniciem infantis: aut patri cedere non infanti. Sed quid cauillamur? Dies cedere est præscriptione eius temporis excludi à commodo & petitione bon. possessionis, vel intra eos dies posse petere, non vltra. non possunt igitur cedere in vtilitatem, puta si petieris antequam exierint, quin & cedant in perniciem tuam nisi petieris intra ea tempora. Et cedunt semper non ei qui potuit alij petere, sed ei cui competit bon. possessio, licet quandoque non potuerit sibi petere.

Cap. IX.

Tentatur fundum alienum datum in dotem neque à marito neque ab alio vsucapi posse.

Est quidem ita scriptum in *l. 13. §. dotale, De fund. dot. Dotale prædium quod lex Iulia alienari vetat sic accipi cum dominium marito quæsitum est, vt tunc demum alienatio prohibeatur.* ex quo sequi videtur alienam rē in dotem datam dotalem non constitui. quod non probauerim. nam fateor dotalem constitui traditione *l. 5. Solut. mat. l. si socius, pro soc.* & traditione dominium adquiri, si res mulieris fuerit, si aliena fuerit, dico occasionem tantum pro dote vsucapiendi dari si res mobilis fuerit, vt est scriptum in *l. 1. C. de vsucap. pro dote.* Sed inuenio etiam sine traditione rem dotalem fieri vt si marito debitori fundi etiamsi is fundus alienus fuerit, vel debitori mancipij etiamsi id alienum fuerit, id quod debet mulier doti habere permiserit *l. si sponsalibus* §. 1. *De iur. dot. l.* 14. §. *penult. De fund. dot.* & fit quidem res dotalis statim etiamsi aliena fuerit, si modo eam maritus habuerit tempore constitutæ dotis, vel fiet dotalis postea cum eam habere cœperit. Et ita etiam res mulieris propria dotalis constituitur instrumento dotali sine traditione *l. si fundum, eod. tit.* in qua Græci, dedit in dotem, recte interpretantur, κατεχράθη ὡς ἴδιον, vt *l.* 14 *D. de iur. dot.* Si rem æstimatam mulier in dotem dederit, Accursius recte, id est dare conuenerit. & similiter in *l.* xi. §. *sic fideicommissum, De leg.* 3. Antequam dederit, id est dare voluerit, vt Asconius in diuinatione, accuses, accusare velis. Sin autem fundus alienus siue proprius datus sit in dotem & peruenerit ad virum, puto nec ab alio eum vsucapi posse, quia in *l. Iulia* alienationis verbum vsucapionem comprehendat, *d. l. si fundum*, nec ab ipso marito, eo scilicet casu quo mulieri actio de dote competit vel omnimodo competitura est, ad quem solum pertinet lex Iulia *l. 3. De fund. dot.* & ob id *l.* 1. *C. de vsucap. pro dote*, scriptum est res mobiles maritum vsucapere pro dote, qua appellatione continentur etiam mancipia: sciebat enim res immobiles maritum eo casu quo dos reditura est ad mulierem pro dote sibi vsucapere non posse. nec enim potuit alio fine scribere, res mobiles, vt alias animaduerti in *l. si cui locauero, D. loc.* scriptum, si res non immobilis fuerit, iurari in litem, quia scilicet de re immobili quæ latere non potest non iuratur in litem.

Cap. X.

Emendatur l. xxx. §. penult. Ad leg. Falc.

Certum est legata seruo heredis pure relicta sine libertate fideicommissaria, vt *l.* 8. §. 1. *De leg. 3.* non valere, quæ heres iubetur ei præstare, & ideo non venire in computationem legis Falcidiæ, vt Mæcianus scribit *l. 30. §. pen. ad leg. Falc.* & vt constat ex *l.* 20. *eod.* idem scripsit de legatis domino heredis relictis, inter quæ tamen hoc interest, quod regula Catoniana pertineat ad legata relicta domino heredis §. *an seruo, Inst. de leg.* Porro pure relicta legata intelliguntur etiam quæ in diem certum relicta sunt quod attinet ad cessionis causam *l.* 5. *l. si dies, Quan. dies leg. ced.* non quod attinet ad *l. Falcidiam l.* 45. *Ad leg. Fal.* Cedunt enim iure antiquo & nouissimo statim à morte testatoris, licet nondum apertæ sint tabulæ, nondum adita hereditas, & moriente legatario interim, in heredem eius transferuntur. Secundum hæc si seruo heredis in diem certum legatum relinquatur, legatum non valet: quia inutiliter cederet confestim testatore mortuo. At Mæcianus *d. l. xxx. §. pen.* qui proposuerat seruo heredis pure inutiliter legari, subiicit aliam causam esse eorum quæ in die certa relinquuntur. quod est manifesto falsum, & legendum emendata traductione verborum, *Quæ die incerta relinquuntur.* nam seruo heredis sub condicione legatur recte. & dies incerta condicio est si non tantum incertum sit quando sit ventura, sed & an sit ventura. & recte *l. j. §. vlt. Vt leg. no. caueat.* legato die incerta relicto, dies incerta condicio appellatur. Ideo autem seruo heredis sub condicione vel die incerta legatum relictum valet, quia dies legati huius non cedit antequam condicio extiterit, & fieri die cedente potest vt seruus exierit potestate heredis. quo casu sane debetur legatum & peti potest: ac proinde cum dicat Mæcianus *d. §. pen.* aliam causam esse eorum quæ seruo heredis die incerta dantur, hæc scilicet valere, pura non valere, quod subiicit ita corrigendum esse, *Nam si liberato dies cœperit cedere, ei debebuntur. Liberato*, id est manumisso, vt *l. cum sub hac, de cond. & demonst.*

Cap. XI.

Deprauatorum quorundam locorum iuris, vetus & vera scriptura conseruatur.

Ego in *l. vij. Quemadm. ser. amit.* non video qua ratione hæc verba, *Sed si is fundus qui seruierit ita diuisus est*, commutentur in hæc: *Sed si is fundus qui seruierit semita diuisus est.* nec enim fundus inter socios via aut semita diuiditur vnquam, sed regionibus certis, imo nec diuidendi fundi aliud vllum genus est quam veluti linea in directum taansducta fundi vnius facere certas regiones duas, vnam quæ vni, alteram quæ alteri competat, atque ita ex vno fundo quodammodo facere duos. fit diuisio linea vel fune. non via non semita: vel si quod forte inter regiones in ipsa diuisione intermittatur spatium, id neque est via neque semita, sed limes interciſiuus. Et si eo loco verba illa commutare licet, licebit & alio in eadem lege §. pen. vbi est scriptum, atque ita diuisus est fundus. Verum vtroque constat ita diuisum fundum seruientem accipi vt posuerat initio fuisse diuisum fundum dominantem, id est regionibus certis non partibus incertis. & fundo dominante ita diuiso, sociorum quēque sibi soli vsurpare, sibi soli deperdere viam: fundo autem

autem ſeruiente ita diuiſo diſtinguere nos & ſubdiſtinguere hoc modo. Aut certo loco conſtituta eſt via, aut infinito. & ſi certo, aut diuiſus eſt fundus inter ſocios fundi ſeruientis per latitudinem viæ aut per longitudinem. Diuiſio per latitudinem viæ, duas ſemitas facit: eſt enim ſemita, ſemis via, vt Seruio Honorato videtur, & veteribus gloſſis ἀτραπὸς, ἡμίοδιον. & hoc caſu ſatis vſurpat ſeruitutem is cuius fundo via debetur ſi vel vna ſemita vtatur. Diuiſio per longitudinem viæ duas vias facit non duas ſemitas. & hoc caſu non vſurpat viam vtramque qui altera tantum vtitur. quia duæ viæ intelliguntur eſſe perinde atque ſi ab initio duobus fundis diuerſorum dominorum duæ viæ iunctæ fuiſſent. quod obtinet etiam via conſtituta in infinito & diuiſione fundi eius qui ſeruit facta regionibus certis. Dixi diuerſorum dominorum propter *l. vnam, De ſeru. ruſt.* quæ accipienda eſt de via impoſita per plures fundos vnius. Non video autem cur etiam iidem à *l. domum, De contrah. empt.* tollant elegantiſſimam ſcribendi rationem, cui ſimilis eſt in *l. ſi fundum, De cond. & demonſt.* & frequens in aliis auctoribus, Vt non compellatur emptor perficere emptionem, ſed etiam quod forte ſolutum ab eo eſt repetet: pro quibus hæc reponunt, vt non tantum non compellatur, &c. perperam. quia ſubiicit, repetet, non repetat. & cum antiquæ ſcripturæ quam tuemur idé ſit ſenſus in re ipſa, non video cur hanc malint. quorum & illud ferre non poſſum, licet ab Alciato prædictum, vt addatur negatio in *l. xij. De ſuis & leg. hered.* Quid enim eſt certius quam filium patri eſſe proximum agnatum? eum qui ſuus eſt & agnatum eſſe, ſuitatem eſſe ſpecitem agnationis, *l. de bonis* §. *j. De Carbon. edict.* Tametſi, inquit, liberi ex inferioribus partibus petant qua legitimi (hi ſunt agnati) vocantur, quoniam ſui ſunt. Et *l. 1. C. de gradibus & affinitatib.* proximiores ex agnatis ſui dicuntur, & *l. vlt. C. de codicil.* Liberi vſque ad quartum gradum agnationis, id eſt vſque ad abnepotem. Et ita è contrario qui non eſt ſuus, non eſt agnatus *l. vij. Vnde lib.* cuius etiam verba illa, *Quia ſine dubio non eſt agnatus*, excipiunt male. nec enim ſuum negant eſſe agnatum, ſed non ſuum. Fateor ſeparari ſuos ab agnatis etiam in xij. tab nam & conſanguinei ſeparantur ab agnatis, & conſanguinitatem tamen nemo ambigit ſpeciem agnationis eſſe. Separatio hæc fit quia non eodem iure ſunt omnes agnati. Id quoque nunquam patiar, traduci verba *l. ij. Degrad. & adf.* ſed poſt enumeratas perſonas ſexti gradus dicam potius reſumi patrui magni & ſimilium nepotes, vt demonſtretur eos proprie ſobrinos vocari, & ſequar vulgarem ſcripturam, Qui vero ex fratribus patruelibus, &c. ij proprie ſobrini vocantur, & ſobrini ſcilicet ſunt eius de cuius cognatione quæritur. Pater eius eis eſt propius ſobrino. Cui pater meus eſt propior ſobrino, is mihi eſt ſobrinus & ego illi. Sumus enim conſobrinorum filij. Igitur vt quinto gradu ij qui mihi ſunt propius ſobrinis, id eſt patrui magni filij, ſeparantur ab iis quibus ego ſum propius ſobrinis, id eſt patrui nepotibus. Ita ſexto gradu qui patri meo ſunt propius ſobrinis, id eſt propatrui filij, mihi non ſunt ſobrini, & ſeparantur ab iis quibus pater meus eſt propius ſobrinis, id eſt patrui magni nepotibus, & mihi ſunt ſobrini. Nolim etiam vllam traiectionem fieri in Inſtitutionibus *tit. Si quad. paup. fec. dic.* nam qua ratione quove argumẽto traieceris verba illa, vt puta ſi equ⁹, &c. in poſt ſequẽtem clauſulam, *Hæc autem actio*, &c. eadem & ego traiecero clauſulam eandem poſt inferiora verba. Nec enim dici poteſt animal iniuriam feciſſe quod ſenſu caret ex *l. j. D. eod.* quod quis ferat? nec igitur quod illud potius quiſquam ferat. ſed propoſito exemplo quo actioni noxali lex xij. Tab. locum eſſe voluit de equo calcitroſo, & boue qui cornu ferit, quæ feritas naturalis non eſt, quidni recte ſubiiciat generalem definitionem, vt ſit huic actioni locus ſi nõ ſit genitalis ſiue naturalis feritas, contra vt non ſit locus ſi ſit genitalis. & enarrantem me aliquid quæſo quid refert ab exemplo an à definitione incipiam? nam & vtrumque eſt propoſitio. Sed vrgeo forſitan nimis. reprimam me ſi modo & quamlibet aliam quam anuli impreſſionem prius concedant mihi in teſtamento nõ ſufficere, nec temere adeo me in *l. ad teſtium, Qui teſt. fac. poſſ.* iubeant legere, Et magis eſt, vt non tantum anulo. nam diligens obſeruatio condendorum teſtamẽtorum & multo alia ſcrupuloſiora requirit, vt vno contextu teſtamentum fiat, vt in conſpectu teſtatoris teſtes vno eodemque tempore coëant, vt adſcribant nomen ſuum, vt ſignet anulo, non quolibet, ſed eo qui habeat χαρακτῆρα, id eſt ſignatorio, vel vt Vopiſcus loquitur Sigillaricio, nec igitur quolibet alio impreſſo quod proprie nò ſit cõparatum ſignandi cauſa, itemque ex S. C. Neroniano vt ter lino per foramina traiecto teſtamentum obſignetur. Cõcedant etiam ſe erraſſe in *l. iiij. de Inter. in iu. fac.* emendantes. *Non ſi domi vel in itinere.* Interpretatur Vlp. quid ſit in iure interrogari. & ait ius eſſe eum ſolum locum vbi magiſtratus vel alius iudex conſiſtat iuris dicundi aut iudicandi gratia, id eſt, etiamſi domi aut in itinere ſiue de plano hoc agat, vt iudex pedaneus, vt magiſtratus ſæpe etiam de plano ius dicit data bon. poſſ. vel quo alio iure & in aliis cauſis innumeris, quæ è ſolo expediuntur & plano pede. & ita Græci: τόπος ἐστὶ δικαστικὸς μόνος ἔνθα χρὴ τὸν δικαστὴν ἢ δικάσαι ἀναγκάσαι, εἰ μὴ ἐν ὄχῳ ἢ ὁδῷ τοῦτο γίνεται. Et ne ſint etiam audentia tanta vt legant in *l. pe.* §. *vlt. De adquir. rer. do.* Non ſi id quod in publico innatum, &c. nam inſulam in flumine publico natam eſſe publicam certiſſimum eſt, ſicut & ipſum flumen publicum eſt. Flumen eſt vſu publicum iuriſgentium *l. adeo* §. *quod ſi toto, hoc tit l. fluminum, De damn. inf.* ergo & inſula in flumine nata vſu publica eſt iuriſgentium. proprietate autem priuata eſt eorum qui proximiorem inſulæ agrum poſſident. ac propterea non eſt verum quod Labeo ante dicebat, *Si inſula in flumine nata propria tua eſt, nihil in ea publici eſt*: nam vſu publica eſt iuriſgentium, vt flumen, vt ripa, vt littus, vt ripæ continens ager *d. l. pen.* §. *ſi qua inſula.* nam & ripæ cedit continens ager. & tollenda negatio à *l. pen.* §. *vlt. De flum.*

Cap. XII.

Cuius regionis mores legeſve ſeruari oporteat in peragendo teſtamento.

QVæri hodie ſæpenumero ſolet, cuius regionis aut ciuitatis leges moreſve ſeruari oporteat in ordinando teſtamento. nam quot ſunt ciuitates, tot fere ſunt ordinandi teſtamenti leges aut mores. & ſoleo dicere patriam teſtatoris ſolam ſpectari oportere, *l. ſi non ſpeciali, C. de teſt.* quæ ita demum teſtes exigit in conſpectum venire teſtatoris, ſi non ſpeciale priuilegium patriæ hanc iuris obſeruationem remiſerit. Ius igitur patrię ſpectatur potius quam ius commune populi Romani. & ita teſtamenta in peregrino ſolo facta inſinuari & publicari in patria ſecundum leges moreſque locorum proditum eſt in *l. ij. C. quemadmod. teſt. aper.* Suæ igitur patrię & ciuitatis legibus aut moribus quiſque teſtari debet. & deportati ob id teſtamentum facere non poſſunt, quod nullius ſint certæ ciuitatis ciues vt ſecundum leges ciuitatis ſuæ teſtentur *l. j.* §. *hi quibus, De leg. ij.* qua ratione & in Deditiis Vlpianus vtitur in fragmentis *tit. de teſtamen.*

denique non ſpectari locum volo in quo bona ſita ſunt, ſed patriam teſtatoris. Eſt autem duplex patria: vna originis, altera domicilij: vel triplex, originis quam germanam M. Tullius vocat, alia domicilij, & alia communis, vt Roma in orbe Romano. & domicilij potius quam originis ſpectari patriam volo. quod confirmat aperte hic locus Iſocratis in *Æginetico*. Ἀνάγνωθι τὸν νόμον τὸν Δημονικόν. καὶ γὰρ τοῦτον ἔδει ποιεῖσθαι τὰς διαθήκας. ἐνθάδε γὰρ μᾶλλον οἰκοῦμεν. Possit autem quis quo loco habet bona, eius neque originalis esse neque incola, *l. iiij. C. de incoll l. libertus*, §. *sola, D. ad municip.* nec eius loci vlla habebitur ratio in faciendo testamento.

Cap. XIII.

Silanus, Serracula, Edulitas.

IN *l. xix. §. vlt. de act. empt.* personas ex quarum rostris aqua salire solet, Tullius interpretatus est libro vndecimo, & *Silnanos vel Silanos*: ac probo magis *Silanos* vt apud Festum legitur & Lucretium & Celsum, quibus addo, quod ita est scriptum in fabulis Hygini, *Tres silani sunt secuti, qui Ammonius fons appellatus est.* & quod Glossę veteres silanum fontem siue χρήνην esse interpretantur. In *l. xxix. ad leg. Aquil.* vt retuli libro nono, quod Græci serraculum contum interpretantur, confirmant quodammodo Glossæ veterum, in quibus ita est, πηδάλιον, *gubernaculum, clauum, serracutum.* In *l. xvij. de Compens. libro secundo* ostendi esse legendum, *edilitatis tempore.* quod confirmant Basilica, in quibus ita est, ἐν τῷ ἀγορανομεῖν. & edulitatis nomen, quod mauult Duaren. Latinum nō est. deceptus fuit loco illo Lampridij, *Cum edulitatem P. R. ab eo peteret*, sane ita emendando ex veteri scriptura, *Cum vilitatem P. R. ab eo peteret.* & in consequentibus. *Tunc ille non quidem vilitatem proposuit.* quæ rectissima scriptura est vt in Commodo, *vilitatem proposuit, ex qua maiorem penuriam fecit.* Amm. Marcellinus 14. *Celebrari vilitatem intempestiuam argenti, cum impenderet inopia grauius rationabili responderunt.* Ædulitatem quidem & ædilitaté promiscue veteres scripsisse inuenio, vt in illo loco Apolog. apud Tertull. *Philosophi tyrannidem affectant, Christianus vero nec ædulitatem*, vet. lib. habent. ac paulo post, ὑποκαρτερῶν rectius quam ὑποκαρτέρησον.

Cap. XIV.

De lege Glicia.

QVerelam inofficiosi testamenti esse ex antiquissima lege Glicia coniicere licet ex inscriptione *l. iiij. D. de inoffitioso testam.* quæ dandæ querelæ rationem reddit, legis Gliciæ ferendæ rationem reddere videtur. Et ne quem decipiant insomnia nescio cuius, neve mei tacentis modestiam in conscientiam ducat, scripsi latam forte à Glicia dictatore, non negans igitur quin forte à consulę vel prętore eiusdem nominis siue cognominis. Glicia cognomen est, vt in M. Claudio Glicia dictatore, Glicius nomen, vt in Glicio Gallo apud Tacit. & Augustæ Taurinorum in hoc tit. antiquo, *Q. Glicio P. F. Atilio Agricolæ Coss.* vij. *vir. Epulonum, legato prætore Imp. Neruæ Cæs. Prouinciæ Beticæ leg. 6. Ferrat. leg. Citerioris Hisp. Prætori Ædili Cur. Iul. Vespasiani Tribuno licæ x. viro Stlitibus iud.* Prætorem autem etiam leges ad populum tulisse populumque rogasse, Liuius indicat xxvij. sed malim legé Gliciam appellari à dictatore. quod ille tamen improbat hoc modo. *Coactus est Glicia se magistratu abdicare.* fateor. ergo non satis habuit temporis ad ferendam vllam legem. hoc nego. *Et coactus est*, inquit, *se abdicare antequam aliquem magistrum equitum nominaret.* hoc etiam nego. raro enim ipse sibi Dictator Mag. Equitum dicebat, sed dicebatur plerumque à consule vel populo. Et Gliciam se abdicare coactum antequam sibi Mag. Equitum nominaret, nusquā reperietur sculptum vel scriptum. nam quod est in Fastis Capitolinis, *M. Claudius C. F. Glicia qui scribæ fuerat dictator coactus abdicare sine Mag. Equitum.* hoc vult, dictatorem eum dictum non adiuncto Mag. Equitum, vt Liuij xxiij. C. Terentius Consul N. Fabium Buteonem ex Senat. Cons. sine magistro Equitum dictatorem in sex menses dixit. Illud etiam male, leges non appellari à cognomine, & Gliciam esse à cognomine. nam & lex Norbana dicitur à cognomine, & Peducæa, & Poppęa (hæc enim Norbanus, Pęducæus, Poppæus, magis cognominibus adscribuntur) & lex Glicia possit deduci à nomine, vt ostendi supra. Item male ex verbo, Inductum, quod est in Institution. *tit. de inofficioso testam.* querelæ originem refert ad auctoritatem prudentum. nam & inductum dicitur quod descendit ex legibus *xij. Tabul.* vel aliis, *l. j. ad exhib. l. j. de vsurp. & vsuc. l. lex. de sta. ho. l. j. de co. act. tut.* Probabilis est referri eam ad legem Gliciam, fortasse & quartam qua excluditur querela, potius quam ad Constitutionem D. Marci, vt emendaui in extremo libri tertij Iulij Pauli Receptarum Sententiarum, quo ex loco de me sumit ille quo vtatur in me, de posteriore cogitatione quo peruellat priorem. Item male etiam ante Sen. Consultum Orfitianum matris hereditatem ad filios filiasque pertinuisse. nec enim pertinuit iure legitimo exclusis agnatis, vt ex Senat. Consul. Orfitiano, quæcumque mater esset: sed pertinuit quasi ad cognatos iure honorario, vel quasi ad consanguineos iure ciuili. Si mater in manum conueniisset, vt docueram iam ante *Obs. vj. & vij.* Idem male leges xij. nihil cauisse de liberis instituendis vel exheredandis: cum ius hoc antiquitati tribuatur in *tit. de exher. lib. in Instit. & l. Gallus, de lib. & post.* & liberi in xij. sui heredes appellātur *l. liberorum, de verb. significat.* quæ appellatio satis demonstrat eos esse heredes instituendos vel exheredandos, quia sui sunt, qui si alieni essent, nequaquam essent exheredandi. & exheredari etiam sicut occidi potuisse absque causa demonstrat, *l. in suis, de lib. & post.* qui sunt effectus patriæ potestatis, *l. quidam, de verbo. obligat.* quam constat esse ex xij. tabulis.

Cap. XV.

De fure nocturno.

VLp. ait in *l. furem, D. ad leg. Cor. de fal.* Furem nocturnum ita demum occidi iure, si is cui furtum faciebat ei parcere sine vitæ suæ periculo non potuit. quod pugnat cum l. xij. Tabul. quæ furem nocturnum omnimodo occidere permittit, furem diurnum ita demum si se telo defendat ne apprehendatur, *l. si pignore §. furem, de furt. l. iiij. ad leg. Aquil.* nam Vlpianus in *d. l. furem*, idem statuit in fure nocturno, quod lex xij. in diurno. nec enim nocturnum aliter vult occidi quam si quis eum apprehendere non potuerit sine suo periculo, puta quod is cum telo esset, seque telo defenderet ne apprehenderetur. Et sane videtur lex xij. Tabula. non fuisse in vsu. quod etiam constat ex his Vlpiani verbis lib. viij. ad edictum *tit. si quadrupes pauperiem dederit. Si quis*, inquit, *furem nocturnum occiderit, quem lex xij. Tabula. omnimodo permittit occidere, videamus an lege Aquilia teneatur. Pomponius dubitat num hæc lex non sit in vsu. Sed si quis furem metu occideret, non dubitamus quin lege Aquilia non teneatur. Sin autem cum posset apprehendere maluit oc-*

cidere, magis est vt iniuriã fecisse videatur. ergo etiam lege Cornelia tenebitur. & pars horum verborum quædam est in *l. 5. ad leg. Aquil.* Ergo qui occiderit furem nocturnum, ita demum impune feret, si metu mortis, quam ei fur intentabat, se telo puta defendens, eum occiderit. nam si cum posset apprehendere sine suo periculo, maluerit occidere, lege Cornelia tenetur vel lege Aquilia. nec igitur quidquam distat fur nocturn⁹ à diurno. nam & diurnus eo solo casu impune necatur : atque ita valet lex xij. in fure diurno, non in nocturno. Sed ex Constitutionibus hodie in agris valet etiam lex xij. Tabula. in fure nocturno. nã vt est constitutum in *l. j. C. quando lic. vnicuique sine iud. se vind.* furem nocturnum in agris quoquo modo occidere licet. & recte Græci *d. l. sipignore*, §. *furem*, & *d. l. iiij.* accipiunt de fure nocturno qui depopulatur agros. Valet igitur in agris lex xij. sed non etiam in vrbibus vel oppidis. & sane quo est in agris maior grassandi facultas, eo qui in agris noctu furantur, odio sunt digni maiore.

Cap. XVI.

Ex Menandro sumptum videri quod est in l. penult. de legib.

QVerebam aliquando cur Papin. in *l. vij. de iust & iu.* fecerit quinque partes iuris ciuilis, eius scilicet quod scriptum est, cum Modestinus in *l. pen. de legib.* iuris ciuilis vniuersi tres tantum partes faciat? nam Papin. certe in *d. l. vij.* diuidit ius ciuile, non omne, sed scriptum tantum, & non politicum, sed legitimum. Modest. in *d. l. pen.* ius ciuile vniuersum, cum & consuetudinem in partibus adnumeret. Ait enim, *Ergo omne ius aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmauit cõsuetudo.* An igitur plures sũt partes iuris ciuilis scripti, quã iuris ciuilis vniuersi? Sane articul⁹ ille, *Ergo*, à quo incipit *d. l. pen.* significationem præbet, eam legem summam esse & cõclusionem totius tituli, siue repetitionem & cõgregationem nõ omnium partium iuris, sed earum tantum quæ in eo titulo tractatæ sunt, quæ tres sunt, Leges, S. Consulta, Consuetudo. nam titulus est, De legibus & Senatusconsultis & longa consuetudine. De decretis Principum est *tit. iiij.* De auctoritate prudentum *tit. ij.* De tribus illis partibus ille *tit. iij.* de quibus cum satis multa in illo tradita essent ex libris prudentum, tandem res omnis à Modestino ita concluditur, *Ergo ius omne, &c.* nam ius quod consensus fecit, lex est quæ populi aut plebis iussu sancita est. Ius autem quod necessitas fecit est S. Consultum, vt in *l. ij. §. deinde quia difficile, De orig. iuris*, scriptum est, aucto numero populi, necessitatem ipsam curam Reipub. ad Senatum deduxisse. & inde nata S. C. esse. Ius quod firmauit consuetudo, est quod inueteratus mos attulit. Sed & hoc ius consensus facit, verum tacitus & illiteratus. legem expressus & literatus. quin & S. C. consensus facit, sed non hic solus, verumetiam necessitas, aut necessitas sane potius principium eius est, non consensus nudus. qua ratione & obligatio consensu contracta separatur à cæteris, quamuis & cæteræ in se consensum habeant. Sit igitur ea *l. pen.* conclusio totius tit. vt dixi. Verum tentemus etiam, ea diuisione vt ius omne aut consensus faciat aut necessitas constituat aut firmet consuetudo, posse contineri omnes partes iuris ciuilis. nihil enim vetat partes cuiusque rei etiamsi sint plures, contrahi & in paucas redigi. nam & ius quod princeps constituit, rerum ductus ipse & necessitas fecit *l. ij.* §. *nouissime, De orig. iur.* & ius gentium, vt nominatim ex Caio proditum est in §. *ius autem, Instit. De iu. nat.* quod Aristoteles partem facit iuris ciuilis. Et similiter necesse fuit admitti auctoritatem prudentum *l. ij.* §. *post originem, De orig. iuris*, & breuiter sumpsisse Modestinus videtur hanc iuris partitionem ex hoc Menandri loco. τέτα γὰρ ἐστι δικαιότατα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνεται, ἢ καὶ νόμες ἢ τὴν ἀνάγκην, ἢ γε τέτων ἕθη τινί. Non ius omne tantum, sed & omnia aut leges efficere, aut necessitatem, aut consuetudinẽ.

Cap. XVII.

Emendatur l. licet, de vsufructu legato.

FAlsum est quod ait *l. licet, de vsufr. leg.* tunc tantum esse huic Constitutioni locum vt liceat testatori repetere legatum vsusfr. cum in annos singulos relegaretur. nam & repetitur recte, si relegetur alternis annis, mensibus aut diebus, vel ad certum tempus, vel ad tempus vitæ legatarij, vel manifesta repetitione, hoc modo. Quotiensque legatarius capite minutus erit, eidem vsumfr. do lego, vel, Quotiens vsusfr. amissus erit. namque placet qualicumque ratione amissum vsumfr. repeti posse, dummodo non morte *l. j. §. vlt. l. ij. §. non mors, l. iij. l. v. in princ. Quib. mo. vsusfr. amit. l. in singulos, De an. leg.* Igitur perperam ita scriptum est in *d. l. licet. Tunc tantum*, & malim, *Nec tantum.* nec absque euidenti ratione. Primum enim ita in lege proponitur. Licere testatori repetere legatum vsusfr. sed licere etiam nominatim, puta vt post capitis minutionem deberetur: & hoc Imperatorem Antoninum ad libellum rescripsisse, nec tantum huic Constitutioni permittenti repetitionem vsusfr. locum esse cum in annos singulos relegaretur, sed & cum nominatim, vt similiter dictum est initio *l. iij. Quib. mo. vsusfr. amit.* sicut in annos singulos legari potest vsusfr. ita & post capitis minutionem amissum nominatim legari posse. ac si diceret, non tantum tacite, sed etiam nominatim vsumfr. repeti & relegari posse. Facilius quid fit tacite, quam expressim. sed & hoc fit expressim recte. nec tamen carebat dubio. nam repetito palam vsufr. post capitis minutionem, quodammodo fraus videtur fieri iuri publico. sed non fit in totum. nam vsusfr. qui iam processit extinguitur, non qui insequitur, imo vno eodemque momento & amittitur & resumitur vsusfructus *l. 3. §. pen. eod.* & simili ratione qui insequitur resumiturve, extinguetur si noua capitis minutio contigerit.

Cap. XVIII.

Explicatur ratio l. cum vsusfr. De vsufr. leg.

COnstat vsumfr. legatum alternis annis non posse nõ vtendo amitti: quia plura legata, plures vsusfructus sunt *l. xxviii. Quib. mod. vsusfr. amit.* non amitti etiam capitis minutione *l.* 11. §. *si non mors, eod. tit.* At si via legata proponatur alternis annis, vel aqua vel iter vel actus, non perit quidem ea seruitus capitis minutione, quia nec quocunque alio modo legata morte aut capitis minutione perimitur *l. 3. Quemad. seru. amit.* At non vtendo perit siue simpliciter sit legata, siue alternis annis, quia vnum est legatum, vna seruitus, *l. si sic, eo tit.* Cur autem vsufructu legato alternis annis, mensibus aut diebus plura sint legata, via aut simili alia seruitute legata, vnum legatum non plura, hæc ratio redditur in *l. cum vsusfr. De vsufr. leg.* vt Flor. est scriptum recte, *Quia via natura sui habet intermissionem.* quæ ratio valde obscura videbitur, nisi explanetur & euoluatur hoc modo. vsusfructus sui natura intermissionem non habet. nam etsi possit fructuarius non ita assiduo capere fru-

ctus, tamen assiduo vtitur re in qua vsumfructum habet, dum eam naturaliter possidet. Qui ergo testator vsumfructum contra sui naturam intermitti vult, vt cum eum legat alternis annis, plane indicat se plura legata facere voluisse. At viam, iter, actum, aquam si legauerit alternis annis, vnum est legatum, vnaque seruitus, quamuis intermissionem habeat ex iudicio defuncti. nam si intermissio faceret plures seruitutes: via nunquam esset vna vel aqua vel quę alia seruitus rustici prædij, sed omnis esset multiplex semper, quia omnis seruitus rustici prędij sui natura intermissionem habet. nec enim continuo ire, agere, aquam ducere vel haurire possum. & hoc distant seruitutes rusticæ ab vrbanis quæ continuum vsum & continuam possessionem habent, *l. seruitutes quæ in superficie, De ser. vrb.* Paulus est auctor *d. l. cum vsusfr.* Is solet, imo omnes ferè Iurisconsulti, breuiter adstringere rationes quibus vtuntur, & omittere frequenter conclusionem, atque etiam propositionem vel assumptionem, Aristoteleo more, quem notauit his verbis Eustrathius quodam Ethicorum loco, τὸ μεῖζον καὶ τὸ συμπέρασμα παρῆκεν ἔθος ὂν αὐτῷ σχεδὸν πανταχοῦ τοῦτο ποιῶν. Et Papiniani similis est illa ratio differentię inter partem fundi & hominem simpliciter legatum in *l. Mœuius §. duorum, D. de leg. ij. Hominis enim legatum orationis compendio singulos homines continet:* quę alio loco explanabitur.

Cap. XIX.

Declaratur differentia inter corpus & quantitatem ad constitutionem D. Pij.

EX Constitutione D. Pij, si idem corpus eidem ab eodem herede sępius eodem testamento legetur, semel tantum debetur, *l. plane §. 1. & seq. De leg. 1. l. Mœuius, de leg. 2.* & aliud iuris est eadem quantitate legata sępius. quia scilicet quantitas eadem legata sæpius, debetur sępius volente testatore, quod eum voluisse legatarius probare debet. alioquin pręsumittur repetiisse potius testator quam duplicasse: vel id feciisse forte ima parte testamenti obliuione prioris legati, *d. l. plane.* vno tantum casu pręsumptio facit pro legatario & onus probandi contrarium in heredem transfert, si diuersis scripturis, eandem quantitatem legauerit, puta testamento & codicillis. nam cum diuersæ sunt scripturæ, facilius præsumitur multiplicatio aut duplicatio. Rationem autem inter corpus & quantitatem, quæ dicitur esse euidens in *d. l. plane.* quis euidenter exposuit? ego exponam si potero. Res eadem ne volente quidem testatore sæpius dari aut pręstari potest: quia res mea facta semel, amplius mea fieri aut mihi legari non potest, *l. si seruus. §. Stichum, De leg. 1.* ac nec æstimatio quidem ex repetitione debetur; quia res legata est non æstimatio, & secundum regulam iuris duæ causæ lucratiuæ in eandem rem concurrere non possunt, nisi appareat testatorem voluisse & rem pręstari & æstimationem. quod etiam legatarium probare conuenit, *l. si alij in fi. de vsufr. l. nutu §. 1. D. leg. III.* Res ipsa ne volente quidem testatore sæpius præstari potest. At quantitas eadem volente testatore sæpius præstari potest: quia etsi quantitas sit eadem, non tamen est species eadem non eadem corpora nummorum. Quantitas eadem facile multiplicatur, Corpus idem non recipit multiplicationem. Denique duæ causæ lucratiuæ in eandem rem concurrere non possunt: in eandem quantitatem possunt.

Cap. XX.

Ad §. Stichum l. qui decem, De solut.

IN *l. qui decem §. Stichum, De solut.* tres ponuntur species, in quibus omnibus fere idem ius est. Prima hæc est. Stipulatus sum Stichum aut Pamphilum, cum meus esset Pamphilus. Etiamsi postea Pamphilus desierit esse meus, non liberabitur promissor soluendo Pamphilum, quia in quo non consistit obligatio, nec solutio consistere potest; idemque erit si post stipulationem Pamphilus factus sit meus, *l. XVI. D. de verb. oblig.* Secunda species hæc est: stipulatus sum hominem generaliter. Marcellus ait in *d. §. Stichum. Vnum etiam ex his qui tunc stipulatori seruierant dando promissor liberabitur.* quod rationem non habet, & est manifesto falsum. nam in his qui stipulatoris erant, non consistit obligatio, *l. Mœuius, §. duorum, de leg. ij.* ergo nec solutio. & sane perspicuum est, *Num*, illo loco esse legendum, non, *Vnum*, per interrogationem, vt quærat, Si quis stipulatus sit hominem generaliter, num etiam ex his qui tunc stipulatori seruierant, postea seruire desierant, dando promissor liberabitur? vt & tertia specie ita quæstionem instituit. Num mortuis duobus, &c. Sic autem ad quæstionem illam respondet, *Vi quidem ipsa & hic ex his dari stipulatus est qui eius non erant*, ac si diceret: Non is tantum de quo fuit species prima qui stipulatus est Stichum aut Pamphilum, eos dari stipulatus intelligitur qui eius non erant, sed & hi qui stipulatus est hominem generatim & simpliciter, vi ipsa ex his dari stipulatus est qui eius non erant. *Vi ipsa*, id est tacito intellectu, etiamsi hoc non expresserit. Tertia autem species hæc est. Stipulatus sum hominem ex his quos Sempronius moriens reliquit. tres Sempronius reliquerat, quorum vnus tunc erat stipulatoris, & post esse desiit, id est mortuis duobus qui alterius erant, quæritur an reliquus qui stipulatoris erat & post esse desierat debeatur, & soluatur recte. Et ait non solui recte, nisi ante mortem duorum desierit esse stipulatoris. Ergo ita distinguit: Aut superstes seruus stipulatoris esse desiit post mortem duorum, & hoc morte duorum tollitur omnis obligatio. In mortuis certe tollitur. In superstite etiam nulla est, quia quo tempore duo mortui sunt is erat in dominio stipulatoris. Aut superstes seruus stipulatoris esse desiit ante mortem duorum, & hoc casu morte duorum omnis obligatio non tollitur, sed supereſt in superstite. nec enim omnino stipulatus videor ex his, qui mihi non erant, cum aliam finitionem aliumque modum stipulationi adiecerim, Ex his quos Sempronius reliquit. Non subauditur ille modus, Ex his qui mei non erunt, quando alium exprimo modum.

Cap. XXI.

Explicatur ratio quædam Papiniani obscura valde.

CVm parte fundi pro indiuiso mihi legata duorum testamentis simpliciter, pars quæ soluente vno herede facta est mea, quamuis postea alienata sit, ab altero herede eadem mihi solui potest. & tamen homine duorum testamentis simpliciter legato, Stichus qui soluente vno herede factus est meus, quamuis postea sit alienatus, ab altero herede idem solui non potest. Et rationem breuiter præcidit Papinianus. XVII. Quæstionum his verbis: *Hominis enim legatum orationis compendio singulos homines continet*, quam explicare sane arduum & difficile est. Legato hominis ait singulos homines contineri. aliud est contineri, a-

liud consistere. Continetur legato quod legatum est aut quod intelligitur esse legatum. Consistit legatum in ea re quę solui potest, Qua in re consistit, non continuo & ea res legato continetur. & retro, quæ legato continetur, non continuo consistit & in ea legatum. exempli gratia, Si res mea mihi legetur, res mea legato continetur, in ea tamen legatum non consistit. Item legato decem nummorum mihi relicto, non continentur decem quæ in arca mea sunt, in his tamen legatum consistit. nam si ea decem quæ in arca mea erant, postea forte ad heredem peruenerint, ea heres mihi soluendo liberabitur. & ita legato partis fundi mihi relicto, fundi non continentur partes singulæ, ergo nec pars quę tunc mea fuit, nec quæ post facta est mea. quæ si contineretur, sane in ea non consisteret legatum: sed quia non continetur, etiam in ea consistit legatum, vt possit heres eandem partem aliquo modo suam factam mihi soluere & liberari. Contra, legato hominis mihi relicto, continentur singuli homines. ergo is etiam continetur qui tunc meus fuit, vel qui postea factus est meus, ac consequenter, in eo non consistit legatum, & eundem hominem mihi dando heres non liberatur. Cur verò hominis legatum continet singulos homines, partis legatum non continet singulas partes? quia homo est species, vel vt Seneca loquitur, genus speciale, quod habet in se singulos, quæ indiuidua vocant, Stichum, Pamphilum, Damam. Pars non est genus, non continet singulas partes, vt pars fundi non continet partes ceteras fundi, pars hominis non continet hominis partes omnes. In partis nomine nullum est compendium orationis. in hominis nomine est compendium orationis. Compendium est veluti genus quod multa continet. *Compendio* (sic est legendum in Constitutione Diocletiani de substitutionibus) id est compendio orationis fit substitutio, quę plura tempora pluresve continet ætates, hoc modo: Si heres erit, & post vita decesserit, ille heres esto. quę substitutio facta impuberi, ne iure quidem fideicommissi consistit post pubertatem, nisi ex priuilegio militię.

Cap. XXII.

De fructibus extremi anni quo diuortium factum est diuidendis inter virum & vxorem.

Quæ scripsi in Sent. Pauli & in Feudis de fructibus vnius anni quo diuortium factum est diuidendis inter maritos, nondum bene percipiuntur ab omnibus, & vix percipientur vnquam forte, nisi ea planiora & pleniora fecero. Certissima iuris sententia est: Fructus extremi anni quo diuortium factum est diuidi inter virum & vxorem pro rata temporis quo in eo anno matrimonium stetit: vt si steterit quatuor mensibus, diuidi debent pro triente & besse, vt trientem retineat vir, bessem habeat mulier. & annus incipit à die traditi fundi dotalis si traditio posterior matrimonio fuerit dictioneve aut stipulatione dotis, non à die matrimonij, non à die dictæ vel conuentę dotis, *l.* 5. *Solu. matri.* Si prior traditio fuerit, à die matrimonij. nam fructus ante percepti, augent dotem, *l. vi. eod. l. dotis* §. *j. l. si seruo in dotem, De in. dot. l. videamus* §. *ante, De vsur.* Ergo à die traditi fundi dotalis si traditus sit post nuptias cõtractas, vt si contractæ sint nuptiæ Kalend. Ian. dos tradita Kalend. Decemb. solutum matrimonium pridie Kalend. Ian. fructus feret maritus pro rata tantum vnius mensis. Addunt exceptionem, nisi moram fecerit mulier in tradenda dote. quam non probo, nam in strictis iudiciis neque vsurę neque fructus veniunt ex mora, ex lite contestata veniunt fructus ex equitate & facilitate quadam secundum Sabinianorum sententiã, non vsuræ, *l. videamus* §. *si actionem, De vsur. l. vij. De re indic. l. ij. C. de petitione heredi.* & stricto iudicio dos debetur viro ex dictione, pollicitatione, stipulatione: mulieri iudicio bonæ fidei. & in bonę fidei iudicio fructus veniunt etiamsi nulla mora interuenerit *d. l. videamus* §. *penult.* vsuræ ex mora tantum. Huic autem sententiæ de diuidendis fructibus inter coniuges locus est, si factum fuerit diuortium bona gratia. nam si culpa mariti, tantum restituit ex fructibus quantum ex fundo quadriennio redigitur, vt Vlpian. docet titulo de dotibus: si culpa mulieris, hodie retinet ipso iure maritus dotem totam. ergo & fructus. Item huic sententiæ ita demum locus est, si fundus inæstimatus fuerit. nam æstimatus proprie dotalis non est, & omnes fructus etiam post diuortium ad maritum pertinent, & liberatur reddendo æstimationem fundi, *l. vnica* §. *sed & nouissime, C. de rei vxor. actione.* Item huic sententiæ ita demum locus est, si non conuenerit inter virum & vxorem vt extremi anni fructus nondum percepti omnes mulieris lucro cederent, *l. penult. De pactis dotal.* Item huic sententię plerumque locus est diuortio facto. itemque morte viri soluto matrimonio, *l. vij.* §. *interdum, in fine.* Soluto matrimonio vel morte mulieris, si dos profectitia fuerit quam patri reddi oporteat, non etiam si aduentitia, hæc enim remanet apud virum, ergo & fructus eius. Probatur autem hæc sententia de diuisione fructuum *l. cum in fundo* §. *diuortio, de iure dot. & d.* §. *sed & nouissime,* vbi Thalelæus hoc vtitur exemplo, quod Heruetus Latine reddidit male. Fundus dotalis post nuptias traditus est Kalend. Septemb. vel post traditionem fundi nuptiæ contractæ sunt Kalen. Septemb. à die fundi traditi vel nuptiarum, stetere nuptiæ decennio & anni vndecimi mensibus octo, diuortio facto XI. Kalend. Maias anno XI. Omnes menses matrimonij sunt CXXVIII. Retinet maritus fructus decennij & ex fructibus anni vndecimi bessem, restituit trientem. quia tandiu sustinuit onera matrimonij, pro quibus eum dotis percipere fructus æquum est. nec alia ratione, vt puto, si maritus fiat non soluendo, dotis repetitio mulieri datur quam quod sit impar oneribus ferundis, aut periculum sit ne fiat, & est petitio potius quam repetitio rerum dotalium. nam maritus non tenetur vltra quam facere possit, quod constat ex *l. vbi, C. de iur. dot. & Nou. XCVII.* sed & repetitio vrgente viro ad inopiam necdum tamen impari reddendæ doti, aut nondum dissipatis dotalibus rebus. At probatur etiam sententia superior *l. si alienam, l. si marito* §. *vlt. Sol. mat.* quibus ex locis intelligitur ἀναλογίαν eam fructuum dotem augere, id est, pro rata temporis quo mulier nupta non fuit. tam ergo fructus ante nuptias percepti augent dotem quam percepti post nuptias. Probatur & in Sententiis Pauli *lib. 2. tit. 22.* vbi Paulus loquitur tantum de perceptis constante matrimonio, cum tamen idem iuris sit in pendentibus, *l. 7.* §. *interdum, l. si filiof.* §. *vlt. Sol. mat.* nisi aliud conuenerit, *l. pen. de pac. dot.* nam etsi eorum dominium pertineat ad mulierem, tamen contribui debent. Sic fructus pendentes finito vsufructu quorum dominium proprietario adquiritur, proprietarius contribuit vt omnes eius anni fructus pro rata diuidantur inter eum & fructuarium, *l. si operas, De vsufr. l.* 5. §. *vlt. si vsufr. pet.* His cognitis, tractemus ergo rursus vexatam speciem illam quæ ponitur in *d. l. 7.* §. *Papinianus.* Mulier pendente vindemia Kal. Oct. vineam dedit in dotẽ, mox sublata vindemia, lecta vua, vir ex Kal. Nou. primis, id est, quæ fuerunt ab eo tempore primæ, eundem fundum locauit, & solutum est diuortio matrimoniũ in fine mensis Ianuarij, id est prid. Kal. Feb. atque ita stetit matrimonium mensibus quatuor. Quæritur

quemadmodum fructus eius anni diuidendi sint inter virum & vxorem. Et quia quatuor mensibus stetit matrimonium, id est, tertia parte anni, ex vindemia tertiam partem retinebit maritus, & ex mercede locationis quæ cessit à Kal. Nou. vsque in supremam diem mensis Ianuarij, id est, ex quarta parte mercedis, æque retinebit tertiam partem. Hęc est sententia Papiniani. & verba sunt clara. nec est quod eam mutemus vel cauillemur, vt qui prudentiores Papiniano videri volunt, partim eam cauillantur, partim mutant male atque corrumpunt. Consulantur mathematici. respondebunt nihil esse ęquius distributione Papiniani. *Est Io. Buteo* doctissimus Mathematicus, qui in suis libris eam fortiter defendit aduersus Accursium & Alciatum, nec sibi temperat quin stomachetur & ingerat conuicia vtrique motus opinionū ineptitudine. Seruat Papinianus proportionē Geometricam quæ in distributionibus seruari debet, quam non seruat Duarenus, qui contra manifesta Papiniani verba scripsit, & tamen quod mirum eam se primum inducere profitetur. Seruat, inquam, Papinianus proportionem Geometricam, quandoquidem si mulier innupta fuerit mensibus 8. nupta 4. quæ est proportio dupla, & ex vindemia quæ est 24. ei relinquit 16. viro 8. quæ est eadem proportio, & similiter ex quarta parte mercedis locato fundo 12. mulieri duo, viro vnum. nam vtrobique est proportio eadem, licet non idem excessus. At videamus quid obiiciatur sententiæ Papiniani. Vult. Papin. portionem tantum mercedis in contributionem venire, eam scilicet quæ cesserat & debebatur tempore diuortij, vt si locauerit 12. diuidi 3. ita vt vnum duntaxat habeat maritus, mulier duo. Contra in §. *seq.* ostenditur, mercedem totam venire in diuisionem pro modo temporis omnium mensium quo fundus dotalis fuit. debuit igitur nō quarta, sed 3. mercedis, id est 4. in computationem siue diuisionem venire. nam non spectamus quid tempore diuortij debebatur, sed quid debebitur, vt Flor. scriptum est recte in §. *ex contrario*, *d. l. 7.* & hoc vt melius intelligatur, sciendum est, in diuisionem venire non tantum fructus perceptos vel pensiones locationum, quæ pro fructibus accipiuntur, acceptas à marito, sed etiam pendentes, stantes & omnem omnino spem fructuum habita ratione pro portione anni quo diuortium factum est, nisi aliud conuenerit *l. pen. de pac. dot.* qua de causa mulier cui fructibus stantibus fundus redditur cauere merito solet ex fructibus reddita iri quod maritum pro portione contingit *d. l. 7. §. interdum*, & indemnem eum seruari aduersus conductorem: & contra maritus quod à conductore consecutus fuerit præter portionem contingentem, id se mulieri redditurum *l. si filiof. §. vlt. eod.* Et aperte traditur in *d. l. vij. §. non solum*, fructuum rationem haberi inter maritos non solum tempore quo percipiuntur, sed toto tempore quo curantur. Igitur spem etiam futurorum fructuum nondum perceptorum in diuisionis rationem venire. Idem etiam aperte demonstratur in *d. §. ex contrario & §. item si messes*. Species hæc est. Mulier sublatis vindemiis statim fundum dedit in dotem Kal. Oct. & vir eundem fundum locauit ex Kal. Mar. & diuortium subsecutum est Kal. Apr. atque ita à locatione matrimonium stetit mense vno tantum, à traditione fundi mensibus sex, & mensis Martius vnicus est à locatione, sextus à traditione fundi. An dicemus à locatione mercędem ita diuidi vt maritus ex mercede habeat tantum duodecimam partem, quod à locatione duodecima tantum parte anni steterit matrimonium? Minime, quandoquidem habenda etiam est ratio prętoriti tempŏris quo mulier in matrimonio, fundus in dote fuit. ex quo multa intelligimus. Fructus vindemiæ captos à muliere ante traditum fundum in diuisionem non venire, quia capti sunt ex fundo nondum facto dotali, quod etiam notatur in fine §. *item si messes*. Non ex die locationis quasi nouum annum incipere, sed ex die traditi fundi, vt in specie *l. defuncta, De vsufr.* annus non numeratur à die locationis, sed à die constituti vsusfructus, qui in ea specie durauerat anno integro. Cœperat enim à Kal. Ian. & fructuarius eum locauerat ex Kal. Mar. eaque die pensionem sibi solui cauerat. mortuus autem is est mense Decembri, collectis iam à colono fructibus omnibus. Item intelligimus non tantum mercedem quæ debebatur tempore diuortij, sed & spem futuræ mercedis quæ debebitur in contributionem venire pro portione anni quo diuortium factum est. quæ omnia etiam indicat §. *item si messes*, quem nescio an aliquis adhuc liquido explicauerit, à Græcis certe deprauatus est legentibus menses & mensium pro messes & messium. & obseruandum fundum in hoc proposito dici non vineam simpliciter, sed arbustum quod fert messes & vindemias & nuces aut poma, vt plerisque regionibus in eodem fundo videre est segetes & vites adsitas arboribus. Species autem ad §. *item si messes*, varie poni potest, sed hoc modo congruentius. Mulier sublatis vindemiis statim fundum dedit in dotem Kal. Oct. & vir eum locauit ex Kal. Mar. ea lege vt conductorem messes sequerentur, & matrimonio stetit mensibus x. atque ita solutum est mense Augusto post messes & ante vindemias, ex mercede messium quam percepit maritus restituet mulieri sextantem, ex vindemiis quas perceptura est mulier, præstabit viro dextantem. & recte eum §. Cyrillus ita interpretatur. *εἰ μὴ τὸν θερισμὸν πρὸ τῆς τρυγητῆς λυθῇ ὁ γάμος κἀγὼ τὰ τῆς θερισμῆς λογίζομαι, κὴ αὐτὴ τὰ τῆς τρυγητῆς. Si*, inquit, *post messes ante vindemias discidium fiat, & maritus messium reddit rationem & mulier vindemiarum.* Cur vero, vt obiectionsm initio institutam absoluamus tandem, etiam in specie §. *Pap.* in computationem non venit spes futuræ mercedis, pro rata totius temporis quo matrimonium stetit? cur venit tantum portio quarta mercedis? Respondeo: in computationem venit spes futuræ pensionis pro modo temporis omniū mensium quo matrimonium stetit, si post traditionem ante locationem nulli alij retro fructus fuerint. nam si fuerunt vt in specie §. *Pap.* fuerunt primo mense fructus vindemiæ, non est æquum spem omnem futuræ mercedis in contributionem venire, sed in tantum quod à die locationis in diem diuortij debebitur. Est & aliud quod Papiniano obiicitur. Extremi tantum anni fructus diuiduntur inter virum & vxorem, *l. 5. eo. tit. l. pe. de pac. dot.* & Pap. diuidit etiam penultimi anni fructus. sunt enim vindemiæ fructus anni penultimi, mercedes anni vltimi. & hac ratione moti quidam dicebant, maritum integros fructus vindemiæ lucrari & mercedis quartam partem. Fructus vindemiæ, quia analogia fructuum non seruatur nisi anno vltimo. Mercedis quartam partem, quia vltimus annus inchoatur à die locationis, & stetit eo anno matrimonium mensibus duntaxat tribus, id est, quarta parte anni. Verum hos dum refellit Pap. satis ostendit, non duos annos esse constituendos, sed vnum. Incipit enim annus à die traditi fundi, si traditus sit post nuptias, vel à die nuptiarum, si traditus sit ante nuptias *l. 5. & 6. eo.* Ergo & eadem die definit, nec interrumpitur, nec vnus qui est scinditur in duos. Si computas annum à collectis vindemiis, duo sunt anni, priori finem adferunt vindemię posteriori initium dat locatio. sed male computas. nam ex die traditionis vel nuptiarum computandus est annus, non ex die locationis: adeo vt si expleatur is annus in matrimonio, etiamsi bis in eo vindemiam collegerit maritus, om-

nem eum fructuum lucraturus sit. Et dum confundi Pap. ait fructus vindemiæ cum quarta parte mercedis, confundi etiam annos significat & cogi vnum, & vtrosque fructus hornotinos censeri. & vtitur optima ratione. Si annus vltimus computatur post vindemias à die locationis, id est à Kal. Nouemb. computabitur ergo & ab eo mense non facta locatione, & consequenter fructus vindemiæ integri ad maritum pertinebunt, etiamsi postera die quam collegerit vindemias, maritus ab vxore discesserit, atque ita pauciſſimis cum ea diebus fuerit. hoc autem esse absurdum non abnuerent illi. ergo & id quod adnuunt absurdum est. Tolerabilior tamen fuit horum sententia quam nouorum interpretum, qui & in constituendis duobus annis peccant, in qua re & illi peccarunt quos refellit Papinianus, & in analogia ponenda in vtroque anno, quæ tantum poni potest in vltimo, in qua illi non peccarunt. nec refellit vllam aliam opinionem Papinianus, puto quia ceteræ quasi minus aptę & probabiles etiam tunc nemini in mentem venerant.

Cap. XXIII.

Obseruatio quædam ad l. ij. De vsufr. leg.

ALiud est in *l. xiiij. in prin. De vsu. & hab.* ex operis serui mercedem capere, aliud operas serui locare. sed qui illud potest, & hoc sane potest: ac retrorsum qui illud non potest, & hoc quoque non potest. Ex operis serui mercedē capio, si se ipse locauerit, & mihi adquisierit obligationē locati conducti, non si ei imposuero mercedē. nā hoc est pro operis, nō ex operis, *l. xij. § vlt. l. xiij. eod.* Igitur Papiniā. in *l. ij. De vsufr. leg.* cum ita bellè ratiocinatus fuisset: Si is cui operæ serui legatę sunt ex operis serui mercedem percipere potest, quando scilicet se ipse locauit, ergo & locare eius operas potest, si ex contractu serui, ergo & ex suo contractu capere operarum mercedem potest, & tenetur heres ex testamento si eum prohibeat capere, superuacuo adiicit quod iam dixerat ante. Idem est & si seruus se locauerit. & puto quos libro superiore proximo docui esse frequentes in his libris, & eundem errorem locum illum Papiniani inuasisse, vt pro Id est, scriberetur, Idem est. & ita esse corrigenda ac distinguenda Papiniani verba. Et quoniam ex operis mercedem legatarius percipere potest, etiam operas eius ipse locare poterit, quas si prohibeat heres capi, tenebitur, id est, & si seruus se locauerit. Sententiam autem esse præclaram. Si legatarius seruum locauerit, sane nullum ius est heredi quamuis dominus sit serui, prohibendi quo minus legatarius ex suo contractu mercedem capiat. quia conductor legatario obligatus est non heredi. Sed si seruus se ipse locauerit, videretur esse ratio heredi, id est, domino, prohibendi, ne legatarius ex contractu serui mercedem acciperet. Sed hoc casu placet heredem teneri legatario, si quasi dominus serui prohibeat legatarium capere ex contractu serui: quod iure ipso potest, quandoquidem ei quæsita est obligatio locati conducti.

Cap. XXIV.

Chiasmi formæ duæ in libris iuris.

CVm obligationem differri dixit Paulus in *l. xxix. De leg. j.* modo, tempore, condicione, loco, quatuor terminos in decussem collocauit & quasi χιασμὸν fecit, quod & σχῆμα χιασὸν vocant Græci. nam modus respondet condicioni. est enim modus quasi condicio, *l. j. C. de his quæ sub mo.* & condicio appellatur sæpe, *l. Titio centum § j. l. libertis, de cond. & dem. l. ij. § vlt. l. iij. de donat. l. liberto § Lucius, de an. leg. l. Mœuia, de man. test. l. vij. § pen. de cond. inst.* Tempus autē respondet loco. nam loci adiectio quasi temporis adiectio est, *l. vj. § vlt. ad Treb.* Primus terminus respondet tertio, & secundus quarto. & ita M. Tullius secundum veterem scripturam *ij. in Catilin.* Vrbem & ciues integram incolumesque seruaui. Formatur & χιασμὸς aliter, puta si positis terminis quatuor, primus respondeat quarto & secundus tertio, vt *initio Institutionum, Non solum armis decoratam sed etiam legibus armatam.* & illo loco Virgilij, *Eboriſque aurique talenta & sellam*, & Horatij, *Mulæ nautæque caput lumboſque*, & Sophoclis, διδακτάτι, ἀρχητάτ' ἐφάνιά τε χὠνιοσιβῦ.

Cap. XXV.

Interpretatio l. ij. C. de his quæ sub mo. rel.

HOdie ex Constitutione Gordiani *l. 2. C. de his quæ sub mo. rel.* ex modo legati est petitio fideicom. vt si Titio legauero fundum ita vt de Gaio fideicommissi petitio est. Fuit ante ex Constitutione Seueri in libertate, videlicet legato relicto Titio ita vt seruum manumittat. nec alia ratione posita est sub titulo *de fideicommiss. lib. l. cum in testamento*, quam quod in eius legis specie Sticho etiam est petitio libertatis fideicommissarię. Hodie ex Constitutione Gordiani idem obtinet in causis pecuniariis. Ex condicione autem legati, certe non est fideicommissi petitio. Modus fideicommissum facit, Condicio non facit, & ratio differentiæ perspicua. Qui sic loquitur, Lego tibi fundum si Titio dederis x. non valde vult Titio dari x. sed id relinquit in arbitrio & potestate tua. Qui vero sic loquitur, Lego tibi fundum ita vt des Titio x. valde vult Titio dari x. Itaq; meritò constitutum, quę non est ex illis, ex his verbis esse Titio fideicommissi pecuniarij petitionem, videlicet si pura fuerint, vt proposui, statim. si condicionalia, post exitum condicionis: vt si dixerit hoc modo. Lego tibi fundum ita vt des Titio decem si nauis ex Asia venerit. & hic est sensus horum verborum in *d. l. ij. Videlicet in condicionibus post exitus earum.* quod autem ait paulo ante, nasci fideicommissi petitionem siue verba modalia condicionem siue modum respiciant, est illo loco ad alium sensum referenda condicionis vox, vt scilicet his verbis, Ita vt det Titio decem, siue modum facere voluerit siue condicionem (condicionem voluntas facit non sermo, *l. ij. De his quæ pœnæ no. l. in condicionibus, § j. de condicio. & demonstra.*) sit Titio fideicommissi petitio. Ergo regula hæc sit, Condicio legati non facit fideicommissum. Exceptiones eæ. Condicio legati verbis modalibus concepta facit fideicommissum. quia conceptio ipsa demonstrat satis euixè hoc testatorem voluisse vt impleretur condicio. & eadem ratione condicio iurisiurandi fideicommissum facit, *l. vij. § quotiens, de cond. inst.* Olim denegabatur tantum actio legatario nisi daret vel caueret dare, quod daturum se iurare iussus erat remisso iureiurando, sicut de modo est proditum, *l. xix. De leg. iij. d. l. cum in testamento*, & eam ob rem modus rectissime à fideicommisso separatur, *l. cum hi § sed & si sit certa, De transact.* Hodie dabitur vltro fideicommissi petitio ei cui se daturum legatarius iurare iussus est genere condicionis, quia valde voluit testator dari cui dando obstringere se iureiurando heredem voluit.

Cap. XXVI.

Emendatur §. plerumque l. 11. De leg. iij.

QVeri solet an quod vni legatum est si interfit plurium omnes sint legatarij, omnibusque legati petitio competat, vt si Primus, Secundus, Tertius stipulati sint de Titio centum, & iusserim heredem meum eam summam Primo soluere, an petitio legati competat non tantum Primo cui adscriptum est legatum, sed etiam conreis Primi, quibus adscriptum non est, quod omnium pariter interfit eam pecuniam solui. Id forsitan Iulianus diceret, quia omnium interest, sed vt ostenditur in *l. fideicommissa* §. *plerumque*, *De leg. iij.* verior est Marcelli sententia, vt ei tantum legati petitio competat cui adscriptum est legatum, quod plerumque ei tantum honorem testator habitum velit. Cui autem honor, & legatum, & cui legatum, & legati petitio competit soli. Cui emolumentum quæritur non honor, non continuo & legati petitio quæritur. Sed vt subiicitur in *d.* §. *plerumque*, interdum euenit vt pluribus competat legati petitio, tametsi vni ex eis legatum sit, si testator pluribus honorem habitum voluerit, licet non habuerit nominatim, si de pluribus senserit, & omnium interfit, atque ita non tantum ei cui adscriptum est legatum, sed etiam ei cuius gratia id factum est: vt in legatis etiam spectetur illud Cassij, *Cui bono.* & Platonis, πρὸς ἀγαθόν. Ei cuius nihil interest etiamsi ei sit adscriptum legatum non competit petitio legati, vt si creditori debitor quod debet ex stipulatu legauerit per fideicommissum, aut per damnationem. At vt verba sunt *d.* §. *plerumque*, sic euenire quasi dicit interdum, vt si pluribus senserit, & pluribus legauerit, & omnium interfit: vt omnibus petitio legati competat, quamuis vnum legatum sit, vt si decem fuerint rei stipulandi, & heredem rogauerit vt eis solueret, quod ita Iurisconsultum scripsisse adduci non possum vt credam. Primum enim perquam inconcinne adiungitur hæc exceptio. Regula hæc est, Si vni legatum sit, quamuis multorum interfit, id est, quamuis legatum multorum commodum vtilitatemque respiciat, plerumque ei soli competere legati actionem cui nominatim relictum est, non omnibus quorum interest. Exceptio hæc, Interdum tamen si pluribus legatum sit, quamuis vnum sit legatum, pluribus competere legati petitionem. Exceptio ad regulam inepta, incongrua, inconcinna. Plerumque facit regulam, Interdum exceptionem. Tum vero & vnum legatum pluribus relictum plures putant, hoc euenit semper non interdum. nec istius rei admonitione vlla opus fuit, quæ vulgo fit & est notissima omnibus. Et quod vnum sit legatum, ex eo nulla dubitatio accidere potuit. nihil enim vetat vnum legatum relinqui pluribus, quia non quot sunt personæ, sed quot sunt res, tot sunt legata. Si vna res pluribus relinquatur, vnum est legatum. Si plures vni, plura sunt legata, *l. ij. De leg. ij. l. quod dicitur, De verb. oblig.* Quam ob rem mendo laborare videtur *d.* §. *plerumque*, dum ait, vnum legatum pluribus relictum plures petere posse, & longe aliam auctoris mentem fuisse, euenire puta plerunque, id est frequentissime, vt multorum interfit id quod relinquitur vni, & ei tamen soli competat petitio cui relinquitur, quod ei soli testator honorem habitum voluerit, sed interdum tamen ècontrario euenire vt multorum interfit id quod relinquitur vni. & non ei soli petitio competat, sed etiam omnibus, si testator omnibus prospicere voluerit, & vni omnium contemplatione legauerit. rem totam esse positam in voluntate & prouidentia testatoris. qua de causa legendum opinor in *d.* §. *plerumque*, vni non vnum, & ei non eis, hoc modo, *Quamuis vni legatum sit*, & paulo post, *vt ei solueret*, id est, ei cui vni legatum dixit ante. Ponendã autem speciem esse in hunc modum: A Titio plures certam summam stipulati sunt. Ego iussi heredem meum vni ex stipulatoribus soluere eam summam hac mente vt prospiceret omnibus, forte Titio non existente soluendo, vel vt plures reos haberent, Titium scilicet & heredem meum. An omnibus competit petitio legati? sic videtur, etiamsi omnium nomina in testamento scripta non sint. quia in omnium honorem testator ita legauit. Seneca *v. de beneficiis*, vt tanquam Iurisconsultus respondeam, inquit, mens spectanda est dantis, beneficium ei dedit cui datum voluit. Si in patris honorem fecit, pater accepit beneficium. Quod ait *d.* §. *plerumque*, *Si decem fuerunt eiusdem rei stipulandi*, sic accipio eiusdem promissoris. Promissor autem fuit Titius, non testator. alioquin inutile esset fideicommissum.

Cap. XXVII.

Manumissos ire & habitare quo lubet.

LEgato quidem relicto libertis modus hic si iniiciatur, non remittitur, ita vt à monumento meo non recedant, vel, vt in hac ciuitate domicilium habeant, sed si legatum agnoscant heredi cauere debent futurum quod defunctus voluit, *l. Titio centum* §. *ij. De cond. & dem. l. libertis* §. *vlt. de alim. leg.* qui modus & seruis multo magis imponitur recte quibus alimenta legantur, vel etiam hodie aliud quidlibet ex Constitutione, Iustiniani, vt in *Luciani Nigrino* παραμυθήσῃ τοῖς τύφοις, non ingenuis hominibus. Potest & hic iniici modus, vt in templo illo morentur, non seruis tantum, *l. seruos*, *De alim. leg.* sed & libertis, *l. annua* §. *Attia*, *De an. leg.* vt *Agonidi libertæ Veneris Erycinæ, actionis in Verrem primæ libro primo, non ingenuis hominibus.* Alioquin liberti vbi voluerint liberam morandi facultatem habent, *l. pen. C. de oper. lib.* & hoc quoque in manumissionibus nominatim adscribi moris erat, vt in satis antiquo manumissionis exemplo ita fere scriptum legi: *Ille ciuis Romanus esto, ita vt ab hodierna die ingenuus atque ab omni seruitutis vinculo securus permaneat tanquam si ab ingenuis fuisset parentibus procreatus. Eam denique pergat partem quamcunque elegerit, vt deinceps nec nobis nec successoribus nostris vllum debeat noxiæ condicionis seruitium, sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa plenissimaque ingenuitate, sicut alij Cives Romani per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulum semper ingenuus & securus existat.* Hæc verba demonstrant seruum manumissione ingenuum fieri non libertinum. quod iure nouissimo obtinuit. ergo nec ita manumisso posset imponi modus quem ante diximus, libertis imponi rectè, nec legato ei relicto sub hoc modo: Ita vt à templo, ædicula, monumento illo non recedat, cautioni de implendo modo locus esset. & pergit hic plane quamcunque partem vult. Sed & cum manumisso libertum faciebat non ingenuum, inuenio idem adscribi solere. Plautus *Menæch. Mea quidem hercle causa liber esto atque abito quo voles.* vt in aliis liberationibus *Philippica Ciceronis xiij. Nihil moror saluos esse atque ire quo lubet.* Sophocles in *Antigone.* οὐ μὴν κομίζοι γ' ἂν σεαυτὸν ἡ θέλῃς ἐξωβαρείας αἰτίας ἀλάθιεγον. qua de causa & manumissus sic loquitur *Arriani Epicteto iij.* πορεύομαι ὅπου θέλω, ἔρχομαι ὅθεν θέλω καὶ ὅπου θέλω. & Sudæ, ἀλάθιεγος non male definitur quasi, ἀλάθων ὅπου ἐγῇ.

Locus

Cap. XXVIII.

Locus declaratur ex lege pacta conuenta, De contr. empt.

PActa quæ post emptionem ex interuallo fiunt vel adiiciunt aliquid emptioni vel detrahunt. Quæ adiiciunt, non insunt ex parte actoris, id est, contractu non continentur, non formant actionem: non insunt etiam ex parte rei, quia tametsi ad exceptionem proficiant, tamen exceptionem opponi necesse est. nec enim ipso iure tutus est reus. & inesse eę tantum dicuntur ex parte rei quorum exceptionem opponi necesse non est, id est, quę reo etiam tacenti nec ea alleganti proficiunt, *l. 3. De rescind. vendit.* Quæ detrahunt, insunt vtraque ex parte. nam & actionem parant actori, & reum ipso iure tutum reddunt etiam non opposita exceptione pacti, *d. l. ij.* & hoc est quod dicitur, pacti exceptionem inesse bonæ fidei iudicio, nempe haberi à iudice rationem pacti etiamsi eius pacti exceptionem reus omiserit. Ne dicas detrahere emptioni pacta negatiua, adiicere adfirmatiua. nam adiiciunt etiam negatiua. & generaliter contractui adiiciunt ea pacta quæ extraria quædam adiiciunt salua substantia contractus, vel vt euictionis nomine satisdetur vel ne satisdetur aut repromittatur. Iure ipso venditor de euictione repromittit non satisdat. Pactum iuri præstat. nam vt satisdetur efficit maxime si incontinenti fiat, vel vt ne repromittatur quidem. & hæc quæ adiiciunt emptioni, non sunt ex natura aut substantia emptionis, non ex ipso contractu, sed ex adminiculis, veluti de euictionis causa quæ nihil pertinet ad substantiam emptionis. nam sine euictione emptio consistit, sine ea tamen rem habere non licet, vt vsusfructus sine aditu consistit, non tamen sine aditu vti frui licet, *l. j. §. j. Si vsusfructus petatur.* Hæc vero pacta quæ ex interuallo adiiciunt emptioni, valent tantum ad exceptionem non ad actionem. nec enim ex hac pactione, vt cum fideiussore cautio duplæ prętetur, aget emptor vt fideiussor detur. sed ex illa pactione ne cautio duplę præstetur, si agat emptor de euictione vel de euictionis cautione præstanda, tueri se poterit venditor exceptione pacti. & hoc est quod ait Papinianus in *leg. pacta conuenta, De contrah. emptionib. Sed quo casu agente emptore non valet pactum, idem vires habebit iure exceptionis agente venditore.* quo loco in verbo, agente, est πλοκὴ. nam agente emptore, id est litem faciente. & prouocante: agente venditore, id est, defendente venditore causam suam aduersus emptorem qui agit de euictione, vel de euictionis cautione præstanda. & est similis πλοκὴ in *l. 1. De edendo*, & agente, inquit, venditore vires habebit iure exceptionis. non ergo ipso iure, quia nec ex parte rei talia pacta insunt. igitur omissa exceptio pro omissa habebitur, nec suplebitur officio iudicis. & rursum verba illa: Iure exceptionis, satis demonstrant consequentia, Agente venditore, esse accipienda de venditore, reo. qui locus nondum fuerat explicatus bene. Sed his addamus etiam de pactis aliquid quę ex interuallo detrahunt emptioni. hæc sunt ex eodē contractu, ex natura & substantia emptionis, quæ his potissimum constat, re, pretio, consensu. Et detrahunt emptioni non tantum quæ pretium minuunt, vt si post emptionem paciscantur de minore pretio, sed etiam quæ augent pretium. quia vtroque genere discedit à priori emptione & noua constituitur. mutato enim pretio ex quo consistit substantia, natura, status emptionis, & emptio mutatur. mutatis adminiculis emptio non mutatur, sed adiicitur aliquid emptioni, siue conuenerit de præstanda siue de non præstandâ cautione euictionis. Detrahere est recedere ab emptione. Adiicere, integra substantia emptionis, paciscì de adminiculis & accessionibus, & vt Iustinianus loquitur pedisequis emptionis. At quæsitum esse Papinianus ait, an id etiam quod supra diximus de pactis quæ adiciunt emptioni, vt non proficiant ad actionem, locum etiam habeat in pactis quæ detrahunt, & non immerito quæsitum esse ait, propterea quod videntur nouam emptionem constituere. & si nouam emptionem constituunt, valent igitur ad agendum. Et Paulus *in notis ad Papinianum*, definit, si integris omnibus, id est nondum impletis quæ vtrinque prętari debent vel in integrum restitutis, vt *l. ab emptione, De pact. l. 6. §. vlt. De contr. empt.* rursum conuenerit de augendo vel minuendo pretio, recessum à priori emptione, & nouam emptionem interceßisse videri, repeti emptionem, *l. 2. De resc. vend. l. iurisgentium §. adeo, De pact.* & ex nouo pacto constitui emptionem nouam, *l. si vnus §. idem dicimus, eod. l. 3. C. eod.* nec ita rem censeri solo pacti nomine, sed & contractus nomen adsumere, vel contractum potius esse cui insit pactum. nihil enim refert præcedat an sequatur pactum, & *l. vlt. C. de rer. per.* pactum quod datione sumpsit effectum, ea datione muniri dicitur, quia proficit ad contractum constituendum, non quod pactum aliud sit nudum, aliud vestitum, sed aliud est quod pacti solo nomine censetur, aliud quod transit etiam in contractus nomen.

Cap. XXIX.

Sensus §. si quis ex vncia l. apud, De doli. except.

CErtum est heredi omittenti hereditatem integram esse totius prælegati petitionem, *l. filio pater, l. quæsitum §. duobus, l. qui filiabus §. vlt. & l. seq. De leg. 1. l. cum responso, C. eod.* nec petenti obstare exceptionem doli mali, quasi petenti contra voluntatem, nisi euidenter appareat noluisse defunctum ad legatum peruenire heredem qui hereditatem omitteret. est igitur in arbitrio heredis ex parte scripti cui & testator prelegauit aliquid vel legatum vel hereditatem capere vel vtrunque. & ita si vicarius heres omittat hereditatem prouidentia quadam, vt ait *l. xc. De leg. 1.* non affectione sola destituendi testamenti, ne scilicet negotiis hereditariis implicetur, legatum autem agnoscat & petat totum, non repellitur exceptioone doli mali, vt etiam proditum est in *l. apud §. si quis ex vncia. De do. ext.* vbi Accursius male ponit legatum ita fuisse relictum, vt ne vtrumque caperet, hereditatem & legatum, sed alterum tantum, quod lex non ponit, & idem est omnino si vtrumque capi testator voluerit, quod & plerumque vult qui heredi legat. Et idem etiam non intelligit rationem eius quod sequitur in *eo* §. eum tamen heredem qui à substituto pretium accepit, vel quod pretij loco haberi possit (nihil refert *d. l. apud §. auctoris, l. 1. §. vlt. & l. 2. De calum.*) vt hereditatem omitteret, petentem legatum, dolo facere & repelli exceptione doli. nec enim illum vt existimat repelli omnino vult si legatum petat, puta si id tantum pro parte coheredum petat, sed si totum petat, id est, etiam pro sua parte. quia non omisit hereditatem re ipsa, qui pretium accepit, sed simulauit se omittere, quæ simulatio dolus est. ergo perinde res est atque si hereditatem adiisset, ac

consequenter non nisi pro parte coheredum vtile legatum & efficax legati petitio est. Et qui reuera hereditatem prorsus omisit, nihil etiam sperans ab intestato, coheredibus testamentum sustinentibus, certum est totius legati petitionem esse perinde atque si heres scriptus non fuisset.

Cap. XXX.

Interpretatio horum verborum, Cum sciret cautum non esse, in l. Plautius, De procurat.

PRocuratore & defensore condemnato, actio iudicati in eum datur si in rem suam procurator datus sit, vel si se liti obtulerit, *l.* 4. *de re indic.* Liti autem se offert dupliciter, vel vltro suscipiens defendendam causam absentis, cum satisdatione Iudicatum solui, quo casu nec actio ex stipulatu, nec actio iudicati in dominum datur, *l. si procurator, in fin. de procurat.* vel vltro suscipiens defensionem præsentis, qui proprie cognitor dicitur. quo casu non ipse cogitur satisdare iudic. solui, sed dominus litis, *l. si ad defendendum, Judic. solui.* ac proinde non tenetur quidem ipse actione ex stipulatu: sed placet tamen teneri eum actione iudicati si se liti obtulit sine satisdatione, sciens nec satisdedisse præsentem dominum. alioquin actor versaretur in damno, cui nec ex stipulatu in dominũ actio est, nec alio se offerẽte, iudicati. & hoc esse arbitror quod ait *l. Plautius, De procur.* eũ procuratorẽ conueniri debere iudicati actione, qui obtulisset se cum sciret cautum non esse, id est cum sciret præsentem dominum non satisdedisse iudicatum solui. nam si existimauerit eum satisdedisse, atque ita obtulerit se, qui si sciisset eum non satisdedisse non obtulisset se, æquius est hoc casu dominum teneri iudicati, non defensorem. Prior igitur pars *d. l. Plautius,* de eo est qui se liti offert coram eo cuius lis est. Posterior de eo qui se liti offert pro absente.

Cap. XXXI.

Interpretatio l. 46. Fam. erciscun.

PAter à nuru dotem accepit & mortuus est constante matrimonio inter filium & nurum, filio sub condicione instituto, adiectis aliis coheredibus. Quãuis pendeat condicio institutionis filij, interim filius dotem præcipere potest, vt est proditũ in *l. si maritus, fam. erciſc.* qui onera matrimonij sustinet, vtili scilicet actione familiæ erciſc. alioquin nihil ea lex ad suũ titulum pertineret. Titulus est vniuscuiusque legis clauis. Imo etsi deficiat condicio, eadem actio vtilis indulgetur filio, *l. 1. §. Celsus, de do. præl.* nam quę pendens condicio non impedit præceptionem dotis, nec deficiens igitur, arg. *l. cum tale. §. si arbitratu, De cond. & demon.* sed coheredibus filius cauere debet indemnes eos fore aduersus mulierem postea diuortio facto agentem de dote repetenda, vt ipse solus subeat onus reddendæ dotis. At pendente adhuc condicione institutionis si diuortium factum sit, pendet repetitio dotis quæ mulieri competit, vt proponitur initio *d. l. si maritus*, quia nondum certum est dotem integram mulier à coheredibus filij repetere debeat, an pro portionibus hereditariis. si defecisset condicio, integram repeteret à coheredibus. si extitisset, pro portionibus hereditariis ab omnibus heredibus: interim non potest repetere à marito vlla ex parte, sed neque à coheredibus mariti nisi pro hereditariis portionibus, *l. si marito § cum pater. Sol. matr.* post vero si extiterit condicio, residuum petet à marito, si defecerit, à coheredibus. Summa igitur *d. l. si maritus*, hæc est: Pendente condicione institutionis filii, pendere repetitionẽ in dotis quæmulieri competit, non pendere præceptionem dotis quę filio competit. nec distinguo, vt Accursius, diuortium factum fuerit ante mortem, an post mortem soceri. nam etsi post mortem soceri factum sit, quamdiu pendet condicio institutionis, & vxoris de dote actio pendet. Male etiam ex ea lege colliges, post diuortium filio dotis præceptionem esse. quod est falsissimum, quia nulla iam onera matrimonij sustinet, nisi dos filio fuerit prælegata, qui patri non extiterit heres, quæ scilicet mulieri post diuortium sit reddenda annua bima trima die: nam hoc casu dotem præcipit filius etiam post diuortium, vt per ea interualla temporum interim commodo legati fruatur potius quam heres scriptus, *l. pater dotem §. penult. De dot. præleg.* Sed in supradicta *l. si maritus*, dos filio non fuit prælegata. & interpunctiones in ea ita corrigendæ sunt. Plane si post mortem soceri diuortium factum sit: quamuis pendente condicione institutionis dicendum est præceptioni dotis locum esse. quod Græca versio comprobat, in qua ita est. εἰ μήτοι ῥεπούδιον πέμψει μὴ πελάτην τὸ πενθερῷ αὐτῆς ἡγωνὴ, καὶ ἠτιμώσηται ἐπ τῆς αἱρέσεως ὑφ' ἣν ἐχεάφη κληρονόμος ὁ αὐτὴς αὐτῆς, δίδοται τῷ υἱῷ καπεξαίρετον ἡ ποσῖξ τῆς γαμετῆς αὐτῦ, οὐχ' ὡς κληρονόμῳ, ἀλλ' ὡς αὐδρί.

Cap. XXXII.

Cur in donationibus inter viuos & in stipulationibus & in libertatibus cautioni Mucianæ locus non sit.

IVstinianus qui scribit in *Nou.* 22. in donationibus causa mortis sicut in legatis cautioni Mucianę locum esse, satis demonstrat in donationibus inter viuos cautioni Mucianæ locum non esse. & vero ita est, quia donationes inter viuos strictius accipiuntur. non valent sine insinuatione. non valebant omnium bonorum nisi in donando singula bonorum suorum recensuisset donator. Vnde si donaui tibi sub condicione. Si Capitolium non ascenderis, perinde est atque si donassem cum morieris: nec vllo remedio donatum capere potes antequam moriaris. Est etiam verum, in stipulationibus cautioni Mucianæ locum non esse: quia & ipsæ strictius accipiuntur, *l. stipulatus es, De fidein. l. quidquid, De ver. obl.* Si stipuler sub condicione, Si Capitolium non ascendero, & promittas, etiamsi de non ascendendo cautionem offeram, non agam ex stipulatu, & perinde erit atq; si, Cum moriar stipulatus essem mihi dari, *§. si quis ita, Inst. de ver. obl.* & similiter si stipuler sub hac condicione, Si Capitolium non ascenderis & promittas, perinde erit atque si Cum morieris stipulatus essem, *l. ita stipul. De verb. obli.* Item si legauero vel heredem instituero sub condicione, Si Capitolium non ascendero, perinde est ac si Cũ moriar legassem & expectabitur mors mea, *l. Stichus, De man. test.* quæ & si purè legassem expectaretur. Sed si ita legauero, Si Capitolium non ascenderis interposita cautione Mucianа, non expectabitur mors tua. nec perinde erit ac si legassem, Cum morieris tibi dari, *l. si heres §. quamuis, De cond. & dẽ.* Et ratio differentię inter legata & stipulationes plenior hæc est. Legatum ex sola defuncti voluntate valet, qui cum nominatim legatum non contulerit in vltimum momentum vitæ legatarij his verbis: Cum morietur Titius, Titio do lego, sed ita scripserit, si Capitolium non ascenderit Titius, modum potius quam condicionem fecisse videtur, nisi aliã fuisse mentẽ eius probauerit heres. ergo oblata cautione præstabitur legatũ quasi relictum sub modo. Stipulatio valet ex consensu vtriusq; *l. inter §. si Stich. De verb. oblig.* nec igitur in ea spectam° tantum

quid sensérit vnus, sed & quid sensérit alter, quinimo in obscuro vel ambiguo interpretationem secundum promissorem facimus, & stipulatori imputamus cur apertius non conceperit stipulationem, & obiicimus illud Adriani, αὐτὸς σαυτῷ ὑστερῆσαι, & quod fertur aliorum, *Disce cautius negotiari, l. quidquid, De ver. obli.* vt hanc condicionem, Si Capitolium non ascendero centum dari, quæ est ambigua (nam vel pro condicione vel pro modo accipi potest) pro condicione accipimus, quoniam commodius est promissori soluere tarditer quam ociter, *l.* 109. *eod. tit.* idemque est si stipuler de te, Si Capitolium non ascenderis mihi dari. & hæc de stipulationibus hactenus. Addamus etiam in libertatibus cautioni Mucianę locum non esse: *Liber esto, Si Capitolium non ascenderis.* Etiamsi caues de non ascendendo, non peruenies ad libertatem. ac primum quidem non est locus Mucianæ cautioni si dominus voluit libertatem conferre in vltimum vitæ diem, quia non fuit ei animus dandæ libertatis, ac proinde inutilis est libertatis datio, *l. vlt. de man. test. l* 4. §. j. *de statulib.* Si noluit libertatem in vltimum vitæ diem conferre, videtur seruus ad libertatem peruenire posse præstita veluti Muciana cautione, deficiente condicione pretium sui reddi quanti fuit antequam liber fieret, vt *l. Pap.* §. *vlt. & seq. De inoff. test.* nam & cautio Muciana ita interponitur, *Quanti ea res erit, l. cum sub hac, De cond. & dem.* Sed verius est nec hoc casu locum esse Mucianæ cautioni. nam de re ipsa quæ prętita est restituenda interponitur, vel de eius rei pretio, *d. l. cum sub hac.* Libertas autem quæ semel competiit vel præstita est, restitui, repeti, reuocari non potest, ac ne pretium libertatis quidem, inęstimabilis res est. Ergo nè impediatur libertas quam testator impediri vel impedire noluit, melius est ea verba, Si Capitolium non ascenderis, sic interpretari, Si cum primum potueris ascendere non ascenderis, *l. libertas* § *j de man. test.* denique seruus sub ea condicione liber esse iussus, fiet liber non remedio cautionis cui locus esse non potest, sed remedio interpretationis & coniecturę voluntatis defuncti.

A λέοντος Πριμίτιβον ἐλευθερῶσαι θέλοντα κωλυσθέντα ὑπὸ Ρεσούτης μητρὸς ὀρφανῆς (εἰς ἀδικίαν γὰρ τῆς ὀρφανῆς τοῦτο γίνεσθαι. εἰ γὰρ αὐτὸν πραγματευτὴν, αὐτῆς καὶ διατάττειν πράγματα δοικεῖν) Ἀδριανὸς ἀνεζήτησεν πόσας πλινθίας ἡ ὀρφανὴ εἶχε λέοντος τοῦ ζωγράφου δέκα. εἰ ἐτῶν, Ἀδριανὸς εἶπεν πῶς ἴσον τοῦ κριτὰς μὴ ὀφείλειν τοῦτον ἐκεῖ ταύτην προστασίαν ἐλευθερῶσαι. Primitiuus nomen fuit serui, vt *l. j.* §. *si quis vltro, De quæstion.* actor rerum pupillarium. Cum vellet tutor eum manumittere, prohibitus est à matre pupillæ, & merito quidem, ne fieret fraus pupillæ, cui manumissus actum quem gessit reddere non cogeretur, *l. eum actum, De neg. gest.* Etiam hoc addam rectissime apud Vlpianum in *fragm. tit. de iure don. inter vir. & vx.* honoratum equo publico dici eum qui equestrem adeptus est dignitatem, vt constat ex *l. nuper, D eod.* nam equo publico vtebatur qui equestris ordinis erat equoque publico transuehebatur, *l.* 2. *De in ius voc.* & ita transuectionem equitum Dionysius Halicarnassęus vocat, πομπὴν ἧς ἔχοντων δημόσιον ἵππον, & recte in iisdem Sententiis Hadriani qui censum equestris dignitatis habet, petit ab imperatore equum publicum, sed reiicitur, quod facultates non sufficiant apiscendæ equestri dignitati nisi concurrant boni mores. & verba sunt hæc: λέοντός τινος εἰ αὐτῷ χορηγίαν ἱππικῆς ἀξίας, ἀλλ' ὅτι ἵππον δημόσιον ἠτεῖτο, & cætera, post quæ subiicitur sententia Hadriani. Οἷς ἵππον αὐτεῖ δημόσιον, διαρθωμένοις εἰ ὀφείλῃ.

B

C

Cap. XXXIII.

An tutor seruum pupilli manumittere possit.

L *Ex penultima, C. qui manumit. non pos.* effecit hactenus vt interpretes nostri existimarent, tutorem seruum pupilli manumittere non posse. nam si debitam libertatem à pupillo ex causa fideicommissi tutor præstare non potest, nec indebitam videtur præstare posse. quod equidem esse verum arbitror si manumissioni pupillus non consentiat. nam si seruum patris consentiente patre filius manumittere potest, *l. si consentiente, l. nepos, De manumis. l. si pater D. de man. vind.* cur non & seruum pupilli tutor pupillo consentiente? est enim tutor domini locò, tutor & pupillus vnum, pater & filius vnum, & ambo quasi vnus. nec alia ratione etiam curator furiosi seruum eius manumittere non potest quam quod nullus sit furiosi consensus, & citra consensum eius manumissio nihil pertinet ad negotiorum administrationem, *l. seruus furiosi, De manumiss. l. vlt. De cur. fur.* ac præterea si procurator Cæsaris seruum manumittere non vetatur præterquam eum qui actor fuit eorum bonorum quæ ad fiscum deuoluta sunt, *l. bonorum, De iure fisci.* & tutor quoque cum seruum pupilli actorem manumittere prohibetur, alium quemlibet pupilli seruum ad libertatem perducere ei videtur esse permissum. & id de actore seruo pupilli adsignificatur his verbis quæ inter ἀποφάσεις referuntur Hadriani Impp. Οὐρβικῷ

D

E

Cap. XXXIV.

Interdictarum pœnarum genera quædam.

ILlegitima pœna est inedia necari, vt Marcianum retulisse *l. x. D. de interd. & releg.* ex Basilicis didicimus. qua de causa & quos ablegabant tyranni in specus aut loca sola, his solebant cibi aliquid apponere, vt apud Sophoclem Creon iubet defossæ Antigonæ φορβῆς τοσοῦτον ὡς ἄγος μόνον περιπτύναι. Illegitimam quoque hanc pœnam esse intelligemus ex *l.* 8. §. *solent, De pœnis,* si quis carcere perpetuo pœnæ causa contineatur, quod hic sit carceris improprius vsus, qui non pœnæ sed diligentioris custodiæ causa haberi debet, vt ait, *l.* 6. §. *eius, De iniusto rup. test.* Diligens custodia etiam vincire permittit, *l.* 2. *de ser. fug.* eoque sensu diligentem custodiam dixere auctores alij, Columella in *fine primi libri,* Ministerium diligentis custodię. Dionysius *Italic. xj.* κατέχειν τ' ἀνδρα ἐν ἐπιμελεῖ φυλακῇ. Hieronymus *Augustino, Sub militum custodia diligenti:* & 1. *ad Iouinianum. Quid prodest diligens custodia?* & alibi, *Si virgo es, quid times diligentem custodiam?* & opinor etiam Tertulianus *in Apol. Sepulchro conditum magna etiam militari manu custodia diligenti circumsederunt.* Dionys. Hal. xi. κατέχειν τ' ἀνδρα ἐν ἐπιμελεῖ φυλακῇ At vero nemo vinculis perpetuis damnari potest, vt & Hadrianum rescripsisse proditum est *l. mandatis, D. de pœnis,* qui idem & aliud pœnæ genus denotauit, ne quis pœnæ causa quæstioni subiiceretur, *l. pen. De quæstion.* de qua memini me scribere in epistola ad Iacobum Cambrayum virum ornatissimum & eruditissimum, multisque pro Rege præclare gestis legationibus nobilissimum. Id quoque genus pœnæ tyrannicum & inciuile esse Tertullianus contestatur in *Apologetico* his verbis: *Ciuilis non tyrannica dominatio vestra est. Apud tyrannos tormenta etiam pro pœna adhibentur: apud vos soli quæstioni temperatur.* Inde quod sequitur vix intelliges, nisi scias errorem, & sic esse legendum, *Vestram illis seruate legem vsque ad confessionem necessariam. Etiam si confessione præueniantur, vacabunt?* quibus verbis significat hac tantum lege nos torqueri

tis vti ciuiliter, vt confessionem extorqueamus, in confitentem cessare tormenta, de confesso non haberi quæstionem. nec enim posse haberi de confesso nisi pro pœna. & hanc pœnam inciuilem esse, id est, vt interpretor in *l. moris* §. *sunt autem, De pœnis*, tyrannicam, vt ille ciuilem dominationem opponit tyranni cæ.

CAP. XXXV.

Relatæ eodem libro ab Vlpiano Iuliani & Marcelli sententiæ contrariæ.

SI filiusfamilias contra S. C. mutuatus, ab alio pecuniam, si forte sibi donatam simpliciter modo aut condicione nulla adiecta, creditori soluerit, Vlpianus *lib. xxix. Digestorum* refert Iulianum existimare condictionem patri ex omni euentu competere, *l. sed & si paterf.* §. 1. *ad Maced. Ex omni euentu*, id est ad extremum omnimodo patri condictionem competere. nam etsi deficiat vindicatio, puta consumpta pecunia bona fide, non deficiet condictio de bene depensis ex causa indebiti soluti. denique quidquid euenerit, condictio supererit patri. Idem Vlpianus eodem libro retuit Marcellum existimare consumpta pecunia à creditore bona fide, forte dum putat eam sibi solutam voluntate patris vel post emancipationē patri non competere condictionem, *l. si filiusf. De reb. cred. si cer. pet.* & vti Marcellum ista ratione quę verissima est. Totiens datur condictio ex consumptione si dominium pecuniæ in accipientem non transierit, quæ & condictio dicitur de bene depensis, quotiens foret ex numeratione si pecuniæ dominium ad accipientem transisset. at hoc casu condictio non foret ex numeratione, etiamsi dominium ad accipientem transisset, quia naturalis obligatio inhibet condictionem, *l. qui excep. De cond. ind. d. l. sed & si paterf. in fi. & l. seq.* ergo non erit etiam ex consumptione si dominium ad accipientem non transierit. Propositio hæc est, Totiens condictio ex consumptione datur quotiens ex ea causa numerati sunt nummi, ex qua actio, id est condictio ex numeratione esse potuisset si dominium ad accipientem transisset. est enim condictio ex consumptione actio fictitia, quatenus fingit dominium transisse. ex eis igitur causis danda est, ex quibus datur & competit vera: vt Publiciana, quæ etiam fictitia est actio. Assumptio hæc est, In proposito autem non esset, id est, condictio ex numeratione non esset in hoc casu. Conclusio hæc, Deinde, id est proinde per errorem soluti contra S. C. crediti, magis est cessare repetitionem, id est condictionem ex consumptione quæ poterat videri quæsita patri per filium. & ait per errorem, id est etiamsi per errorem facti: nam si scienter vel si per errorem iuris, nulla dubitatio est. & hæc est sententia & ratio Marcelli relata in *d. l. si filiusf.* quem ex his apparet à Iuliano dissensisse, vt solet fere semper, ne vel parua quidem rima præterita si quam offendat in Iuliano, in qua non figat aculeum, adeo vt alij auctores cum quid verissimum esse significare volunt, & Iulianum id dicant scribere & verissimum esse, cum & Marcellus consentiat, *l. si seruus* §. *sed an is qui seruum, Ad l. Aquil. l. 2. in fi. De nox. act.*

CAP. XXXVI.

Duo loci de legato rei alienæ explicandi secundum ius vetus.

EX fragmentis Vlpiani & Gaij certum est iure veteri rem alienam per damnationem potuisse legari non per vindicationem. & hoc postremum, per vindicationem rem alienam non posse legari, iam olim probaui verum esse ex *l. Stichus seruus, De manum. libro quarto Pauli Sententiarum*, & probare etiam possim modo ex *l.* 88. *De ver. sig.* quæ legatum fundi alieni significat non valere, quamquam is fundus pecunia hereditaria comparari possit. non valere igitur si relictum sit per vindicationem. nam per damnationem valet. & hoc vero de fundo legato generaliter parum aptè scriberetur, eodem quoque modo id legatum non valere etiamsi hereditaria pecunia fundus comparari possit. nam si in hereditate fundi fuerint, non ideo possit quis existimare legatum valere quod pecunia hereditaria comparari possit, cum & sine pecunia facile fundus comparari possit. est enim fundus vel terræ minimum quidquam, & vt Varro dicebat quod funda mitti potest. & hac præcipue ratione si fundus simpliciter legetur, & nullus sit in hereditate fundus, inutile est legatum. nam omnis stipulatio omneque legatum quod ad vilissimam rem reduci potest, nullius est momenti. quod Græci ad *l. j. C. de do. pro.* significant his verbis, ὡς δωρεμβάνης τῆς γυναικὸς δ' πλέσατόν τι φθαρῆναι. Vt autem *d. l.* 88. accipimus de legato vindicationis, ita necessario cogimur secundum ius vetus, *l. alienus, Ad leg. Falc.* accipere de legato damnationis, quæ de legato fundi alieni tractat quasi vtili, quo se heredem confitentem liberare posse ait præstando veram æstimationum. & recte confitentem vel confitendo. nam legatum per damnationem quo solo genere res aliena legari potuit, inficiatione crescit in duplum §. *vlt. Inst. de obl. quæ quasi ex contr.*

CAP. XXXVII.

In condicione non petendæ cautionis legati aut fideicommissi seruandi causa, nullo casu stipulationis Mucianæ vtilitatem consistere posse.

TEstator ita cauit, Heres mi fidei tuę committo, vt post mortem tuam hereditatem Gaio restituas, si fideicommissi cautionem non petierit. quibus verbis remisisse testator videtur cautionem fideicommissi, & rata est voluntas testatoris hodie ex Constitutione D. Marci & Commodi relata in semestribus eiusdem Marci, quę ante eam Constitutionem non fuit rata contra edictum prætoris quo iubetur ea cautio interponi. In ea autem condicione, si fideicommissi cautionem ab herede non petierit, neq; olim neque hodie stipulationi Mucianæ locus esse potest. Non hodie, quia remissa cautio fideicommissi videtur, eaque condicio argumentum tantum remissæ cautionis facit, condicionem non facit, *l. licet, Vt leg. nou. cau. l. auia* §. *vlt. De cond. & dem.* Olim ante constitutionem D. Marci ea condicio, condicionis potestatem habuit. excludebat enim fideicommisso eum qui cautionem ab herede petiisset. nec tamen etiam tunc in ea vtilitas Mucianæ stipulationis consistere potuit, *l. cum tale* §. *Titius, eod. tit.* quia in eis tantum condicionibus consistit quę viuo fideicommissario expleri non possunt. illa potest impleri viuo fideicommissario, puta præmoriente herede nulla tum ab eo petita cautione fideicommissi. Idemque erit si non post mortem heredis, sed in alium diem certum vel incertum fideicom. relictum sit, quia intra eum diem viuo fideicommissario mori heres potest à quo non fuerit petita cautio. idemque erit in fideicommisso puro ab alia condicione vel die. nam & de puro fideicommisso posset peti ea cautio herede litigante, quia nonnullas moras exercitio litis habet, *l. hac stipulatio*

& l. ſeq. vt leg. no. cau. l. vxorem §. vlt. De leg. ij. & inter eas moras nondum petita cautione mori heres poſſet viuo fideicommiſſario, atque ita morte heredis impleretur condicio ſuperſtite fideicommiſſario. Sed hoc intereſt, quod relictum fideicommiſſum poſt mortem heredis, præmoriente fideicommiſſario non transfertur in heredem eius: relictum in diem certum aut ſine die incerto vel alia condicione, transfertur, *l. heres §. j. l. ſi ita legatum, De cond. & demonſt.* At vero nullus caſus inueniri poteſt quo in condicione non petendæ vulgaris cautionis legati aut fideicommiſſi ſeruandi, ſtipulationi Mucianæ locus eſſe poſſit. nam & poſt præſtitum fideicommiſſum fruſtra caueret fideicommiſſarius ſe non petiturum cautionem, quam vtique iam conſtat fruſtra peti. fruſtra enim peto mihi caueri de ſeruando & præſtando eo quod præſtitum mihi iam eſt, quodque iam ipſe mihi ſeruare debeo, non alius.

CAP. XXXVIII.

De inuentario bonorum mariti conficiendo à muliere poſt mortem mariti, perquam vtile eſſe ius vetus in vſum renocari.

QVę non hodiè mulieres poſt mortem mariti arculas diripiunt & conuaſant mobilia quæcunque moriens maritus reliquit etiam in fraudem proprio-
C rum filiorum. Huic impietati & rapacitati vtile eſſet occurrere reſtituto iure veteri exemplo Leonis philoſophi in *No. cx.* quo quidem receptum erat vt mulier quæ poſt mortem viri inſidens bonis defuncti non confeciſſet publice inuentarium omnium rerum quę in bonis aut ex bonis defuncti fuiſſent, ſummoueretur petitione dotalium rerum non extantium, quod ipſa ſcilicet eas ſuppreſſiſſe præſumeretur potiùs quam maritus ipſe conſumpſiſſe, atque etiam petitione lucrorum nuptialium veluti donationis propter nuptias aut hypoboli, qua præſumptione placebat etiam filio aut filiis eam teneri cæterarum rerum nomine quas filij iuraſſent in bonis patris fuiſſe mortis tẽpore, nec in hypothecis creditoribus defuncti eſſe potiorem. inuentarium vult Leo fieri intra menſes tres quod interpretes ſic accipiunt vt fiat in vrbe intra menſes D tres, in prouinciis (hoc eſt apud Harmenopulum ἐπὶ θέματος) intro annum exemplo inuentarij quod fit ab herede, *l. vlt. de iu. delib. No.* 1. & quod fit à tutore, vt idem Harmenopulus refert *v. Epit.* Mallem à morte viri ſtatim mulierem conficere inuentarium rerum quæ in præſentia ſunt, cæterarum intra tempus quo ea loca in quibus ſunt perueniri poteſt. alioquin ſpatij ei dederis ſatis ad dilapidanda defuncti bona. Sed Leo magis fortaſſe ea tempora abſoluendo quam inchoando inuentario præſtituit, inchoari ſcilicet inuentarium voluit ſtatim, perfici ſaltem intra ea tempora. quod verius eſt. & idem obtinet in inuentario ab herede vel tutore aut curatore conficiendo. At placet valde quod iidem interpretes Nouellæ Leonis vo-
E lunt, vt ignoſcatur mulieri dotem ſuam perſequenti, ſi lapſa ignorantia iuris inuentarium non fecerit, non etiam perſequenti lucra nuptialia, ſecundum id quod dicitur, mulieri ius ignoranti in damno rei ſuę ſubueniri, non in lucro *l. quamuis & l. vlt. Cod. de iu. & fact. ignor. l. error, D. eod. l. iuris, C. qui adm. ad bo.* hoc tantum neceſſe eſt ſi dotem ſuam perſequatur vt iuret iuſiurandum ἀποχρυβῆς, id eſt vt iureiurando purget ſe nihil ſubduxiſſe aut ſuppreſſiſſe ex defuncti bonis. Sic eſt ſcribendum apud Harmenopulum 1. *Epitomarum titul. 13.* vt frequenter Græcis actio ad exhibendum appellatur, περὶ ἀποχρυβῆς πραγμάτων ἀγωγῆ. Nec mirũ vero ſi ea diſtinctio rei dotalis & lucri nup-
A tialis fiat eo caſu, cum & ſit, vt iidem interpretes notant, mulier ignara iuris, puta neſciens ſe præferri omnibus creditoribus in cauſa dotis etiam anterioribus, alios creditores defuncti prætulerit ſibi, integram dotis petitionem habeat, non etiam lucrorum nuptialium ſi forte in eis perſequendis creditorum poſteriorum potiorem exiſtimauerit eſſe cauſam. quod ita ex interpretibus Græcis ſiue Magiſtro retulit Harmenopulus eodem loco, ſi modo negatio quæ eſt in libro manuſcripto eadem reponatur in formis expreſſo, & legatur hoc modo, πῶς δωρεὰ ἢ ὑποβολου μὴ ἐπιδώσουσι παρεγενοῖτο τὸ δάνος.

CAP. XXXIX.

Senſus §. ſi ſeruus l. de die, Qui ſatiſ. cog.

VAlde quæritur vtrum hoc velit *l. de die §. ſi ſeruus, Qui ſatiſ. cog.* minori xxv. annis & mulieri ſubueniri quæ iudicatum ſolui ſeruum fideiuſſorem accepit, vt ex integro ei caueatur, an minori & mulieri ſubueniri ne obligetur, qui quæve pro alio cauit iudicatum ſolui. Priore ſenſu offendimur, quod & maiori eadem lex ſubueniri dicat, ſi ſeruus fideiuſſerit iudicatum ſolui. Poſteriore, quod in cæteris etiam omnibus cauſis conſtet ipſo iure mulieri intercedenti ſubueniri nec propter iuris imperitiam vt ait in *eo §.* ſed propter infirmitatem ſexus: Et minori cauſa cognita per reſtitutionem in integrum. Sed priori adquieſcimus magis. hoc enim vult Paulus eo loco, ſi ſeruus pro reo fideiuſſerit iudicatum ſolui, qua ex cauſa cõſtat nec ſeruum obligari naturaliter, nec dominum de peculio, actori ignoranti ſtatum & condicionem fideiuſſoris, non ius, ſubueniri vt ex integro caueatur. Actori ſcil. maiori xxv. annis. Actori autem minori etiam ignoranti ius, puta exiſtimanti ſeruum recte intercedere, ſubueniri. Adiicit, forſitan & mulieri ſubueniri propter imperitiam iuris. Verecundè & timidè dicit, mulieri ius ignorãti in lucro ſubueniri. regulariter enim minori feminæ aut maſculo etiam in lucro ſubuenitur, non etiam feminæ maiori annorum xxv. *l. iij. l. quamuis, C. de iu. & fac. igno. l. iuris, C. qui admit.* lucrum autem eſt ſatis acceptio, quia D promiſſori iungit adpromiſſorem & intereſt duos reos habere *l. ij. §. vlt. De lib. leg.* Sed non eſt adeo magnum lucrum vt id inuidere oporteat mulieri ius ignoranti. nam & eius emolumenti rationem Iulianus non habuit in hoc genere legati, Heres meus Titio ſoluito quod ei Gaius debet: nec enim ex eo legato dabat actionem Titio, vt ex Iuliano Vlpianus retulit in *l. Si cui legetur §. ſi Titio, De leg. 1.* in quo tamen eſt à Marcello reprehenſus. Et ſatis acceptionem quoque non eſſe tanti ex eo apparet, quod etſi per errorem iuris ſolutam rem indebitam rurſus adquirere velim & condicere, non poſſum, *l. penult. §. vltim. De iur. & fact. ign. l. Cum quis, C. eod. l. error, C. ad leg. Fal.* Cautionem tamen legatorum remiſſam à teſtatore quam putaui non potuiſſe remitti ignarus conſti-
E tutionis D. Marci præſtitero, benigne mihi datur vt eam condicere poſſim, *l. j. §. j. vt in poſ. leg.* quia ſcilicet non adeo magnum lucrum capto. Inuenio etiam mulieri ius ignoranti in lucris ſubueniri alio caſu, puta ſi legatum ſibi adſcripſerit ignara S. C. iuſſu matris teſtatricis, nec enim legato repellitur. Sed hoc ideo, quia ita nominatim expreſſum eſt S. C. *l. Diuus §. penult. ad leg. Cor. de fal.* & alio item caſu ex conſtitutionibus ſi ignara iuris ſui ſe ipſa detulerit, exiſtimans ſe ſolidi incapacem eſſe. nec enim propter imperitiã, ſolidi legati commodum amittit *l. ij. §. vlt. De iu. fiſc.* & malunt principes hac in re mulieri fauere quam ærario ſuo. Sic verum eſſe reperio quod eſt in *l. pen. §.*

1. *De iu. & fac. ign.* in quibuſdam mulieri etiam adquirere volenti ſubueniri propter imperitiam iuris. nec abs re *l. quamuis, C. eod.* dicere, *Non ſolet.* quæ verba ſignificant plerumque non prodeſſe ignorantiam iuris mulieri in lucro captando, nonnunquam tamen prodeſſe: vt in *l. non ſolet, loca.* non ſolere locationem dominum mutare. mutat enim dominum aliquando, vt in ſpecie *l. in naue, eod. tit.* & in ſpecie *l. item ſi pretio, §. penult. eod.*

CAP. XL.

Reſtitutum verbum Gracum in l. Blanditus, C. de fideiuſſ.

STipulatio cautio eſt iuris ciuilis Pop. Romani. qua de cauſa videbatur Latina tantum lingua concipi poſſe. Sed quia apponi ſolet omnibus conuentionibus iuris gentium & concluſio eſt omnium contractuum *l. ſi dominus, De præſc. ver.* qui quacunque lingua fieri poſſunt, ideo placet & eam quacunque lingua fieri poſſe, *l. 1. §. vlt. De verb. obl.* ne alius ſit ſermo contractus, alius concluſionis, confirmationis, vinculi extremi contractus. Et conſequenter fideiuſſorem Græce accipi poſſe, id eſt ſtipulatione Græco ſermone concepta, *l. Græce, de fideiuſſ.* etiam reſpondendo hoc verbo φημὶ, vt illo Ariſtophanis loco interrogatus Pluto, φιλόγοις, ὦ ἥδη πονηρὸς, reſpondet, φημὶ ἐγώ. vel etiam his, κελαδίῃς, κελαδίω, vt Odyſſ. Σ. ἐγὼ δέπας αὐτὸν ὑπείροµαι ὡς σὺ κελαδίῃς, vel hoc verbo ἐγγυῶµαι quod eſt expreſſum in *l. Blanditus, C. eod. tit.* his verbis, *Blanditus tibi eſt qui non teneri te perſuaſit, quod cum pro alio interuenires,* ὅπ ἐγγυῶµαι τόν σε. dixiſti. Alij codices habent τί µὴ, Alij ὅπ οὐῶ θέλῃς ποιήσω, Alij ἐγγυάοµαι. Alciatus reponit λέγω. Baſilica habent, ὅπ ἐγγυῶµαι τόνδε, quorum ſcripturam nemo dubitauerit potius eſſe ſequendam. Verba Βασιλικῶν hæc ſunt: ὁ εἰρηκὼς ὅπ ἐγγυῶµαι τόν σε, κατέχεται ὑδὲν ἧττον ὡς ἐγγυητής.

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XV.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit tacitam penſationem fieri ratione doli exceptionis in l. vnum ex familia, De leg. 2.

CErti iuris eſt hodie compenſationem ſiue penſationem mero iure, ipſo iure, tacito iure fieri in omnibus iudiciis tam bonæ fidei quam ſtrictis, etiam non oppoſita exceptione doli, *l. poſtea quam, De compenſ. l. inter, De adm. tut.* & hoc ipſum eſt quod ait Papinianus in *l vnum ex familia §. ſed ſi vno, De leg. 2.* tacitam penſationem induci, eadem ratione, qua ceteri qui ſunt ex familia ad fideicommiſſum admittuntur, vt ſcilicet heres ex eadem familia inſtitutus ab herede fideicommiſſo onerato, quia extitit condicio fideicommiſſi fundo extero legato, poſſit cæteris petentibus ſolidum fundum reputare & penſare portionem virilem ſibi obtingentem & debitam ex priori teſtamento. Nam etſi petitionem pro ſua parte non habeat, quam aditio hereditatis confudit atque peremit, compenſationem tamen habet integram, vt & in pleriſque aliis caſibus iuris noſtri contingit. Neque vero ei quod dicit tacitam penſationem induci, quidquam obſtat quod ante ſignificauit eodem loco, eam fieri ratione doli exceptionis. Fit enim & quæ tacito iure fit, ratione doli exceptionis, vt *l. 12. Ad leg. Fal. l. peto §. vlt. De leg. 2. l. hereditas, De pet. her.* non quam exprimi, opponi & actionis formulæ ſubiici neceſſe ſit (aliud enim eſt oppoſita exceptione, aliud ratione doli exceptionis) ſed quæ ineſt hodie omnibus iudiciis ex cauſa compenſationis, ex alia cauſa iudiciis tantum bonæ fidei, *l. huiuſmodi §. qui ſeruum De leg. 1. l. ſed & ſi ideo in ſi. Sol. matr.* Sicut & quælibet alia exceptio, *l. Labeo ait De op. lib. l. 1. §. ſi libertatis Quar. rer. actio non da. l. 3. De reſcind. vendit.*

CAP. II.

Ad eiuſdem legis §. Sed & ſi fundum.

INter hoc genus fideicommiſſi, Peto vni ex familia mea, cui voles, fundum illum relinquas, & illud, Peto ne fundus ille de familia mea exeat, communia hæc ſunt, quod heredis eſt electio cui velit ex familia fundum relinquere, & ea quidem ambulatoria vſque ad ſupremum vitæ exitum, & quod ei, quem elegerit, fruſtra teſtamento ſuo heres legat eundem fundum, & quod ab eo quem elegerit, fruſtra fideicommiſſum relinquit, præter quam vno caſu, ſi ampliora legata ei legauerit, & quod non tantum vnum heres eligere, ſed & duos vel plures, vel omnibus relinquere poteſt, & quod nemini ex familia fundo relicto, omnibus qui ſunt eiuſdem nominis & familiæ fideicommiſſi petitio competit. Differentiæ autem hæc ſunt. Fideicommiſſo relicto vni ex familia, ſi heres vnum ex familia elegerit, & in ea voluntate perſeuerauerit vſque ad mortem, vel ſi vni ex familia fundum legauerit, quod legatum nihil aliud eſt quam electio ſuprema, non iure proprio legari cenſetur, vel ſi vnum ex familia ſibi heredem inſtituerit fundo extraneo non relicto, is quicunque ex familia fuerit ad quem fundus peruenit, eum fundum alienare extra familiam, & dare vel relinquere extraneo poteſt. Imo & vno illo caſu heres rogatus vni ex familia fundum reſtituere, ab eo quem elegerit eundem fundum per fideicommiſſum extero relinquere poteſt, puta ſi ei quem elegit aliquid amplius legauerit quod fundi pretium efficiat. Neque ob huiuſmodi fideicommiſſum quidquam heres heredis onerabitur. Fideicommiſſo autem relicto familiæ vel herede rogato ne fundus de familia exeat, is quem heres elegerit non debet fundum in extraneum transferre, imo ea de re cauere heredi heredis debet: alioquin onerabitur heres heredis, cui cautum non eſt de indemnitate,

si electo fundum præstiterit, & is eum in extraneum contulerit, propterea quod post mortem electi cui fundum præstitit, cæteris qui sunt ex familia tenebitur ex causa fideicommissi primo testamento relicti, atque ita duplici præstatione fundi onerabitur. quod non est verosimile suum testatorem. i. priorem heredem voluisse. Sed si prior heres ab eo quem elegit eundem fundum per fideicommissum extraneo reliquerit, quo scilicet casu relinquere potest, puta amplioribus legatis relictis, tunc sane heres heredis onerabitur omnimodo, si is qui electus est, cuique ipse fundum præstitit, eum ex causa fideicommissi, vt debuit extraneo restituerit Nam de non restituendo fundo extraneo aut sibi reddendo, heres heredis ab eo cautionem exigere non potuit contra voluntatem testatoris sui, qui fundum in extraneum transire voluit (esset enim absurdum si heres à legatario exigeret cautionem de non exhibenda fide testatori suo) & nihilominus ceteris qui sunt ex familia tenebitur ex causa fideicommissi primo testamento relicti. & hæc est sententia §. *Sed & si fundum l. vnum, De leg. 2.* Sed pretium operæ est etiam eius verba fulcire adnotationibus quibusdam, vt res omnis sit dilucidior. Ait, *propter sequens fideicommissum:* quod scil. prior heres reliquit extraneo, ab eo quem elegit ex familia. Ait, *Heredem heredis oneratum intelligi*: quia, vt subiicit, ceteris tenetur ex causa fideicommissi prioris si fundum extero ex causa fideicommissi posterioris restituerit is qui electus est, à quo heres heredis cautione exacta sibi prospicere non potuit. Ait, *Si electo vno fideicommissum in exterum non conferatur*. Sensus hic est, Si prior heres ab eo quem elegit fundum extero per fideicommissum non reliquerit, non oneratur heres heredis, si modo cautione, quam hoc casu si exigat ab eo qui electus est, nihil contra voluntatem facit, sibi prospexerit. Ratione enim exceptionis doli, vt *l. peto §. i. eo. tit.* non alias ei qui electus est, fundum præstabit, quam si cauerit fundum in familia relictuiri, aut si non relinquatur, sibi restituiri. Hac enim cautione interposita, si is qui electus est, fundum acceperit, & in extraneum transtulerit, post mortem quidem eius qui electus est, heres heredis tenebitur ceteris petentibus fideicommissum ex primo testamento, sed indemnis seruabitur cautionis beneficio. Ait in formula cautionis, *Cum effectu:* id est, re ipsa, non verbo tenus. Quid enim si reliquerit quidem in familia, sed eum qui reliquerit, iusserit extraneo fundi æstimationem dare? Hic sane verbo tantum tenus, non effectu in familia fundum reliquerit.

Cap. III.

Emendantur quædam in l. 1. C. de sent. pas.

REferuntur acta quædam Imperatoris Antonini Bassiani in *l. 1. C. de sent. pas.* quibus deportatus Iulius Licinianus à legato Cęsaris restituitur honoribus, ordini & cæteris omnibus. Quę restitutio plenissima est. Nam & patriam potestatę restituit, & ius patronatus, & bona, & testamentum, & omnia quę per deportationem amiserat. Sed sunt in propriis nominibus menda quædam. *Imp. Antoninus A. Cum saluatus*, inquit, *esset à Gentiano & Aduento & Opilio Macrino præfectis prætorio*. Scribendum, ab *Ecdeciano Aduento & Opilio Macrino*: nec Aduenti nomen mutandum, quod etiam male quidam mutarunt in epistolis quæ Iulio Solino auspicium faciunt, vt Aduentiani in inscriptione *l. 2. C. de exc. tut.* videturque idem Herodiani IV. perperam appellari Audentus pro Aduentus, dum Antonino Bassiano scribit, quod & *d. l. 1.* demonstrat duos fuisse præfectos prætorio Aduentum & Macrinum. Inuenio & in fastis consulatum A Antonini II. vel V. & Aduenti, *l. 1. C. Greg. de pat. pot. l. 8. C. de neg. gest. & in fragmentis Dionis, Aduenti & Macrini.* In eadem lege pro *Opilio Vlpiano* veteres libri habent, *Ælio Vlpiano.* Forsan & illo loco, *Item amicis & principalibus officiorum* est legendum, *item magistris & principalib⁹ officiorum.* i. principibus agentium in rebus. Lampridius *in Alexandro*: *Iniuriam nulli vnquam amicorum comitumve fecit, nec magistris quidem aut principibus officiorum.*

Cap. IV.

Ratio responsi Scævolæ, quod est in l. pater §. filiam, De leg. 3.

VEto ædificium de nomine meo exire, sed ad vernas meos, quos hoc testamento nominaui, pertinere volo. His verbis post mortem heredis ędificium vernis per fideicommissum legasse videtur, vt *l. species, De au. & arg. leg.* Non igitur seruis vernis, quia inutile fideicommissum esset, sed libertis vernis, siue vernis quos testamento libertos perduxerat, atque ita in nomen suum & familiam adsciuerat. Heredi superuixit vnus libertus tantum. Quæritur an totum ædificium ad eum pertineat. Et Scævola respondit in *l. pater §. filiam, De leg. 3.* virilem partem pertinere. Quęritur cur non totum pertineat? Dicebam, ædificium testatorem per fideicommissum legasse libertis vernis, & adiecisse, quos hoc testamento nominaui. Nominaui scilicet dando libertatem, quæ ex lege Caninia danda erat nominatim. Quos ergo hoc testamento nominaui. i. quos hoc testamento manumisi, vt *l. pen. §. Lucius, De leg. 2.* Proinde retulit se testator ad nomina propria vernarum testamento expressa, atque ita omnibus nominatim legasse videtur. Nominum autem nuncupatio viriles partes facit ab initio, maxime in fideicommissis & in legatis per damnationem, & ideo singulis ab initio quasi diuisim partes adscriptæ fuisse videntur, *l. 7. De leg. 2. l. vxorem §. agri, De leg. 3.* & consequenter inter eos nonestius adcrescendi. Nam hoc certo nihil certius magis quam inter eos qui ab initio partes habent, vel habere intelliguntur (nihil enim refert, *l. si duobus §. vlt. De leg. 1.*) non esse ius adcrescendi, sed inter eos qui ab initio solidum habent, concursu partes faciunt, *l. 3. De vsufr. adcr.* Ergo inter eos libertos non est ius adcrescendi, nisi adiecerit testator, Donec ad vnum ædificium perueniat, vt *d. l. pen. §. Lucius*: quibus verbis euidens est ius adcrescendi inducere testatorem voluisse, vt *l. codicillis, in prin. De vsufr. leg.* Nam etsi vni ex libertis cui heres vellet fideicommissum reliquerit, ad vltimum totum fideicommissum pertinebit, *l. vnum, §. rogo, De leg. 2.* In casu igitur *d. §. filiam*, cum eis verbis vsus non sit, sed generaliter libertis fideicommissum reliquerit, moriente herede si vnus supersit libertus, virilis tantum portio ædificij ad eum pertinebit. heres præmortuorum partem poterit in extraneos transmittere, quia libertorum tantum gratia vetuerat testator ædificium de suo nomine exire, non vniuersæ familiæ suæ gratia.

Cap. V.

Coniunctio l. peto §. prædium, De leg. 2. cum l. rogo, De fid. lib.

FVndo familię relicto per fideicommissum, & instituto herede vno ex familia, fideicommissi petitio est non tantum post mortem heredis si moriatur fundo extraneo relicto, sed etiam statim atque heres viuus eum fundum alienauerit extero, *l. peto §. vlt. De*

leg. 2. videlicet si voluntaria alienatio fuerit: nec quidquam prodest ad impediendam fideicommissi petitionem si eum redemerit: quia semel extitit condicio fideicommissi. Quod si necessaria alienatio fuerit, aut facta est propter creditores testatoris, aut propter creditores heredis. Si propter creditores testatoris, fideicommissum extinguitur: quia testator qui noluit fundum alienari extra familiam, de huiusmodi causa alienationis sensisse non videtur *l. filiusf.* §. *Dini* 2. *De leg.* 1. *l. qui solidum* §. *vlt. De leg.* 2. *l. cum fidei, De fid. lib.* Si propter creditores heredis, non statim fideicommissi petitio est, sed post mortem heredis demum, & tandiu scilicet apud emptorem extraneum fundus manet, quandiu maneret apud heredem bonis non venditis, vt eleganter Papinianus scribit in *l. peto* §. *prædium, De leg.* 2. quod item fere & de fideicommissaria libertate eundem Papinian. eodem libro scripsisse reperio, *l. rogo, De fid. lib.* Rogo te heres mi, ne seruus ille alterius seruitutem experiatur. His verbis data videtur seruo fideicommissaria libertas sub condicione, Si extraneo alienetur. Nam qui alienam seruitutem seruum experiri non vult, sane vult vt is liber fiat vel post mortem heredis. & quidem si heres moriatur seruo alij legato, fideicommissariæ libertatis petitio est quasi datæ post mortem heredis. Imo etsi viuus eum alienauerit sua sponte, seruus statim petere libertatem potest, nec prodest ad impediendam libertatis petitionem, si heres eum redemerit: quia semel extitit condicio, *l. quidam, De fid. lib.* Quod si necessaria non voluntaria alienatio fuerit, aut facta est propter creditores testatoris, aut propter creditores heredis. Priore casu libertas intercidit, nec vnquam peti potest. & quod ait *l. cum fidei, eod. tit. Nondum*, in eo *dum* vacat, vt illo Virgilij loco, *At Phœbi nondum patiens.* Posteriore casu statim peti potest, *d. l. rogo*, quæ ad differentiam *l. cum fidei*, accipienda est de venditione bonorum facta propter heredis creditores. & vero confestim peti: quia, vt ait Papinianus, nihil refert qua ratione extiterit condicio libertatis fideicommissariæ. Est enim fideicommissaria libertas quasi statulibertas, & is cui fideicommissaria libertas adscripta est, quasi statuliber, *l. non tantum* §. *cui, eod. tit.* & nihil refert qua ratione existat condicio statulibertatis. Est igitur hac in re differentia inter fideicommissum pecuniarium & fideicommiss. libertatem. Nam si propter creditores bona heredis venierint, & in his fundus familiæ relictus, fideicommissum peti non potest, nisi post mortem heredis. mortuo herede emptor extraneus cogitur fundum reddere, quem etiam heres extraneus reddere cogeretur bonis non venditis, *d.* §. *prædium.* & vno tantum casu apud emptorem perpetuo iure fundus remanet si debitor, i. heres cuius bona creditores vendiderunt, viuendo vicerit ceteros omnes qui ex eadem familia erant, *arg. l. Statius* §. *vlt. De iur. fis.* Quod si propter creditores heredis bona vænierint, & in his seruus ille, cui fideicommissaria libertas relicta est, statim experiri seruus & petere libertatem potest, non expectata morte heredis, *d. l. rogo* Libertas facilius & properantius præstatur quam fideicommissum pecuniarium. Quacunque ratione impleri sufficit condicionem libertatis, non etiam condicionem fideicommissi pecuniarij.

Cap. VI.

Quam male in quæstione illa, An seruitutes pignerari possint, nulla constituatur differentia inter seruitutes vrbanas, & rusticas.

Differentia quæ ponitur inter iura prædiorum vrbanorum, & iura prædiorum rusticorum perquam euidenter in *l.* 11. §. *vlt. adiuncta l.* 12. *De pignorib.* vt hæc pignori obligari possint, illa non possint, perquam euidenti calumnia eluditur ab his qui §. *vlt. l.* 11. accipiunt de seruitutibus pignori obligatis ab eo cui debebantur: & licet loquatur de seruitutibus vrbanorum prædiorum, eum tamen porrigunt etiam ad seruitutes rusticorum, & pari licentia quod *l.* 12. scribitur de his, etiam ad illas trahunt, eamque legem accipiunt de seruitutibus pignori obligatis, siue pignoris nomine à domino impositis fundo proprio. Nō incidissent in istas salebras, si rationes iuris tenuissent, quas modo explicabimus. Et illud quidem primum obseruare debemus in hac quæstione, vsumfructum separari à ceteris seruitutibus. Vsusfr. potest vendi, locari & pignerari à domino in corpore quod eius est proprium, imo & ab vsufructuario, cuius est solum ius vtendi fruendi alieno prædio, *d. l.* 11, §. *pen. & l.* 15. *in pr. eo. t.* quia fructus est vel locare & pignori dare licere, *l. videamus*, 1. §. *pen. l. vlt. De vsur.* qua ratione vsus ab vsuario vendi, locari vel pignerari non potest, quia nudum vsum habet sine fructu. Seruitutes autem prædiorum rusticorum vel vrbanorum à domino vel ab eo cui debentur etsi vendi possint, *l. cum manu* §. 1. *De cont. emp. l.* 3. §. *si iter, l. tenetur* §. *si tibi, De act. emp.* locari tamen non possunt: quia omnis locatio fit ad tempus. Et seruitus ad tempus constitui non potest, *l.* 4. *De seruit.* & petita seruitute ideo non dicitur in fructu computari quod locata seruitute mercedis nomine capi potuit, quod tamen computatur in fructu petita veste vel vase, *d. l. videamus*: quia seruitus locari non potest *l. locare, loc. cond.* quam accipio generaliter, vt nemo. i. neque dominus, neque is cui seruitus debetur, seruitutem locare possit. At contra tam à domino quam ab eo cui seruitus debetur, seruitutem rustici prædij, veluti iter, actum, viam, aquæductum, dico pignori poni posse, *d. l.* 12. & petita huiusmodi seruitute actione confessoria, quod dicitur *d. l. videamus*, in fructibus numerari omne commodum quod actor habiturus erat, si non fuisset prohibitus ire agere aquamve ducere. puto exempli gratia aptari posse ad pignerationem: quia quasi fructus cuiuslibet rei est siue corporalis, siue incorporalis, vel pignori dare licere, *l. vlt. De vsur.* Vnde recte notant Græci posse nos κατασκευὴν ἢ ὕλης ἀγροικικῶν καρπόν. Nec potest omnino obiici quod locationi obiecimus, etiam pigneratione seruitutem constitui ad tempus, cum hæc lex semper pignori insit, vt distrahi possit in perpetuum saltem debitore trina denunciatione conuento Seruitutem autem vrbani prædij, veluti tigni aut stillicidij immitendi, vel protegendi, vel proiiciendi, *ex d. l.* 11. §. *vlt.* dicimus neque à domino, neque ab eo cui seruitus debetur, pignerari posse vtiliter. & ratio differentiæ hæc est: Vt sit vtile pignus seruitutis, non tantum necesse est creditorem habere prædium vicinum, sed etiam vt huiusmodi pignus alij vicino distrahi possit. Quia inutile est pignus, quod alij vendi non potest, *l.* 4. *De pign. act. l. mulier, C. de distr. pig.* Atquin creditori habenti ædes vicinas cui pignori concessum est ius tigni aut stillicidij immittendi, non est alius vicinus, cui ea seruitus vsui esse possit. Nam quod ex ædibus suis tignum immittit creditor in ædes debitoris, non æque alij vicino ex suis ædibus in eandem partem immittendi vllus est vsus vtilitasve, ac consequenter id certe alter vicinus nunquam empturus est, & alius non vicinus emerit etiam frustra. Ergo eius seruitutis inutile pignus est. At vero ius prædij rustici alij vicino distrahi potest, idque forsan magno alius vicinus redempturus sit, cum possit vno itinere pluribus patere aditus in suos fundos, maxime cum in fundorum finibus sint gradus quidam liberi

beri pedum aliquot. Quod autem placet hãc differentiam seruitutum non seruari in precario *l. 3. l. & habet §. precario, De precario l. si quis sepulchrum, De religios.* rationem summam habet. Possessio sola aut quasi possessio precario datur. & vtilitas precariæ possessionis non vt ius pignoris in distractione consistit, sed in vsu tantum ad libitum domini qui precario itineris aut immissi vel protecti vsum concessit.

CAP. VII.

An custodia publica vel vincula irrogant infamiam.

QVamuis lege Iulia de vi, his qui in vinculis sunt custodiave publica in reum testimonium dicere non liceat, *l. 3. §. lege, D. de testib.* id est his qui publico iudicio rei sunt, *l. 20. eo. tit.* non tamen ante damnationem sunt infamium numero (nec enim carcer aut vincula sola irrogant infamiam, *l. 1. C. ex quib. cau. inf. irr.*) sicut nec ante damnationem bona eorum publicari verum est, *l. 2. De bon. dam.* & similiter vt absolutis non auferuntur bona, nec eorum famæ & existimationi vincula quidquam in quibus fuerunt nocere arbitror: Sed hoc in liberis hominibus tantum ita procedere. Nam seruorum qui ob delictum pœnæ causa vincti fuissent libertati vincula nocebant ex lege Ælia Sentia, vt nec Latini, nec ciues Romani manumissione fierent, sed dedititiorum numero, qui vilis propemodum, abiectus & infamis numerus erat, maxime si soluerentur tantum eis vincula, non inciderentur. Nam Fl. Iosepho capto bello Iudaïco, ideo legimus abruptas, non explicatas & resolutas fuisse catenas, quibus vinctus tenebatur, vt illæsa existimatione captiuitate liberaretur. Quod ei concessit Vespasian. Imp. suasu filij, cuius hæc verba idem retulit IIII. ἀλώσεως. Δίκαιον ὦ πάτερ τὸ Ἰωσήππου, καὶ τὸ ὄνειδος ἀφαιρεθῆναι ζωὴ τῷ σιδήρῳ. γενήσεται γὰρ ὅμοιος τῷ μὴ δεδέσθαι τὴν ἀρχὴν, αὖ αὐτὸς μὴ λύσωμεν, ἀλλ' ἀπόφωμεν τὰ δεσμά. τοῦτο γὰρ ἐπὶ τῶν μὴ δεόντως δεδέντων πεφύκασι. Æquum est pater, Iosepho simul cum ferro omnem ignominiam adimi, vt perinde sit, ac si ab initio vinctus non fuisset, quod adsequemur, si vincula, quibus tenetur, incidamus, non soluamus. Sic fieri adsolet quotiens quis non iure vinctus est. Et mox subiicit ita Vespasiano placuisse, & securi incisas fuisse catenas. ζωεδόκει ὃ ταῦτα καὶ παρελθὼν τὶς, πελέκει διέκοψε τὴν ἅλυσιν. & hac ratione conseruatam fuisse Iosepho ὀπτασίαν.

CAP. VIII.

Lex xij. tab. ne priuilegia irrogentur.

EX Cicerone didicimus vetare XII. tab. leges priuis hominibus irrogari, & sunt ea ipsa XII. tabul. verba hæc, *priuilegia ne irroganto.* quod, vt alia plæraque, Decemuiri sumpserunt ex Solonis legibus: Nam & iisdẽ Solonis legibus fuisse cautum Æneas Gazęus scribit in *Theophrasto* his verbis: ὁ μὲν τῶν Σόλωνος ἐκ ἐᾷ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ τιθέναι, ἀλλ' ἢ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν αὐθεφόποις τίθεσθαι. Vnde apparet quam sit vetus sententia ex Vlpiano proposita in *l. 8. De legib. Iura non in singulas personas, sed generaliter*, id est κοινῇ constitui. Nec legi XII. Tabularum addi volo, *nisi magno comitiatu*, quod ad sequens duntaxat caput XII. Tab. pertinet, *de capite ciuis nisi per maximum comitiatum, ollosque quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto.* Et quod ait M. Tullius, ferri de singulis, nisi centuriatis comitiis noluerunt, de singulis, i. de singulorum capite. centuriata capitis comitia rata esse, tributa rata non esse. Obiici etiam huic legi nolo, priuilegia dotium, priuilegium fisci, priuilegium Augustum, priuilegia veteranorum, priuilegia militiæ, priuilegia ecclesiarum, priuilegia personalia quę dicuntur, vt quę maritis dantur ne vltra quam facere possint iudicio dotis condemnentur & aliis quibusdam personis, iura singularia quæ dicuntur, veluti ius singulare vsucapionis, ius singulare creditæ pecuniæ. Nam priuilegia XII. Tabulæ vocant quæ de vna tantum persona concipiuntur in omnia tempora. Nam vt *decl. 154.* Quint. tractat, *in præsens tempus de singulis ferri leges possunt*, vt de Menandro, *l. 5. §. vlt. de cap. & post.* de Hostilio Mancino, *l. vlt. de legation.* & priuilegia vtique hęc sunt propriè. Nam veteres priua dixere singula, vt Lucilius his versibus, quos ita restitui. *Ad cœnam adducam & primum hisce abdomina Thynni Aduenientibus priua dabo, cephalæaque acarnes.* Illa autem quę retuli ante, non in vnam personam solam concipiuntur, sed vel in plures personas eiusdem condicionis, vt priuilegia dotium, priuilegia fisci, priuilegium Augustum quod Iustinianus vocat, & cetera priuilegia domus Augustæ, priuilegia creditorum, & his similia, vel certe ad vniuersos ciues pertinent, veluti ius singulare, quod in vsucapione receptum est, & in vsu creditæ pecunię, generale ius est, nec ob id singulare dictum, quod in singulas personas constitutum sit, sed quod paulum aberret à regulis iuris. Ex quo satis intelligitur cum *d. l. 8.* haudquaquam debere commisceri *l. 16. eo. tit.* Nec enim idem est ius singulare & priuilegium, nec idem priuilegium in XII. & priuilegium personale in aliis legibus.

CAP. IX.

Cur in specie l. v. in prin. vt leg. na. ca. fideiussores non teneantur, in specie l. 10. eod. tit. teneantur.

SI ab herede mihi legatum sit sub condicione, & heres postquam adierit hereditatem satisdederit legatorum, & post captiuitatem eius condicio legati extiterit, interim dum is est apud hostes fideiussor conueniri non potest, *l. 5. in pr. vt leg. no. ca.* quia fideiussor antequam reus debeat, conueniri non potest, *l. 57. de fideiuss.* heres autem qui reus est principalis, neque ante captiuitatem pendente condicione legatum debuit, *l. legatæ sub condicione, De cond. & dem.* neque dum postquam extitit condicio cum sit apud hostes, legatum debet, quia in personam seruilem ciuilis obligatio non cadit. Neque heredem habet qui debeat, nec hereditas eius vlla est interim quæ personæ vicem sustineat, quia successio eius in pendenti est propter spem postliminij. Denique non est persona quę debeat legatum. & consequenter ius. i. obligatio non est. Neque enim obligatio ciuilis siue persona in qua consistat initium capere potest. Et verba stipulationis legatorum, referuntur ad obligationem ciuilem, *Quod mihi ex testamento dari, fieri oportet.* Obligatio enim ex testamento ciuilis est. Cum ergo non sit persona, quæ ciuiliter obligetur, cum existit condicio legati, nec sit igitur obligatio ciuilis, sequitur fideiussorem interim non teneri. At si post mortem heredis extitisset condicio legati, non post aditam hereditatem heredis, sed etiam ante, dicemus fideiussorem teneri, quia vt obligatio quæ iam cępit iacente hereditate perdurat, *l. hactenus, De const. pec.* ita & iacente hereditate incipit recte, quia hereditas personæ vicem sustinet. Atque adeo cum omnimodo dari oportet, & nascatur obligatio, recte dicitur fideiussorem teneri ante aditam hereditatem heredis *l. 10. vt leg. no. ca.* maxime quia, vt eadem lex subiicit, ea sti-

pulatio non in personam concipitur, *Quod te mihi dare oportet*, sed in rem & generaliter, *Quod mihi dari oportet*. Oportet autem statim atque extitit condicio, etiamsi nondum heredi heres vllus extiterit.

CAP. X.

Stipulationem legatorum non præstari post litem de legato contestatam.

VT aliæ stipulationes prætoriæ ante litem contestatam interponuntur, veluti iudicatum solui, iudicio sisti, rem ratam haberi: ita sane stipulatio legatorum ante litem de legato contestatam interponitur. Nam vt est in P. Flor. scriptum rectissime in *l. 1. §. plane si quis, vt leg. no. ca.* si omissa stipulatione lis de legato contestata sit, hæc stipulatio cessat: quia sc. hac via consequendi legati contentus fuisse legatarius videtur, & vt est in *l. 3. vt in poss. leg.* de legato ante constare potest quam satisdatio excuti, probari, præstari. Nec moueor quod & de puro legato hæc cautio præstetur. Nam & hanc dico præstari ante litem de legato contestatam. Non moueor etiam eo quod ait *l. 5. §. 1. vt leg. no. ca.* eam præstari ante sententiam. Nãque subiicit, *si petitionis dies moraretur*, id est si nondum peti legatum, nondum lis de legato contestari potest. Ergo ante sententiam & ante litem contestatam. Non moueor etiam eo quod dicitur in *d. §. 1.* post condemnationem hanc stipulationem interponi. Si post condemnationem, inquies, cur non & post litis contestationem? Quia, inquam, ita demum post condemnationem hæc cautio exigitur, si appellauerit heres, quæ appellatio extinguit superius iudicium, *l. 1. §. vlt. Ad Turpill. l. furti*, *§. 1. de his qui not. inf.* atque ideo antequam lis denuo contestetur in iudicio appellationis, recte hæc cautio interponitur: quia si ante condemnationem interponi debet, mora petitioni iniecta ex die vel condicione, & multo magis post condemnationem heredis, victoriam legatarij, dilata petitione per appellationem.

CAP. XI.

Hodie fideiussoriam obligationem non tolli, si fideiussor debitori heres extiterit.

QVod Paulus ait in *l. actio, De neg. gest.* nihil interesse directa an vtili quis actione conueniatur, maxime in extraordinariis iudiciis, vbi conceptio formularum non obseruatur .i. non attenditur scrupulose neque in disquisitionem venit, id belliſſime comprobatur *l. quamuis §. si mulieri, Ad Vell.* quæ mulierem adeuntem hereditatem eius pro quo expromisit, conueniri ait vel directa actione, nimirum ex sua expromissione, vel vtili .i. restitutoria, qua defunctus tenebatur. Quid enim, inquit, mulieris interest qua actione conueniatur, cum si vna nõ conueniatur, possit teneri alia. & hodie in iudiciis extraordinariis nihil admodum refert qua actione agatur. Denique actio vtilis non tollit directam, quamuis vtilis vtique maior .i. efficacior fuerit, sed aditione etiam directa vtilis & efficax fit, *l. 95. §. aditio, De solut.* Nam & si obligationes quæ propriis viribus non consistunt, id est quę inanes sunt & facile exceptionibus eluduntur, vt intercessiones mulierum, *l. quamuis, §. Marcellus, ad Vell.* neque iudicis officio, neque prætoris imperio, neque legis potestate confirmantur, aditione tamen hereditatis confirmantur, quasi scilicet noua eis accedat causa nouumque robur, successio in locum eius qui efficaciter tenebatur, & quasi nouæ obligationes sunt. Et similiter reprobata differentia tradita ab Accursio inter expromissionem & alia intercessionum genera, dicam hodie fideiussionem mulieris si mulier debitori principali heres extiterit, confirmari, & esse in arbitrio creditoris, vtrum agat cum muliere ex causa fideiussoria, an ex causa principali, quia in extraordinariis iudiciis nihil interest qua actione agatur. Denique hodie principalis obligatio non tollit fideiussoriam, si non eam quæ initio inanis fuit, nec eam igitur quæ fuit efficax, quamuis principalis vtique sit maior & plenior, iure ordinario maior tollit minorem, & hoc vulgo iactatur, vt ait *d. l. 95. §. quod vulgo*, quasi regula iuris ordinarij scilicet.

CAP. XII.

Compensationem fieri etiam in iudiciis in rem, & omnem deductionem & retentionem hodie fieri ipso iure, & compensationi comparari, vel nihil aliud quam compensationem esse.

CONstat ex *l. 95. §. si creditor, De solut.* in petitionem hereditatis venire id quod possessor ex hereditate percepit, nec si tantum ei debuerit defunctus quãtum percepit, id ipsum sibi soluisse videri. Ergo nec id secum pensasse videtur. Nam si secum pensasse videretur, & sibi soluisse videretur, & ratione pensationis id quod credito suo sufficit, retineret, nec ei euinceretur. Atquin euincitur omne quod ex hereditate percepit. Ergo compensatio non opponitur actioni in rem. Nec moueor *l. eum qui §. vlt. De inoff. test.* nam quod ait compensationem debiti habere eum à quo hereditas euincitur, sic accipitur, vt si quid vicissim debuerit defuncto, id possit compensare cum eo quod sibi defunctus debuit. Nihil etiam moueor *l. Titia, De solut.* quæ non de muliere loquitur, quę pro herede possedit bona mariti, & conueniri potuit petitione hereditatis, sed de ea quę ex edicto bona mariti possedit dotis seruandæ causa. Comparatur autem creditrix vel creditor ex edicto missus in possess. bonorum, gestori bonorum, *l. creditore §. vlt. De reb. auct. iud. poss.* & sicut gestor domino agenti neg. gestorum potest reputare id quod sibi dominus debuit, ita creditor debitori agenti in factum de eo quod ex bonis suis ad creditorem peruenit, potest reputare creditum suum. Obiicitur his casibus compensatio actionibus in personam non actionibus in rem, & prestationibus personalibus in *d. l. eum qui §. vlt.* Nec postremo quidquam moueor *l. si quid possessor §. sed si ipsi, & §. seq. De pet. her.* quæ non de pensatione loquitur, sed de deductione, quæ duo sunt diuersa, *l. amplius, rem rat. hab. l. filium, C. fam. erc.* Compensatio fit ipso iure, Deductio per exceptionem, nisi quibus casibus deductio iuris est non facti à me explicatis sæpenumero, quibus & deductio, compensatio est. Possessor autem hereditatis non potest compensare quod sibi defunctus debuit, quasi ipso iure minor sit hereditas propter æs suum. Sed neque passim deducere possessor quilibet, sed bonæ fidei possessor tantum. Malæ fidei possessor nec ciuile debitum deducere potest. Caue etiam ne deducat naturale, vt si filiof. iure exheredato testamento patris debuerit aliquid pater, & cum eo agat heres scriptus petitione hereditatis, hereditatem possidente paternam. Vellet enim maxime filius id sibi seruare per deductionem: quia nemo per actionem consequi potest id quod sibi natura debetur, per deductionem & retentionem possessionis potest, sed bonæ fid. possessor tantum, non prædo. Ciuile non deducit prędo, sed restituta omni hereditate, integram sortis petitionem habet, non etiam vsurarum, si vsurarum, non pœnarum, si pœnale debitum fuerit. quia rapta occasione coërcendarum vsurarum & pœnarum, dici potest

cum ſibi ſoluere debuiſſe ſtatim ab initio apprehenſæ poſſeſſionis, qui ſciebat hereditatem ad ſe non pertinere. Sed animaduertendum, hodie ex Conſtitutionibus Iuſtin. nihil eſſe diſcriminis inter deductionem & compenſationem. Nam & Falcidia, quæ deducebatur olim per exceptionem, hodie ipſo iure veluti compenſatio minora efficit legata, *l. pen. C. ad leg. Fal.* & debitum quod deducebat olim iuſtus poſſeſſor conuentus in rem actione, id veluti compenſationis iure .i. ipſo iure rem minuit quæ petitur, *l. vlt. C. de compenſ.* atque ita compenſatio hodie obſtat etiam actioni in rem, & in definitione compenſationis deberi dicitur non tantum quod debetur actione in perſonam, quod ſolum proprie debetur, ſed & quod exequi licet actione in rem, vt in definitione actionis, & in ſtipulatione emptæ & venditæ hereditatis. Sed illud tamen manet quod dixi ſupra, in actione in rem prædonem non habere deductionem ſiue compenſationem ſui crediti, nec ciuilis, nec etiam maxime naturalis, *d. l. vlt. in fin.* Bonæ autem fidei poſſeſſor eam habet ipſo iure. Omnem deductionem, reputationem, retentionem hodie fieri ipſo iure tanquam compenſationem. Et in eo tantum noua eſt Conſtitutio *d. l. vlt.* Nam cætera, vt compenſatio fiat ipſo iure, vt debiti tantum liquidi, vt non in actione depoſiti, vt nec detur compenſatio vel deductio malæ fidei poſſeſſori, conſtabant etiam iure veteri.

CAP. XIII.

Vetus ratio faciendi filij parentiſque legitimi.

IVſtę nuptię non ſunt inter ciuẽ Romanum & Latinam aut peregrinam, vel inter ciuem Romanam & Latinam aut peregrinũ. & qui ex hac coniunctione naſcuntur liberi, non ſunt iuſti, non ſunt ciues Romani, nec qui naſcuntur ex ciue Romana & Latino ſecundum ius quod obtinuit ante Orationem Diui Adriani, de qua Vlpianus in *tit. de Latinis.* Latini enim naſcebantur. & qui ex ciue Romana & peregrino, ſimiliter peregrini, non ciues Romani ex lege Menſia. Sed ſi per errorem & ignorantiam contractæ eſſent nuptiæ, erroris cauſa probata apud conſilium, iuſti fiebant liberi & parẽtes, & ciuitate donabantur, & liberi in eorum parentum poteſtatem fiebant. Et hoc quidem iuris ita fuit ex lege Ælia Sentia. Et valde probo ac laudo traiecta quæ erant verba apud Vlp. tit. VII. ita reponentem Petrũ Pithœum, *Aut etiam ſi Latino nupta fuerit, ex lege Ælia Sentia cauſa probata ciuitas reddit ur*, &c. Additur autem in Gaij Inſt. vel ex S. C. vt quod alio capite legis Æliæ Sentiæ cautum eſt, vt minor xx annis non manumittat, non probata manumiſſionis cauſa, idem etiam fuiſſe cautum S. C. conſtat ex *l. 1. De off. Conſ. l. ſi collactaneus in fi. De man. vind. l. 4. C. qui man. non poſſ.* & pleraque alia leguntur lege lata ſimul ac S. C. obtinuiſſe, vt de colonia Vibonem deducenda apud Liuium xxxv. & de actis Cæſaris apud Ciceronem XVI. ad Att. & de bello piratico Pompeio demandato, & de miniſterio Catoni mandato prouinciæ Cypri conſtituendæ apud Velleum Paterculum. ita quoque Gaius ſcribit in Inſtitutionibus, ſuis heredibus adnumerari eos qui viuo parente erroris cauſa probata in poteſtatem eius facti eſſent, vel poſtumorum ſuorum loco eſſe, ſi poſt mortem parentis ſimiliter erroris cauſam probaſſent ex lege Ælia Sentia, vel ex S. C. Idem vero *in Sententiis* Paulus ſcripſit, vt ſui heredes poſt mortem parentis efficiantur, qui erroris cauſam probarunt, licet in poteſtate morientis non fuerint, & alio loco, conſanguineos coſdem eſſe aliis eiuſdem parentis legitimis liberis, ſi poſt mortem eius cauſam probauerint. Et hos quoque ſignificat Vlp. in *Inſtitutionibus*, dum ait, prętorem emancipatos liberos & ciuitate donatos coniungere data bon. poſſeſ. Vnde liberi, & cauſæ probationem conſanguinitatem facere. Itaque in loco illo Vlpiani ſupra relato, *Ciuitas redditur.* j. donatur. Alia eſt ratio cauſæ probandæ, & ciuitate donandi faciendique iuſti filij, qui modo anniculus ſit, parentiſque ex lege Iunia, quæ prodita eſt ab eodem Vlp. in *tit. de Latinis*, non error, ſed manumiſſio facta teſtamento, cum eſſet ſeruus minor xxx. annorum, & teſtatio quam interpoſuit in ducenda vxore, quod eam duceret liberorum quærendorum cauſa, & filius anniculus. Et eæ quidem duæ rationes faciendi filij parentiſque legitimi pertinent ad Latinos, quorum condicio cum ſit hodie ſublata, & donati omnes ciuitate Romana, ideo quod Vlp. & Gaius de his ſcripſerant in ſuis Inſtitutionibus non eſt relatum in Inſtitutionibus Iuſt. ſed horum loco poſiti ſunt qui ex concubinatu naſcũtur, ex Conſtitutionibus facti legitimi curiæ honore, vel nuptiis cum concubina contractis. Sed exemplo iuris veteris ex reſcripto principis nonnunquam legitimi fiunt, & qui ex inceſtis nuptiis nati ſunt, erroris cauſa probata, vt *l. qui in prouincia, De rit. nupt.* diſſolutis nuptiis, & errati venia datur. Probatione cauſæ opus eſt, quia error acriſſimus exigitur, non affectatus inſimulatuſque, vt eſt ſcriptum in *l. 4. C. de inceſt. nupt.* in qua quod habent vet. libri, *errore acriſſimo*, & ipſe etiam Albericus probat, rectiſſimum eſt. cum & C. Matius *apud Priſcianum* dicat, *Celeriſſimus aduolat Hector*, & Ennius *apud Chariſium*, *Equitum celeriſſimus*.

CAP. XIV.

Ad §. ſi coheredis l. 1. Ad leg. Fal.

REcte accipiunt cum Græci, tum Latini pleriquẽ *l. 1. §. ſi coheredis, Ad leg. Fal.* de iure adcreſcendi: ita vt ſi portio onerata adcreſcat integræ, ex Caſſij ſententia confundantur portiones atque legata, & oneratam impleat integra, ex Proculi autem ſeparentur, cui & Iul. qui de iure Caſſian. peritiſſimus eſſe exiſtimatur, adſentitur, quod valde confirmat Proculi ſententiam, quam & Paulus probabiliorem eſſe ait, licet decretum Antonini Pij adferat, quod pro Caſſianis facit. Improbat enim ſæpe Paulus decretum principum: nec ſane ius faciunt, niſi quę inualuerunt. Aut niſi hoc dixeris, videbitur in ea parte §. *ſi coheredis* deeſſe negatio. Porro quod quidam ſcribunt ad eum §. nihil referre adcreuerit portio portioni ex repudiatione coheredis an alio iure, mihi non placet. Nam portio repudiata Caſſij & Proculi & Iuliani ætate adcreſcebat ſine onere legatorum, quæ ab eo qui repudiauit vel omiſit hereditatem erant relicta nominatim, cum nondum prodiiſſet Conſtitutio Seueri eam adcreſcere iubentis cum onere *l. pater §. vl. l. ſi Titio & Mœuio §. vlt. De leg.* 2. vt non abs re in principio *d. l. ſi Titio*, imo congruenter iuri veteri, vt puto, duobus heredibus ſcriptis Titio & Mœuio, ponantur à Titio cc. legata, & Quiſquis heres eſſet c. & ideo repudiante Mœuio Titium debere ccc. quoniam ſi à Mœuio c. relicta eſſent nominatim, Titius deberet cc. tantum, ſecundum ius vetus, hodie ccc. ex Conſtitutione Seueri. Igitur §. *ſi coheredis* non eſt accipiendus de portione repudiata, ſed de portione defecta, quæ ſc. deficit poſt teſtamentum mortuo coherede, vel poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas. Hæc enim tam iure veteri quam legibus nouis Iulia & Papia adcreſcebat cum onere, ſicut legatum quoque quod eadem ratione deficiebat *d. l. pater in prin* quod vtique hac in re comparatur recte portioni hereditatis *l. quod ſi alterutro, Ad leg. Falc.* & hæc genera accretionum ſignificantur ver-

bo, *Vindicauero* in *d.* §. *si coheredis*, & verbo, *vindicaſſet* in *l.* 5. *D. de vulg. ſubſt.* De iure etiam adcreſcendi ſunt qui accipiant poſteriorem partem eius §. qui præcedit §. *si coheredis*, atque ita efficiunt vt quaſi certum in ea conſtituatur, quod mox fuiſſe controuerſum oſtenditur in §. *si coheredis*, & vt ſuperfluo idem repetatur in *d.* §. *si coheredis*, & vt inuertatur ordo rerum, qui eſt huiuſmodi, vt de iure ſubſtitutionis primum agatur, §. *id quod ex ſubſtitutione*, & eo iure accedentem portionem integram oneratæ oſtendatur replere oneratam, portionem autem oneratam accedentem integræ non repleri. Acceſſionis eſſe replere non repleri, augere non augeri. Deinde ſequatur in *d.* §. *si coheredis*, idem eſſe ſeruandum in iure adcreſcendi. Quod licet trahere etiam ad ius poteſtatis, *l. ſi pupillus* §. *ſi ego*, *l. maritum*, *eod.* poſt ſubiiciatur de iure adrogationis vel iure teſtamenti facti à coherede vel iure inteſtati, poſtquam vterque heres extitit in §. *ſi coheredem*. Quo caſu vtra vtri accedat non ſpectatur, ſed indiſtincte ſeparatio fit portionum legatorumque. Itaque horum opinio etiam reiicienda eſt.

CAP. XV.

Ad §. *vlt. l. qui fundum*, *ad leg. Fal.*

CErtum eſt portione integra accedente portioni oneratæ ex ſubſtitutione vulgari aut pupillari, contributioni locum eſſe, *l. qui fundum*, §. *qui filium*, *ad leg. Fal.* Portione autem oneratæ accedente integræ, contributioni locum non eſſe. nec quidquam hoc etiam caſu referre cuius ſubſtitutionis iure portio onerata accedat integræ, *l.* 1. §. *id quod ex ſubſtitutione*, *& l.* 11. §. *pen. eod. tit.* Iulianus tamen hac in re facit differentiam inter vulgarem & pupillarem in *d.* §. *qui filium*, & ſi quidem onerata integræ accedat ex ſubſtitutione pupillari ait contributioni locum non eſſe, quia eius portionis legata ſubſtitutus debet vt æs alienum pupilli, hoc eſt pupilli nomine. Sed ſi accedat ex ſubſtitutione vulgari, contributioni locum eſſe, quia hic ſubſtitutus ſuo nomine legatis à coherede relictis obſtringitur. Qua ex ratione ſatis intelligitur repetita fuiſſe à ſubſtituto legata, & hoc idem ſupponi debet in ſpecie *d. l. qui fundum* §. *vlt.* alioquin ſecundum ius quod obtinuit Iul. ętate, nullo iure deberet ſubſtitutus vulgaris legata à coherede nominatim relicta, qui repudiauit vel omiſit portionem ſuam, hodie deberet ex Conſtitutione Seueri, *l. ſi Titio & Manio* §. *Iulianus*, *De leg.* 2. quaſi ex tacita voluntate defuncti *l. licet*, *De leg.* 1. quę tamen non tantum efficit quantum repetitio expreſſa, aut ſermo generalis, *Quiſquis mihi heres erit*. nec enim portionum & legatorum contributionem inducit, *d.* §. *id quod ex ſubſtitutione*. Quid autem iuris erit, ſi portio exhauſta acceſſerit oneratæ? Et ſiue acceſſerit ex ſubſtitutione vulgari, ſiue ex pupillari, Iulianus ait in *d. l.* §. *vlt.* contributionem portionum & legatorum fieri, & ſi qua fuerit habita ratio legis Falcidię ſeparatim, eam corrigi & retractari cõfuſim, vt ſcilicet quartam bonorum coheres idemque ſubſtitutus coheredi ſumat ex confuſione legatorum, non ſeparatim ex his quę à ſe, ſeparatim ex his quę à coherede relicta ſunt, ne occurrat iniquitas ſeparatim habita ratione vt plus aut minus præſtet his vel illis legatariis quam oporteat. Et obſeruandum quod ait, ſi portio exhauſta accedat ex ſubſtitutione pupillari, contributionem fieri, licet portionis eius legata ſubſtitutus debeat pupilli nomine non ſuo, quia ſcil. accedit oneratæ, & cuius portio onerata eſt, is inſtituto comparatur, non etiam is cuius portio eſt integra *l.* 11. §. *ſi filio*, *&* §. *quæſitum*, *ad leg. Fal. l. coheredi* §. *coheres*, *De vulg. ſubſt.* Poſui in ſpecie *d.* §. *vlt.* coheredis eiuſdemque ſubſtituti ſemiſſem fuiſſe oneratum, quoniam ab eo tantum ſcribit fuiſſe legatum vltra dodrantem, non in aſſem, ſemiſſem autem coheredis aperte ſcribit fuiſſe exhauſtum. Sed idem iuris erit, ſi, vt poſuit Accur. portio onerata acceſſerit exhauſtæ, vel ſi portio exhauſta acceſſerit exhauſtæ, & ampliora ſint vnius portionis legata quam alterius, vt ſi is qui cccc. habuit in bonis, Primo & Secundo heredibus inſtitutis à Primo legauerit ccc. à Secundo cc. & Primum Secundo ſubſtituerit. nam ſi antequam ſubſtitutioni locus eſſet, Primus pro ſua parte præſtitit legata habita ratione legis Falcidiæ, puta initio detractis C. quæ ſunt extra quantitatem portionis ſuæ, deinde quarta ex cc. id eſt L. atque ita præſtitit CL. deinde ex ſubſtitutione eidem Primo obuenit portio coheredis à quo erant legata cc. Denuo ineunda eſt ratio legis Falcidiæ, vt facta contributione omnium legatorum tam à Primo quam à Secundo relictorum, quarta omnium bonorum remaneat apud Primum, vt ſcilicet eam quartam ſumat ex confuſione legatorum, non ſeparatim ex his quæ à ſe, ſeparatim ex his quæ à coherede relicta ſunt, ne occurrat iniquitas, vt plus aut minus præſtet his vel illis legatariis quam oporteat. nam ſeparatim habita ratione legis Falcidiæ his quibus à ſe relicta ſunt ccc. vt ſupra expoſui, præſtaret CL. tantum, quibus confuſa & ſimul habita ratione legatorum eſſent præſtanda CLXXX. & his quibus à coherede relicta ſunt cc. ſimiliter retentis L. præſtaret CL. quibus confuſa ratione legatorum eſſent præſtanda duntaxat CXX. comparatis ſcil. ccc. & cc. quæ ſunt in legatis cum CLXXX. & CXX. quæ ex ccc. heres præſtare debet legatariis pro rata, id eſt ſeruata ratione ſeſcupla, quam ab initio inter eos teſtator poſuit atque conſtituit. Igitur ne fiat iniuria legatariis, nec vlla inæquabilitas exiſtat, melius erit eum quartam deducere ex confuſis, non ex ſeparatis legatis, hoc modo, vt confuſa efficiant D. deinde detrahantur C. quæ ſunt extra quantitatem bonorum, poſt detrahantur alia C. quę per legem Falcidiam habere debet, & ex reſiduis ccc. his quibus à ſe relicta ſunt ccc. præſtet CLXXX. his quibus à coherede relicta ſunt cc. præſtet duntaxat CXX. Legata enim à ſe relicta augentur, ſi ex ſubſtitutione alteram quoque partem acceperit. Itaque quam in ſua portione habere occupauit rationem legis Falcidię, hęc erit pro non habita: quia nec iure habita eſt, cum minus debito eum præſtitiſſe legatariis poſtea euentus ſubſtitutionis probauerit: & ideo obueniente altera portione, denuo inducetur Falcidia in omnibus legatis. Idem vero dicam ſi è conuerſo poſueris à Primo cc. à Secundo ccc. legata, & eandem ſeruabo rationem. Conſequens etiam eſt idem eſſe ſequendum, ſi portio onerata accedat oneratæ, & ſit vna plus aut minus onerata quam altera. Oneratam dico, cuius legata ſuperant dodrantem. Exhauſtam, cuius legata abſumunt portionem totam. Et quę exhauſta eſt, vtique etiam onerata eſt. Sed non contra, quæcunque onerata & exhauſta. Ceterum ſi ponas vtramque portionem eſſe exhauſtam, nec extra quantitatem portionis cuiuſque à quoquam eſſe legatum, puta à Primo legata cc. à Secundo totidem, vel ſi ponas vtramque pariter oneratam, puta à Primo legata CLX. à Secundo totidem, ſuperflua eſt retractatio rationis, ſuperflua confuſio, cum abſque vllius iniuria coheres idemque ſuſtitutus, qui pridem in ſua portione ſeparatim habuit rationem legis Falcidiæ eam æque poſſit ſeparatim habere in portione coheredis. Quæ me ratio diu mouit, vt mallem legere in *d.* §. *vlt. nec ſemis*. Diſtinctio autem Accurſij ad *d.* §. *vlt.* inter caſum ſubſtitutionis vulgaris & caſum ſubſtitutionis pupillaris, ſatis eo *ipſo* §. refellitur.

Cap. XVI.

Actus legitimos non peragi per procuratorem.

Actus legitimi ſunt veluti aditio aut cretio hereditatis, & mancipatio, quæ & mancipium dicitur, vt cum Paulus ſcribit *in Sententiis*, *Ex primo aut Secundo mancipio manumiſſum ſuum heredem fieri*, & in iure ceſſio & acceptilatio, & tutoris datio, aut libertatis datio que fit in iure, & ſerui vel cuius alterius rei optio. Et horum actuum inter cetera proprium hoc eſt vt non fiant per procuratorem. Igitur acceptilatio non fit per procuratorem, & quod adiicitur ſine mandato, & in Baſilicis ἀνὰ ἐντολῆς ἢ τοῦ προηγουμένου, *l. 3. De acceptil.* hoc eſt, quia mandato præcedente procuratori ſit ante permiſſum nouare obligationem, *l. 13. §. tutor, eod. l. 4. C. de nouat.* remedio enim nouationis acceptilatio recte fit per procuratorē, & aditio hereditatis quoque remedio ceſſæ in iure hereditatis, & manumiſſio remedio mancipationis ante procuratori factę. Optionem tamen ſerui recte fieri per procuratorem male colligunt ex *l. pen. De opt. leg.* cum in eius legis ſpecie fiat per matrem ex præcepto teſtatoris. Et male iidem quod nemo alieno nomine lege agere poſſit, ideo patrem filij ſui nomine querelam inofficioſi teſtamenti inſtituere non poſſe, cum alia ratione Papinianus vtatur *l. Pap. in prin. De inoffic. teſt.* quia filij iniuria eſt. Ac præterea ait, inuito filio non poſſe. Volente igitur filio poteſt. Atquin ne volente quidem domino procurator lege agere iure antiquo poteſt. Male, quoſdam eſſe actus legitimos qui dilationem capiant ex die vel condicione nec momento perficiantur, cum in *l. actus, De reg. iur.* non ſit legendum *Qui non recipiunt*, quaſi ſcilicet alij ſint qui recipiant, ſed vt Flor. *qui recipiunt.* i. quibus aperte adiicitur dies vel condicio. Nam ſi recipiunt tacite, vt paulo poſt ait, non vitiantur, ſi aperte, vitiantur, in totum. Male, aliud eſſe actus legitimos, aliud legis actiones, & legis actiones definiri in *l. 2. De orig iur.* quibus inter ſe ciues diſceptant ex xij. tab. Nec enim has ſolas dicit eſſe legis actiones, ſed tantum appellari legis actiones, ſicut Gaius in *Inſtitutionibus*, dum ennarrata formula ceſſionis in iure ſubiicit, *idque legis actio vocabatur*, certe non definit legis actionem. Male inter legis actiones vel actus legitimos numerant ſtipulationem, vocationem in ius, in diem addictionem, qui & legem commiſſoriam olim numerarunt inter leges Pop. Romani. Male procuratoris dationem, appellationem, iuſiurandum, tutoris auctoritatem, vſurpationem, vadimonium, comperendinationem, & quem non actum igitur qui modo iure fiat, quem & abuſu quodam poſſent dicere legitimum, vt teſtimonij dictionem, *l. pen. C. de hæret.* pro conuerſatione legitima ſiue forenſi, vt eadem lex interpretatur, ſed non ex vſu ſolemnis iuris, non ex ſententia *d. l. actus legitimi.*

Cap. XVII.

An ſubſtitutio pupillaris lege Cornelia confirmetur.

SI pater inſtituto vel exheredato filio impuberi ſubſtituerit, deinde captus ab hoſtibus ibidem moriatur, filius autem poſt mortem patris in ciuitate deceſſerit impubes, ſubſtitutio pupillaris valet, quia fictione legis Corneliæ iam tum intelligitur filius morte patris ſui iuris effectus ex quo captus eſt pater, *l. lex Cor. §. 1. de vulg. ſubſt. l. 10. in princ. De capt. & poſtl.* Lex Cornelia confirmat & ſecundas tabulas, reducto tempore mortis ad tempus captiuitatis. Quidam dicebant ſubſtitutionem pupillarem non valere, & impuberem habiturum heredem legitimum, non ſubſtitutum, & hac ratione vtebantur, quia viuo patre filius ſui iuris effectus eſt, & ſubſtitutio pupillaris in eius tantum perſona conſiſtit, qui fuit in poteſtate morientis, *l. coheredi §. cum filiæ, De vulg. ſubſt.* Sed refellitur hęc ratio alia ratione, quia viuo patre non in plenum ſui iuris effectus eſt nondum præciſa ſpe poſtliminij *l. pen. De ſuis & leg. her.* Imo morte patris ſui iuris videtur effectus propter legem Corneliam, quæ fingit patrem mortuum ea ipſa hora qua captus eſt, atque ita eum qui vixerit, non vixiſſe fingit. Sed ſi reuerſo patre impubes moriatur, certiſſimum eſt ſubſtitutionem pupillarem non valere, quia viuo patre filiusf. deceſſit, & qui filiusf. decedit viuo patre, neque ab inteſtato neque ex teſtamento heredem habere poteſt. Ergo nec ex ſubſtitutione pupillari, quæ impuberis teſtamentum eſt. Nam & in cauſa teſtati & in cauſa inteſtati lex xij. tab. de patrefamilias loquitur. Quid autem ſi filius viuo patre captiuo, impubes in ciuitate deceſſerit? Et *l. 11. De cap. & poſtl.* conſtare oſtendit idem omnino iuris eſſe, vt ſcilicet reuerſo patre, ſubſtitutio pupillaris non valeat: quia filius intelligitur viuo patre filiusf. deceſſiſſe propter fictionem poſtliminij *d. l. pen.* mortuo autem patre apud hoſtes, valeat, quia filius intelligitur morte patris ſui iuris effectus, licet prior deceſſerit filius propterea quod lex Cornelia fingit antiquiorem & priorem fuiſſe patris mortem, licet poſterior reuera fuerit. Nihil igitur refert filius deceſſerit poſt an ante mortem patris. & vt priore caſu præmortuo patre, Papinianus in *d. l. 10.* reiicit eorum ſententiam qui legitimum admittebant non ſubſtitutum, ita poſteriore caſu præmorto filio, reiicienda eſt ſententia Accurſij legitimum admittentis non ſubſtitutum. & quod ait *d. l. 11. nihil eſſe quod de ſecundis tabulis tractari poſſit*, hoc eſt, rem eſſe certam, vt reuerſo patre non valeant. Tractationem eſſe rei difficilis & controuerſę, non rei certæ atque confeſſæ. Et ita ſi mortuo patre filius captus ſit ab hoſtibus, ibique deceſſerit impubes, reiicitur in *d. l. 10. §. vlt.* quod dici poſſet ſimiliter legitimum admitti non ſubſtitutum, hoc colore ſiue prætextu, quod lex Cornelia videatur eorum tantum teſtamenta confirmare, qui teſtamenti factionem habuerunt, quam impubes non habuit. Verum ſi lex Cornelia confirmat impuberis legitimam hereditatem nulla facta ſubſtitutione, & habet pro inteſtato eum qui teſtamenti factionem non habuit, *l. j. §. de ſuis & leg. her. l. bona, in pr. De cap. & poſtl.* & pro teſtato quoque eum habet, ſi ei teſtamentum fecerit pater. Igitur ex mente legis Corneliæ & voluntate patris, æquum erit prætorem dare ſubſtituto vtilem petitionem hereditatis, *d. §. vlt. & d. l. lex Cornelia §. ſed ſi pater*, vbi, *non incommode dici*, quod *§. vlt. non eſſe alienum dicere*, & in *d. §. vlt.* quod initio propoſuit in contrarium, obſeruandum eſt id Papinianum illo loco incipere refellere, *Plane captiui, &c.* vbi manifeſto manifeſtius eſt eſſe legendum, *quanquam*, non, *quoniam* & notandum ex lege Cornelia vtiles actiones dari, quia iure ciuili. j. ex xij. tab. eius qui apud hoſtes deceſſit, dici hereditas non poteſt, & captiuitate filij impuberis irritæ factæ ſunt ſecundæ tabulæ. Lege Cornelia inducitur hereditas contra legem xij. tabularum; inducuntur fictitiæ actiones. Quid autem ſi viuo patre filius captus ſit ab hoſtibus, ibique deceſſerit impubes mortuo iam aut viuo patre? Subſtitutio non valet, quia filiusfa. viuo patre deceſſiſſe intelligitur nullis bonis in ciuitate relictis. nec ad hunc caſum pertinet lex Cornelia. Nec enim poteſt lex Cornelia

efficere, vt cuius nulla est hereditas, i. cuius nulla bona fuerunt in ciuitate, eius sit heres aliquis. Lex Cornelia & hereditatem & heredem facit, *l. filiusf. Ad leg. Fal.* heredem non facit absque hereditate. Nulla autem sunt bona filiisf. viuo patre mortui, aut quem credimus esse mortuum viuo patre. Captiuitas mors fuisse creditur, non reuerso captiuo. Itaque patris hereditas hoc casu ad patris agnatum proximum pertinet ex xij. tab. non ad filij substitutum ex lege Cornelia. Et manifestissimum est qui hoc ostendit in *d. l. lex Cornelia* §. *vlt.* esse legendum. *Quare & si impubes*, non *pubes*. Exposui duos casus, quorum altero ponitur pater solus hostium potitus, altero solus filius. Restat tertius, Si vterque hostium potitus sit, etsi quidem vterque ibidem decesserit, licet pater prior decesserit, substitutio pupillaris non valet, quia filius nulla vnquam bona habuit in ciuitate. Sed si patre ibi mortuo post filius reuersus postliminio in ciuitate impubes decesserit, substitutio valet ex lege Cornelia perinde atque si ambo in ciuitate decessissent, quia & patet ipse fingitur in ciuitate decessisse, atque ita lege Cornelia confirmantur primæ tabulæ, ex quibus secundæ accipiunt vires. Et hoc est quod in posteriori parte *d. l.* 11. Si ambo apud hostes sint, id est si ambo sint captiui, & prior pater ibidem decesserit, non alias legem Corneliam sufficere substituto. i. non aliter legem Corneliam pertinere ad pupilli substitutionem (sufficere dicitur, quæ non deficit) quam si post mortem patris reuersus filius in ciuitate decesserit, vt *l. si pater captus, De vulg. subst.*

Cap. XVIII.

Repetita prælectio l. si seruus, De vsurpat. & vsucap.

QVibus persuaderi non potest insscientem veteres sic dixisse vt inuocantem & inaudientem & stipulantem qui sciat, qui vocet, qui audiat, qui stipuletur, hi in *l. si seruus insciente domino, De vsur. & vsuc.* vel malunt legere, *non insciente domino*, freti auctoritate quorundam librorum, vel audent affirmare etiam ignorante domino venditam à seruo rem peculiarem, emptorem bonæ fidei vsucapere posse, quod est contra *l. pen.* §. *sed & si à filio, De diu. temp. præs. & l. si seruus, De acqnir. poss.* quæ exigunt voluntatem domini aut liberam peculij administrationem, & ratio sumitur ex xij. tab. quia furtiua est ea res quam ex peculio suo vendit seruus ignorante domino. Nam & res peculiaris res domini est, *l.* 19. *De manumiss. l. si liberam, C. quod cum eo*, &c. & ignorans dominus inuito comparatur, *l. qui vas* §. *vetare, De fur.* Venditio igitur eius rei est contrectatio, rei alienæ inuito domino, & fraudulosa contrectatio, cum non potuerit seruus ignorare quamcunque rem peculiarem, rem esse domini. ergo furtum & res furtiua. Si sciente domino nec prohibente seruus venderet rem peculiarem, non esset furtum, *l. penult. De fur.* & vsucapi posset, si forte ea res extranei esset cuiusdam. Nam vt ex bonis nostris res alienæ esse dicuntur recte quas bona fide possidemus, ita & ex peculio seruorum: & vt cum dicimus rem pupilli vsucapi posse, rem intelligimus quam pupillus bona fide possidebat, ita in *d. l. si seruus*, rem domini eodem sensu dicimus vsucapi, quam à seruo extraneus comparauit sciente domino. Nec quidquã moueor *d. l. si liberam*, quam adducit Accurs. quæ de malę fidei emptore loquitur, non quasi sit permttenda vsucapio bonæ fidei emptori cui seruus rem peculiarem vendidit ignorante domino, sed vt intelligatur malæ fidei emptorem teneri furti, vt subiicit lex A in fine, bonę fidei emptorem non teneri, licet res furtiua fuerit quam tradidit seruus ignorante domino sciens suam quamcunque rem, domini esse, non suam, nihil se proprium habere.

Cap. XIX.

Repetitio quorundam aliorum locorum.

VT repetam quædam refractarij faciunt, quibus & me satisfacere æquum & vtile est. In *l. 6. C. de his qui sibi adsc.* plerosque libros admonui ita scriptum habere, *dominum non subscripsisse, nec suis literis tuam libertatem expressim agnouisse.* Nunquam negaui quin vulgaris scriptura eundem sensum exprimeret, vt simili forma in *l. fratres, C. de inoffi. test.* & eam τὸ κεφ. πόδας sequitur, in quo ita est, μὴ ὑποχεάψαντος ἰδίοις χεάμμασιν ἐκφωνηπικῶς ἐπιγνώκότος τὸ δεκόντι. Itaque nihil refert hoc an illo modo legas, sicut in *l. 78. De regu. iu. non quid habeat actor*, rectum est, non minus quam illud Græcorum, *non quid non habeat actor*, quo modo scripsisse videntur facilius eius sententiæ exprimendę gratia. In *l. Titio centum, De leg.* 2. quod addidi negationem, refellitur, noua & inaudita prolata formula proferendorum legatorum quibus dies appositus est, cum hanc tantum nouerint Iurisconsulti, *Quas pecunias legani, eas heres meus annua bima trima die dato.* cui quod inseritur *l. talis De leg. j. Quibus dies appositus non est*, ex interpretatione est, non ex ipsa formula, & circunscribendum interpositionis notis, vt apparet satis ex *l. legata, eod. tit.* & ex eo quod paulo post subiicitur in *d. l. talis*, non pertinere eam scripturam ad legata quibus dies appositus non est, & cum hæc vulgaris clausula dicatur *d. l. talis*, & qua vulgari modo dicitur proferri dies legatorum, *l. cum vulgari, De do. præle.* quæ alia quam hæc esse potest? an duæ fuere vulgares? quid cauillamur? quid rursus hac formula comminiscimur, proferri quidem legata in diem, quę diem non habuerunt, vt *l. si mihi* §. *vlt. De leg. j.* non proferri diem legatorum: ac si proferri eorum tantum legatorum dies dici possit quę diem habuerunt: & puri legati diem prorogari quidem recte, *d. l. talis, l. legata, D. de leg. j.* proferri nos dicere minus recte. quam verborum distinctionem inauditam quis vnquam admittat? Quo moueantur vis vna est verbi proferre collata à me cum verbo differre, ac si perpetuam scilicet voluerim eorum verborum significationem esse in toto iure. Dicerem non immerito quod Plautus, *me meo ludo lamberant*, quodve Aquila, ἐκ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμθα. nec obloquerer, nisi id fieret insscitè & calumniosè. In *l. 17. De manumiss. vindicta.* notaui etiam postquam prouinciam proconsul aut legatus ingressus est, apud legatum liberos aut seruos manumitti non posse. apud proconsulem posse omni tempore, apud legatum nullo. quod verissimum esse demonstrat regula illa antiqui iuris: *Nemo alieno nomine lege agere potest*, quę non de priuato tantum accipienda est qui per mandatarium lege agit, sed & de magistratu qui per eum lege agit cui mandauit iurisdictionem suam. Lege enim agere est commune reorum & magistratuum. Et manumissio & tutoris datio facta auctore magistratu, legis actio est. hæc non potest peragi per eũ cui mandauerit magistratus, *l. nec mandante, De tut. & cur. da.* Cur poterit illa magis? Et rursus si postquam ingressus est prouinciam apud legatum manumittere possumus, cur non & antequam ingressus est prouinciam? cum proconsul ei mandauerit iurisdictionem voluntariam, quam vtiq; habet etiam antequam venerit in prouinciam, & eam solam negatur mandare procon-

sulem pòsse quam non habet. Et quòd mouentur his verbis, *sed &*, quæ retinuimus, ea retinemus etiam hodie scientes frequentissimum esse in auctoribus vt sint ea modo discretiua modo coniunctiua. & piget hoc patefacere exemplis, quæ sunt innumera, quod eundem hominem fefellit etiam in enarratione *l. 3. §. vlt. de tab. exh.* Quam autem abutantur in hanc rem *eit. De offic. eius qui vicem alic. iud. obt.* paratitla in Codicem nostra indicabunt. Et quam falsum etiam illud est vt magistratus municipalis cui data est legis actio, veluti tutoris datio aut manumissio, non lege agat sine mandato. Data dicitur, *l. 3. De tut. & cur. da.* Data igitur lege, non mandato magistratus prouincialis, licet quam suo iure habuit legis actionem, verum sit eam magistratum municipalem exercere plerumque iussu, præcepto, monitu præsidis, *l. 5. de conf. tut. l. Lucius §. cum testamento, de adm. tut. l. 1. §. magistratibus*, De *mag. con. l. 2.* De *cur. fur. §. sed hoc*, De *Att. tut.* quod quidem iussum necessitatem iniungit, *l. 2. §. & quidem, Ad Tertyl.* Mandatum licet non suscipere, aliud namque iussum est, aliud mandatum, *l. 1. Quod ius.* Si pater mandauerit filiof. filius restitui non potest. Si iusserit, potest, *l. 3. §. Sed vtrum, l. cum mandato*, De *minor.* Sed posset etiam sine iussu præsidis magistratus municipalis tutorem dare, quia datum ei ius hoc est, *l. 3. l. vbi* De *tut. & cur. da.* nec vsquam legitur in manumissione quę fiat apud Duumuirum exigi aut interuenire iussum mandatumve præsidis.

Cap. XX.

Fœtus conceptos apud furem & editos apud bonæ fidei emptorem, vsucapi posse.

VLpianus in *l. qui vas §. si ancilla, De fur.* aperte definit partum conceptum apud furem & editum apud bonę fidei emptorem, furtiuum esse & vsucapi non posse, Conceptum & editum apud bonæ fidei emptorem furtiuum non esse, & vsucapi posse. Et mox subiicit idem esse in fœtu, his verbis, *Idem & in pecudibus seruandum est, & in fœtu earum quod in partu*, & in Basilicis, τὸ αὐτὸ ϗ ἐπὶ θρεμμάτων ϗ τ γονῆς αὐτῶν. Et in interpretatione quæ dicitur χεὶ πόδας, τὸ αὐτὸ ϗ ἐπὶ τ θρεμμάτων ϗ τ γονῆς αὐτῆς λέγομεν ὅπερ ἐπὶ τῶ τοκετῶ τ διεφθάρης εἰρήκαμεν. Contra Scæuola scripsit partum & fœtum editum apud bonæ fidei possessorem, conceptum apud furem, imo & editum apud furem vel furis heredem vsucapi posse; hac ratione quod non sit pars rei furtiuæ, & refertur hæc Scæuolę sententia in *l. si aliena §. vlt. De vsurp. & vsuc.* non etiam probatur ab Vlpiano. nam & partum editum apud bonæ fidei emptorem Vlpianus existimauit vsucapi posse, *d. §. si ancilla*, & multo magis partum editum apud furem. Denique partum existimauit esse partem rei furtiuę. Marcellus autem quem Scæuola refert existimasse editum apud furem vel furis heredem partum vel fœtum vsucapi non posse, quasi partem rei furtiuę existimasse videtur, editum apud bonæ fidei emptorem vsucapi posse, cum tamen hoc quoque casu possit videri pars rei furtiuæ. & sanè debuit vtroque habere partum Marcellus pro parte rei furtiuæ, aut quod magis placet Scęuolæ, habere neutro. nec enim possit vno casu statuere partum esse rei furtiuæ partem quin & idem statuat altero. Et rectius Vlpianus vtroque casu partum facit rei furtiuæ partem. Sed an idem sit in fœtu quod in partu, quæstionis est. Si vel fœtus vel partus edatur apud furem aut furis heredem, fateor neque partum neque fœtum vsucapi posse, vt & Marcellus existimauit, cum sit furtiuus. Si apud bonæ fidei emptorem, qui conceptus est apud furem, videtur non idem esse seruandum in fœtu quod in partu. Fœtum enim vsucapi posse, vt voluit Scæuola, quoniam statim adquiritur bonæ fidei emptori apud quem editur, & ideo vsucapi ab alio potest, quasi furti vitio amoto siue purgato, dominio fœtus adquisito bonę fidei emptori, quia emptori non adquiritur partus. nec enim est in fructu. Et longe fuge credere fœtum editum apud bonæ fidei emptorem non etiam conceptum, non adquiri bonæ fidei emptori. Alioquin nec lac adquiretur si plenis vberibus venierit pecus, nec lana si proxima tonsuræ. Omnia enim hæc sunt in fructu, nec diuerso iure igitur debent inter se censeri. Et calumniosa illa est interpretatio *l. 4. §. lana, De vsur. & vsuc.* quæ lanam detonsam apud bonæ fidei emptorem comparat agnis editis apud eundem, vt scilicet non sit furtiua lana non furtiui agni, & non possint quidē ab ipso emptore cum eius fiant pleno iure, sed possint ab alio vsucapi, vt, inquam, intelligatur de agnis conceptis & editis apud bonę fidei emptorem: alioquin & de lana tantum intelligatur, quæ non detonsa est modo, sed & nituit primum apud bonæ fidei emptorem. & in *l. bona fidei §. vlt. De adq. rer. do.* & si nolis legere, *Etiam si prægnantes venierint quæ subreptæ sunt*, & malis, *Etiam si prægnantes venierint vel subreptæ sint*, idem erit sensus, vt siue pecudes prægnantes subreptæ sint, siue apud furem conceperint, ediderint apud bonę fidei emptorem: fœtus fiat statim emptoris ipso iure, sicut cum de partu ancillæ agitur, hi duo casus coniungi solent, si ancilla prægnans subrepta sit, vel si apud furem conceperit. Et calumniosum quoq; illud Accursij est in *d. l. qui vas §. ex furtiuis*, natis equuleis apud bonæ fidei emptorem, supplere, & conceptis apud eundem; atque ita quas prægnantes veniisse iuris auctor significat, & Græci patefaciunt, mutare veniisse vacuas. Cum igitur fœtus concepti apud furem, editi apud bonæ fidei emptorem, eius fiant, non est dubium quin alter ab eo eos vsucapere possit. nec enim quod à domino non à fure proficiscitur vnquam potuit non vsucapi, ac proinde quod Vlpianus ait in *d. l. qui vas §. si ancilla: Idem & in pecudibus, &c.* aut referri debet ad alterum casum quo ponitur conceptus & editus apud bonæ fidei emptorem, aut plane negandum esse idem omnino. Ac proinde verum erit, esse idem & non esse idem. Non esse omnino, esse aliquatenus, non esse priore casu *§. si ancilla*, esse posteriore. Et his ita adhibeantur quę de hac quæstione scripsimus in titulum de vsurp. & vsucap. non dissimiliter.

Cap. XXI.

De lapidicinis ad l. 7. §. si vir, Sol. mat.

QVod in *l. 7. §. si vir, Sol. matr.* legi, *nec fructuosiorem fecerit*, in eo perstare me compellit *l. vlt. De fun. dot.* & ratio ipsa cui scriptum seruire debet potius quam scripto ratio. & longę maior culpa rationi euidentissimæ quam scripto inferentis vim. Si clames, vim adferri scripto, clamem, dum arcte vis tenere scriptum, vitiare te & corrumpere rationem, quod vitium certe illo longe deterius, aut hoc potius vitium, non illud. Non potest autem fructuosior fieri fundus, apertis lapidicinis, quin lapides in fructu sint. Atquin lapides non sunt in fructu *d. §. si vir, l. si ex lapidicinis, De in. dot.* Ergo his inuentis lapidibus fructuosior fundus non fit. Quinimo si deterior fit, vt ait *l. vlt. De fun. dot.* certe non fit fructuosior. Et si fit fructuosior, impensas marito restitui æquum est.

Atquin impensæ ei non restituuntur. Ergo non fecit fundum fructuosiorem. Vlpianus eleganter in *titulo de dotibus*, vtiles impensas esse, quibus dos fructuosior fit. his igitur quæ fiunt in aperiendis lapidicinis, si fundus dotalis fructuosior fit, consequens est diuortio facto præstari eas debere à muliere. aut si non præstantur, consequens est his impensis fundum fructuosiorem non fieri, nec potest igitur stare quod ait Vlpianus in *d.* §. *si vir*, fundum fructuosiorem fieri, & impensas non præstari. Ceterum lapides quos exciderit, statim in lucrũ præcipuum marito cedunt, non quod sint fructus, sed vt Græci interpretes aiunt, ἐξαίρετον ἐδόθη τὸ κέρδος, διὰ τὴν δ'ρεσιν τῆς λατομίας. aut sane vt est in contextu *βασιλικῶν*, eius fiunt interim tanquam fructus, licet non sint fructus, & teneatur etiam mulieri actione de dote, quod fundum deteriorem fecerit, in id quod interest, in quo continentur etiam lapides si extent vel quanti fuerũt, aut quanti venierunt mulieris voluntate, *d. l. si ex lapidicinis.* nam res mobiles veluti marmor cæsum, neque lex Iulia, neque noua constitutio Iustiniani prohibuit alienari volente muliere. Eademque ratio est arborum quæ fructus non sunt si eas maritus deciderit, nam & si interim eius fiant, tamen earum ratio redditur in actione de dote, vt vel ipsæ præstentur, vel pretium ex earum venditione receptum mulieris voluntate, *d. l. si ex lapidicinis*, ac præterea venit id omne quo deterior factus est fundus. Arborum autem deiectarum vi tempestatis, vi ventorum, pretium dumtaxat venit, *d. l.* §. *si fundum.* Eadem ratio superficij in *d. l. si ex lapidicinis.* Nam & vendi hodie superficium potest volente vxore, quia venditio superficij alienatio non est, & domino soli pro eo penditur solarium. Imo & res soli quæ ab initio æstimata data fuit in dotem, licet postea conuenit vt res ipsa redderetur, *l. vlt. de pact. dot. l. æstimatis. Sol. mat.* Sed vt ad lapidicinas reuertar, si fundus datus sit in dotem in quo erat lapidicina, exemplo fructuarij arbitror maritum quasi bonũ patremf. vsurum commodo lapidicinę tanquam fructu aut reditu, nisi id mulier sibi receperit in dando fundo, *l.* 8. *Sol mat. l. frugem, De verb. sig. l. item si fundi* §. *j. De vsufruct.* etiamsi lapis in ea non crescat. Quod si maritus ipse lapidicinam inuenerit & aperuerit suis sumptibus, aut agrum fructuosiorem fecit aut non. Si fructuosiorem, vt si ibi lapis crescat & plus reditus sit in eo quam in vineis vel arbustis vel oliuetis, lapides in fructu numerantur, sicut alia metalla, cretæ, arenæ, auri, argenti, ferri, & sumptum in eam rem factorum repetitio est. Si deteriorem fundum fecerit puta si agriculturæ nocuerit, si partem agri vtiliorem huic rei occupauerit, aut rem ob hanc vastauerit totum agrum instituta lapidicina, eo nomine tenetur, nec sumptuum rationem inducere potest. quæ distinctio ponitur etiam in fructuario, *l.* 13. §. *inde quæsitum, De vsufruc.* licet interim lapides eius fiant quos exciderit etiamsi non exportauerit, licet his vti possit ad vsum suum & villę, sicut arboribus deiectis vi tempestatis, non ad compendium, exemplo fructuarij, *l. arboribus, eod. tit.* vbi quod ait, *vel aliud quid ædificio necessarium*, sane & de lapidibus intelligi potest. secundum quam distinctionem, *l. item si fundi, eod. tit.* hæc verba accipi cõuenit, *Sed si hæc metalla post vsumfr. legatum sint inuenta, his vsurum.* & per hæc metalla lapides intelligit & cretas & arenas, vt *l.* 3. §. *vlt. De reb. eor. qui sub. tut.* & apud Spartianum eleganter in statuam Nigri factam ex Thebaico lapide, *Nigrum nomen habet, nigrum formauimus ipsi, Vt conuenirent forma metalla sibi.* Et intelligimus ex his locis omnibus, etiam priuatis auri & argenti fodinas possidere licere. & ferri ex *d.* §. *inde quæsitum*, licet ferrum facere non liceat cuilibet sine permissu principis, *l. vlt.* §. *magnus, De publ. & vect.* sicut nec arma fabricare.

Cap. XXII.

Confirmantur emendationes quædam ex Basilicis.

QVod in *l. apud* §. *si quis non tutor, De doli except.* iampridem emendaui, *nec vsucapta sit*, & *l.* 2. *De eo qui pro tut.* confirmat aperte & *βασιλικῶν* liber, in quo ita exprimitur sententia *d.* §. *si quis*: Ὁ δόλος τῶ προτέρους οὐκ αὐτίκειται τῷ αὐήβῳ. ἐὰν γὰρ πωλήσει πρᾶγμα αὐτὸς ἢ μὴ ἀσυκαπτιδόσῃ αὐτὸ ὁ ἀγοράσας, ὁ ἄνηβος ἐνδικεῖ αὐτὸ μὴ αὐ|τηδεμόνος αὐτῷ παραχαφῆς, καὶ εἰ ἔλαβεν παρ αὐτὸς τὰ ἰκνιά. & ratio probat certa, quia si vsucapta sit, vindicatio rei pupillo non competit contra ius ciuile non rescissa vsucapione, quam fuisse rescissam non ponitur in *d. l. si quis.* nec sine calumnia erui ex his verbis potest, *Rem suam persequenti.* ac si non aliis quoque locis innumeris ea verba directam vindicationem demonstrent, & dicantur omnes vindicationes comparatæ rei persequendæ gratia §. *rei, Inst. de act.* & ipsa quoque vindicatio pignoris persecutio pignoris, *l.* 18. *C. de pignoribus.* nec facile dabitur restitutio pupillo in ea re quæ non fuit pupilli propria (alioquin vsucapi non posset) sed quæ ab eo bona fide possidebatur contra eum qui iure ciuili per vsucapionem eius rei dominium adquisiuit. Quod autem in *l. sancimus* §. *vlt. C. de donat.* admonui esse legendum, *nec adiiciatur tempus vitæ vel donatoris, &c.* aut, *vel non adiiciatur*, etiam confirmaui ex *βασιλικῶν* interprete Isidoro. nec dissentit *βασιλικῶν* contextus, in quo ita est, εἰ ὃ μὴ ῥητὸν χρόνον δείξωσιν, quam negationem Heruetus omisit perperam. Sed hoc non est satis, nisi etiam ratione fulciatur. vulgo ita legitur, *Sin autem etiam heredum ex vtraque parte fuerit mentio, vel adiiciatur tempus vitæ vel donatoris vel eius qui donationem accepit &c.* quibus verbis duos statuit casus, quibus stipulatio certæ quantitatis annuæ donãdi animo interposita indiget actorum monumentis. vnus, si heredum facta fuerit mentio, quem facile admitto, quia perpetuam facere præstationem voluit. Alter, si adiiciatur tempus vitæ donatoris vel donatarij. quæ verba etiamsi ita malis accipere, vt non stipulatus sit quandiu ipse vel promissor viueret, quo casu certum est acta non interuenire, sed ad certum tempus vitæ, siquidem ad annos c. vt Accursius posuit, posset dici insinuatione opus esse, non etiam porrigi in heredem, si intra annos c. mortem obiret. Sed si ad biennium vel triennium, quis hoc casu exigeret insinuationem? Ergo non est omnino verum vitæ præscripto certo die in quem duraret annua pensitatio, insinuationi locum esse. ac ne prescriptis quidem c. annis. nam cum hic sit vitæ finis & longissimum spatium senescendorum hominũ, qui præscribit c. annos, quid aliud præscribit quam finem extremum vitæ, ac si diceret simpliciter, Quoad vixeris, aut ego vixero? Quod si fingas stipulatum quoad viueret ipse vel donatarij ad annos x. hic casus non erit alter à primo, quo heredum ponitur habita mentio: nam qui post mortem stipulatur, & tacitam heredum mentionem habet. quid si ad annum tantum? quis hoc casu exigeret insinuationem sub incerto fortunæ exitu, cum possit vel hic vel ille post stipulationem interpositam paruo momento vitæ superesse, vt & rationi ei sit hoc casu locus, quæ traditur in *d. l. sancimus* §. *pen.* & definitis etiam x. annis post mortem, possit summa summarum non excedere summam legitimam. ac præterea planum est eum qui certum tempus præscribit, noluisse facere perpetuam obligationem, sed eum duntaxat qui infinitum

& incertum

& incertum puta qui heredum mentionem habet, nec adiicit diem vitæ donatoris vel donatarij. Et quo vero modo *vel* in *nec* mutamus *d. l. sancimus* mutauimus etiam merito, *l. solutum* §. *si in sortem*, *De pign. act.* quod me studio nescio notandi, an quo alio per aliorum scripta errantes πολυβλέποντες τινὲς, & hoc loco tractare iterum & patefacere compellunt. *Si in sortem duntaxat vel in vsuras*, inquit, *obstrictum est pignus, eo soluto propter quod obligatum est, locum habet pigneraticia.* Si in sortem duntaxat non in vsuras, verum est soluta sorte pigneraticia agi posse. Si in vsuras duntaxat, saltum solutis vsuris pigneraticia agi cum effectu posse, quia ob sortem pignoris retentio creditori competit, *l. vnica, C. etiam ob chir. pec.* & §. *si in sortem*, quid aliud spectat quam effectum pigneraticiæ actionis? nec possis dicere §. *si in sortem*, non intelligi de pignore obstricto in vsuras duntaxat, sed de obstricto in sortem & in vsuras. Alioquin subiiceret statim frustra, *eo soluto propter quod obligatum est pignus*, si in omnem causam obligatum est. & idem casus repeteretur etiam frustra in §. *seq.* Igitur tres sunt constituendi casus, aut in sortem duntaxat, aut in vsuras obligatum est pignus, aut in sortem & in vsuras. primo casu soluta sorte pignoris retentio non est; secundo solutis vsuris pignoris retentio est, tertio soluta sortetantum vel vsuris pignoris retentio est etiamsi vsuræ de quibus conuenit in stipulationem deductæ non sint. Et obseruandum quod Græci distinguũt recte, in sortem pignus acceptum non obstringi etiam in vsuras in pactionem deductas sine stipulatione, nisi specialiter conuenerit & in eas vsuras teneri pignus, *l.* 4. 21. 22. *C. de vsur.* obstringi in vsuras in stipulatum deductas etiamsi nihil conuenerit specialiter, sed data sint pignora simpliciter, *l.* 8 §. *vlt. De pignor. l. creditor* 12. §. *sciendum, l. Lucius, l. pen. Qui pot. in pig. hab.* ac rursus ob vsuras deductas in pactionem non stipulationem, pignoris retentionem esse non persecutionem, ob deductas in stipulationem etiam persecutionem esse, i. actionem hypothecariam, de qua est *l. grege* §. *vlt. de pignorib.* ob eas de quibus nihil conuenit contracta tacita antichresi non rei pigneratæ, *l. 8. in quib. cau. pig. tac.* Et quæ ab aliis adfertur distinctio, vt pignus acceptum in sortem, tacite teneatur in vsuras non deductas in stipulatum si tempore contracti pignoris de eis præstandis conuenerit, vel etiam si antequam contraheretur pignus, non etiam si postea, nulla iuris auctoritate comprobatur. nam, *l.* 4. *C. de vsur.* exigit specialem & in vsuras pignoris conuentionem. et si tacita interpretatione pignus traheretur ad eas de quibus antea, cur non ad eas de quibus postea conueniisset. nihil refert ante aut post solutionem declaret debitor in quam rem soluerit. nihil refert ante an post rei traditionem fiat pactum, nihil ante an post numerationem fiat stipulatio. Et ante an post pignoris conuentionem, de vsuris pactio fiat, ex illorum sententia scilicet multum interest. quorum & illud ridiculum ex verbo, *repromisit*, in *d. l.* 4. aucupari stipulationem, ac si non eo verbo passim & sponsio significaretur & pactum, & nudus consensus, & dictio & pollicitatio & contractus omnis, *l. sciendũ* §. *dictum, de ædil. edic. l.* 9. *in pr. De duob. reis, l. nuda, C. de contract. stip. l. si pacto quo poenam, D. de pact. l.* 3. *D. de spons.* Et minus esset promittere quam spondere. Seneca. *in epist. Iam non promittunt de re, sed spondent.* Postremo partim ex Noricis partim ex Flo. Pandectis quod olim adnotaui in *l capitalium* §. *diuus, D. de poen.* sic esse legendum, *Quemadmodum etiam his qui in perpetuum opus damnantur*: aut certe secundum Flo. *Quandiu etiam hi qui in perpetuum opus damnantu*, vt *quandiu*, sit *quatenus*, sicut in *l. si filia* §. *si filius in fi. D. fam. erc.* vt contra quatenus, id est, quandiu, §. *item qui Reip. Inst. de exc. tut.* id etiam confirmabo ex Basilicis, in quibus ita est, ἐπεὶδὴ καὶ ὁ διὰ ωσκῶς εἰς ἔργον καταδικαζόμενος. & in interpretatione, καθὼς καὶ τὸ εἰς ἔργον διὰ ωσκὴς ἕτερον καὶ ἐπὶ μετάλλε καταδικαζομένων. Idem hoc etiam confirmat hæc adnotatio Græcorum. Σημείωσαι ὅτι ἡ εἰς ἔργον μετάλλε παρόσκαιος ἐξοεία, ὁ ποιεῖ ὅλον, ἔτε μὲν ἡ εἰς ἔργον δημόσιον διὰ ωσκὴς ἐξοεία. μεῖζον γὰρ τὸ ἔργον τῦ μετάλλε, τῦ δημοσίε ἔργου. Et comparatio perpetuum damnati in opus metalli cum damnato ad tempus hãc interpretationem exigit, quia ille fit seruus, hic liber manet, ille ciuitate & libertate plectitur, hic ciuitate tantum. Et ob id Græci etiam rectissime in *l. aut damnum* §. *in ministerium, eod. tit.* legunt, *retinent libertatem*, μένεσιν ἐλεύθεραι, & aliter, σώζεσι τὴν ἐλευθερίαν, quæ scilicet in ministerium metallicorum ad tempus damnatæ sunt, ex aduerso damnatarum in perpetuum, quæ fiunt seruæ pœnæ, vt in eadem lege §. *quicunque*, vtrum serui pœnæ isti efficiantur an retineant libertatem. Et omnino ex triplici scriptura *d.* §. *in ministerium, amittunt ciuitatem, retinent ciuitatem, retinent libertatem*, possis hanc constituere esse veriorem quę conficiatur ex omnibus. Retinent libertatem; amittunt ciuitatem. Et abundare negationem in hoc scholio Græcorum, ἐκ ἐκπίπτουσι τ̃ πολιτείας. Ergo adeo maior est pœna operis metallici quam operis publici, vt in perpetuum damnatus ad metalli opus, ciuitatem & libertatem amittat, damnatus ad tempus, ciuitatem tantum. Et mentitur qui fateri me scribit dãnatum in opus metalli temporarium, ciuitatem non amittere. In opus autem publicum perpetuo dati ciuitatem tantum amittunt non libertatem, *l. sunt quidam*, *D. eod.* & *d.* §. *diuus, l.* 1. *C. de poenis*, damnati ad tempus in opus publicum, tam ciuitatem retinent, quam libertatem, *l.* 6. *C. ex quib. cau. inf. irr.* Item in opus metalli damnantur serui, non in opus publicum, *d. l. aut damnum* §. *vlt.* & *l. seruus.* quia leuior est pœna operis publici, & domini potestas plerunque grauior.

Cap. XXIII.

De regulis quibusdam iuris.

NOn est nouum vt recepta principali re agatur de accessione. Si dotalem fundum, aut seruos dotales receperit mulier, nihilominus agere potest de fructibus, & partibus, & peculio, & adquisitionibus seruorum, *l. si marito* §. *vlt. l. vlt. solu. matr.* Si hominem petitum mors subduxerit, nihilominus remanet actio propter fructus & partus, *l. vtique, de rei vind.* Si ream adulterij, remanet quęstio dotis, *l. vlt. C. ad l. Iul. de adult.* vel si filium quemcunque reum, quæstio pecuniæ, *l. defuncto, De publ. iud.* Si actione commodati simplum recepero, nihilominus possum agere actione legis Aquiliæ, de eo quod simplo accedit per repetitionem xxx. dierum. Simplum est litis æstimatio, & quod ei accedit pœna. Et simplo subducto, id est, extincta petitione simpli, pœnæ petitio locum habet, vt nos alias docuimus esse legendum in extremo *l. qui seruum, de oblig. & act.* quod sunt valde suaues qui reprehendunt hac ratione, quia simplum non sit consecutus, qui non & pœnam consecutus est, quam vel proposuisse, satis refutasse est. Et suauitas par quoque in ea regula noua, subducto principali accessionem non remanere, contorta ex regula notissima, *Cum principalis causa non consistat.* &c. cuius mens ea non est. Subducto scilicet testamento principali, non remanere substitutionem, vt *l. in ratione* 11. §. *si filio, ad l. Falcid.* Subducta principali obligatione, non remanere hypothecariam, vt *l.* 2. *C. de luit. pign.* Denique subductis his quæ retuli initio, non remanere accessiones. Subducto simplo non remanere pœnam. quo quid stultius? quid item illo,

in *l. quotiens* §. *vlt. eod. tit. id consequatur*, sic interpretari, vt posteriori iudicio in quo tantundem sit aut minus quam priori, id consequatur quod obtinuit. Quod enim obtinuit, id consecutus est. Consequi, est sententiam consequi, *l. si prætor* §. *pen. de ind.* quod item tenere & obtinere. Bis igitur idem consequi, bis eadem de re iudicium fieri, & acumen in Paulo quærere vbi nullum est acumen: quæ perspicacitas & in alterius regulæ tractatione patefiet. *Eius est nolle, qui potest velle*, vel eodem sensu: *Eius est non velle, qui potest velle.* Quod ex Vlpiani III. *ad Sabinum* proditum est, quo idem scripsit, nolle adire hereditatem non videri eum qui non potest velle adire, quod de filiof. & seruo dici potest. Sicut & quod est in sequenti regula, *Velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel domini.* Itemque de alio quolibet, vt repudiare hereditatem legitimam non videatur qui non potest eam adire. puta nesciens eam sibi deferri ab intestato, *l. mater, de inoff. test.* In Flor. Digestis regula ita concipitur, *Eius est nõ nolle, qui potest velle.* Nec minus vera hęc, quam illa. Sed illam malui adferere, vulgarem scilicet, & Noricam & Basilicam scripturam, non ignorans quam sepe in Flor. redundent negationes, nec tamen statuens aliud esse nolle & non velle. hac distinctione firmaui vulgarem scripturam, vt adfirmat fere in orbe natus: quinimo existimaui semper nihil referre hoc modo regula conciperetur, *Eius est nolle*, an, *Eius est non velle*, quod satis declaraui regulę adhibita *l. nolle, de adqu. her.* Ceterum quod aliud sit non nolle, aliud non velle, ideo multum referre existimaui hoc modo conciperetur, *Eius est non nolle*, an hoc, *Eius est non velle.* Non nolle esse pati, Non velle, nolle. Et licet differentia sit quædam inter nolle & non velle, si quis subtilius intueatur, quam & Aristotel. seruat, separans nolentem & volentem à non volente, & quod alius sit non volens, æquum esse dicens aliud ei quam nolentis aut volentis nomen dari, tamen & non velle dicimus pro nolle, & nolle pro non velle, vt cum inuitus dicitur is qui patitur, & tacet in plurimis articulis iuris nostri, quid aliud est quam nolentem esse, aut nolle eum qui non vult, id est, qui non palam dicit se velle, vt plane eum appareat nolentem aut inuitum duob. modis dici posse, & vt Aristotelem, ita nos distinguendæ ambiguitatis causa nolentem à non volente separare. Ceterũ & separata nolle à Non velle significatione, etiã discrimẽ facimus inter non nolle & non velle, quod hic scilicet velle, illi nolle sit oppositum & quod hic quodammodo nolit, ille quodammodo velit, quodque vt sunt ἀντίστοιχα velle & nolle, ita non velle & non nolle, nolle autem & non velle σύστοιχα, itemque velle & non nolle: eademque ratio horum verborum, nocere, prodesse, non prodesse, non nocere, in quæstione de iuris & facti ignorantia, & in tractatu de procuratoribus cum agitur de vero aut falso procuratore, quibus ex aduerso opponitur non verus, non falsus, vt qui bona fide aut per errorem accedit ad negotia aliena: nam si veri aut falsi medium sumas ex negatione extremorum neque falsum, dicens tamen extrema vt sunt opposita, ita necesse est extremorum negationes esse oppositas inuicem, siquis eas diuidat ac consideret per se.

Cap. XXIV.

Refelluntur veteres quædam adnotationes in l. Cum Stichus, De solut. & l. 2. de bo. eor. qui ante sent. mort. sibi cons.

PRodiit vetus quæ dicitur adnotatio, qua *l. cum Stichus, de solut.* in concordiam adducitur cum *l. Si centum, De verb. oblig.* hoc modo. Lex *si centum* loquitur de incertis hominibus promissis, quę stipulatio numero diuiditur. Lex *Cum Stichus* de certis hominibus. quam non admittet qui animaduerterit. *l. Cum Stichus* loqui de x. hominibus promissis, ergo de incertis non certis. & tamen specie obligationem diuidere non numero. neque vero ea ratio componendi dissidij vetustior est Accursiana: nam hoc idem voluit Acc. adnotans in legibus contrariis factam hominum promissionem in genere, in *l. Cum Stichus*, homines x. fuisse specialiter designatos, nec aliam comperi nouam quemquã adinuenisse. Nam quod Ioannes scribit hanc vocem decem homines, aut decem denarios potuisse quidem accipi generaliter, sed in *l. Cum Stichus*, accipi specialiter de certis corporibus seruorum aut numorum, quid aliud est quam quod veteres responderunt. Et hanc tamen veterum interpretationem neque verba ferunt, vt ante dixi, neque sententia auctoris, qui à duobus Stichis separat duos aut decem homines promissos, sane nec quidquam, si & illi x. homines certi homines sunt. Si igitur incerti sunt, falsum est quod ait stipulationem x. hominum aut decem denariorum corpore diuidi non numero, quod in denariis euidentius apparet. Et si in denariis compertum ius est, numero diuisionem fieri, idem ergo statui debet in hominibus: nam & hi & illi communi & promiscua specie continentur non propria, parem enim vsum omnes denarij, omnes serui præstant, scilicet in suo genere, idemque æquum est constitui propter adiectionẽ numeri si duo Stichi promissi sint, vt pro numero qui adiectus est stipulationi, diuidatur stpulatio. Idem si x. si c. homines nominatim promissi sint, deniq; idẽ siue specialiter siue generaliter adiecto certo numero homines promittantur. Sed tractemus etiam de alia veteri adnotatione, qua *l. 2. de bo. eor. qui mor. sibi consc.* componitur cum *l. eius, De iur. fis.* hoc modo: Lex *secunda* loquitur de eo qui fuit à latronibus nominatus, & pro confesso habitus atque conuicto obiit corrupto accusatore. Lex *eius*, de eo qui corruperat accusatorem tantummodo. nam & is qui accusatorem tantum corrupit, satis habetur pro confesso atque conuicto, qui frustra adiicitur & hunc quoque aduersarium corrupisse, *d. l. 2.* Quinimo verba eius legis aperte demonstrant à latronibus nominatos non alia ratione videri confessos de crimine quam quod corrupto accusatore diem suum obierunt: & alia quæcunque ratio commentitia est, aut illa superflua. Et quod est in Basilicis, ὡς φανερῶι γενόμενοι, nihil aliud est quam quod in in Digestis, vt confessi de crimine, ac denique vt de corrupto tantum accusatore *l. 1.* ita & *l. 2.*

Cap. XXV.

Etiam cœptum nedum perfectum crimen puniri.

QVod Seruius Honoratus Virgilii interpres scripsit, iure Romano non tantum effectum puniri, sed & voluntatem, & Seneca VII. *Decl. scelera quamuis citra exitum subsederint, puniri*, idem certe est proditum *l. 1. C. Th. ad leg. Iul. de ambitu*, his verbis *pari sorte leges scelus punire, & sceleris voluntatem.* Et *l. quisquis, C. ad leg. Iul. maiest.* in qua ea verba, eadem seueritate voluntatem sceleris qua effectum puniri iura voluisse, generaliter sunt accipienda, nec coangustanda ad maiestatis crimen: nam & sollicitatores alienarum nuptiarum etiamsi adulterium

perpetrare non potuerint, propter voluntatem pernicioſæ libidinis extra ordinem coërceri legimus, *l. 1. D. de extr. cr.* & Iouiani atque Maioriani conſtitutione generali pari pœna plectitur qui rapuit deuotam virginem, & qui nuptias eius affectauit, *l. ſi quis non dicam, C. de epiſc. & cler.* vel vt Sozomenus adiicit, qui eam ἀκολάσως intuitus eſt, & *No. Maioriani de ſanct. & vid.* & ſimiliter qui officium in prouincia gerit, ſi mulieris ex ea prouincia inuitæ nuptias tentauerit, *l. 1. C. ſi quae. praed. pot.* Et fur quoque vel effractor, vel vecticularius, aut raptor manifeſtus, licet effectu potiri non potuerit, legibus coërcetur. Et vt Quintil. ait, *Decla. 274.* Inſidiatus ciui, etiamſi non effecerit ſcelus, pœnas tamen legibus ſoluit. Et proditoris patriæ conſilium quoque & voluntatem ſolam, licet rem non peregerit puniri conſtat, cum ſit læſę maieſtatis reus. Et eum quoque qui ſeruum alienum corrumpere tentauit ex *l. 20. C. de fur.* & ſunt in hanc rem elegantiſſima verba hęc Maximi Tyrij : ᾧ μοιχὸν καλάζῃ ὁ νόμος, ἀ τὸν δράσαντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν βεβουλευκότα καὶ τοιχωρύχον τὴν ἐπιχειρήσαντα, κἂν μὴ λάθῃ δράσας, καὶ πεφόβηκε τὴν μελετήσαντα κἂν μὴ πράξῃ. Et illa quidem generalis definitio ſane certiſſima eſt in atrocioribus criminibus quæ & naturali & ciuili iure dãnantur, non in leuioribus, vt *l. 22. §. ſed & ſi ei ſeruo, ad l. Corn. de fal. & in l. cogitationis, De pœnis*, quam *lib. 3.* oſtendi pertinere ad edictum *Quod quiſque iuris.*

Cap. XXVI.

Adinitium l. ſi quis fumo, ad l. Aquil.

OCcidiſſe quidem vulgo dicitur & qui quolibet modo mortis cauſam præbuit, *l. ita vulneratus, ad l. Aquil.* vt M. Tullius Antonium qui Seruio Sulpitio cauſa mortis fuit, Seruium occidiſſe dicit. Et in lege Cornelia de ſicariis, nihil intereſt, occidat quis, an cauſam mortis prębeat, *nihil intereſt. ad l. Corn. de ſic.* quam ſententiam apud Nicetam in Iſaacio Angelo his verbis vſurpat rex Sicilię, μηδὲ διαφέρειν τὸ φονεῦσαι, καὶ φόνου αἴτιον πεφάσθαι. At in lege Aquilia occidiſſe is tantum dicitur proprie, qui ſua manu ſuove corpore necauit, *d. l. ita vulneratus.* Et qui alio modo mortis cauſam præbuit, non tenetur directa actione legis Aquiliæ, ſed vtili. Cuius rei exemplum eſt in *l. item ſi obſtetrix, eod.* & aliud in *l. ſi quis fumo, in princ.* Si quis fumo facto alienas apes fugauerit, vel necauerit : hic enim in factum actione teneri dicitur, id eſt, vtili actione legis Aquiliæ non directa. Ciuili igitur non prętoria in factum. Et quod fumo abigit ait, aut necari apes, Apollonius eleganter expreſſit his verſibus 2. Argonaut.

Ὡς ὅ μελισσάων σμιλῶδες μέγα μηλοβοτῆρες
Ἠὲ μελισσοκόμοι πίδῃ ἔνι νηπιόωσιν,
Αἵ δή τοι τέως μὲν ἀολλέες ᾧ ἔνι σάμβλῳ
Βομβηδὸν χλονέονται, ὅτε περὶ ὄλιγυόεντι
Καπνῷ τυφόμεναι πέδης ἐωὰς αἴσσουσιν,

Idque fieri notant interpretes διὰ τὸ στενόπορον τῆς αὐτῆς τοῦ ὄσφρησιν. Valde autem pertinet ad legem Aquiliam, & *d. l. ita vulneratus*, quod ita Quintil. ſcribit *Decl. 350. Cædes videtur ſignificare ſanguinem & ferrum. Si quis alio genere homo fuerit occiſus, ad illam legem reuertemur, ſi inciderit in latrinas, aut in aquas præcipitatus, ſi in aliquam immenſam altitudinem deiectus fuerit, eadem lege vindicabitur, qua ille qui ferro percuſſus ſit.*

Cap. XXVII.

Luſtramenti cauſa quid ſit Cantharides dari, & Clauis, & Embamma.

INter venena mala numerantur cantharides in *titulo Digeſtorum ad legem Corneliam de ſicariis, l. 3* quod ſcilicet luſtramenti cauſa dentur, id eſt, vt Baſilica interpretantur, ὅπως καθάρσει. Gloſſę luſtramentum purgamentum interpretantur, & περικάθαρμα. Hanc autem vim cantharidum etiam Galenus *lib. de ſimpl. med. pot.* expreſſit his verbis : καθαίρει διαφορήσει νεφρούς, hoc eſt vlcerat, purgat, luſtrat renes & veſicam, cuius rei cauſa nos latet, ſicut lepus marinus cur potiſſimum erodat pulmonem, aſpidum venenum cur cerebrum, renarum potus cur vaſa ſpermatica. Et quod veſicam exedat cantharis, vnde & ſupprimatur vrina, & exprimatur ſanguis, Nicander in Alexiph. Ἄλλοτε δὲ μισάτη ἐπιδάπτεται ἄλγεσι νηδύς Η κύστις βεβαθεῖσα. Porro cantharidi ſimilis eſt Bupreſtis, quæ in eadem lege tam in Flo. quam in Baſilicis ἢ βοδαχαμμαπσμὸν, vel vt Rhetores loquuntur βοδαφθορὸν, bubroſtis, cum bubreſtis dici debeat, ἀπὸ τῆς ἐμπεφῦναι τὰς βόας : nam bubroſtis ingentem famem aut voracitatem ſignificat. Nicander, Εἰ δ' ὁλοὴ βάβεφσις αὐδρείῃσι πελάσσει. In eodem tit. *l. 1. Si claui percuſſerit*, id eſt, radio, aut ferrea. Solinus Pſitacum, cum loqui diſcit, verberari ferrea clauicula, Plinius ferreo radio. Etiam hoc capite adnotabo embamma apud Vlpianum, *l. 9. de contr. empt. & l. 9. De trit. vino leg.* non eſſe vinum quod coacuit, ſed acetum factitium, vel vt in Baſilicis σκλασόν idemque bamma ſignificat illo Nicandri loco, νέμοις δ' ἐν βάμμαπι πῆχας, & illo πόις ἐνὶ βάμμασι σίμβλων, in Alexiph. atque etiam illo Theriac. εἰ δ' σύγε βίβλας ὀλίγῳ ἐν βάμμαπι κάμπτω, quanquam Dioſcorides videatur accepiſſe pro oleo. Et à me teſtimonium facit Q. Serenus his verſibus.

Cantio namque poteſt diros prauertere morſus,
Si iecur exectum tardo de vulture portes
Erucis aut ſi totos perduxeris artus
Quas prius attritas vehementi ſpargis aceto.

Et rectius etiam interpres Nicandri pro aceto non pro oleo, vt Dioſcorides hoc loco, βάρβαροι ἐν χύδῃσι καθεφθέντες ἄειστοι βάμμαπι.

Cap. XXVIII.

Calamitates ſegetum quædam notata in tit. De locato conducto.

INter calamitates ſegetum *l. ex conducto §. ſi vis, D. loca.* numerat ſturnos & graculos. ex quo apparet gregatim volitare, vt Aratus ait, φῦλα κολοιῶν φαινόμενοι ἀγεληδὰ, nec igitur eſſe μελανοκορυνέας, qui non ſunt ζωαγρεπικοί. Et his licet addere paſſerum & gruum agmina. & murum ſimiliter ac locuſtarum examina, *l. excepto, C. eod.* Orpheus de corallio quaſi vim habente ab his vitiis ſeruandę ſegetis. Ἐκ δ' μυῶν ἀγέλας, ἐκ τ' ἀκρίδος ἄπλετον ἔθνος Ῥαίσει. Nicander Ther.

Μάσται σιτοφαάγῳ ἐναλίγκια, τοὶ θ' ὑπὲρ' ἄκρων
Ἰπάμφοι ἀθέεσσι, λέπυρον τάχυ ἐκβόσκονται.

Arnobius 1. à locuſtis & muribus genus omne acciditur, atque arroditur frugum. Et addit *l. ex conducto*, raucas. quo nomine ſignificari vermiculos cum certum ſit ex Plinio, & ex eodem ſegetes eſſe vermiculationi obnoxias, quęſo ne ſequamur Alciatum qui

pro raucis reponit erucas. A raucis diuersæ sunt volucræ, salictis pampinis & vuis infestę, vt ex Columellæ *libro de arboribus* constat, & in eiusdem hortulo est legendum, *In festa Baccho, glauciſque ſalictis Naſcuntur volucrę.* At vero nec illo loco *d. l. ex conducto, ſed & ſilabes facta ſit, omnemque fructum tulerit*, Budæũ sequamur reponentem tabes, ac si labes nihil aliud sit quam soli fragor, de quo cum agitur inferius, puta si terræ motu corruerit ager, ideo illo loco non esse legendum, labes. Quod refellitur propterea quod de labe fructuum ille locus est, quæ plerumque contingit flatu ventorum, aut pluuiarum incursu, aut alio casu superiore, non de labe cum terra desederit, *l. vlt. eod. tit.* & Basilica vice eorum verborum habent: ἐὰν ἀπὸ ὀλίσθε πάσης ἀρδῶσιν οἱ καρποί. Cyrillus autem: εἰ δὲ γέγονε ὀλίσθημα ἐπίκλυσις πολλῶν ὑδάτων. Et aliud malum vredinis quod subiicitur in *d. l. ex conducto*, iidem Græci ἐρυσίβῃ interpretantur. De quo idem Orpheus.

---καὶ αἰθιοπῆα ἐρυσίβην
Ἥτε πυρεσσόεντα πεδῴην ποτὶ καρπὸν ἐρυθρὴ
Ἀμφὶ θεὴ σαλύσσει θεσπεσίῃ ἀνέμοιο.

Eo vero nomine proprie significatur rubigo siue rubellio. Porro aliud vitium est rubiginis, aliud vredinis. Plinius. *Aliis rubiginem, aliis vredinem, aliis carbunculum impellentibus*: fit quidem vt est in Glossis, rubigo vt πάχνη, quę est vredo siue pruina. Vtraque enim ex rore putrefacto, vredo ex rore concreto. Carbunculum autem Plinius dixit quem Germanicus Arati interpres caliginem, nebulas scilicet aëris.

Cap. XXIX.

Ad Iustiniani Nouellam xxxi.

IN *Nouella xxxi.* à Iustiniano quatuor constituuntur Armeniæ, & in prima quidem vrbes septem, Theodosiopolis, Satala, Nicopolis, Colonea, Trapezus & Cerasus ex sinu Polemoniaco, & metropolis Basanis, quæ olim Leontopolis appellata est. in secunda quinque, Sebastopolis, Commana, Zela, Brisa, & metropolis Sebastea. In tertia sex, Arca, Arabissus, Ariarsathea, Comana siue Chryse, Cucussum, & metropolis Melitena. In quarta ponuntur multæ barbaræ gentes quæ olim sub Satrapis erant, Tzophane, Balbitene, & alia barbara nomina. Eustathius *in Dionysium* θεωγητῶ Tzophanem dixit, & Balbitenen, qui & hanc diuisionem Armeniarum Iustino tribuit, Iustinum scilicet pro Iustiniano accipiens: & verba Eustathij hæc sunt. Τῶ Ἀρμενίαν χώραν εἰς δύο διελεῖν λέγεται Ἰουστῖνος ὁ βασιλεύς, καὶ πρώτῳ μὲν, φασὶν, ἔθετο τῶ ἐνδοξοτάτῳ ἐπαρχίαν, εἰς μητρόπολιν Βαζανις ἡ πρὶν Λεοντόπολις. Ταύτης δὲ ὄντι καὶ ἡ Θεοδοσίου πόλις, καὶ ἡ Κολώνεια, καὶ ἡ Τραπεζοῦς δὲ καὶ ἡ Κερασοὶς ἐαυτῆ Πολεμωνιακοῦ κόλπου. Δευτέραν δὲ ὁ αὐτὸς ἔταξεν Ἀρμενίαν ἐν πέντε πόλεσιν, ὧν καὶ ἡ Σεβαστεία. Τείτῳ δὲ Ἀρμενίαν κατέστησεν ἐξάπολιν, τῶ ποτε καλουμένῳ δευτέραν Ἀρμενίαν, ἧς ἡγεῖται ἡ Μελιτηνή. Περὶ ταύτην τῶ Ἀρμενίαν καὶ ἡ Κομάνα, ἡ καὶ Χρυσὴ ὀνομαζομένη καὶ ἡ κουκουσός. ἐπέστησε δὲ καὶ τετάρτῳ Ἀρμενίαν τὸν Σαράπιν ἔσαν, συγκειμένῳ ἐκ διαφόρων, καὶ λεγομένῳ Τζοφανῶ, καὶ Βαλβιτηνῶ, καὶ τοιαῦτα πινὰ βάρβαρα ὀνόματα. Olim duę tantum fuerunt Armeniæ, vt constat ex Notitia imperij sub Arcadio & Honorio, prima quæ ex Nouella Iustiniani secunda, secunda quæ tertia. idem vero Eustathius ex veteribus refert, quod alibi scriptum non memini me legere, Vespasianum Imperatorem Thraciam ab Europa separasse propter magnitudinem & splendorem eius: nam ab ostiis Danubij ad Macedoniam vsque porrigitur. Itaque Propontidem & partem maris Ægei & Hellespontum occupat, vt recte Herodotus dixerit, Thracas post Indos esse omnium maximam gentem. Neque vero ea separatio ab eo quod ex Androne Halicarnasseo refert interpres Æschyli, Oceanum ex Parthenope suscepisse Europam & Thracem: ex Pompholyge, Asiam & Lybiam. ait autem Eustathius, Οἱ παλαιοί φασιν ὅτι ὁ Ὠκεανὸς ἐχώρησε τῶ Θρᾴκῃ ἀπ' Εὐρώπης: & alio loco, καὶ τάχα διὰ τὸ ὅτω πολυτελὲς τῆς χώρας καὶ θαυμασὲς ἰδίασιν αὐτῶ τῆς Εὐρώπης Ὠκεανόν.

Cap. XXX.

Ad l. Princeps, D. de legibus.

QVod ait Vlpianus scribens ad legem Iuliam & Papiam in *l. princeps, de legibus, Princeps legibus ſolutus eſt*, de legibus pœnariis Græci ita interpretantur, ἤγουν ἁμαρτήσας ὑπόλοιπος. vt illud Æschyli de Ioue, πρᾶγμ' οὐδὲν μοναρχὸς οὐδ' ὑπεύθυνος κρατεῖ, scilicet iudices non habet Latini de quibuscunque legibus, cum sit ex inscriptione legis ea sententia tantum accipienda de legibus caducariis, Iulia & Papia, quæ satis etiam per se odiosæ erant, & ex *l. quod principi. de leg. 2.* lege Falcidia solutus non est, *l. 4. C. ad l. Falcid.* nec lege Glicia *l. Pap. §. ſi Impe. D. de inof teſt.* nec lege Voconia, qua de causa veniam legis Voconiæ à Senatu Augustus petit apud Dionem. Sed & plerisque aliis principes soluti non erant, licet imperij initio non iurassent in leges, & multo minus si iurassent. Quinimo vt populus ipse suis legibus tenebatur, ita princeps cui & in quem populus omne suum imperium contulerat, adeo vt potestas principis & in ipsum principem esset, *l. 4. C. de legib.* Caducariis legibus soluti erant ex S. C. quodam eorum quæ facta esse ad eas leges Iustinianus refert, & aliis quibusdam, veluti solemnibus manumissionum, *l. apud eum. De manumiſ.* & auctore Seruio, lege quæ vetat in vrbe mortuum sepeliri. Quod igitur *d. l. princeps*, & Dio *Liii.* dicens, hoc se ex Latino sermone transferre, λέλωπται τῆς νόμων, non de omnibus legibus accipiendum est. Et quod Dio Chrysostom. principem esse τῆς νόμων ἐπάνω, & Plato, ἄρχοντα κατὰ νόμους ἐκ αὐτοδίθωτον, & idem fere Iustinianus in *No. 105.* eo tantum pertinet, vt intelligatur penes principem esse omnem potestatem ferendarum vel abrogandarum aut derogandarum legum, vt Augustin. ait in epist. quadam, *Imperatorem non eſſe ſubiectum legibus, qui habet in poteſtate alias leges ferre, non temere quidem ſed ex iuſta cauſa & republica, atque adeo confirmandi etiam quæ non iure facta ſunt*, vt principem legimus adoptionem non iure factam confirmare, *l. 33. de adoptio.* & matrimonium statumque liberorum non iure quæsitorum, *l. qui in prouincia, de rit. nuptia.* & hoc quidem solum est principem supra leges esse. Nec placet quod de Achille Horatius

Iura negat ſibi data, nihil non arrogat armis.

Sed de his satis. Verum ne abutamur etiam illa sententia, *Omnia eſſe principis* ex *l. 3. C. de quadr. præſcr.* cuius mens hæc est, vt omnia tam fiscalia quam patrimonialia, de quib. in ea lege agitur, principis esse intelligantur. At & iuris ciuilis Seneca hanc vocem esse ait, *Omnia regis eſſe, etiam quæ ſibi quiſque priuatus habet & poſſidet*, quam tamen ita excipit rectissime, *vt omnia rex imperio poſſideat, ſinguli dominio.* Nec enim quæ tua sunt, principis sunt, aut certe tua non sunt quoniam dominium in solidum duorum esse non potest, & communia quoque esse inter te & principem dixerit nemo. & fiscalia quoque ipsa proprie principis non sunt.

CAP. XXXI.

De effractoribus & expilatoribus.

EST differentia quædam inter expilatorem & furem: nam expilator fur atrocior & improbior eſt: idem etiam dicitur eſſe raptor. Sed & hic nonnihil ab expilatore diſtat: nam expilatores in eo titulo ſpecialiter dicuntur qui obuium quemque noctu corripiunt & exuunt veſtimento, οἱ τὸν ἄνθρωπον ἐνδύοντες ὡς τραχύτερον τὴν κλοπὴν ἐπάγοντες, Baſilica habent in *l. 1. §. 1. eod. tit.* & ad *l. aut facta, de pœnis*, quo loco expilationes diſcernuntur à furtis, Græci interpretes, ἄλλο γάρ ἐστι τὸ βιαίως ἀποδύσαι, καὶ ἄλλο τὸ λαθραίως κλέψαι ἐσθῆτα. & atrociores dicũtur, quia nocturni ſunt fures, vt *l. 2. eod. t.* atrociores eſſe nocturnos effractores qui vecticulariam vitam viuunt, plane ſeparãs nocturnos effractores à diurnis, quæ nulla tamen ſeparatio fit talis in expilatoribus, quia ſc. nocturni ſunt omnes, caprimulgi omnes, vt hoc auium nomen, qui & fures nocturni appellantur, inflectamus etiam ad homines interdiu cæcos dormienteſve, noctu vero ſua exercentes furta: & hi quidem expilatores ab Oppiano eleganter his verſibus deſcripti ſunt:

Ὡς δέ τις ἡμερόχοιτος ἀνὴρ λῃΐσσεται τέχνῃ
Οἰωμάνων ἀϊδηλα, δίκης σέβας ἤ ποτ' ἀέξων.
Ἐσπέριος στείνῃσι κατασπήξας ἐν ἀγυιᾶς
Ἄνδρα φυλασσόμενον παρ' εἰλαπίνης ἐλόχησε·
Καὶ ῥ' ὁ μὲν οἰνοβαρὴς ἔρπει πάρος, ὑγρὸν ἀείδων.
Οὐ μάλα νηφάλιον χλάζων μέλος αὐτὰρ ὁ λάθρῃ
Ἐξόπιθε προύτυψε, καὶ αὐχένα χερσὶ δαφοινὰς
Εἵλεν ὀπιβείοις, κλῖν' ἐν τό μιν ἄγχιον ὕπνον
Οὐ πλοῦ δαιτὸς ἐόντα, καὶ εἵματα πάντ' ἐναείρας
Ὤ χετο, δυσκερδὴς φέρων καὶ ἀνέστιον ἄγχι.

CAP. XXXII.

Notata quædam ad l. more, De feriis.

DIem naturalem Accurſius vocat in *l. more, de feriis*, eum qui more Romano nocte media incipit, & altera nocte media finitur, iuxta quod Virgil. ait,

Iamque dies cælo conceſſerat, almaque curru
Noctiuago Phœbe medium pulſabat Olympum.

Contra Plinius diem ciuilem vocat. Quis potius audiendus ſit, nemo non videt. Et refert idem Acc. ab occaſu ad occaſum Athenienſes adnumerare diem. Et hunc ſane etiam ciuilem rectius dixeris quam Aldus naturalem, & noctem ſane melius quam diem Germani, auctore Tacito & conſtitutionibus Caroli magni, quaſi dies nocte ducatur, noctiue adnumeretur, quomodo & æquinoctium dicimus hodie non æquidiale. Et illud ſpatium ab occaſu ad occaſum νυχθήμερον Græci frequentius quam ἡμερονύκτιον, cuius tamen ex potiori parte congruior videtur appellatio eſſe. Sed & illo ſenſu dies accipiuntur in hoc Arati loco,

ἠέρι νῶϊ ἕλκονται πάντ' ἤματα ζωϊκὲς αἰεί.

Naturaliter autem cum Cenſorino rectius quam cum Accurſio artificialem dixeris lucis tempus diuiſum in XII. horas. Quod ille Manilij verſus ſignificat,

Nos primam & ſummam ſextam numeramus vtramque.

Et hac ſignificatione legimus, cuiuſque diei maiorem partem eſſe ſeptem horarum primarum non ſupremarum, *l. 2. de verb. ſignif.* & ſimiliter Iuuenalis,

A *Inque dies ſeptenis oderit horis.* id eſt, maiore parte diei: hunc Accurſius maluit artificialem dicere, & præter morem ſuum ex Ioanne probat nobis auctoritate M. Varronis *lib. rerum humanarum*. Ioannes ex Gellio didicerat, Athenienſes à ſole occaſo ad ſolem iterum occidentem metiri, Babylonios à ſole exorto ad inſequentem exortum, Vmbros à meridie ad inſequentem meridiem, & hoc eſſe minus abſurdum. Legendum enim eſt illo Accurſij loco, *Vmbri*, non *Arabes*, & manuſcripti quoque non habent Arabes, ſed Arabi, maiore veſtigio veri. Legendum item, *quod minus abſurdum*, non *nimis*. Sed quia ego, etiam emendandis Accurſij gloſſis operam impendo, obſcura diligentia, inquies, quam tamen adhibuiſſe me ſemper B haudquaquam pœnitet, qui ex hoc ſtudio & opera mea cœpi fructum ἐκ ἀδήμου, atque ita pedetentim omnes reddidi emendatiſſimas, & hac in re vtinam me vteretur bene natus beneque feriatus aliquando typographus aliquis, potius quam mercenariis quibuſdam imperitiſſimis, quibus quandoque non vti ſane præſtaret, ſed nullis vti, quod non pauci hodie inſtituunt audentque typographi, rei literariæ nihil exitioſius.

CAP. XXXIII.

Diuiſio iuris, conuentionum, corporum.

C VLpianus in *l. 5. de pact.* cum cœpiſſet conuentionum diuiſionem facere trimembrem, in publicas ſcilicet, priuatas & genticas ſiue iuriſgentium, mox eam bimembrem facit, ſtatuens aliam eſſe conuentionem publicam, aliam priuatam, & rurſus priuatam diuidens in legitimam & iuriſgentium: vt M. Varr. 1. *de re ruſt.* ſeminum initio facit genera quatuor, mox tria duntaxat: quia ſcil. & quadrimembris diuiſio facile trimẽbris fieri poteſt, & ſimiliter trimembris, veluti illa conuentionum diuiſio ab Vlp. propoſita, bimembris fit. Iuris quoque diuiſio in ſacrum, publicum & priuatum ab Auſonio propoſita, & Imperat. in *l. vlt. C. de ſacroſ. ec.* bimembris fiet, hoc modo: Ius aliud eſt publicum, aliud priuatum, & pub- D licum rurſus aliud eſt ſacrum, quod conſiſtit in ſacris & ſacerdotibus, aliud quod conſiſtit in magiſtratibus. Et vulgaris illa diuiſio iuris in naturale, gentium & ciuile, ita commodiſſimè bimembris fiet, ſi ſtatuas aliud eſſe ius naturale, aliud ciuile & naturale: rurſus aliud naturale, aliud gentium. Et corpora quæ referuntur eſſe trium generum, ἑνωμένα, ξυνημμένα, διεζευγμένα in *l. rerum, De vſurp. & vſuc.* & ἑνωμένα quidem vno ſpiritu contineri, vt hominem, tignum, lapidem, vel ὑπὸ μιᾶς ἕξεως, vt Conon mathematicus ait, qui & mox ἕξιν interpretatur eſſe ſpiritum quo continetur corpus. ξυνημμένα autem ex contingentibus, hoc eſt, pluribus inter ſe cohærentibus conſtare, veluti ædificium & nauem, ædificium ex pluribus lapidibus & tignis, nauem ex pluribus tabulis: hæc non contineri vno ſpiritu, nõ contineri ὑπὸ μιᾶς ἕξεως. E Et ſtatuam igitur plane quæ vno ſpiritu contineri dicitur, *l. in rem §. item quæcunque, de rei vindic.* ἑνωμένοις adnumerabo non ξυνημμένοις & cohærentia corpora in *d. §. item quæcunque*, nec libentius interpretabor ἑνωμένα, vel vt Cic. loquitur, cohærentes continuataſque naturas: alia eſſe διεζευγμένα quæ ex diſtantibus capitibus conſtant, quorum item Conon rurſus duo genera facit, quædam certis diſtinctiſque capitibus, vt chorum, legionem, gregem, quædam conſtare indiſtinctis infinitiſque, vt populum Et hac vtique poſita diuiſione corporum, Aſter, inquit, eſt corpus ἕνωμένον, aſtrum quod ex diſtantibus certiſ-

que & definitis ſtellis conſtat, aſter ſcilicet Mercurius, Venus, Saturnus: aſtrum Andromeda vel Centaurus. Et hoc ita ex Conone retulit Achilles Statius in Aratum, his verbis: παρετήρησε ὁ Κόνων ὁ μαθηματικὸς, σώματα λέγεσθαι ὅσα ὑπὸ μιᾶς ἕξεως ἡνωμένα κρατεῖται, οἷον λίθος, ξύλον. ἔστι δὲ ἕξις πνεῦμα σώματος ζωτικόν. ζωτὰ δὲ ὅσα ὑπὸ μιᾶς ἕξεως δέδεται ὡς πλοῖον ἢ οἰκία τὰ μὲν γὰρ ἐκ πολλῶν σανίδων, τὸ δὲ ἐκ πολλῶν λίθων σύγκειται. διεζῶτα δὲ ὡς χορός. τῶν δὲ ποιότων διαφέρει αἱ διαφοραί, τὰ μὲν γὰρ ἐξ ὡρισμένων σωμάτων καὶ ἀριθμῷ πλήθων, ὡς χορός. τὰ δὲ ἐξ ἀορίστων ὡς ὄχλος. εἰπὼν οὖν ὁ μὲν ἀὴρ σῶμα ἡνωμένον τὸ δὲ ὕδωρ ἐκ διεζωτῶν καὶ ὡρισμένων ἀσέρων. Porro illa quæ in *d. l. rerum*, ex mathematicis proponitur diuiſio corporum, ab aliis fit bimembris tantum, vt alia ſint ἡνωμένα, alia διεζῶτα, quo modo ἡνωμένων rurſus fiant alia duo, ἡνωμένα & ζωτὰ, & διεζώτων ſimiliter illa duo quæ expoſui ſupr. Interpres Dionyſij Theologi: ἐν δὲ ὄντων καὶ νοητῶν ὡς καὶ θείων αἰσθητῶν ὁμωνύμως λεγομένων, τὰ μὲν ἔστιν ἡνωμένα καὶ ἀλληλοχούμενα, τὰ δὲ διηρημένα καὶ ἐν διαστάσει οἷον σωρηδόν. Boëtius 1. *Arith. Eſſentiæ geminæ partes ſunt, vna continua & ſuis partibus iuncta, nec vllis finibus diſtributa, vt eſt arbor, lapis, & omnia mundi huius corpora, quæ proprie magnitudines appellantur. Alia vero diſiuncta à ſe & determinata partibus, & quaſi aceruatim in vnum redacta concilium, vt grex, populus, chorus, aceruus, & quidquid eorum quorum partes propriis extremitatibus terminantur, & ab alterius fine diſcretæ ſunt, his proprium nomen eſt multitudo.*

CAP. XXXIV.

Hoſtes & transfugæ.

TRansfugas viuos exuri certum eſt, *l. ſi quis aliquid §. 1. depœn.* ſed titulo eod. *l. aut damnum §. hoſtis.* additur etiam hoſtes hac pœna affici, vt viui exurantur: quod eſt contra ius gentium, quo captiui ſeruantur, non occiduntur, niſi qui hoſtium duces forte ducti ſint in triumphum, quos tamen non palam comburere ſolebant viuos, ſed ſtrangulare in carcere, vt ex Trebellio Pollione intelligere licet in Aureliano, & ex principum panegyricis. Quamobrem vel vt alias admonui in illo §. *hoſtis*, legendum eſt, *ad hoſtes autem transfugæ.* vt *d. l. ſi quis aliquid §. 1.* vel hoc modo, hoſtes autem, id eſt, transfugæ. Aliud quidem proprie eſt hoſtis, longe aliud transfuga, & recte Quintil. in *Imperatore prouocato à filio*, cum lex diceret, *Qui ab hoſte prouocatus non pugnauerit, capite puniatur*, docet diſtinguendum eſſe ab hoſte transfugam, nimirum quod hic contra patriam pugnet, ille pro patria, pro republ. ſua. Verum enim improprie videtur etiam transfuga hoſtis appellari poſſe, cum hoſtium numero habeatur, *l. poſtliminium*, §. *transfugæ*, *De cap. & poſt. l. 3. §. is qui*, *l. proditores*, *de re mil.* & quaſi hoſtis vbicunque inuentus fuerit interfici poſſit, *l. 3. §. vlt. ad l. Corn. de ſic.* Et ſane videtur Neratius hoſtes pro transfugis accepiſſe, cum dixit, hoſtes lugeri non ſolere, *l. libertorum §. non ſolent*, *de his qui not. inf.* Certum enim erat cum hoſtibus non eſſe nobis mores & iura communia, ideoque Græci illo loco recte hoſtes αὐτομόλους interpretantur. At in pœna tamen ſimiliter inuenies trasfugas hoſtibus coniungi non illa quidem vt viui exurantur, ſed vt gladio in eos animaduertatur, apud Harmenopulum *v. Epitom tit. VIII.*

CAP. XXXV.

Bonorum ademptio an liberet debitorem, an fideiuſſorem eius.

INtegro ſtatu debitoris *l. defenſiones*, *C. de except.* ait, exceptiones quæ debitori competunt, & rei puta cohærent, etiam ad fideiuſſorem extendi. Quæ verba inuenio obſeruaſſe Quintilianum *in debitore adultero*, dum ita pro fideiuſſore agit, *Integro ſtatu debitoris mei, ſi à me petere maluiſſes, ad debitorem reuerterer*: quia ſcilicet capite minuto debitore, nec fideiuſſor liberatur, nec ſi ſoluerit aduerſus debitorem regreſſum habet. Porro integer eſt ſtatus debitoris, cui ſine capitis deminutione bona adempta ſunt. Finge ea creditorem occupaſſe, vt in ea Declamatione Quintilia. ponit, ex lege quæ maritum iubet poſſidere bona deprehenſi adulteri. Debitorem liberari certum eſt, veluti ſolutione, quia creditor qui bona eius poſſidet vicem habet heredis, & ſuum recepiſſe ſibique ſoluiſſe videtur. An vero & fideiuſſorem liberari dicemus? Sic videtur, ſi facultatibus idoneus debitor fuerit: & merito ſuſcepit Quintilianus tuendas partes fideiuſſoris: quia debitore integro ſtatu liberato, & fideiuſſor eius debere deſinit: idemque erit ſi ob pecuniam debitam creditor debitoris bona poſſederit, atque ita debitum receperit, non ſi minus idonea fuerint bona, *l. heres*, §. *quod ſi ſtipulator*, *de fideiuſ.* & hoc idem in fiſco conſtituit, *l. in fraudem §. ſi principalis de iur. fiſc.* vt ſi debitoris bona ad fiſcum creditorem deuoluta ſint, vel quod is non ſolueret, vel quo alio beneficio legis ſine capitis deminutione, vel etiam interueniente capitis deminutione, fideiuſſores qui apud fiſcum interceſſerunt liberentur, quia ſcilicet creditum ſuum recepiſſe fiſcus videtur, ad quem tranſierunt bona debitoris. Cæterum debitore L. Titij capite minuto, & bonis publicatis, fideiuſſor qui apud L. Titium interceſſit non liberatur, ſiue publicata ſint omnia bona, ſiue pars bonorum. Nam & ſi parte bonorum publicata debitor liberetur pro parte, fideiuſſor tamen obligatus manet in ſolidum, videlicet ſi debitor capite minutus ſit, vt *l. 1. C. de fideiuſ. Si exulare iuſſus ſit*, quo verbo proprie ſignificatur deportatio non relegatio: nec quo minus deportatio ſignificetur retenta ab exule pars bonorum diſſuadere debet, cum & ab eo nonnunquam eueniat vt retineantur omnia bona, *l. 14 ide interd. & releg.* Relegatus vero adempta parte bonorum, vel bonis, vna cum fideiuſſoribus ſuis maneret obligatus, ſicut ob pecuniam debitam à fiſco bonis occupatis, non eſt ignotum debitorem vna cum fideiuſſoribus aliis creditoribus obligatum manere, *l. 3. in fin. C. de ſen. paſ.* & ſimiliter ſi abſque relegatione pars dimidia bonorum debitoris ad fiſcum tranſierit, veluti ex S. C. quod ſeruum caſtrandum tradidiſſet, vel ex lege Fabia de plagiariis, vel lege Scatinia de ſtupratoribus, aut pars tertia ex lege Iulia de vi priuata, nec ipſe nec fideiuſſores illa ex parte liberantur.

CAP. XXXVI.

De conſanguineis aliquid, & l. 2. C. Th. de leg. her.

POſt ſuos heredes lex XII. Tab. vocauit proximos agnatos, nec ſeparauit conſanguineos ab agnatis. Interpretatio prudentum ſeparauit, vt Paul. ſcribit *3. Sent.* his verbis: *Conſanguinei quos lex non apprehenderat, interpretatione prudentum primum inter agnatos locum acceperunt*: credo quod lege Voconia cuius

cuius & ipsi suasores fuerunt, consanguinei vtriusque sexus vocantur, ceteri agnati mares tantum, cui & similem quandam fuisse legem Athenis intelligitur ex oratione Demosthenis contra Leocharem & contra Macartatum. Consanguineos autē fratres dicimus ex eodem patre, qui & germani, & fratres legitimi, *l. 32. de leg. 3.* Consanguinitatem, fraternitatem, nec si excipias Theodosium in *l. 1. C. de imp. luc. def.* & Constantium *l. 1. C. Th. de leg. her.* qui consanguineos generaliter accipiunt pro cognatis, vt Lycophron ὁμαίμους & αὐδομαίμους, alio vsquam loco consanguinitatis nomine vniuersa agnatio, vel consanguineorum alij quam fratres germani significantur, nec in *l. 2. C. Th. de leg. her.* velim equidem legi, *Quia non solum filius consanguineus, sed etiam per adoptionem quæsitus, nulla capitis deminutione intercedente, eius matrem excludit.* Quis enim vnquam legit filium consanguineum dici χ᾽ αὐτόφωνον filij adoptiui? & de filio quoque defuncti in ea lege non agitur an excludat matrem, (certissimum erat excludere) sed de fratre defuncti. Et matrem, inquit, excludit non solum frater consanguineus, sed etiam per adoptionem quæsitus, qui scilicet, vt Anianus adiicit recte, consanguinei loco est, consanguineus improprie, §. *per adoptionem, Inst. de leg. agnat. succes.* sed iura consanguinitatis habet, *l. 1. §. vlt. de suis & leg. her.* atque ita consanguinei loco est.

Cap. XXXVII.

Regesta in principiis numerorum diuersisque iudiciis.

IVstinianus in constitutione de Iust. C. confir. eis omnibus Imperatorum constitutionib. fidē & pondus abrogat quæ non sunt relatæ in suum Codicem, exceptis tantum priuilegiis quæ certis personis aut corporibus concessa sunt, & exceptis regestis si qua sint in iudiciis quibuscunque ciuilibus aut militaribus, vel apud principia numerorum, in quibus iudicia exercuisse tribunos & principales compertissimum est, pro publicis expensis vel quibuscunque titulis ad publicum pertinentibus. Et ita Theodosius quoque in auctoritate sui Codicis, excipit ea quæ habentur apud militum sancta principia, vel de titulis publicis expensarum aliarumque rerum gratia, quæ in regestis diuersorum officiorum relata sunt: quo ex loco perspicuum est in supradicta constitutione Iustiniani, regesta ὑφὲν esse legendum, non vt vulgo diuisim, Accursio etiam ipso exponente, causa actitata, & ita *l. 2. C. Th. de discus.* securitates regestæ polypticis: & ab his inter officia iudicum regerendarij appellati sunt.

Cap. XXXVIII.

De ordinatione episcoporum.

EXtat No. Constitutio Impp. Theodosij & Valentiniani de episcopis ordinandis in Hilarium episcopum Arelatensem, qui ordinationem sibi episcoporum per Gallias vindicabat, fretus manu militari sine auctoritate metropolitani, aut Leonis archiepiscopi Romani, sine subscriptione, siue testimonio honoratorum & consensu ordinis ac plebis, quo modo nisi fiat ordinatio nulla est, alios scilicet ordinando inuitis ciuibus, & inconsulto metropolitano vel Romano pontifice, alios remouendo, veluti Celidonium per falsam causam, quod viduam in matrimonio haberet, & Proiectum æque falso prætenta possessione vacua quod Proiectus suo munere non fungeretur, cui morbus erat impedimento; quasi scilicet Proiecto ægrotare liberum non esset, vt epistola Leonis declarat ad episcopos per Viennensem prouinciam constitutos, qua Hilario mansuetus præsul abrogat tantum quam vsurpauerat prouinciæ Viennensis ordinationem, non episcopatum Arelatensem. Hæc qui de vita Hilarij scripsit diffingit quodammodo conteritque in hunc modum. *Nobiles & mediocres ad eum conuolarunt, adstruentes Celidonium internuptam suo adhibuisse consortio, quod apostolicæ sedis auctoritas & canonum prohiberent statuta, simul ingerentes seculi administratione perfunctum capitali aliquos condemnasse sententia. Tanta rei nouitate permotus, testes imperat præparari. Conueniunt ex aliis locis beatissimi sacerdotes, res omni ratione prudentiaque discutitur, accusatio testimonijs confirmatur, adhibetur vera simplexque definitio, vt quem scripturarum regula remouebant, voluntate propria se remouere deberet. Ille vrbem credidit expetendam, ibique se iniusto rigore astruit condemnatum. Quod vbi vir comperit, protinus & ipse pedibus iter ingressus, vrbem Romam sine equo, sine sagmario intrauit, & Leoni Papæ illico se præsentauit cum reuerentia impendens obsequium, & cum humilitate deposcens, vt ecclesiarum statum more solito ordinaret, adstruens aliquos apud Gallias publicam merito excepisse sententiam; se ad officia non ad causam venisse, protestandi non accusandi ordine quæ sunt acta suggerere. Porro si aliud velit, se non futurum esse molestum.* Et alio loco. *Hilarius totum se ad placandum animum sancti Leonis inclinata humilitate conuertit. misit primitus S. Rauennium tunc presbyterum, postmodum proprium successorem, dein sanctum Nectarium, sanctumque Constantium præcipuos sacerdotes: Et qui quantum in hac causa dictauerit, huic operi possum nulla ratione connectere. Auxiliaris tunc præfecti quæ fuerit sententia, credidi inserendum, cuius hæc verba sunt. Sanctos Nectarium & Constantium sacerdotes ex beatitudinis tuæ parte venientes, digna admiratione suscepi. Locutus sum cum S. Leone Papa. hoc loco credo aliquantum animo perhorrescis. Impatienter ferunt homines si sic loquamur quomodo nobis conscij sumus. aures præterea Romanorum quadam teneritudine trahuntur, in quam si se sanctitas tua subinde demittat, plurimum nihil perditurus adquires. Da mihi hoc, & exiguas nubes paruæ mutationis serenitate compesce.*

Cap. XXXIX.

Etiam priuato dari publici iudicij exercitionem.

IVdicij publici cognitio, quæstio, exercitio, executio & animaduersio criminum non est iurisdictionis, quia non iure magistratus competit, vel vt Dionysius Halicarnass. loquitur, non est ἐκ τοῦ ἀρχικοῦ, sed lege datur, *l. 1. De off. eius cui mand. est iurisd. l. aliud §. vlt. de verb. sig.* & lege datur, vt ait Pap. *d. l. 1. Ei cui quæstio obtigerit.* i. cui obuenerit sorte, etiam priuato, qui iudex quæstionis dicitur *l. 1. ad leg. Cor. de sic. Qui magistratus*, inquit, *index ve quæstionis.* Iudicem quæstionis separat à magistratu, & magistratum, intelligit prætorem qui lege Cornelia quærit, vel proconsulem, apud quos etiam legimus *l. 3. de accus.* reos deferri: & integrior lex Cornelia de sicariis sic habet: *Vt is prætor index ve quæstionis cui sorte obuenerit quæstio de sicariis, eius quod in vrbe Roma propius mille passus factum erit, vti quærat cum iudicibus qui ei ex lege sorte obuenerit*, &c. & similiter M. Tull. *pro Cluentio: C. Iunius index quæstionis lege Cornelia de veneficiis. & Q. Voconius cum his iudicibus qui ei obuenerint sorte.* Iudex igitur quæstionis est priuatus cui sorte obtigit ex lege quęstio publica, qui publicō iudicio præest vt *d. l. 1. ad legem Cornel. de fal.* quem & quæsitorem dixeris recte, nec enim hoc nomine solum prętorem in-

telligi velim qui legibus quærit, sed & priuatum cognitorem, *l. 2. C. Theo. de postul.* Frequens præter Virgilium & aliis id proprie tribuere Minoi, Æaco, Rhadamanto. Seneca in *Agamemnone*, *Quos ob infandas manus quæsitor vrna Gnosius versat manu.* Et in *Hercule furente*, *Qui fronte minus crimina tetrica Quærunt ac veteres excutiunt reos*, & infra: *Non vnus alta sede quæsitor sedens Iudicia trepidis sera sortitur reis. Auditur illo Gnosius Minos foro, Rhadamantus illo, Thetidis hoc audit socer.* Manilius *lib. v.*

Quæsitor scelerum veniet vindexque reorum
Qui commissa suis rimabitur argumentis.
In lucemque trahet tacitaque silentia fraude.

CAP. XL.

De his qui se sponte sua digitis truncant, qui veterum verbo Murci dicuntur.

CONstantinus imperator eos qui resectis digitis se sua sponte ad militiã fecissent inutiles, curiis ciuitatum addixit, *l. 1. C. Th. de filiis mil. app.* & similiter alij Imp. *l. 4. C. Th. de tyron.* ne hi se manus deformatione ab aliis Reip. muneribus eximerent aperte definiuit. Sed emendanda eius legis scriptura est in hunc modum: *Eos qui amputatione digitorum castra fugiunt secundum D. Constantini decretum*, &c. Ac post alij Imp. in *l. 10. eod.* vt & si inter lectissimos milites ij non numerentur, nec militum nomen ferre possint, non euitent tamen onera laboresque militiæ. Inuenio etiam eosdem non admitti ad militiam sacram siue clericatum, *c. qui partem 55. distinct.* & Innocentium in integra epistola ad Felicem Nucerianum episcopum eos appellare murcos, his verbis: *In his clericos scripsisti quos constituas non habere, aliquos murcos, aliquos bigamos esse.* Et ita Ammianus Marcellinus *xv. de Galliis*: *Nec eorum aliquando quisquam, vt in Italia, munus Martium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos iocaliter murcos appellant.*

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XVI.

CAPVT PRIMVM.

De crucis & furcæ supplicio.

EX edicto Constantini Imperatoris certum est legitimarum pœnarum numero subtractum quod erat frequens crucis omne supplicium, non alia ratione, quam veneratione signi salutis nostræ. Hermias *lib. 1.* ἀμέλει τοι πρότερον νενομισμένῳ Ρωμαίοις τῷ τὸ σταυρὸν πρωείαν ἀνεῖλε ὁ χρήστος τῶν δικαστηίων. quod Constantino nominatim adscribit Augustinus in quæstionibus veteris testamenti. Antea cruci homines figebantur, quod postea edicto prohibitũ manet. Et ob id in libris nostris Tribonianus semper crucem vbi scriptum inuenit pro pœna mutauit in furcam, qua fures hodie suspendi videmus, non minus ignominiosam pœnam quam crucis, vel quod cruci successit, vt non minor pœna deportationis quę successit interdictioni aquæ & ignis quam ipsius interdictionis. nobilior est gladij, vt opinamur vulgo, & Græci quoque olim in ea opinione fuerunt. Xenoph. 2. ἀναβάσεως, Ἀποτμηθέντες τὰς κεφαλὰς ὕστερον κάλλιστον θανάτων ἐδόκει εἶναι. Porro non eadem erat furca in quam collo iniecto damnati traducebantur ad supplicium, sed ligneæ materiæ vinculum & laqueus, lignum scilicet duplex διπλοῦν, vel potius δίκρουν vt Plutarchus, Sudas & Zonaras referunt, quo media parte collo inserto vincitur ceruix rei, hac figura . Aurelius Victor, *Senatus sententia constitutum, vt more maiorum collo in furcam cõiecto virgis ad necem caderetur.* Suetonius in Nerone, *More maiorum nudi hominis ceruicem inseri furcæ, & corpus ad necem cædi.* Iosephus *vij.* ἁλώσεως, Βρόχῳ θηλυδρεῖς εἰς τὸν ὑπὸ τῆς ἀγορᾶς ἤρεσε τόπον. & veteres glossæ de furciferis: οἱ πλαίοντες ἀπὸ πρωείας δίκρανον ἐν τοῖς πα-

C χήλοις ἔχοντες θεοβώμιζον διὰ τ πόλεως θειαζόμενοι, quos etiam adiicit Donatus prædicare peccatum suum, simulque summonere ceteros ne quid simile admittant, id quod etiam hodie accepi seruari Constantinopoli.

CAP. II.

Ab his qui vice sacra iudicant appellari posse.

NOn dico à præfectis prętorio appellari posse, qui soli vice sacra cognoscere vere dicendi sunt, *l. à proconsulibus, C. Theo. de appel.* sed à vicariis præfecti prætorio, quamuis & hi vice sacra iudicare dicantur, *l. 1. C. de offic. vic.* & à proconsule Africæ, *l. 3. C. Th. de appel.* & à præfectis vrbi, qui etiam vice sacra iudicant, *l. xi. C. Th. de app.* & in antiqua inscriptione legitur, *Annius Euagrius Epifanius V. C. præfect. vrbi vice sacra iud.* Et in alia. *Præf. vrbi electus ad cognoscendas vice Cæsaris cognitiones.* Et in alia. *Annitio Paulino præf. vrbi vice sacra iudicanti.* Ex ea quidem *l xi.* simul atque inscriptione ad Maximum P. V. intelligitur, *l. eos etiam, C. eod. tit.* proprie accipiendam esse de præfectis vrbi, sed porrigi etiam potest ad vicarios, & similiter de vtrisque accipi *l. 3. C. si aduers. rem. iud. & l. minor autem § idem Imp. De minor.* vt sicut ab eorum sententiis appellatur princeps, ita aduersus eorum sententiam solus princeps restituat in integrum. à præfecto autem prætorio certum est nec principem quidem appellari posse, & aduersus suam sententiam ipsummet in integrum restituere posse, *l. præfecti, D. de minorib.*

CAP. III.

Ne Iudæi nouas sibi synagogas ædificent.

PRincipes Christiani si Iudæis potuissent imperare, Christianam religionem vtique imperassent. Sed religio imperari non potest, quia nemo cogitur vt credat inuitus, quæ verba sunt Cassiodori in rescripto quodam Theodorici ad Iudæos *lib. 2. Var.* & similia Lactantij, *nihil esse tam voluntarium quam religionem, in qua si animus auersus est, iam sublata, iam nulla est.* & ad hęc facilius tulerunt religionem Iudaicam, quam vel hæreticam vel paganam. hoc tantum inuenio eos constituisse minuendę paulatim Iudaicæ religionis gratia, ne nouas sibi Iudæi synagogas exædificarent, vt contenti essent veteribus, has fulcirent, repararent, sartas tectas si vellent conseruarent indicta inobedientibus pœna L. librarum auri, *l. vlt. C. de Iudæis*, ad quam puto supradicto loco Cassiodorum respicere, dum secundum diualia constituta Iudęis tantum permittit synagogæ vetustis parietibus tegumen imponere. Et paulo post, in ipsis parietibus cooperiendis vel fulciendis (sic malo quam figendis) tantum licentiam, ac ne concedit quidem ornare synagogas vel ampliare. Sed quęri poterat, an penitus ruina collapsas veteres synagogas in eadem specie & qualitate reponere & restaurare possent? quod Gregorius permittit *c. consuluit, de Iudæis.* Itaque restauratæ non nouæ, sed eædem intelliguntur esse, quarum sunt fundamenta eadem, forma & status idem, tametsi strictius interpretantibus nouæ potius sint, *l. seruitus §. si sublatum, D. de seruitutib. vrb. præd.* Sed in re dubia nec lege definita propalam, benigniorem interpretationem sequimur secundum regulam iuris, quam & Nicetas expressit hoc modo, χρὴ ἐν τοῖς ἀδήλοις ῥέπειν πρὸς τὸ φιλάνθρωπον.

CAP. IV.

Interpretium & Interæstimatio.

VAlde probo quod interpretium & interpondium veteres Glossę interpretantur ἀντάλλαγμα, i. numerum aut pondus ad vicem alterius quod quasi libratur & rependitur. nam & pro pretio emptionis lego interpretium apud Cassiodorum 2. *variarum*, dū negotiatores quibus plerumque iniungitur onus coëmundi frumenti Reip. necessarij, id postquam coëmerunt si forte non indigeat frumento Resp. compelli non vult vt sibi frumentum habeant & retineant præstita certa quantitate solidorum pro interpretio, id est, non compelli emere à Rep. quod emere Reip. *Vt*, inquit, *frumenta quæ per supradictos negotiatores publico comparantur, non iterum ab eisdem interpretij nomine solidorum quantitas exigatur.* Et eodem modo interæstimationem Pomponius dixit, *l. pen. D. de ædil. edict.* comparans emptionem fundi emptioni plurium seruorum vno pretio. Nam vt euicta certa parte fundi, non pro parte pretij, sed pro qualitate & bonitate eius partis æstimatio fit in iudicio de euictione si fundo dictum sit pretium non singulis partibus, *l. 1. l. bonitatis, l. ex mille §. penultimo, D. de euiction.* ita cum plures serui vno pretio vænierunt, euicto vno pro bonitate eius prętatur euictio, id est, æstimatio eius serui qui euictus est, vel citra causam euictionis qui redhibitus est ędilitia actione, *l. si plura, D. de ædil. edict.* quando scilic. propter eius serui vitium non sūt omnes redhibendi, *l. cum in ea causa, in fin. l. cum eiusdem, eod. tit.* Et hoc vt dixi, si plures vno pretio auctione venierint, & fundus similiter, non fundi singula iugera. Quod si seruorum aut iugerum singulorum constitutum sit pretium, vtemur eadem comparatione, & dicemus ęstimationem fieri, non pro bonitate, sed quanti singuli serui vel singula iugera vænierunt, *d. l. si plura, l. si fundo tradito, D. de euict.* Et æstimationem promiscue dicemus aut interæstimationem, pretium scilicet vel interpretium redhibiti vel euicti hominis, aut euictæ partis fundi, quod scilicet venditor præstat vel cedit emptori. Et ita Seneca, *Quid prodest interæstimata habere omnia, si sis impetu nimius?*

CAP. V.

De pistoribus & Catabolensibus.

FVit in vrbe pistorum, vel vt veteres loquebantur, auctore Seruio, pinsorum certum corpus, consortium, collegium, certę familiæ, quæ cum modo panificio dicantur obnoxiæ, in *C. Th. tit. de pistor. & catab.* ex eo apparet pistores non tantum panem fecisse, sed etiam farinas moluisse & subegisse. quod etiam ex his apparet quæ instrumento pistoris Paulus adnumerat, & *l. 7. C. Th. eod.* asinis, molis, machinis, cribris, seruis. Pompon. *in Pistore*: *Decipit vicinos. Quod molendum conduxit, comest.* Et in eadem Comœdia pistor. *Plus quæsti facerem, quam quadrimas si haberem molas.* Ex eadem etiam esse illud quod Diomedes attulit, *Cum neque molis molui, neque palmis pinsui.* Eusebius siue Hieronymus *in Chronicis*: *Paulus ad molas manuarias pistorem se locauit.* sed cum fuerint prædia quędam pistorum corpori obligata, qui & fundi dotales dicuntur, quæ pistoribus solatia certa præbebant plerumque locata perpetuario vel emphyteuticario iure, *l. 7. 13. 19. C. Th. eod.* Ea tametsi videri possint non esse in instrumento pistoris, pistrinum tamen & officinam sequuntur semper: & qui erat pistorum patronus primarius, is quinquennio expleto, omni isto onere absolutus officinam cum fundis dotalibus in sequentem patronum transferebat, *d. l. 7.* Erant vero hi fundi in diuersis prouinciis simul ac pistores, & hi omnes sub cura patronorum & præf. annonę, qui etiam pensum & munditiam panis exigebant, *l. 12. & 17. C. Th. eod. tit.* Cassiodorus in formula præfecti annonæ. *Per officinas pistorum discurris, pensum, & munditiam panis exigis.* Et in consequentibus, *Dignitati tuæ pistorum iura famulata sunt, quæ per diuersas mundi partes possessione latissima tendebantur.* Qui autem pistoribus iunguntur in superiore titulo Codicis Theodosiani Catabolenses, aliud in vrbe corpus siue collegiū constitutum ex libertinis hominibus, hi videntur fuisse qui molenda frumenta animalibus farinasque comportant, quandoquidem & generaliter inuenio Catabolenses appellari eos qui vehenda veterinis onera conducunt, ἀπὸ τῆς καταβάλλω quod est comportare, vt Cassiodori 3. *Var. Marmora in vrbem per Catabolenses subuehi.* Et *lib. 3. Veredarium missum ad publicas necessitates expediendas, qui parhippum sarcinis suis & vasis onerat vltra pondus librarum centum, iam non esse veredarium sed Catabolensem.* Et inde apud Damasum & Scotum catabulum dicitur pro loco in quo veterina animalia stabulantur, in quod referunt Marcellum Pontificem Romanum à Maxentio Imp. damnatum, iubente, inquiunt, plancas sterni, vt ibidem animalia catabuli congregata starent, & in eo stabulo publico Marcellus animalibus deseruiret. Platina corrupte cacabulum vocat. Cedrinus *in Nicephoro*, ὃν γενόμενον, καὶ ἀπελθὼν ἐν τῷ καταβολίῳ, &c.

Cap. VI.

Ad l. 6. C. de offic. rect. pro.

QVænam sit Phodiorum ciuitas, vel qua in prouincia, cuius mentio fit in *l. 6. C. de offic. rect. pro.* sane frustra quæsieris: & fuerit tamen necesse est celebris ciuitas quædam, cuius alleuandæ gratia ea lex condita sit, ne scilicet hyemis tempore eius ciuitatis ciues nauigationem litium suarum causa instituere cogerentur. quam rationem ipsam cum in causa Rhodiorum inueniam mouisse Iustinian. in *Nouella quadragesima prima*, facile adducor vt credam & in illa l. 6. esse legendum, *Ciuitas Rhodiorum*, non *Ciuitas Phodiorum*, & errorem natum ex litera P. accepta pro latina non pro græca, vt illo Lucilij versu apud Terentium Scaurum, *Apes, apes, Græci vt faciunt.* Cui similis ille Martialis, *Græci quibus est nihil negatum, Et quos ἄπες ἄπες decet sonare.* Vt autem ex Nou. Iustiniani 41. & 50. quæstori exercitus cui præcipue incumbit cura erogandi stipendia militibus, subiectæ sunt quinque prouinciæ, Mysia & Scythia in Ponte Euxino, & quamuis ab his longe dissitæ sunt Caria, Cyprus, Rhodus, ita putem eadem subiectas eidem fuisse ante Iustinianum. Nam antiquo more Iulianus in *No.* 50. scribit, duplicem quæstorum magistratum fuisse, vnum qui circa latus principis ageret, de quo *tit.* 30. alterum qui exercitui annonas distribueret. Quod si fuit Quæstor exercitus olim, videntur etiam honoris causa sub cura eius positæ illæ prouinciæ fuisse, quasi præfecti prætorio, sicut officium etiam habuit ad exemplum præfecti prætorio, & à præsidibus singularum prouinciarum, vt definit *No.* 50. Interposita appellatione, ipsum quæstorem cognouisse. At quęstore illo constituto potissimum & agente in Mysia & Scythia, hoc est, in limitibus annonæ militaris procurandę gratia, vt testatur idem Iustinianus *Nou.* 42. perquam erat molestum Rhodiis interposita appellatione à sententiis sui præsidis maxime hyemis tẽpore Scythiam aut Misiam nauigare, atque etiam alio tempore. Nam, vt ait *d. l. 6.* hyemis tempore nauigatio sępe periculosa est, & alio tempore semper incerta. Quamobrem de mense Ianuario ita recte præcipit Aratus, μὴ χείνῳ ἐνὶ μιλιὶ πλειλύζοιο θαλάσσης Πεπταμένῳ πελάγει κεχηνμένος, &c. & M. Tullius, *Hoc caue te ponto studeas committere mense*, &c. Festus Auienus, *Non tum mihi longa phaselis Æquora tententur, non tum freta turbida pinu Quis petat*, &c. In gratiam igitur Rhodiorum quæ permanat etiam ad Cares & Cyprios constituitur, vt Iudices sub quorum cura sunt illæ prouincię quinque, hoc est, quæstores exercitus, per vices hybernent in illis quinque vrbibus quæ potiores esse ceteris asseruntur. i. in illustribus & maioribus ciuitatibus totius diœceseos, vt *l. 1. C. vt om. iud. tam ciu. quam mil.* &c. vel potius in metropolibus earum prouinciarum. vrbium enim nomine proprie metropoles significantur, *l. 4. §. pen. D. de dam. inf.* & quot metropoles tot sunt prouincię. Vt igitur vno anno hybernent in Rhodo, ibique audiant causas appellationum, alio in Cypro, & sic deinceps in aliis prouinciis, quod tamen aliter definitur in supradicta *Nou. 41.*

Cap. VII.

De secundo lapsu.

ACtiones in personam non solebant olim qui impetrauerant exercere confestim, sed denuntiationem litis solemnem præcedere oportebat, quæ & insinuatio dicitur, *l. 2. C. si ex plur. tut. vel cur.* vt ibidem latius exposui, & fieri quidem eam denuntiationem oportebat apud acta vel editionem rescripti, cum ex rescripto aliquis causam erat introducturus, & à denuntiatione vel editione rescripti vtrique parti erant constituta tempora certa ad litem exequendam & contestandam. exceptæ erant causæ ecclesiasticæ & causæ modicæ. i. quæ non excederent c. aureos, & causa momentanea possessionis, & actio tutelæ, negotiorum gestorum, si certum petetur de chirographis, & querela inofficiosi testamenti, quæ & in rem & in personam est actio, *l. 3. 5. 6. 7. C. Th. de den. vel edit. ref. l. 1. C. Th. vtrubi, l. quicunque, C. Th. de iis qui adm. vel off. pub. ger.* hodie generaliter omnes causæ sunt agendæ confestim remotis illis denuntiationum & temporum ambagibus, *l. vlt. C. de interd. §. appellamus, Inst. de act.* verum cum ius vetus obtineret, si quis à denuntiatione vel editione rescripti intra tempora constituta causam non egisset, summouebatur præscriptione temporis, & post hunc lapsum tamen per indulgentiam principis dabatur reparatio & redintegratio denuntiationis intra menses quatuor, quo tempore rursus si quis cecidisset, post hunc secundum lapsum, non erat locus reparationi. & hoc ita definitur constitutione Imperatoris Constantini, *l. 3. C. Th. de tem. cur. & repar. denunt.* quam intellexit Symmachus in epistola ad Theodosium his verbis, *Integram restitutionem suffragio iuris accipit, sed multis prouocationibus variisque tracta iudicis intra metas iusti temporis nequiuit exequi propositas actiones vt res monebat, amissum beneficium remedio integrauit supplicationis. Sed idem mulier casus etiam rescripti humanitate fraudauit, siquidem mensium 4. dilatæ curriculis, summo die temporis impetrati excidit cognitor. Post hæc cum vellet in fœlicem causæ lapsum reparatione sarcire obiecto legis Constantianæ explosa est, quæ extra ordinem temporibus indultis longiorem negauit excursum.* Et infra: *Constantiana lege reparatio adimitur temporibus extra ordinem datis. Constantianam* dicit, pro *Constantinianam*, vt sæpe auctores Constantium pro Constantino, & è contrario, & Iustinum pro Iustiniano. Ceterum extat alia constitutio Constantini, quæ iudicem litem suam facere decreuit, si culpa iudicis secundo lapsu causa fuerit amissa, non culpa litigatoris, *l. 2. C. Th. de temp. cursu.* quæ confirmatur *l. 1. C. Th. de secun. lapsi.* Quod si nec iudicis nec aduersarij culpa secundo lapsu causa ceciderit, sed propter ægritudinem aut mortem iudicis, aut interueniens aliquod Reipub. negotium, hoc casu reparationi locum esse Valentinianus & Valens constituerunt, *l. 2. C. Th. de repar. appel.* quos proculdubio Symmachus intellexit in eadem epistola ad Theodosium, his verbis: *Parentum numinis vestri diuorum principum protulit sanctiones, quæ inter reliquas exceptiones reparationem iurgantibus tribuunt si per cognitorem causa labatur.*

Cap. VIII.

Exceptio quod libertatis onerandæ causa factum sit.

INter exceptiones prætorias quæ rei cohęrent, atque ideo non reo tantum, sed etiam fideiussori & expromissori competunt, hæc numeratur, Quod libertatis onerandę causa petitur, vel, Quod libertatis onerandæ causa factum sit, *l. 7. de except.* quę locum habet in specie huiusmodi In manumittendo seruo ex continenti stipulatus sum ab eo pœnæ nomine pecuniam certam si quando me forsitan offenderit: ac postea causatus offensam aliquam, ex stipulatu pœnam peto. Summouetur exceptione, Quod libertatis

onerandæ causa gestum sit. Est enim plane onerata libertas eius, qui dum perpetuo veretur & timet ne vel leuicula re patronum offendat, nihil non agit metu pœnæ vt non committatur stipulatio, & manumissio illiberalis, ac secum ipsa quodammodo pugnans propter metum illum qui imminet manumisso, instat, impendet semper ἐπιωρούμενον, quasi ex alto lacunari, vt Vlpianus ait in *l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det.* vt de Damocle legitur, cuius in medio apparatu regio iussu Dionysij ceruicibus immine-
A bat gladius seta equina appensus, & idem quoque de saxo è tenui filo impendente Tantalo. Nihil vero refert scripseris, ἐπιωρούμενων an ἐπιωρούμενον, vt vulgo legitur in *d. §. quæ onerandæ*, sicut apud Theophilum in §. *furtum, Inst. de obl. quæ ex del. nasc.* nihil
B refert emendes δι' αἰώρας, an δι' ἐώρας χάειν, id est, gestationis causa, vt in *l. 7. D. de man. vind. gestandi causa*, Basilica interpretantur, αἰώρας χάειν. Et Sophocles in *Oedipo tyranno*, πλέκτοῖς ἐώρυις, quod alibi, πλεκτοῖσιν ἀρτάναισι. & legi etiam nescio quo loco oscillorum suspendia promiscue appellari αἰώρας & ἐώρας, & ita quod in *d. §. quæ onerandæ*, legitur in P. Fl. ἐπιωρούμενον rectum est, non minus quam ἐπιωρούμενον, vel vt in aliis ἀπιωρούμενον, aut ἀπαιωρούμενον, hoc est, μετεωρούμενον, μετεωριζόμενον, ἐπιρτημένον, ἐπαρτώμενον, ὑπικρεμαννύμενον, ἀνεμούμενον. Nec minus vero ἐπιωρούμενον impendere dicitur onus libertati quod impositum est ex continenti in danda libertate, quam quod ea ipsa libertas obstricta est ex interuallo post manumissionem, si modo liquido appareat libertum metu solo vel nimia patroni reuerentia ita se stipulationi onerosæ subiecisse, *d. §. quæ onerandæ, l. is qui onerandæ, l. si ita stipulatio, D. de op. lib.* Liquidis argumentis & probationibus opus est. Nec eidem exceptioni tantum est locus in actione ex stipulatu, sicut exposui, sed etiam in actione bonæ fidei, veluti pro socio, si eodem modo coactus societatem coierit cum patrono qui non se ipse redemerat, vel pro capite certam pecuniam promiserat, sed vltro manumissus erat à patrono, moxque vinctus quadam seruitutis & terroris perpetui lege, *l. vlt. §. vlt. D. quarum rer. act. non det.* Verum actioni bonę fidei ipso iure ea exceptio inest, sicut & ceterę exceptiones omnes, nec eius omissio quidquam officit liberto. Actioni strictæ necessario opponenda est, *d. l. 1. §. si onerandæ, l. Labeo, D. de op. lib.*

CAP. IX.

Fata an facta causarum.

NOndum plane certum est in constitutionibus scribendum sit, *Fata* an *facta causarum*, in *l. 1. C. de offi. cin. ind.* rectius videtur scribi facta quam fata. *In his horis*, inquit, *quibus causarum merita vel facta panduntur*, quod scilicet fit litis contestatione, & adsertione partiũ, *l. 2. C. si pervim vel alio modo*, &c. Contra in *l. 3. C. de legib. causarum fata componere* vt *l. 14. C. de adu. diu. ind. dirimere ambigua fata causarum*, & *l. 41. C. Th. de appell. disceptationis fata.* Sunt enim in causis aut incidunt fata quædam, & dies qui fatales appellantur in tractatu de appellationibus, & vero forsitan licet vsurpare hac in re quod Isocrates ait aduersus Callimachum: πολλὰ παρὰ γνώμην ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀποβαίνειν, ὃ ὅπ τύχη μᾶλλον ἢ τῷ δικαστηρίῳ κρίνεται. *Fortunæ iudicio, l. 13. D. de stat. hom.* Et vtrumque igitur recte dici videtur, vt apud Latinum Pacatum: *Nolo miserorum vel factum onerare vel fatum.*

CAP. X.

Βασιλικῶν locos notari aliquando perperam à Græcis auctoribus.

QVod est in *l. 4. D. ad l. Iul. maiest.* lege Iulia teneri eum cuius dolo malo iureiurando quid adactum est quod aduersus Remp. faciat, id est, cuius dolo malo coniuratio facta est aduersus Rempub. id in Basilicis est relatum lib. 60. *tit. 36. cap.* 4. his verbis: καὶ ὁ ζωωμοσίαν κατ' ἀ πολιτείας γενέσθαι. quem locum Nicephorus Gregoras *lib. 1x.* ita notauit, ἀπ' νόμων *cap. 4. tit. 36.* perperam, omissa libri sexagesimi & vltimi βασιλικῶν adnotatione, cui tamen capiti recte adiunxit canonem XVIII. Chalcedon. Synodi, τὸ κατὰ ζωωμοσίας ἢ φερεσίας ἔγκλημα, &c. & perperam, *cap. 1v.* pro *cap. xxxiv*, sextæ Synodi Constantinopolitanæ. Inueni & à Ioanne Zonara similiter canone Apostolorum LXXXIV. quo pœnæ subiicitur qui in
C regem aut magistratum contumelioſus fuerit, citari perperam, & ideo perperam quod ea res non abs re in errorem perduxerit Io. Quintinum, ἐξηκονταβιβλίε, id est, corporis βασιλικῶν quod libris LX. constat, *tit. 36. cap. 13.* non adnotato lib. sexagesimo, de eo qui Imperatori maledixit, quæ est *l. vnica, C. si quis Imp. maled.* quam sic accipiunt Græci, vt etiam si ex iniuria maledictum proficiscatur, condonandum sit, habita tamen ratione personæ quæ maledixerit: & quod quidam adiiciunt, ἐξ ἀδικίας γενομένης πρὸς αὐτὸν οὐδὲ τοῦ βασιλέως, nullo modo admitti potest.

CAP. XI.

Captatoria institutio quid sit.

CAptatoria institutio est, non tantum si mihi in herede instituendo captem hereditatem, & bona eius quem heredem instituo hoc modo, *Si Titius me heredem instituerit*, vel, *Qua ex parte Titius me heredem instituerit, mihi heres esto*, sed & si alij ex sententia S. C. quo reprobatæ sunt captatorię institutiones,
D hoc modo, *Si Titius Gaium sibi heredem instituerit, mihi heres esto, l. illæ §. vlt. D. de her. instit.* Captare est, referre prę manu gratiam quam captamus, & quasi reposcimus, necdum accepimus. Quod fit verbis collatis in futurum, *Si me aut Gaium heredem instituerit.* ideoque in Basilicis institutiones dictæ sunt ἀμοιβόμεναι χάειν, vt in *Sophoclis Electra*, ὦ παντοίας φιλόπτους ἀμοιβόμεναι χάειν. Ex diuerso igitur contra quam olim fuit mihi facile persuasum, non tantũ captatoria est institutio, si eum mihi heredem instituam, cui mihi vel alij hereditatem capto, vt in superioribus exemplis, sed etiam si non eum cuius hereditatẽ capto, sed aliũ, hoc sc. modo, *Si Titius me heredem instituerit, Gaius mihi heres esto.* Quod probat aperte *d. l. illæ, in princ.* cuius
E scripturam Basilica confirmant, ex ea ducto argumento in hunc modum. Si hęc institutio valet, Qua ex parte me Titius heredem instituit, ex ea mihi parte Męuius heres esto, si modo Titius me heredem instituit, vt *l. 2. D. eod.* quia gratiam refert, non etiam reposcit & captat. Qua ex parte me Titius heredem instituerit, ex ea mihi parte Mæuius heres esto, non valet, nihil denique refert cuius captetur hereditas, heredis instituti, an alterius. Et in *l. Clemens §. vlt. eod.* certe nullam gratiam reposcit qui Mæuium aut Sempronium heredem instituit ex ea parte ex qua ipse à Titio heres institutus est, quamque postea recitaturus sit. Nam confertur quidem institutio Sempronij in recitationem futuram, sed in institutionem

præteritam & testamentum à Titio iam ante factum, ita vt merito dicatur nulla inesse suspicio captatoriæ institutionis, & hoc tantum requiri, quia condicionalis ea institutio est ne inutilis sit, vt à Titio testator heres scriptus sit. Fateor igitur & agnosco libens non esse causam tollendæ vocis Mæuius in *d.l.illæ*, nec vocis Paulus, in Basilicis : quo in errore fuit etiam Ant. Augustinus.

CAP. XII.

Ad §. si ad ianuam l. vlt. D. quod vi aut clam.

SI tabul. quas vi aut clam fixeras ad ianuam meam, ego etiam clam refixero, id est, priusquam tibi denunciarem, & agas mecum interdicto Quod vi aut clam, tē repellam exceptione, Quod vi & ipse aut clam eas tabulas fixeris ante ad ianuam meam, *l. vlt. §. si ad ianuam, D. quod vi aut clam*: vt in specie *l. si alius §. bellissime, eod. tit.* si vi aut clam ædificaueris in solo meo, & ego similiter vi aut clam ædificium quod posuisti deposuero, te agentem interdicto, repellam eadem exceptione, Quod tu non vi aut clam ædificaueris. eademque æquitas est in specie *l. quemadmodum, §. 1. D. ad leg. Aquil.* si aquæductum traieceris in domum meam, quanquam in omnibus his casibus & aliis plerisque, quæ licet mihi exequi meo iure, honestius, melius, & tutius sit exequi per iudicem, *d. §. bellissime, l. si stipulatus sum in fin. D. de solut. l. si pupillorum §. si pupillus, D. de reb. eor. qui sub tut. l. 3. C. de pig.* quod Herodi etiam ad eundem modum in causa filiorum eius Cæsar rescribit apud Iosephum, κύριον μὲ αὐτὸ καθίσας δ' μάλιστα ποιήσειν λέγων, εἰ μὴ κοινῇ συνεδρίῳ τῶν ἐξ ἰδίων συγγενῶν καὶ τῶν ἐπαρχίαν ἡγεμόνων ἐξετάσειε τὸν ὑπαλλον. quod ita Egesippus. *Cæsar in liberos suos dedit licentiam, sed consilium adiunxit, asserens melius consulturum si proximorum reges eorumque qui praessent prouinciis concilium congregaretur.* Sed vt ad rem propositam reuertar, licet ergo mihi meo iure tabulas quoquo modo refigere quas alter sine auctoritate iudicis vi aut clam adfixit ad ianuam ædium mearum Et si is agat mecum Quod vi aut clam refixerim, duplex mihi remedium propositum est, exceptionis Quod non tu vi aut clam eas tabulas fixeris ante ad domum meam, & interdicti Quod vi aut clam tabulas titulosve imposueris rei meæ, ita vt vltro citroque certemus interdicti genere eodem, tu quod refixerim, ego quod fixeris, sed ego superior euadam teque condemnem in id quod interest nisi probes quod refixi & mihi remittas vt absoluar interdicto quo vltro veteris in me. quę est sententia *d. §. si ad ianuam*, ex qua liquido apparet iure meo me posse refigere tab. quas alter vi aut clam fixerit ad ianuam mearum ædium vt *l. j. C. vt nemini lic. sine iud. auct. sig. l. 2. C. vt nemo pr. tit. prad. suis, &c.* forte pigneratarum sibi, vt *l. 2. C. vt nem. lic. sine iud. auct. &c.* Solebat enim tabella ædibus adfixa iudicari ædium hypotheca, quæ ὄρος à Demosthene & Menandro dicta est, vt in veteri Etymologico legimus ὄρος appellari σανίδιον ὑπιθέμενον τῶν οἰκίαις καὶ τοῖς χωρίοις ἀντὶ νοις πηγνύμενον τοῖς ἐνεχειαζομένοις πρὸς ἃ ὀφείλουσιν οἱ δεσπόται. & in lexico Rhetorico Harpocrationis, ὅρους ἐκάλουν οἱ ἀττικοὶ τὰ ὑποκείμενα τῶν οἰκίαις καὶ χωρίοις χαράγματα (sic legendum ex Suda) δηλοῦντα ὅτι ὑποκεινται δανείῳ.

CAP. XIII.

De his quæ administrantibus vel officium publicum gerentibus vendita sunt.

CErtum est principalibus constitutionibus caueri his qui prouincias regunt & adsessores vel domestici vel officiales eorum vel milites qui in prouinciis merent, & generaliter qui vel minimum officium exercent in prouincia, ciuitate vel vico præter ea quę victus cottidiani sunt, rem vllam mobilem aut immobilem priuatim vel publicè emant ab hominibus eiusdem prouinciæ, ciuitatis vel loci, per se vel per interpositam personam, veluti coniugem aut amicos, quod eas plerunque venditiones extorqueant per vim, concussionem, impressionem, officij sui potestate freti. & pœna in eum constituitur qui contra constitutiones fecerit vt venditio irrita inanisque fiat, & res vendita & tradita venditori restituatur vel per actionē, Quod metus causa, & nihilominus etiam pretium à venditore retineatur, quod in hac specie singulariter constitutum est, *l. pen. C. de his quæ vi metusve cau.* & vt in specie *l. pen. C. de rescin. vend.* cum tamen alias per actionem Quod metus causa, ita restitutio fiat, vt vnusquisque integrum ius suum recipiat, venditor puta rem male venditam cum fructibus, emptor pretium, *l. 3. & 4. C. eod.* vel etiam per rei vindicationem perinde ac si res non exisset dominio venditoris, æquè restitutoriam, *l. 2. & 6. C. Theod. de his quæ adm. vel off. pub. ger.* Concurrit enim cum actione Quod metus causa, rei vindicatio vtilis, *l. 9. §. volenti, & §. licet, D. de eo quod met. causa, l. 3. C. eod.* Sed *d. l. pen.* est de actione Quod metus causa, & singularis in eo quod eo iudicio vēditor recipit rem suā non reddito pretio. Posset obiici *l. milites, D. de re mil. & l. aufertur §. quod à præside, D. de iur. fis. & l. j. C. Th. de his quæ adm. vel off. pub. ger.* quæ rem ita venditam illicite addicunt fisco. atque etiam *l. non licet, D. de contr. empt.* quæ cum sit ex libro Martini de delatoribus, sane dum emptorem rem amittere ait, significat eam vindicari fisco. & adiicit *d. §. quod à præside*, etiam pretium inferri fisco, & *d. l. non licet*, pœnam tripli ex Constitutione Seueri & Antonini. nam in quadruplo inest simplum, id est æstimatio rei. Sed rem fisco vindicari ita verum esse dicam si venditor post depositam ab emptore administrationem venditionē fecerit ratam, vel si quinquenio integro in repetitione cessauerit, *l. 5. C. Th. de his quæ adm. vel off. pub. ger.* nam & hoc in hac specie singulare est, vt actio quod metus causa vel rei vindicatio tollatur præscriptione quinquennij, itemque ratihabitione venditoris, licet venditio non ideo magis confirmetur, *l. 1. C. de cont. iud.* nimirum statim fisco vindicante rem illicitè venditam. Rursus vero quod dixi quadruplum fisco inferri in quo insit pretium rei velim accipi indistincte siue emptor nondum soluerit siue soluerit pretium venditori, sed hoc posteriori casu pretium repetit ipse vel heres eius quod prænumerauit venditori, *l. 1. C. Th. de his quæ adm. vel off. pub. ger. & arg. l. Senatus, D. de cont. empt.*

CAP. XIV.

Constitutio Zenonis ad Ælianum P F. P. scripta qua in Codice Iustiniani discissa est in tres partes.

VNa est Constitutio Zenonis ad Ælianum P F. P. quæ diuisa est in Codice Iustiniani in partes tres *l. vlt. C. de in int. rest. minor. l. mulier, C. de iur. dot. l. vlt. C de mag. con.* quarū legū etiam hæc vna subscri-

ptio est, *Dat Kal. Ian. C. P. Basilio V. C. Cos.* Male adiungunt quidam Basilio Constantem in *l. vlt. De in int. rest. minor.* nam is Basilius Consul fuit solus. & male etiam Armatium in *d. l. mulier.* nam is Armatius non cum hoc Basilio Consul fuit, sed cum alio qui & Basilius, cuius memoria damnata fuit, *l. decernimus C. de sac. eccl.* adeo vt in subscriptionibus eius nomen non ponatur, sed Armatij tantum. Species autem eius Constitutionis & integra sententia hæc est. Minor xxv. annis consentiente curatore iure dato ex decreto prætoris vel præsidis, & vel generali curatore vel specialiter dato dotis constituendæ causa, nihil refert, vt *l. siue generalis, D. de iur. dot.* dotem dedit vel promisit pro modo facultatum suarum & dignitate mariti nataliúmq; suorum. Alioquin restitueretur puella aduersus dotem. *l. si ex causa* §. *in dotis, D. de minor.* Ceterúm in conficiendo inuentario & ineunda æstimatione bonorum puellæ, vitio scribæ non vitio curatoris vilioris æstimata sũt bona, puta æstimata quingentis quæ digna erant sexcentis, ac proinde secundum eam æstimationem curator puellæ cauit in quingenta dato fideiussore, ea scilic. quingenta puellæ saluafore. Verum postea in collocanda puella diligentius excussis eius facultatibus, curator dedit in dotem sexcenta. maiorem igitur quantitatem quam quæ cautione continetur. quo fit vt in damno versetur mulier cui non est cautum in integram quantitatem patrimonij sui, in integram dotem. Quæritur an ideo restitui possit aduersus dotem vel dotis promissionem? Et dicam ex *l. vlt. C. de in int. rest. minor.* restitui non posse. quia restitutio datur tantum minori decepto. & captus non videtur qui iure communi vsus est. quæ regula sumpta est ex Papiniano in *l. inter eos* §. *pen.* D. *de fideiussor,* & vsurpatur etiam ab Vlpiano in *l. nihil consensui* §. *1. De reg. iur.* his verbis: *Non capitur qui ius publicum sequitur.* Ius publicum & ius commune idem est. Iure autem communi vsa est quæ adhibito curatore rite constituto dotem marito dedit, aut promisit secundum modum patrimonij sui. Ergo non videtur capta, & consequenter non potest restitui aduersus dotem vel dotis promissionem. denique vt ait *d. l. mulier*, recte dotem dedit, rectè promisit: & si promisit recte, exigi potest. Est enim legendum in *d. l. mulier, exigi*, non *exigere.* exigi habent veteres membranæ & Latinorũ & Græcorum in illis verbis, ἢ ἐαν ἐπαγγείλητα δοθῆναι, ἀπαιτεῖται. Ceterum vt additur in *l. vlt. De mag. con.* aduersus scribam habet mulier in id quod interest actionem in factum ex S. C. quod non satis exegerit in omnem quantitatem bonorum, quod puellę bona perperam æstimauerit. & ita his tribus legibus coactis in vnam, alia ex alia lucem clarissimam accipiet. Et scribam intelligere oportet prætoris vel præsidis non tamen quasi apparitorem qualemcunque, sed quasi honoratiorem, cum Clarissimus appelletur in Nouel. Iustiniani xc iv. & nominatim etiam hæc ei dicatur iniuncta cura rerum earum quæ pertinent ad minores xxv. annis. & euidentius in No. Constantini Porphyrogeniti περὶ Ζωσιμῶν τῶ σκείβα, id est, de sportulis scribæ, in qua dicitur non esse τέλος δικασὴς, ἀλλὰ (ὡς φησὶ) ἢ τῆς θεματικῶν χριτῆς ἢ αὐτῆς τῆς ἀπογεαφέων ὑποβέβηκε, ἢ ὀφθὸν ἢ πᾶσα φερντὶς τ ἀφηλίκων, ἢ ὁ περὶ πραγμάτων αὐτ μεκίνδυνος ἀπ μεγάλης ἀμελείας εἰς αὐτὸν ἐφορᾷ.

Cap. XV.

Laus Themistio philosopho reddita oratione Constantij Imperatoris.

EXtat pars orationis Constantij Imperatoris ad Senatum de prætoribus designandis in *l. 12. & 13. C. Th. de prat. & quæst.* & inter cetera *l.* 12. tantum honoris ea oratio tribuit Themistio philosopho, vt eius scientiam dicat augere dignitatem, velitque eum adesse in designandis ex S. C. prætoribus, & ius habere suffragij. Cuius laudis gratiam animaduerti Themistium Imperatori retulisse satis amplam in ea oratione cuius titulus est, περὶ τῦ αὐτοκράτορος ἐγκωμιάσαντος αὐτὸν πρὸς τὴν γερουσίαν, ἀ χαειστήριος. Nam quod Constantinum eum vocat non Constantium, vt in ea oratione quæ illam antecedit, iam supra dixi esse solemne auctoribus vt Constantium malint Constantinum appellare: qui inuicem collati necessario distinguuntur in eiusdem oratione ad Iulianum illo loco, μ τ υἱέα μ τ ἀδελφιδῆν Κονσάντιον, αὐτὸν ἐκεῖνον τ πατρὸ Κωνσταντῖνον ἀπειληφας. Sic legendum.

Cap. XVI.

Constitutio Græca quæ desideratur in titulo Mandati vel contra.

REcte Papinianus *l. 7.* D. *mandati* considerandum esse iudici vtrum salarium procuratori dominus constituerit laboris remunerandi gratia, quæ pactio honesta & licita est, an ex euentu incerto litis procurator pactus sit dari sibi quantitatem certam aut partem litis certam, quæ plerunque longe maioris pecunię est quam salarium, quod solet esse modicum. Hæc enim pactio reprobata est, quasi detrimentosa nimis ei ad quem res pertinet, & certa redemptio litis alienæ, societas scilicet futuræ victoriæ conuenta inter dominum & procuratorem contra bonos mores. Et quia plerumq; cessionibus actionum eæ insunt tacitę pactiones, etiamsi pecunia interuenerit, omnes præsumuntur esse tales, & prohibentur ab Anastasio in *l. per diuersas, C. mandati*, & redemptor litis magis esse præsumitur qui pecunia data alienam suscepit actionem. & nominatim cauetur eadem lege, ne ex actione cessa plus consequatur procurator quam dederit ipse, & reliquum vt cedat lucro debitoris. quod & Constitutio Iustiniani confirmat, *l. ab Anastasio, eod.* quæ res mirum in modum coërcet cessiones nominum. vix enim vllus est qui ea redimat eodem pretio quo constant, etiamsi spem vindictæ aliquam propositam habeat, quia hoc genere se onerauerit potius quam aduersarium, vt contra si pretio viliore, aduersarium releuarit hoc iure recepto quam onerarit potius. sed ab Anastasio excipiuntur hi casus, *Si coheredes in familia erciscunda inuicem cedant actiones. si creditori nomen aliquod detur in solutum, si possessori rei alienæ inferenti æstimationem litis dominus cedat actionibus suis,* vt *l. si culpa*, D. *de rei vind. Si heres legatariis aut fideicõmissariis quibus actiones aut res legata sunt æque cedat actionibus suis.* His enim casibus cessiones actionum valent in solidum. Sed hoc & si probarit Iustinianus in *d. l. ab Anastasio*, abrogat statim in *l. vlt. eiusdem tit.* quæ etiam his casibus vult cessionem eatenus valere quatenus is cui facta est de suo contulit coheredi qui cessit actionem, vel quatenus creditori aut legatariis debuit debitor vel heres qui cessit actionem, vel quatenus ei dedit possessor pro æstimatione litis. Et vt

vno tantum casu omni ex parte valeant cessiones actionum si fiant donationis & meræ liberalitatis causa citra dissimulationem vllam. Desiderabatur nouissima hæc Iustiniani Constitutio in *tit. mandati vel con.* ablegata in patriam quod esset Græca. Sed eius sententiam auctores βασιλικῶν conseruarunt, etiam eo nominatim adiecto, se eam nō edere χτ πόσα quod esset græca. Et verba βασιλικῶν hęc sunt. Ἡ παρῦσα διάταξις μέμνηται μὲν τ αἰασιάτου διάς λήξεως διατάξεως τ γενομένης περὶ τ ἐκχωρήσεων, ἥτις βέλεται τ χρήματα δεδωκόλα καὶ ἀγωγὰς ἐκχωρηθῆναι, μηδὲν πλέον ἀπαιτεῖν ἐκ τ ἐκχωρηθεισῶν ἀγωγῶν, εἰ μὴ μόνον ἅπερ δέδωκεν αὐτ. δίρῦσα ὃ ἐν ἐκείνῃ τῇ διατάξι περόσπα πινὰ ὑπεξηρημένα καλῶς καὶ ἐπὶ τοῦτ ἦλθ περσώπων τὸ αὐτὸ νόμιμον κρατεῖν, καὶ μηκέτι φυλάττεσθαι τὴν ἐκείνην τῇ διατάξι γενομένην ὑπεξαίρεσιν, ἀλλὰ τ δεδοκότα χρήματα μόνον ἀπολαμβάνειν μ τ τόκων. εἰ ὃ δωρεά τις καθαρὰ γένοιτο ἀγωγῶν, τὴν ἐπὶ ταῖς ἐκχώρησιν ἴσχυεν βέλεται, εἰ μὴ ἄρα χτ περιγραφὴν ἐγένετο. ἑλληνικὴ ὃ ἐστι τ χτ πόσα παραδόσεως, ἃ δεῖται χτ τὴν ἡμετέραν διάταξιν.

A in *d. l. supra, At si specus cuniculum sub riuo aget.* Nam vt supra iter publicum pontem aut arcum aut sub itinere publico specus facere non possum *d.* §. *scio*, ita nec supra iter priuatum: & similiter supra riuum alienum pontem, vel sub riuo alieno specum. i. subterraneum cuniculum facere non possum. quæ est sententia dictæ *l. supra.* Διόπτραν autem specum Græci dixere ex *d. l. j. De riuis* quæ specum ait esse locum ex quo despicitur, quæ definitio est nominis, non rei. nec ferendus Daniel Barbarus qui quasi explicatius vt rem ostenderet, sublimem ripis locum ex quo aqua despicitur, esse finiuit.

Cap. XVII.

Dioptra, Specus, Cuniculus.

EVm qui ius habet aquæ ducendæ si riuum apertum operiat, Ofilius existimabat impune prohiberi, *l. 1. §. vlt. D. de riuis.* Idem Labeo *l.* 2. in qua *terrenum* dixit, pro *subterraneum* aliter quam dicto §. *vlt. & l.* 3. §. 1. & contra idem esse Ofilius existimabat si opertum aperiat, quod hoc genere, vt arbitror, aliter aquam ducat quam duxerit ante, vt præceptor Ofilij Seruius scripsit de eo qui aquam per apertum ducit quam ante per specum duxit. Per Specum ducere species est ducendi per opertum, & id quod Græci dixere χτ διόπτραν. Et quod contra Seruium Vlpianus concludit non impune prohiberi eum qui per apertum aquam ducit quam ante duxit per specum, nisi is qui prohibet sua maxime interesse doceat ne ita ducatur aqua, *d. l. j.* §. *vlt. l.* 3. *D. eod.* id iidem Græci sic interpretantur, δώσατω τὸ περάτιον χτ διόπτραν ἑλκόμενον ζωναγκεκαλυμμένον πιῆσαι, εἰ μὴ πλέον ὠφελεῖτο αὐτοδικῶς. Potest quis riuum aperire eum quem duxerat ante per specum, si non maior vtilitas versetur aduersarij. & notatur ab iisdem dioptram vulgo πλεθείαν dici. male Budęus machinam haustoriam, & cum eo, qui sic ea verba transtulit. Potest quis id quod prius in aperto ducebatur operire, nisi si maiorem aduersarius vtilitatem ex altero capiat. Cum igitur per specum ducere, sit species ducendi per opertum & occultum, recte dixeris specum parum aut nihil distare à cuniculo, vt *l. si creta, D. de fur. l.* 2 §. *scio tractatum, D. ne quid in lo. publ. Cic. xv. ad Attic. Ei sine paucos specus in extremo fundo & eos quidem subterraneos seruitutis apud Thalnam quid habituros.* Curtius Ruffus 4. *Agi cuniculos iussit, nec saxa cotesque quæ interpellent specus obstabant.* & viij. *Aditus specus accipit lumen, interiora nisi in lato lumine obscura sunt. perpetuus cuniculus iter præbet in campos ignotum nisi indigenis*, & ix. *vrbem cuniculo cepit. barbaris simile monstri visum est, quippe in media vrbe armati terra exibant nullo suffossi specus ante vestigio facto.* Tacitus xj. *Recluserat specus quærendis venis argenti.* Vitruuius *vij. Specus sub terra fodiebantur ad argentum inueniendum*: Seneca 6. *Nat. quæst. In laxos specus: quid enim aliud appellem loca vacua sub terris?* At *l. supra, D. de aqua & aq. pl. arc.* differentiam facit inter specum & cuniculum, & Græci qui illo loco specum interpretantur esse canalem aut cauum apertum, cuniculum canalem opertum. & possit specus vtrumque significare, cum & *specum vulneris atri* dixerit Virgilius. Malim tamen

Cap. XVIII.

Beneficium l. 2. C. de resc. vend. male porrigi ad emptorem.

AEquum erat subuenire venditori qui minoris vendidit, quem plerunque necessitas rei familiaris compellit vendere pretio minore, *l. 2. 12. & 16. C. de resc. vend. l. j C. de prad. cur. l.* 2. C. *sine cen. vel rel. l. ita vt omnes* §. 1. *Mand.* non etiam emptori vltro accedenti ad emptionem prædij sæpe fraudandi causa, & plerunque ementi pretio impenso, & immodico, affectione opportunitatis vel vicinitatis vel cœli vel quod illic educatus sit, vel parentes sepulti, vt *l. j.* §. *sed si rem, D. si quid in fraud. pat.* vel quod maiorum eius fuerit, vt *l. si in emptionem, D. de minor.* quæ cupiditate incensus vltro proiicit sępe ingentia & immensa pretia. quod calorem vocat *l. locatio, D. de pub.* alij insaniam. Cicero ad *Atticum xiij. Othonem vincas volo, nec tamen illum insaniturum puto.* Virg. *Insanire libet quoniam tibi*: & stultitiam *l.* 3. *ad leg. Fal.* & recte post Notitiam Ro. Imperij de rebus bellicis auctor quidam, ementis fraudulentam calliditatem & vendentis damnosam necessitatem, difficultatem contractibus inferre, ne rebus interfit simplicitas. Et Saluianus v. *de prouidentia Dei: Inuidiam penes emptorem, inopiam penes venditorem esse, quod emptor emat vt substantiam suam augeat, venditor vt minuat.* Et inde etiam leges omnes, *l. 2. & l.* 8. C. *de resc. vend. & l. j.* C. *si maior factus alien. rat. hab. &c. 3. & pen. de empt. & vend. & No. Romani senioris de resc. vend.* venditori tantum fraudato supra dimidiam iusti pretij dant rescissionem. nulla opitulatur emptori maiori xxv. annis qui fundum iniquissimo pretio emit. minori fateor subueniri siue minoris vendiderit siue pluris quam oporteret emerit, *l. patri* §. *prædium, D. de minor. l. 11.* C. *de prad. min. l. Iulianus* §. *si colludente*, De *act. emp.* & marito grauato in æstimatione dotis, *l. 6.* C. *Solut. matrimonio.* quia non simplex emptio est, sed dotis causa, *l. quotiens, D. de in. dot.* nego subueniri extraneo maiori xxv. an. qui supra verum fundi pretium eum altero tanto amplius emit, qui vt fundum dignum iv. emit. x. vel ix. Nam si fraus est ex parte venditoris cum rem dignam x. vendit iv. quia nec dimidiam partem veræ æstimationis rei suæ consequitur: & similis igitur è contrario fraus est ex parte emptoris cum rem dignam iv. emit x. vel ix. quia ex re empta nec dimidiam pecuniæ suæ partem fert. & similiter cum rem dignam x. emit xxj. vt retro fraus est ex parte venditoris si rem dignam xxj. vendat x. Et quemadmodum No. Romani senioris dimidiam iusti verique pretij cum de venditore fraudato agitur, vocat duplum, dū ὑπερεπιπορὶν εἰς τὸ διπλοῦν vocat id quod plus est in re vendita eiusve rei pretio vero quam in pretio conuento: ita si agatur de emptore fraudato, dimidia iusti pretij erit duplum, sed in emptore est duplum pretij veri, in venditore est duplum pretij conuenti. Et

Et quod excedit hæc dupla fraus eſt quę in venditore corrigitur per reſciſſionem intra quadriennium, vt cautum eſt No. Romani, ex Conſtitutione regia intra decennium, non in emptore: ſicut ex forma PP. relata apud Harmenopulum lib. 3. epit. tit. 8. conſtat corrigi eam in locatore non in conductore. Et in permutatione igitur quatenus vterque venditori ſimilis eſt, vtrique idem beneficium dabitur, non quatenus vterque emptorem imitatur. & error communis tamen obtinuit, vt idem iuris ſit in emptore. cui agnatus eſt etiam alius, vt fraudatus emptor intelligatur ſi rem dignam x. emerit xvi. cum eo tamen modo emptor plus quam dimidiam pecuniæ ſuæ partem ex ea re habeat ſaluam. & bene hunc errorem notauit Carolus Molinæus *libro de vſuris* ſalebroſa licet & incondita oratione nimis. nondum quiſquam indicauerat beneficium *d. l.* 2. non eſſe producendum ad emptorem maiorem xxv. annis. Pertinet enim ea lex ad maiores non ad minores, & ad res ſoli non ad mobiles. & hoc poſito non debere produci *d. l.* 2. ad emptorem ſuperuacuum eſt quærere vtrum fraus emptoris tunc ſit intolerabilis, cum rem dignam x. emit xvi. an cum emit eam xxi.

Cap. XIX.

Ferre & auferre ad §. ſi debitorem, l. ait prætor, D. quæ in fraud. cred.

CReditorem perſequentem debitorem fugientem & pecuniam ſecum ferentem auferre ei pecuniam ſibi debitam ſi quis dixerit, vt *l. ait prætor §. ſi debitorem, D. quæ in fraud. cred.* quis non ſtatim intelliget inlico, inque articulo ipſo atque momento manu iniecta ſine iudice iudiciove fugienti debitori qui nec iuris nec ordinis ſpatium creditori relinquat vllum, pecuniam debitam auferri? Ergo cum ea res creditori fraudi non ſit, recte ſtatuo licere fugienti debitori & pecuniam ſecum ferenti inlico auferre pecuniam debitam auctoritate ſua. Sic ſane. nam quod plus eſt etiã in fugientem xii. tab. dant manus iniectionem his verbis, *Si caluitur pedem veſtruit, manum endo iacito.* In moratorem igitur, vt in iudicatum alio capite qui moratur & fruſtratur nec iudicatum facit. itemque in fugientem. Inciuilis quidem hodie hæc via eſt & extraordinaria. Fateor. Sed inciuile æque eſt ſi probaueris quod fecit creditor, dum ſibi vigilat ſuum vt ſeruet ſibi, cuius amittendi in ſummo periculo verſabatur fugiente debitore: vt euidenter eſt ſcriptũ *l. vlt. §. vlt. quod met. cau.* quod exegit creditor à debitore ſine cognitione iudicis interueniente apparitore, cuius interuentus cum abeſt notio iudicis non facit tamen ne vim qui facit creditor auctoritate ſua debitum extorquens, ideo minus vim feciſſe videatur, tamen inciuile eſſe id ab eo creditore reuocari. excuſatur hoc caſu qui ſuum recipit quali quali præſentia apparitoris, illo præcipiti fuga debitoris, præſentique & prærupto periculo amittendæ rei ſuæ. Non omnis vis improbatur. dicam creditorẽ magis neceſſario quam libenter vim feciſſe, magis coacte quam ciuiliter, vt Liuius 38: magis piè quam ciuiliter vim feciſſe. Dicam melius eſſe per magiſtratum id facere, vt *l. ſi ſtipulatus ſum, in fi. D. de ſolut.* ſi copiã adeundi magiſtratus faceret debitor. ſed in fugiente illud tolerari æquum eſſe. Et manus iniectionem fieri in ancillam proſtitutam contra legem venditionis auctore magiſtratu, *l. 1. C. Si manc. ita væneat ne proſt* ſed & ſine magiſtratu ſi facta fuerit ex lege conuentionis, eam reuocari inciuile eſſe.

Cap. XX.

Ædilitium l. iuſtiſſime, D. de Ædil. edic.

HOminis vel fundi venditioni homo accedere poteſt cuiuſcunque pretij, *l. iuſtiſſime §. 1. l. itaque, D. de Ædil. edic. l. ſi in emptione D. cont. empt.* Rei quę minoris eſt, i. rei modicæ venditioni homo non accedit. non dico hominem magni pretij non accedere rei modicæ, quod & de aliis rebus dicere poſſim: nec enim minus ridiculum eſt tunicæ aut pileo fundũ accedere quam hominem, ſed dico modicę rei venditioni non accedere hominem vllius pretij, propter dignitatem oris humani etiamſi ſerui, natura ei datam: quæ ſuperat omne pretium, quæ impretiabilis eſt, quæ tam à ſacris quam profanis auctoribus confertur in Deum, quæ efficit vt nec etiam homo habeatur in merce, *l. mercis, De verb. ſig.* Denique propter dignitatem oris & naturæ hominem cuiuſcunque pretij non accedere venditioni rei modicæ, ne ſi accedere poteſt, fraude conquiſita tituloque acceſſionis homo qui eſt in cauſa redhibitionis non redhibeatur, quia acceſſionis redhibitio non eſt ſine re principali, *l. proinde §. vlt. D. eod.* & conſtat rei minimæ redhibitionem non eſſe, *l. ſi tamen §. vlt. eod.* rei vel cauſæ minimæ, *l. res, D. de cont. empt.* quæ ſecundum inſcriptionem recte refertur ad ædilitium edictum, & ita ſi vel euincatur res minima quæ principaliter in venditionem venit, vel ſi acceſſio rei quæ maioris ſit, euictionis nomine conſtat in duplum venditorem non teneri, *l. ex empto §. ſi quis rem, D. de act. empti.* Atque ita tam rei minimæ quam acceſſionis cuiuſque ſimplariam venditionem eſſe. Hæc erat operæ cognoſcere volenti intelligere id quod Paulus proponit initio *d. l. iuſtiſſime.*

Cap. XXI.

Emendatur initium l. 22. D. locat.

SIcut euenit aliquando vt emptionis & venditionis contractus claudicet & obligetur emptor non venditor, vt in ſpecie *l. Iulianus §. ſi quis à pupillo, D. de actionibus empt.* ita ſcriptum eſt *l. 20. D. loca.* Interdum conductorem obligari non locatorem ex Pauli xxxiv. ad edictum. & ſpecies mutila ſubiicitur his verbis, *veluti cum emptor fundum conducit donec pretium exſoluat*, quam nemo adhuc peregit bene. & ſane nihil eſſe poſſit operoſius quam ſi tentes eam ex his tantum verbis conficere. & neceſſe eſt te pręterita *l. 21.* Iauoleni quæ eſt intermedia, ſtatim vt eam conficias iungere extremo *d. l. 20.* initium *l. 22.* Hoc modo, expleta ſententia omni ſimul ac emendato initio *d. l. 22.* Interdum locator non obligatur, conductor obligatur, veluti cum emptor fundum conducit donec prætium exoluat, id eſt, ſi pretio non ſoluto inempta res ſit facta, tunc ex locato erit actio. vnde ſpecies ita conſtituenda erit. vendidi tibi fundum lege commiſſoria vt ſi intra diem certum mihi pretium non ſolueres, fundus inemptus eſſet & interim vt eum fundum conductum haberes certa mercede donec pretium exſolueres, vt *l. ſerui emptor, D. de per. & com. rei vend.* Committis in legẽ, & non ſoluis in præſtitutum diẽ, erit mihi in te actio ex locato vt ſoluas mercedem pro rata temporis quod tibi reliqueram conquirendæ & conficiendę pecuniæ gratia, vt intermedia lex Iauoleni docet, & non erit tibi in me actio ex conducto, vt frui liceat, quia finita ſimul conductio & emptio eſt,

commissa per te venditionis simul ac quæ conductioni sanè inerat, etiam conductionis lege. At similis etiam casus in Basilicis inter *l. dominus & l. cum domini, D. loca.* proponitur, vt plane eo loco videatur deesse lex aliqua de creditore pigneraticio qui debitori rem obligatam locauit donec pretium solueret, vt distracto fortè aut soluto pignore sit creditori actio mercedis, non debitori actio ex conducto vt frui liceat, quasi finita conductione. Et verba βασιλικῶν hæc sunt: ἐὰν ὁ δανίσης μισθώσῃ τῷ χρεώστῃ τὸ ἐνέχυρον, αὐτὸς μὲν ἔχει κτῆ τῆ μισθωτῆ ἀγωγὴν, ὁδὲ χρεώστης οὐκ ἔχει κτῆ τῆ μισθώσαντος ἀγωγήν.

Cap. XXII.

De non perpetuandis aduocatis. Et de his Constitutiones quadam nouæ.

A Duocatorum olim in foro erat certus numerus, & qui ex eo erant numero temporarij non perpetui, *l. cum aduocatio, C. de aduoc. diuers. iud.* Deinde penuria & paucitas iurisperitorum fecit vt perpetuarentur, *No. Valentiniani de cont. his quaad min. vel off. pubi. ger.* & ante etiam exceptis aduocatis fori illustrium præfectorum prætorio, idē Theodosius prouinciarum & spectabilium iudicum aduocatos perpetuauerat, *No. de postul. & perp. aduoc.* Inueni Nouellam Valentiniani & Martiani, necdum enim omnes luci redditæ sunt Nouellæ vel Theodosij vel Valentiniani vel successorum Constitutiones, quæ tandem multis iam adolescentibus iuris peritis ne cohiberentur studia iuris si perpetuo causis agendis insiderent veterani, Ius vetus restituit, vt veteres aduocati cederent nouis, nec essent perpetui. Proponam eius Nouellæ verba quæ habeo. ea enim tantum habeo, quæ lacera quædam vetus scheda dedit, quæ adglutinata erat inuolucro libri cuiusdam Theologici. Impp. *Valentin. & Mart.* aa. *Storatio* pp. *Multa in sanciendis legibus non solum sibi vindicat, verum etiam temporis ratio persuadet, non quod præceptorum diuersitas placeat, sed quod euentuum qualitas pensius facit esse iudicium, & firmius constituto robur est, quotiens priori sententiæ magis magisque probata succedit. Dudum lata lex exceptis inlustribus foris ceteris ac prouincialibus perpetuitatem concesserat actionis, sed nunc adcrescente pube & literariæ indolis iuuentute, aditi exoratique sumus ne sub aliorum perpetuitate succedentium studiorum feruor euanescat. quis enim se ei officio nouus professor inferat quod veteranus insederit, vt non sit tam actor quam obseruator alterius, & quia hæc quæ ab homine caduca sunt, fiunt subrogatione perpetua, ne interdicentibus studijs ipsa pariter officia conquiescant, hac generali constitutione decernimus vniuersa fora tam inlustrium Præfectorum prætorij ac præfec. vrbi quam reliqua omnia, &c.* Et hæc igitur tandem fuit magis magisq; probata sententia, quę & vetus, ne essent aduocati perpetui, sed eo officio magno, necessario, sancto certo tempore functi fisci patronatum etiam ad tempus susciperent, ac post scāderent maiores honores: quæ valuit diu post eam Nouellam. Nam & *l. iubemus aduocationem, C. de aduoc. diuers. iud.* indicat finem eius professionis aliquem esse legitimum, vt *No. Theodosij de postulando & perp. adu.* finē aduocationis ostendit esse in foro pręf. præt. quem sequitur fructus specialium priuilegiorum & palma dignitatis, clariſſimatus scilicet vt *l. suggestionem C. de aduo. diuers. iud.* & *Nouel. Valentiniani de trib. fisci & de sac. aud.* vel spectabilis vicariæ dignitatis, vt *No.* eiusdem *de postul.* deniq; finem quidem esse eum quem quisque sibi aduocatus fecerit, sed non finem quem sequantur priuilegia dignitatesque, nisi, vt iam tempus exprimam, ex eadem *No. Valentiniani de postulando*, id saltem quod debent aduocati impendere foro prætorianæ aut vrbanę præfecturæ, in eo expleuerint annos xx. aut minimum xv. Est vero interim operę scire in ea No. sic esse legendum: *Neque enim perpetiendum putamus huiusmodi dignitatem in his qui aduocatione functi sunt, imaginariam aut vacantiuam videri.* & paulo post. *etiam hoc parum esse videatur.* & circa principium, *In admittendis, retinendis, honorandisque causidicis.* His addam aliam constitutionem Valentiniani nondum editam, quæ & si certus esset in vno quoq; foro aduocatorum numerus lege definitus, Afris qui à Vandalis & Alanis vastata Africa pulsi sedibus & profugi in Italia vagabantur, liberalibus studiis institutis, concedit vt apud omnes iudices causas orare possint, atque etiam in foro prætorianæ vel vrbanæ præfecturæ tribus. & verba Constitutionis hæc sunt. Impp. *Theodos. & Valentin.* aa. *Albino* pp. *Illyrici. Ex adfectu publico conuenit eorum necessitatibus subuenire qui in fatales miserias inciderūt. Imperatoria siquidem vis maior landis est aliqua decreta mollire quando vis maior inopinatæ cladis fatale generarit incommodum Albine P. K. A A. Vnde inlustris & præcelsa magnificentia tua pragmatici nostri tenore comperto sciat, Afros qui infortunio hostilis cladis expulsi electiq; fortunis omnibus spem sui actus & conuersationis solitæ perdiderunt, & imbuti studijs literarum causas agere destinarunt, sine agere iam cœperunt apud omnes iudices his aduocationis copiam remoto legis vinculo esse permissam, vt ærumnas in quibus nunc sunt, tali possint remedio subleuare, præter prætorianam togam forumque vrbanum, in quo agendorum negotiorum licentiam tribus pietas nostra permisit. nec enim non eos oportet studijs fauorabilibus adiuuari quibus hoc solum remansit quod sibi non potuit vindicare captiuitas. Datum XIII. Kalend. Sept. Rauennæ Maximo II. & Paterio Coss.*

Cap. XXIII.

De siliquarum exactionibus.

TRia sunt onera negotiorum, Monopolij, si certæ personæ vel certo corpori concesserit princeps, vt ei soli ius sit vendendæ certæ mercis, quę concessio principis non erat improbata ante Constitutionem Zenonis de monopoliis, sub onere conferendæ in fiscum pensionis certæ. Et aliud est onus auratiæ functionis siue lustralis auri & argenti collationis, de quo est primus titulus *libri* xi. *Cod.* Est & tertium onus siliquatici, de quo ita Cassiodorus *lib.* 4. *Var. siliquatici præstationem rebus omnibus nundinandis prouida definiuit antiquitas.* Inueni id primum definisse Theodosium & Valentinianum augendo ærario quod fuerat exhaustum, vt nundinis quibusque decreto prouincialium loco & tempore constituto, ex qualibet mercium negotiatione, fisco in singulos solidos venditor dimidiam siliquam, ac similiter emptor alteram dimidiam siliquam inferret. & hac de re edicti eorum verba quæ reperi hæc sunt. IMPP. THEOD. & VALENT. AA. *Cum pietatis nostræ animo ad quærenda remedij publici adiumenta perpetuæ cogitationes se ingerāt, nihil tam necessarium cura serenitatis nostræ perspicit sicut omnium sensibus non optamus occurrere, quam vt defessis rebus adflictoque publico tantum robur numerosi exercitus præparetur, sed nec tam salubris, in qua omnium plenæ securitatis fundamenta ponenda sunt per varia erogationum clementiæ nostræ conatum odoraturus, vt ipso experimento non modo his qui nouis sacramentis obligantur, sed ne veteri quidem exercitui quæ ab exhaustis ægerrime conferuntur ad victum vel ad vestitum posse præberi, quos nisi indigna*

*digna & pudenda armato nomini negotiatio aleret, vix possent à famis periculo & à frigorum pernicie vindicari. Quæ ergo his angustiis remedia prouidenda sunt mens nostræ serenitatis exæstuat. nam si à possessore super alia quæ præstat has expensas requirat, vltimas tenuesque eius vires compulsio talis extinguet: si à mercatoribus rursus hoc efflagitet, necesse est eos depressos tanti oneris mole succumbere. Inter hæc animo fluctuante hanc viam reperimus primum cuius lenissima functio publici quæstus habeat magna compendia, deinde quæ ad vniuersos pertinens à paucis intollerabilia damna submoueat, atque ita sine sensu dispendiorum sit, vt eum plus hinc publica vtilitati conquiri valeat, nullus se speciatim queratur adfligi, & neque à tenuissimis possessorum reliquiis vel defectu miserabili negotiatorum quicquam impossibile postuletur. Placuit itaque vt omni venditione per solidum dimidia siliqua ab emptore, dimidia à venditore, per omnem contractum æqualiter publico conferatur in omnibus mobilibus immobilibusque rebus, venditiones tantum emptionesque duntaxat tali condicione * tam bonus rei effectus aliter non poterit prouenire nisi huic muneri certi qui præficiendi sunt eligantur cõmuni procerum nostrorum concilio atque tractatu, quod electionis iudicium reseruabitur circa eos qui in aliorum locum adiectionis augmento voluerint subrogari. Per singula igitur negotiationum genera singulos præponi oportere hac edictali lege decernimus quos fides atque industria huic officio sustinendo idoneos comprobauerit. vtilius quippe est distributis procurationibus mercium omnium, vt in talibus rebus fieri solet, depulsa permixtionis caligine apertius & liquidius declarare quid quisque pro conducta mercium nundinatione dependat. Omnis autem contractus qui clanculario vel emente vel vendente in fraudem legis initus fuerit, careat firmitate. quod ne fiat ea ratione prospicimus vt gestis municipalibus immobilium rerum contractus constet initus, mobilium vero emissis pictaciis transigatur, & is qui præpositus fuerit huic muneri profiteatur se id quod per hanc legem compendiis publicis decretum est consecutum, ita vt post annum securitatis amissæ discussio minime requiratur: qui si à tabellione vel contractoribus conuentus ad gesta venire distulerit, inlato curialibus quod huius edicti lege inferendum est, venditio perfecta stabilitate nitatur. Ille autem qui huic rei præpositus spe lucri proprij publicum commodum putauerit differendum, tali adficiendus incommodo est vt tantundem ipse fisci viribus inferat quantum de ipso contractu cui conuentus præsentiam suam negauit à contrahentibus publico fuerit inlatum, quod ab eo magistratus & curiales exigere curabunt, quam pœnam neque ordines effugiant, neque moderatores prouinciarum si qua ipsi fraude vel colludio publica emolumenta distulerint, sed hæc quæ tam salubriter ordinamus in omnibus prouinciis atque vrbibus vna eademque volumus ratione seruari quod absque vllius erroris impedimento explicabitur, si certæ nundinæ ciuitatibus earumque territoriis ordinentur. Iubemus enim & in oppidis & in regionibus certo loco ac tempore emendis atque vendendis rebus per honoratorum dispositionem necnon ordinum seu ciuium sub præsentia moderatoris prouinciæ manifesta definitione constitui. Nulli itaque mercatori præter hanc obseruationem nisi ad designata loca temporibus præstitutis ad negotiationis suæ species distrahendas passim licebit accedere, vt certa ratio emendi atque vendendi ibi constare possit vbi nundinandi ius prouincialium tractatu fuerit deputatum, & id quod præberi supra statuimus, facilius eorum qui præpositi fuerint valeat diligentia reperire: quæ vero ex his supplenda & minutius ordinanda sunt, amplissima, &c.*

CAP. XXIIII.

In quarto libro Codicis quadam emendata.

IN l. *Circa, de loca.* contractus locationis fidem esse seruandam, si nihil specialiter exprimatur contra consuetudinem regionis, rectius Græci, *si quid specialiter &c.* εἰ μὴ ἰδικῶς ἐκφωνηθῇ παρὰ τὸ τῆς κλίματος ζωνόθεν. nam sicut contra ea quę moris & consuetudinis sunt vt veniant in iudicium empti & venditi, pacisci licet, veluti ne cautio duplæ præstetur, *l. pacta, D. de contr. empt.* ita & contra ea quæ moris est venire in ceteris contractibus. In *l. vlt. D. si man. ita fuer. alie. vt man.* scribendum, *condicionis potestate manumittentis factum repræsentari*, sublato articulo *post*, qui inoleuerat ex verbi quod præcedit signo compendiario. Condicionis autem, id est, conuentionis additæ venditioni serui, vt scilicet manumitteretur. & ita Græci, ἐπιδὴ ἡ τῆς συμφώνου δυνάμις τὴν ὀφείλουσαν τάξιν τοῦ πράγματος δοθῆναι ἐλευθερίαν ὑπάρξουσιν. In *l. pen. C. de aedil. act.* restituenda est vera vetusque scriptura omnium librorum, *pestibilis fundus, id est, pestibulas, vel herbam letiferam habens.* Pestibulas nimirum vocat natricum serpentumque pestes, vt Columella loquitur, confecto nomine ex peste, vt naustibuli ex naui auctore Festo. Odore solo fit sæpe pestilens locus *l. 2. §. idem ait si odore*, D. *ne quid in loc. publ.* & ita Columella *viii. serpentum odorem pestilentem esse.* In *l. per diuersas, C. mãd.* ne legas *properare, sed præparare*, vt in Basil. προσκευάζειν, & in veteri conuersione Gallica, *appareiller*, vt *l. vlt. §. personis, C. de adm. tut.*

CAP. XXV.

Lex prima Dig. de testibus.

QVod est scriptum in *l. ob carmen, D. de test.* ob carmen famosum damnatum intestabilem esse, id Græci sic interpretantur *lib.* 21. βασιλικῶν *tit. 1. cap.* 21. ἀπόβλητος εἰς μαρτυρίαν γίνεται ὁ καταδικασθεὶς ἐπὶ τῷ ποιῆσαι παροχὴν φλυαρίαν. quibus verbis qui non animaduertunt ea esse ex *d. l. ob carmen*, alij hoc significari scribunt, reiici à testimonio eum qui tumultuosam petulantiam designasse iudicatus erit, alij eum qui condemnatus sit quod turbulentas & seditiosas aliquas ineptias fecerit. qua versione nihil ineptius. ac rursus peccant etiam in eo quod decepti Balsamone existimant hæc esse verba *l. 1. C. de testibus* quæ longe alia sunt in eodem libro & tit. βασιλικῶν *cap. 26.* nempe hæc: Κατὰ ἐγγράφου μαρτυρίας ἄγραφος μαρτυρία οὐ παραφέρεται. & apud Harmenopulum 1. *epitomarum*, ἄγραφος μαρτυρία κατ' ἐγγράφου μαρτυρίας ἰσχὺν οὐ δύναται. quod idem est, & id omnino quod ita Paulus scribit *v. Sent. Testes cum de fide tabularum nihil dicitur, aduersus scripturam interrogari non possunt.* Ceterum huic Constitutioni vt intelligeremus quemadmodum accipienda esset, inueni additum in Harmenopulo interpretationis loco: τοῦτο δὲ νόει ὅτι συμβολαίου καὶ ἀγράφου μαρτυρίας. & latius *in Basilicis*, τοῦτο δὲ νόησον, μὴ ὅτε μαρτυρίαι ἔγγραφοι χωρὶς μαρτύρων παραφέρονται. Τότε γὰρ ἡ ἄγραφος φωνὴ τῶν νῦν παραγομένων μαρτύρων ἐστὶν ἀπιστοτέρα. ἀλλ' ὅτε καὶ ἑτέρων τινῶν ἐγγράφων δικαιωμάτων ἄγραφοι παραφέρονται μαρτυρίαι. vt scilicet credatur potius viuæ voci testium quam testimoniis, id est, dictis testium recitatis ex scripto, vt *l. 3. §. idem Diuus, & seq. D. eod.* vt aduersus testimonia interrogentur testes ipsi quorum sunt testimonia, & vt testimoniis fides non habeatur nisi eis suffragetur vox testium ipsorum. At contra alia instrumenta de quorum fide nihil dicitur, placet testes non audiri. alioquin nullus erit probationum finis exitusque certus. vt contra instrumentum emptionis vel donationis vel dotis quod non arguitur falsi, testes non interrogentur, ac ne contra chirographum quidem testes recipiantur qui adserant solutam pecuniam fuisse nisi secundum modum præscriptum *l. testium C. eod.* sed contraria scriptura scripturam omnem refelli oportet, & chirographum igitur apocha non testibus.

Cap. XXVI.

Species l. 3. C. plus val. quod ag. quam quod simul. concip.

QVod Impp. Diocletianus & Maximianus scribunt in *l. 3. C. plus val. quod agit. emptione pignoris causa facta non quod scriptum, sed quod gestu est inspici*, qui acceperit de emptione facta in fraudem legum, male speciem posuerit de pignorũ lege commissoria, quæ nondum fuerat vetita legibus, male etiam de fructibus rei pigneratæ acquirendis in fraudem Constitutionum quę vsuris modum imponunt, cum nihil in fraudem earum fieri constet si conuenerit vt vice vsurarum fructus creditoris lucro cederent, quæ conuentio ἀντίχρησις appellatur. Et sicut in *l. cum ea, C. de transact.* ponitur emptionem factam transactionis causa iure licito nulloque consilio fraudis, ita in *d. l. 3.* admiserim facile supradictas species, si modo nihil agi ponas in fraudem legum, nec contrahi pignus illicitum, sed dabo commodiorem ex *l. 5. §. vlt. & l. seq. D. de dist. pignor.* Re eadem tribus creditoribus in solidum diuersis contractibus obligata, si secundus creditor cui in eo pignore præferebatur primus, id vt obtineret & seruaret sibi emerit à primo, huic offerendæ pecuniæ debitæ tertio creditori ius potestasque est, quià non tam acquirendi dominij quam seruandi sui pignoris causa secundus creditor pignus emisse intelligitur, vt *l. 2. eod.* Atque ita non quod scriptum, sed quod gestum est inspicitur. Emptori nemo habet ius offerendi pretij, *l. 2. C. de rep. her.* Creditori qui ad se trãstulit pignus à primo creditore emptionis genere, quia non tam id egit vt emeret quam vt pignus obtineret, ius est offerendi debiti. & multum interest vtrum emat quis ab inuito, an à volente. Neque vero ab inuito emere pignoris causa iniurioſum est.

Cap. XXVII.

Restitutoria & institoria actio, quæ subducta persona mulieris ex S. C. Velleiano, creditori à prætore datur.

MVlier quæ intercedit pro alio aut nouam aut veterem obligationem suscipit. Si veterem nouatione facta, S. C. Velleiano mulier liberatur, & pristina actio in veterem debitorem restituitur, quæ & restitutoria actio dicitur, & rescissoria, & à Græcis ἀποκατασική. Si nouam, æque S. C. mulier liberatur, & in eum pro quo interceſſit instituitur potius quam restituitur actio, *l. quamuis §. si cum essem, D. ad Vell.* Hanc Accursius secutus primos interpretes Latinos, vocat institoriam: quos & Græci secuti *lib. 23. Βασιλικῶν* in *d. §. si cum essem*, scribunt eum qui contracturus erat cum Titio, interueniente muliere cum ea contraxisse quasi præposita huic negotio, ὡς περὶ ταμίαν χάριν πραγματείας, & in interpretatione quoque *l. hæ actiones, D. eod.* cum Vlpianus scripsisset has actiones quæ in eos pro quibus mulier interceſſit dantur, & heredibus & in heredes & perpetuo competere, has actiones. i. eam quæ restituitur & eam quæ instituitur, illi Accursij interpretationem secuti, nempe hãc, i. institoriam & institutoriam, sic eam legem transferunt, ἡ ἀποκατασικὴ ἀγωγὴ ἡ ἐπὶ τὸ περισσότατος διδυσκείσιν ἀμφίζεται κληρονόμοις καὶ ἐπὶ κληρονόμων. Vbi male Græcus interpres quidam, πρὸ ἀποκατασταπκλῶ interpretatur fideicommissariam quam tenetur heres rogatus alij restituere hereditatem. At vero quod institoriam in eum dari aiunt pro quo mulier interueniens nouam obligationem suscepit, ita defendi potest, si A creditor scierit eam intercedere *l. 12. l. Scia §. vlt. D. Ad S. C. Vell.* vt in eum detur vel actio negotiorum gestorum vt *l. liberto, D. de neg. gest.* vel in factum vtilis ad exemplum institutoriæ actionis, si mandatu aut voluntate eius interceſſerit, *l. pen. in prin. D. de inst. act. l. pen. C. eod. l. idemque §. idem Pap. D. Mand. l. Iulianus §. si procurator, D. de act. emp.* eaque decreta sic instituet prætor magis quam restituet obligationem, vt ait *d. §. Si cum essem.*

Cap. XXVIII.

Interdictum de tabulis exhibendis annuum esse.

B INterdictum de tabulis exhibendis, vt ait Vlpianus in *l. 3. § vlt. D. tab. exhib.* constat esse perpetuum. Imo inquam vero non constat esse perpetuum. namque id Paulus facit annale *iv. Senten. tit. vii.* Est qui constare dicit etiam quod est controuersum, constare puta Vlpiano, etiamsi non Paulo: nec intelligit vim verbi constare, quod iurisconsultorum est proprium. Vnde Cicero *pro Flacco. Retulit ad iurisconsultos, constabat inter omnes.* & scribens ad iurisconsultum *vii. epist. Constat inter omnes, neminem te vno Samarobrinæ iuris peritiorem esse.* Et sic in *l. nec vllam §. heredem, D. de pet. her.* Basilica pro constat, ζωωμολόγηται. & idem
C eleuat modo Pauli sententiam, modo eludit ita, vt interdictum de tab. exhibendis, imo & quodlibet interdictum perpetuum possit quandocunque reddi, Sed reddito intra annum sit agendum, cum his Pauli verbis, *edicto perpetuo cauetur, vt si tabulæ testamenti non appareant de eorum exhibitione, interdicto reddito intra annum agi possit*, plusquam manifestum sit hoc significari & reddi interdictum, & eodem agi intra annum, non post annum. Et interdictum perpetuum postquam redditum est anno finiri, dumapud eundem lego, quod de philosophis Varro & Cicero, & de iurisperitis verissime vsurpari posse comperio, Neminem ægrotum quid quam somniare tam infandum vel absurdum quod non aliquis dicat eorum qui iuris peritiam profitentur. Annus enim fuit olim præscriptus
D causis criminalibus, non ciuilibus, *l. reus, D. de mun. & hon. l. 1. & 2. C. Th. vt intra annum. c. quæst. ter.* alioquin & redditæ actiones ciuiles aut prætoriæ quæ sunt perpetuæ non durabunt post annum. An vero alia ratione dicuntur interdicta perpetua, alia actiones? Et quod dicitur interdictum de vi armata reddi post annum, *l. 7. §. Iulianus*, D. *com. diuid. l. 3. §. hoc interdictum*, D. *de vi & vi arm.* etiam reddito agi post annum significat. quo enim reddi nisi vt agatur? Et reddi igitur & agi reddito simul post annum, bienniũ, triennium, vt de eodem interdicto M. Tullius ait *d Cæcinam, In hoc interdicto non solet addi, in hoc anno. quare si iam biennium aut triennium est, in integro res nobis erit.* Et rursus, Si ita ratiocinari licet, anni nulla habetur ratio in *l. 1. C. de tab. exhib.* igitur de tab. exhi-
E bendis post annum reddi interdictum potest, similiter efficiam post annum reddi interdictum, Ne vis fiat ei qui in possessionem missus est, quia in edicto anni mentio non fit, quod tamen constat esse annale. & in interdicto de tab. exhibendis annum computari ex die quo nasci & competere actori cœpisset. j. ex die delatæ hereditatis aut legati, vel si eo die non supprimerentur tabulę ex die quo primum postea supprimi cœpissent manifestissimum erat: nec in eo id ab aliis interdictis annuis distare quidquam. Et hac de re plena & perspicua est ea mentio quam feci in loco supradicto Pauli.

A

CAP. XXIX.

Ad eundem animaduersiones quædam.

ETiam male idem ille dum ex professo quod improbat ante iudicat se debere improbare quam id quale sit cognouerit ad *l.* 11. §. *Aristo, D. quod vi aut clam.* notat ante hæc verba, *Ego si post in diem addictionem factam fundus non precario traditus sit* &c. quæ vera lectio est, nullam esse precarij mentionem factam, acsi non verba illa quæ præcedunt, *In fundo morari*, plane demonstrarent emptorem cui nondum est traditus fundus ex emptionis causa, in eo morari precario vel conducto. Dico, vel conducto: nec enim post, dum pono precarij, excludo conducti rogationem, vt dum ponit *l. serui, D. de per. & com. rei vend.* conducti rogationem, sane non excludit precarium, nec quæ ponit precarium, *l.* 3. *C. de pac. inter emp.* conductionem. Et idem ille detracta negatione ab illis verbis nunquã probauerit nisi his qui nondum ære lauantur, si pro certo habuit Vlpianus interdictum Quod vi aut clãm emptori dari qui precario sit in possessionem, non inepte idem ab eo infra reuocari in dubium. nam aliis exemplis quod insinuare conatur ex eodem Vlpiano, omnino dissimile est. nec iuuerit etiam mutatio *Ego* in *Ergo*, nisi mutauerit quod non facit etiam *Putem* in *putat*, & penitus quadripertitam Vlpiani diuisionem discideris, Si emptori fundus traditus sit ex causa emptionis, Si nullo modo traditus sit, Si precario traditus sit, Si ex conducto. Eidem monogrammo nec inutilitatis verbum apud Ciceronem placet quod repetit Cassiodorus scribens in deliberatiuo genere causarum adhiberi maxime vtilitatem & inutilitatem. nec sunt oculi quibus cernat in *l. 1. §. hæc autem, D. depos.* esse scriptum, *Est enim inutile*, quod & ante, vt legatur inutilitas, exigit, nec in *l. 3. C. de fide & iu. hast. fis. In* non posse repeti τὸ κοινῶς pro contra, quod positum ante non significauit contra. Sed nugatoria hæc tota res est & affectata pro libidine. Sunt huic similes hodie multi altelli mei, quibus singulis in tempore reponam quæ debeo. toti ij sunt dies totos in legendis nostris, nec ex alio iecore sapiunt, & quod mordeant inuestigant vbiq; transuersa mẽte, nihil tamen quod imitantur bene. ac sane ea μωμήσεται τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται. In *l. pro emptore §. si à furioso, D. pro empt.* fateor quod non habet Harmenopulus, Basilica habere *lib. 50. tit. 4. Nec Publiciana competit.* nec tamen hanc lectionem ita tueor, vt ponam differentiam inter extraneum & furiosum possessorem ne obstet *l. sed & si res §. Marcellus, D. de Publ. in rem act.* Sed eadem vtilitatis ratione motus qua vsucapionem sequi placet statuo, etiam ignorãti emptori tam in furiosum quam in extraneum permittendam actionem Publicianam, imo & in eum qui vendidit tempore intermissi furoris, vel vt ait *l. quod meo §. si furioso D. de adq. poss.* in conspectu inumbratæ quietis, emptori decepto concedendam esse actionem de euictione, sicut in patrem qui filium f. venum dedit quamuis nulla sit emptio, & ignoranis vendiderit constat ignoranti emptori esse actionem de euictione, *l. minor §. pater, D. de euict. l. C. de pat. qui filios dist.* Eadem vtilitate suadente dixerim ex persona furiosi bonę fidei emptori dandam actionem possessionis. & quod negatur in *d. §. si à furioso*, summo iure verum esse, quo etiam vsucapionem non sequi certissimum est.

CAP. XXX.

Quando fur furti agere possit.

FVr furti agere potest, si ob eam rẽ interest ei quia res sua sit, vt *l. itaque §. pen. D. de furtis.* vbi etiam ex Basilicis *Obser. xi.* confirmaui detracta negatione esse legendũ, *Et sic fit vt teneatur furti & agat.* vel quia culpa eius res omissa sit dum non custodit eam diligẽter, *l. qui vas §. si ego, l. eum qui §. an pater, eod.* etiamsi eius rei furtum fecerit ipse, quia etsi eius rei furtum non feciſſet, habiturus erat actionem furti. vndę si tibi rem meam commodaui in vsum certum, tu eam transtuleris in alium vsum, & ab alio tibi sit furto subrepta, & tibi competit furti actio, quia custodia ad rẽ pertinet, & mihi aduersus te, quia rem transferendo in alium vsum, mihi furtum feciſti. Possunt excogitari similes casus multi quibus fur furti agat. Sed si ob eam rem solam interest furis quod furtum vel quod dolum in ea re admiserit, & quod ex his causis teneatur, non potest ex turpi causa. i. ex furto, vel ex dolo suo formare sibi actionem furti, *l. 12. l. 14. §. is autem & §. idem Pomponius, eod. l. 4. Nauta caup. stab.* Non enim cuiuscunque interest rem nõ perire habet actionem furti, sed cuius tantum interest ex iusta & honesta causa. ex turpitudine vel improbitate sua nemo habet actionem furti, sicut nec mandati vel pro socio, *l. si à reo §. vlt. D. de fideiussoribus.* Denique si rogatus cur sua interſit, hoc habet quod respondeat, quia dominus sum rei, vel quia quasi conductor aut commodatarius, culpę nomine teneor quod rem non custodierim diligenter, hic certe etiamsi forte fur sit eiusdem rei, habet furti actionem. Sed si rogatus cur sua interſit, hoc tantum habeat quod respondeat, Quia furtum feci, vel quia dolum admisi, hic non habet furti actionem. Itaque non magis constat veritas ei qui negat furem furti agere quam ei qui adfirmat. Qui mordicus retinent negationem in *d. l. Itaque §. pen.* multa peccant. Volunt enim debitorem qui rem pignori datam creditori subtraxit, si & ei similiter res eadem subtracta sit, non teneri furti, quod creditori sufficiat furti actio quam in furem extraneum habet. nam tantum abest vt sufficiat, vt magna etiam ei fiat iniuria si non agat furti aduersus debitorem: nã quod ab extraneo consequitur actione furti, vel restituit debitori, vel debito imputat, *l. creditoris, D. eod. l. si pignore, D. de pig. act.* quod à debitore lucri facit. Item volunt debitorem qui pignus subtrahit creditori, furem non esse, furtum rei suæ non facere. male igitur *§. aliquando, Inst. de obl. quæ ex delicto nas.* rei suæ furtum committere debitorem qui pignus creditori subripit. male *l. in actione §. vlt. D. de fur. rei pignerata* dominum furtum facere. Item volunt consequenter prioribus, rem eam non esse furtiuam, ac proinde non impediri vsucapionem eius. absit vero hac in re nos vt alia quam auctores nostri ratione vtamur, ideo non impediri vsucapionem quia etsi furtiua res sit, vt ait *l. vlt. D. de usur. & usuc.* tamen in potestatem domini videtur peruenisse qui pignori dedit, *l. 4. §. si rem, eod. tit.* Ineptissimum etiam est, scribere debitorem qui creditori pignus abstulit non teneri furti, si & ipse id similiter amiserit, quod rem non habeat, quia rei amissio furem non liberat. est enim semper in mora. & quod ist hæc refello, quę se ipsa refellunt satis, vereor vt incautior iudicer quam illi ipsi qui ea proposuere. & prudentius fortasse Duarenus hac ratione ab eodem ex professo cum traductus & lacessitus esset libro in eum edito proprio qui persequeretur singula capita disputationum eius, tacere maluit quam respondere homini posito infra dignitatem commutandorum cum eo verborum.

Cap. XXXI.

Ad l. vnicam §. item Iuliano, D. de Remiss.

AD *l. 1. §. item Iuliano, D. de remiss.* fertur hæc vetus adnotatio: remissio vtilis erit quia fructuarius potuit nuntiare & oportebit vicinum remissionem petere. inutilis quia nuntiatio non tenet, nec opus erit remissionem petere. quam esse omni ex parte falsam ex *d. l. 1.* constat satis, quæ nuntiatione facta ab eo qui nuntiare potuit palam ait remissionem non tenere, & peti igitur à prætore inutiliter, & contra tenere eam vtilemque esse si nuntiatio non teneat. & ex *l. 1. D. de no. op. nunt.* quæ *remitti nuntiationem* ait *hactenus quatenus is qui nuntiasset ius prohibendi non haberet.* quę verba quid aliud significant quã remitti nuntiationem ita demum si non teneat, vt cum Paulus ita scribit in *Sententiis tit. de nuptiis*, adoptiuam cognationem inter fratres impedire nuptias eatenus quatenus capitis minutio non interuenit. vel vt Græci interpretantur, eum cui nuntiatum est nouum opus petere remissionem in hoc vt iniusta nuntiatio ei remittatur, his verbis: ἢ λοιπὸν ὁ ἀφεγγυηθεὶς αὐτῇ ἀφεσιν εἰς τὸ συγχωρηθῆναι τὴν ἄδικον κώλυσιν. Si igitur fructuarius vicino nuntiare potuit nouum opus, sequitur remissionem inutilem esse. & potuit vero si eius interfit opus non fieri, ne ex eo ius vsusfructus deterius fiat. & potuit igitur in solidum, quia operis causa in partes scindi non potest, *l. in executione, D. de verb. oblig.* quod si vtilis nuntiatio est in solidum, & remissio igitur inutilis est in solidum. Contra vero si domino facta à fructuario nuntiatio inutilis est, quo manifestum est magis fructuarium ius domino nuntiandi non habuisse, eo quoque fit manifestius remissionem vtilem esse. nec vllo loco inuenias scriptum remissionem inutilem esse, si manifestum sit nuntiatorem ius nuntiandi non habuisse, nec alio casu quam qui sit edicto nominatim exceptus quove sit edicto prohibita non permissa nuntiatio, vt *l. de pupillo §. siquis riuos, l. sciendũ, D. de no. op. nunt. l. 1. §. pen. De cloacis*, in quo Flor. recte *edicitur & edicendum*, vt *d. §. si quis riuos*, vnde & in *l. pen. §. pen. De riuis*, legendum vel intelligendum *edictum*, pro *dictum*, vt *l. 3. §. quamuis, D. de admi. tut.* & secundum hæc apparet nulla ratione quemquam efficere posse quin in *d. §. item Iuliano*, sedem suam inuicem commutare debeant eæ duæ voces vtilis & inutilis, quod iam olim ostendi. *1. Obser. c. xvi.* & quod ibidem adnotaui in quæstione illa, an fructuarius vindicationem habeat seruitutum, Iulianum dare vindicationem, non Labeonem, Neruam & ceteros, perperam refellitur adducta *l. vti frui §. vtrum, D. si vsusfr. pet.* quæ Iuliano hoc tantum tribuit, fructuario dari vsusfructus vindicationem aduersus quẽuis possessorem, non etiam quod sequitur, ne vindicet seruitutem fundo fructuario debitam. Hoc enim Iulianus non probauit, qui & seruitutis vindicationẽ fructuario dedit, vtilem scilicet: nemo enim dixit directam dari vel non aliam quam vtilem denegauit. & videntur in eo quoque dissensisse auctores, an esset fructuario danda stipulatio damni infecti. nam *l. qui bona §. & superficiarium, D. de dam. inf.* dum ait, hodie constat, significat id olim fuisse controuersum.

Cap. XXXII.

Ad l. si seruus plurium §. 1. D. de leg. 1.

SI contra heredem institutum & secundum substitutum pronuntiatum sit per gratiam, iniuria iudicis legatariis non nocet, *l. si seruus plurium §. 1. D. de leg. 1.* quia scilicet legata ab instituto relicta, à substituto repetita intelliguntur, *l. licet, D. de leg. 1. l. si Titio §. 1. D. de leg. 2. l. non instam, C. ad Trebell.* & is vtique pro substituto habetur licet vicerit per iniuriam iudicis, quia res iudicata pro veritate habetur, nec potest sine rubore causari se iure non vicisse nec sibi vllum competere substitutionis ius. non quæritur in *d. l. si seruus*, an iniuria iudicis prosit legatariis, sed an noceat. videbatur enim nocere, quia reuera substitutus non vocabatur ad hereditatem: vt vbi substitutioni locus non est, nec legata à substituto relicta vel repetita debentur. sed verius est hunc substitutum vt creditoribus hereditariis ita legatariis respondere debere, perinde atque si substitutioni re vera locus extitisset. Et alia est ratio legitimi heredis secundum quem per iniuriam pronuntiatum est. nam à legitimo non debentur legata quæ testamento inutili relicta sunt. & pro inutili vtique habetur, de quo ita pronuntiatum est. Igitur legitimus heres respondebit quidem creditoribus, sed non legatariis, exceptis duobus casibus tantum vt aperte proponitur in *l. 3. D. de pig. d. l. si seruus §. pen. l. à sententia, l. si perlusorio, De app. l. si suspecta, l. qui repudiantis §. vlt. & seq. De inoff. test.* qui soli duo casus excipiuntur etiam re iudicata contra debitorem sciente creditore in causa proprietatis rei pignori datę, *l. præses, C. de pig.* & qui addit tertium sophista sero in orbe natus, nec patitur detrahi negationem *d. l. si seruus §. 1.* hanc rationem solam habet, quia à primo ita animum instituit, vt id omne irritum faceret quod ab eo quem assequi nequiret, legeret indicatum. nihil enim profert quod non magis nos atque magis eam negationem tollere compellat, nihil nisi Sphingis quam hominis verba propiora, quæ noctem offundant rebus certis atque perspicuis. Ergo ius ita est, per iniuriam iudicis heredem scriptum vincente legitimo, hanc rem legatariis obesse, quod legata aliter valere non possint quam si testamentum ratum sit, creditoribus hypothecariis vel chirographariis non obesse. Nam etsi res debitoris esse desierit, hypothecam perseuerare quæ constitit ab initio. Idẽque erit multomagis si iure victus sit heres scriptus, vel quod probationibus instructus non venerit ad agendum, vel quod non vt oportuit egerit, vel propter instantiam malam. Sępe enim bonæ causę mala instantia est *l. & post. §. pen.* D. *de iudiciis.* Tertulianus *de patientia. Quotiens instantia eius deterior inuenta est causa suis.*

Cap. XXXIII.

Despondere, destinare sibi vel alij vxorem.

SPonsalia olim non fiebant per alium, quandoquidem per stipulationem fiebant, quæ non contrahitur per alium, & inde sponsi sponsęque appellatio. pactæ autem addita stipulatione fiebant sponsæ, nec enim nudum pactum sponsalia facit, nec hodie quidẽ quo sponsalia fiunt nudo consensu. Denique fiebant olim futurarum nuptiarum sponsiones vel inter eos ipsos qui nuptias contracturi erant, vel inter patrem puellæ & adolescentem, vel inter parentes puellæ & adolescentis suo non filiorum nomine. nec enim consponsiones eorum filios tenebant non adstipulantes *l. 2.* D. *de rit. nup. l. sponsalia*, D. *de spons. l. Titia*, D. *de verb. oblig.* nec nuptiarum omnis potestas in patribus erat, vt recte apud Comicum filius, *Nonne oportuit præsciſſe me ante? Nonne prius communicatum oportuit?* Id vero quod hac de re agitur inter parentes, vulgo existimãt esse respõdere, Fallunt ur. nã

cõmune est verbum. & despõdere etiam dicuntur inuicem per se qui conueniunt de futuris nuptiis inter se, *l. si quis tutor §. quamuis, D. de rit. nup. l. cum hic status §. vlt. D. de don. inter vir. & vxor.* vel qui idem eorum nomine conueniunt hodie nudo consensu *l. 4. D. de sponsa.* Desponsæ à patre *l tutor, D. de rit. nup.* addit destinatam, quod etiam commune est nomen, *l. vlt. §. vlt. D. de diuor. l. 7. §. 1. D. de in. dot.* Desponsatur per conuentionem. Destinatur testamento vel inter viuos citra conuentionem vllam, *l. non est D. de rit. nup.* vt apud Comicum his morientis verbis, *Te isti virum do, amicum, tutorem, patrem.* qui tot affectus colligit quod omnes in vno marito esse oporteat, vt alio loco, *Amicum, amatorem, virum in quouis loco paratum.* in quem Homeri versus qui *in Donato* desiderantur ij sunt.

Εκτωρ ἀτὰρ σύ μοι ἐσσὶ πατὴρ ἠῦ πότνια μήτηρ,
Ηδὲ κασίγνητος· σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

Porro ex *d. l.* non est, quidam forte legeret in *d. l. tutor, Tutor vel curator adultam vxorem ducere non potest, nisi à patre desponsa, destinatave testamento, nominata condicione, nuptias secuta fuerit.* nominata condicione, id est, nominato viro cui filiam destinat pater, demonstrata persona viri cui filiam nubere cupit post mortem suam, vt *l. 6. C. de inter. mat.* At potius legendum ex *l. qui pupillam, D. ad leg. Iul. de adult. Nisi à patre desponsa destinatave testamento ve nominata condicionem nuptiarum secuta fuerit.* In *l. pater, De cond. & dem. testamento designata.*

CAP. XXXIV.

De pœnarum modo.

PLacet definitio *l. vnicæ, C. de sent. quæ pro eo quod int. prof.* vt eæ tantum pœnæ exigi possint quę vel cum competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine concluſæ statuuntur. nam quæ cum competenti moderamine proferuntur, vel titulus indicat nos de his accipere debere quæ proferuntur sententia iudicis, quarum constat esse modum aliquem, *l. vlt. C. de modo mul. l. si qua pœna, D. de verborum sign.* non de his quæ ex conuentione sibi quisque cauit. nam vbi lege definita est pœna, aut sententiæ iudicis definienda relinquitur, quanti arbitratus fuerit, hic nihil potest conuentio priuatorum. & quod obiicitur de pœna quę ex conuentione supra duplum lege definitum exigitur ab eo per quem stat quo minus nuptię fiant si arras acceperit etiam vsque ad quadruplum, *l. pen. C. de sponsa.* hoc ideo fit, quia iure veteri etiam hac in re legitima fuit pœna quadrupli, *l. 1. C. Th. si pro rec. vel ad eum per. l. 6. C. Th. de sponsa. l. 1. C. Th. si nupt. ex res. pet.* & ius vetus redacto quadruplo in duplum non ita est antiquatum, quin possit adhuc ex conuentione reduci & obtinere, eo colore, quod quadrupli pœnam ius aliquando probauerit. alioquin non esset pœnæ petitio supra duplum. nihil etiam superiori definitioni obstat *l. si dictum, D. de euictionib. l. si procurator, D. de in. fisc.* quæ probant euictionis nomine contrahentes posse cauere non duplam tantum, sed triplam & quadruplam. nam lege huic rei finita pœna nulla est, nullave taxata quãtitas certa. & licet moris sit duplam tantum cauere, non tamen etiam, id est, legis certæ. & vbi lex deficit vel arbitrium iudicis, contrahentibus quiduis conuenire licet. nec rursus obstat *l. 4. §. vlt. D. si quis caut.* nam prætoria stipulatio iudicio sisti iure prætorio cõcipitur in id quod interest, *l. quotiens, De de verb. oblig.* quod vtique conuentione licuit semper deducere in summam certam, *l. vlt. D. de præt. stipul.* etiamsi in ea plerumque pluris sit qnam re vera interest, modo in casibus certis non excedat duplum, in casibus incertis quod bonum & æquum est. & recte *l. 6. D. eod.* in omnibus prætoriis stipulationibus etiamsi à prætore habeant formulam & conceptionem certam, veluti quanti ea res est; tamen illata pœna certa ex conuentione, pœnæ nomine stipulationem committi. nam prætoriis quidem stipulationibus nihil immutare licet, neque addere, neque detrahere *l. in conuent. D. de verb. obl.* sed nihil etiam immutat qui quod in eis est incertum, redigit ad summam certam & æquam.

CAP. XXXV.

Ad l. pen. D. de sponsalibus.

IN exceptione quam *l. pen. D. de sponsa.* addit ad legem Iuliam & Papiam, quæ vt Suetonius refert *in Augusto, coarctauit tempus sponsas habendi,* ne diu scilicet haberentur sponsæ, sed à sponsalibus contractis intra certum tempus domum ducerentur vxores, videntur hæc verba abundare, (*annum vel*) quoniam huic rei nusquam legimus annum fuisse præscriptum, sed biennium apud Dionem 54. vt consequens sit ita scripsisse Gaium in *d. l. pen. Sæpe iustæ ac necessariæ causæ non solum biennium, sed etiam triennium, quadriennium & vlterius trahunt sponsalia.* & hanc biennij præscriptionem confirmat *l. 2. C. de sponsalib.* quæ desponsam ait post biennium à contractis sponsalibus impune sibi aliam quærere condicionem, & *l. 4. C. Th. eod. tit.* idem etiam impune facere patrem, tutorem, curatorem puellæ, & culpam esse sponsi, non sponsæ qui intra biennium eam vt duceret vxorem nihil satis egit. & ita *l. 6. C. Th. eod. tit.* recte distinguit vtrum sponsalia contracta sint ante x. annum, quo casu certum est à sponsalibus intra biennium, quod huic rei præfinitum est, nuptias perfici non posse, atque adeo non illegitima quidem *l. 14. D. de sponsa.* sed immatura ea sponsalia esse, & cessant pœnæ omissarum nuptiarum, cessant & præmia maritorum, vt Dio declarat, si post completum annum XII. nuptiæ sequantur, an vero decimo cum ea sponsalia contracta sint prope annum XI. ita vt intra biennium matura viro fit futura, quo casu si per eam stat quo minus completo anno XII. nuptiæ peragantur aut per patrem eius, tutorem vel curatorem, is, eave arras sponsalitias quas accepit nec reddidit sponso intra vndecimum annum, reddit in duplum, vel ex conuentione in quadruplum. quoniam quadrupli pœna hodie tantum ex conuentione valet *l. pen. C. de sponsal bus.* Videntur autem & apud Gaium verba illa posse retineri, si dicamus, his qui sibi despondissent puellam XI. annorum, legibus fuisse præscriptum annum ad nuptias contrahendas.

CAP. XXXVI.

De infantibus expositis.

CErtum est eum qui exposuit infãtem ingenuum, seruum, libertum, vel condicionarium, illum postea in suum dominium vindicare, aut illius se patronum adserere non posse *l. 2. & 3. C. de inf. expos.* quod idem etsi in patre velit valere Constantinus in *l. 1. C. Th. de expos.* ante eum tamen idem in patre non obtinuisse si se patrem adsereret ostendit *l. patrem C. de nupt.* quę filij aut filię quam exposuit patri vindica-

tionem dat. adeo vt & si filiam à partu extraneus su- A
stulerit, eduxerit & perduxerit ad pubertatem omnis eius filiæ collocandæ potestas sit in patre, nec possit eo inuito educator illam filio suo vxorem dare: honestius quidem esset patrem naturalem agnoscere beneficium educatoris, & vel hoc ei concedere vt alumnam conlocaret filio suo in matrimonium. Sed inuitus non cogitur hac in re educatori obsequi naturalis pater, & in hoc duntaxat tenetur vt ei soluat alimenta quæ exhibuit filiæ: & in hoc solummodo casu, vt est scriptum in *d. l. patrem*, quam scripturam Thalelæus agnouit, qui tamen ad eam falso notat in tit. de inf. expos. extare constitutionem quæ nolit educatori alimenta solui. quinimo *l. 1. eiusdem tit.* patrono vel domino vindicanti libertum aut seruum aut condicionarium proiectum ab alio se inuito vel ignorante, B
quo casu dominium retinere eum constat vel ius patronatus, statuit soluenda esse alimenta educatori præterquam si is furtum fecerit infantis. & nulla est quæ generaliter definiat non esse soluenda, quæ sane etiam solui æquius est, vt recte pater educatori apud Senecam *Contr. 26. Pete quantumuis pro disciplinis, imputa quantumuis pro alimentis.* Et educator patri vindicanti filium quem exposuerat apud Quintil. *decl. 278.* obiicit, *Recipere illum nisi solutis alimentis non potuisti.* & in fine declamationis. *Alimenta soluisti, computasti mecum vt expositum reciperes.* Nam si qui non exposuit ea soluit *d. l. 1.* & multo magis qui exposuit. & quamuis quæ pietatis causa alimenta præbentur repeti non C
possunt *l. ex duobus, §. vlt. l. Nesennius D. de neg. gest. l. 1. 11. 15. C. eod.* quæ tamen præbuit is qui infantem expositum extulit vt aliquando eo vteretur quasi seruo vel liberto vel filio, quod licebat olim vt indicat Seneca *controuersia 33. & l. 1. C. Th. de expositis*, ante constitutionem Iustiniani. i. *l. 3. & vlt. C. de inf. expos.* si sit qui expositum agnoscat eique auferat, vtique ea educatori reddere debet, quia nec ea pietas educatoris fuit vt merã liberalitatem exerceret in infantem, sed vt eum adultum aliquando haberet sibi eoque vteretur vt mancipio vel liberto vel adscriptitio aut colono suo. Ac præterea video in *d. l patrem* à quibusdam libris abesse ea verba, *In hoc solummodo casu,* D
hoc tamen ad latus adnotato, *Nota in hoc solummodo casu.* quod qui scripsit, hoc voluit, ne extra eum casum daremus petitionem alimentorum, vt plane ex nota videantur ea verba transiisse in contextum. Et posset dici hodie quia ex ea Constitutione Iustiniani frustra quis ad expositi educationem accedit, vt eum aliquando habeat pro suo, iam eum qui colligit sanguinolentum infantem misericordia sola & pietate moueri non ignarum Constitutionis, & ob id alimentorum reputationem aut repetitionem non habere, puellam quam exposuit vindicante patre nisi in casu *d. l. pater, Si ingratus pater nolit fauere voto educatoris cupientis alumnam elocare filio suo.* Nam si non alia quam pietatis causa erogari ea hodie verum est, spe damnata dominij aut patronatus, expositis iure ipso raptis in ingenui- E
tatem consequens est nec repetere ea pium educatorem posse, quem mouit sola voluntas amica misericordiæ, vt ait *l. 2. C. eod.* & Tertullianus *in Apologetico. Filios exponitis suscipiendos ab aliqua prætereunte misericordia extranea.* Et hęc probarentur satis, nisi eadem ratione esset dicendum locum hodie dari non posse *l. 1. C. eod.* quæ omnino vult alimenta educatori non furi restitui. & malo verba illa, *In hoc solummodo casu,* notæ tribuere quam legis auctori. & statuere etiamsi Constitutione Iustin. tollatur educatori omnis spes habendi expositi, non posse tamen per consequentiam induci alimentorum ei repetitionem non esse, quasi abrogato iure veteri quo repetitio datur, quod specialiter in ea re non inuenitur abrogatum.

CAP. XXXVII.

Ad tit. de ritu nuptiarum coniecturæ quædam.

PAulum in *l. sororis, D. de rit. nup.* puto scripsisse, *sororis neptem non possum ducere vxorem, quoniam parentis loco ei sum,* id est, aui. vt in *§. fratris, Inst. de nup.* Neptem non proneptem. Nam proneptem ætatis ratio prohibet satis, vt idem Paulus ait *2. sent.* Ac similiter puto potius quam præsumo in *l. 8. D. eod.* Tribonianum adiecisse, *aut sororem*, quia sororem ducere legibus prohibemur, non moribus, non iure gentium. Certe Athenis ex Demosthene, Philone, Æmilio, Seneca, constat cum sorore germana fuisse connubium, Lacedæmone cum vterina, Alexandriæ cum vtralibet. Nec igitur cum sorore incestum committi iure gentium, sed iure ciuili, vel cum sororis filia, licet libertina *l. 56. D. eodem.* Ac nihilominus hodie cum sorore committi incestum iure gentium contendam recte, hoc scilicet iure nos vti vt cum ea intelligatur incestum committi iure gentium, sicut *l. 8. §. vlt. D. de accept.* hoc iure nos vti vt iurisgentium sit acceptilatio. Addo etiam in *l. 54. eod.* videri abundare vocem, *Sororem*, non quod verum non sit vulgo quæsitam sororem duci non posse vel etiam quæsitam ex concubinatu, sed quod ibi de filia agat, *l. 53. & 55.* vt neque C
iustam, neque vulgo quæsitam, neque adoptiuam filiam aut neptem ducere liceat. & ita *l. 14. §. 1. D. eod.* nec vulgo quæsitam filiam patrem naturalem posse vxorem ducere.

CAP. XXXVIII.

Conciliatio l. 4. D. de diu. temp. præs. cum l. 25. D. de stip. ser.

FAcile est conciliare *l. 4. D. de diu. temp. præs.* cum *l. 25. D. de sti. ser.* vna de reis loquitur, altera de actoribus. Reis, veluti fideiussoribus qui pure in diem certum fideiusserunt, veluti vsque ad 1x. dies, tempus cedit statim paratis excipere actionem, & ideo si intra eum diem cum eis actum non sit, agentem creditorem postea repellent præscriptione temporis in obligatione positi *d. l. 4.* Actoribus autem quibus actio competit temporalis, tempus actionis non cedit antequam agendi facultas fuerit, *l. necnon §. si cum*, D. *ex quibus caus. maior. l. 1.* D. *de diu. temp. præs.* & ita accipienda est *d. l. 25.* quæ non loquitur de tempore satisdationis, vt *d. l. 4.* Sed de tempore scilicet actionis, non de tempore dato fideiussori, sed de tempore dato actori, non de tempore in quod quis fideiussit, sed de tempore quo finita actio est.

CAP. XXXIX.

Περὶ ἀλληλοκληρονομίας,

Ἀλληλοκληρονομία est conuentio mutuę successionis, quę legibus reprobatur nisi inter commilitones in ipso procinctu, *l. licet, C. de pac. l. 4. C. de inutil. stip.* quas leges duas Harmenopulus ponit sub titulo περὶ ἀλληλοκληρονομίας, vel etiam ἀλληλοκληρονομία est quotiens vir & vxor in iisdem tabulis se mutuo heredes instituunt. quod & alij quilibet facere possunt *l. captatorias*, D. *de her. inst. & No. Valentiniani de testam.* Mirum autem est hanc ἀλληλοκληρονομίαν viri & vxoris, quod Sudas scribit latine appellari ῥιζώειαν. hæc enim sunt verba Sudæ, Ῥιζώεια ἡ μὴ αἱρῶν ἢ

γωικὸς ἀλληλοχλήεγνομία. Sed vt solent Greci latina quæcunque efferre deprauate, ita Sudam illo loco deprauato nomine arbitror significasse repotia, quæ post diem nuptiarum agitabant inter se vir & vxor vna cũ adfinibus quasi reficientes compotationem : & inde nomen Græci id deducebant à pedibus, & repotia vel repodia vel repedia dici arbitrabantur quasi repedationes, ideoque Acroni & glossis repotia est ποδοτροφία.i. repedatio, & ἐπίποδα scilicet αὐαστροφή, eodem errore quo hisdem profectitia dos dicitur ἀποδημητικὴ quasi à profectione .i. peregrinatione, & aduentitia παραγινομένη, quasi ab aduentione & præsentia personæ. Inuenio & in iisdem glossis eodem fere errore quo apud Sudam, scriptum, Reoria, ἡ πέπτη τ γάμων ποδοτροφία, pro repotia ἡ πέπτη τ γάμων ποδοτροφία. & ex his iam vt arbitror liquet apud Sudam pro ἀλληλοχλήεγνομία, esse reponendum ἀλληλοχλητώεια, quo nomine significantur mutuæ inuitationes ad conuiuia, & conuiuia ipsa, vt apud Cedrinum in Leone Basilij F. τὰ χτ' τόπον ἐκτελεῖν χλητώεια. & in Iustiniano τὰ ἐξ ἔθους χλητώεια, sic legendum. Nam & Anastasius, Prandia quæ ex more fiunt, interpretatur. & ita Acro, quem manu scriptum habeo, *Repotia dicuntur dies qui sequuntur nuptias, quoniam mutuis conuiuiis se frequenter inuitant, quæ Græce* ποδοτροφία *aut mutuæ inuitationes.*

CAP. XL.

An velle videatur qui cogitur.

INuenio in fragmentis quibusdam Vlpiani vel Gaij lege Iunia iubente eos fieri Latinos quos dominus liberos esse voluerit, si quis per vim coactus manumiserit, non venire seruum ad libertatem, quia, inquit, non intelligitur voluisse qui coactus manumisit. & tamen *l. si priuatus, D. qui & à quibus man.* ait eum accommodasse voluntatem. Simili quoque modo Celso dicente heredem non fieri eum qui metu coactus adiit hereditatem, quod non fiat heres nisi volens, *l. 6. §. vlt. D. de adq. her.* Contra *l. si mulier §. penult. D. quod met. can. l. si metus, D. de adq. her.* dicunt eum qui coactus adiit hereditatem, heredem fieri, quia quamuis si liberum esset, noluisset, tamẽ coactus voluit. Et similiter regula iuris dictante, velle eum non videri qui obsequitur imperio patris vel domini, *l. 4. D. de diu. reg. in.* Celsus tamen eodem libro filiumf. à patre coactum vxorem ducere quam non duxisset si sui arbitrij fuisse, scribi voluisse videri, & matrimonium consistere *l. si patre D. de rit. nup.* & sane reuerentia patris facit vt voluisse videatur, quæ perinde ac φιλικώχαεις οἵδε μεταδεῖναι χρίσιν βελήσεως, vt Adamantius Sophista ait. Igitur & si delatam sibi hereditatem adierit iussu patris, voluisse videtur, tametsi citra imperium patris non erat aditurus. quamuis igitur non credatur velle qui obsequitur imperio patris, *d. l. 4.* tamen maluisse id videtur quod pater voluit verecundia immutandi voluntatem, & quasi vt Homerus ait ἐκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, & Terentius, *coactus sua voluntate*: quasi nauis leuandæ gratia qui iacturam facit qui vult se liberare periculo nec tamen facere damnum, *l. 8. D. ad leg. Rhod.* & in aditione nuptiisque sufficit qualis qualis voluntas etiam coacta, etiam remissa, non simulata & fallax, vt *d. l. 6. §. vlt. l. simulatæ, D. de rit. nup.* Etiam taciturnitas filij vel filiæ sufficit, & pro consensu habetur *l. 12. D. de sponsi.* iuxta tritum sermone prouerbium, *Qui tacet consentire videtur.* Namque id Nazianzenus scribit esse commune prouerbium *11. de pace* his verbis, χ τὸ σιωπὸ συγκατάθεσιν ἔθ διδάσκ χ ἡ παροιμία. In manumissionibus exgitur expressa, integra, libera voluntas, nec igitur in eis habetur taciturnitas pro consensu, nec coacta voluntas pro voluntate.

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XVII.

CAPVT PRIMVM.

Tres differentiæ inter venditionem simplicem, & venditionem dotis causa.

ESTIMATIO dotis vera venditio est, *l. plerumque §. si à te, D. de iure dot.* nõ simplex venditio, sed dotis causa contracta, *l. quotiens, D. eod.* & ideo venditionem simplicem non semper imitatur. Sunt differentiæ tres inter venditionem simplicem & venditionem dotis causa. Euicta re vendita si venditor emptori duplum præstiterit, id emptor habet pleniſſimo iure, nec vnquam restituit venditori. At si æstimata dote, res dotalis euicta sit, & eo nomine vxor viro duplum præstiterit, id vir restituit vxori soluto matrimonio, *d. l. quotiens.* quia æquius & melius est maritum non lucrari ex mulieris damno, satisque sit indemnem eum seruari, sicut è contrario mulierem nõ lucrari ex damno mariti æquius melius est, *l. pen. §. vlt. D. solut. mat. l. iure §. vlt. D. de in. dot.* Venditione facta viliore pretio, non rescinditur venditio, *l. quisquis, C. de resc. vend.* nisi venditor fraudatus fuerit supra dimidiam iusti pretij, *l. 2. C. eod.* vel nisi dolus emptoris arguatur, *l. 8. C. eod. l. & ideo, D. loc.* Æstimatio autem dotis facta viliore pretio muliere circunscripta citra dolum mariti, hoc est grauata, etiamsi fraus non superet dimidiam iusti pretij, rescinditur ita vt soluto matrimonio detur electio marito vel reddendæ rei dotalis vel iusti pretij, *l. si res §. 1. D. de iure dot.* qualis datur optio emptori in specie *d. l. 2.* & hoc si extet res dotalis. nam si extincta sit, contenta mulier debet esse æstimatione quæ facta conuentaque ab initio est, quę totius rei damnum fecisset nulla facta æstimatione. nam inęstimatam dotem esse periculo mulieris constat, *d. l. si res §. 1.* hęc ita si dolus absit mariti. & ita accipienda est tertia pars *l. 6. C. sol. mat.* quasi ex contrario primæ partis, maritus doli expers electionem habeat re extante vtrum velit reddere æstimationem iustam an rem ipsam, re perempta liberetur reddendo ęstimationem de qua conuenit. nam si dolus mariti probari possit, omnino reddi æstimationem iustam

oportet actione dotis ex sententia Scæuolæ, quę etiam iusta ęstimatio seruabitur per exceptionem doli si mulier aut heres eius possideat rem dotalem eamque maritus suam esse petat. & hæc vera sunt siue maior siue minor fuerit mulier quæ in pretio circunscripta est. Minori tantum mulieri hoc datur specialiter, vt si æstimationis tempore habuerit in manu emptorem qui offerret iustum pretium rei, & circunuenta viliore pretio eam rem marito addixerit dotis causa, maritus non habeat electionem reddendæ vel æstimationis iustę, vel re extincta non liberetur reddendo æstimationem de qua conuenit, sed omnino cogatur reddere iustam. Tertia differentia hęc est. Beneficium *legis 2. C. de resc. vend.* datur venditori non emptori, vt docui *lib. superiore cap.* 18. marito autem grauato in ęstimatione dotis, nihil refert modice vel immodice, subuenitur vt non reddat vltra æstimationem iustam, ne ex detrimento eius mulier lucrum faciat, *l. 6. C. sol. matr. l. iure §. vlt. D. de iure dot.* quæ ratio etiam grauatæ mulieri opitulatur. & sola ita vt dixi separat venditionem simplicem à venditione dotis causa: sufficit enim inter coniuges si alter alterum indemnem seruet, nec societas vitę communisque amicitia quæ fuit inter eos patitur vt alter ex alterius detrimento locupletetur. Et si in quoquam iudicio bonæ fidei, in iudicio dotis maxime æquitas & beneuolentia spectatur, & vt erat in veteri formula, *Quod æqui° melius est.*

Cap. II.

Et de proiectionis & de superficiei possessione interdictum dari ad exemplum Vti possidetis.

INterdictum vti possidetis pertinet ad rem soli *l. 1. §. 1. & pen. D. vti possidetis*, non ergo ad superficium. quia superficium non est res soli, vt Græci notant recte ad *l. si ex lapidicinis, D. de iur. dot.* ex qua etiam efficitur legem Iuliam de dotibus pertinere ad rem soli, vt est in *pr. tit. Institutionum quib. alien. lic.* non ad superficium, ac proinde superficium dotale posse alienari volente vxore, non etiam ædes. Sed exemplo rerum soli, dedit etiam prætor de superficie interdictum vti possidetis secundum legem locationis, *l. 1. §. proponitur, D. de superf. & l. pen. §. sed si supra, D. vti poss.* licet initio dicat superficiarium non habere interdictum vti possidetis, id scilicet quod est de ædibus, infert tamen eum habere interdictum proprium veluti *vti possidetis*, & potiorem quidem esse dominum interdicto vti possidetis ipso iure, quod superficies cedat solo, sed prætorem tueri superficiarium ex lege locationis siue conductionis. Ergo etiamsi non idem possideat vterque, quod etiam hodie non posse fieri dicimus, vt M. Tullius *in Lucullo*, aut Stoïcum constituendum esse sapientem aut veterem Academicum, vtrumque non posse, quod sit inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio: sed si vnus possideat ædes, alter superficiem, verum est vtrique dari interdictum vti possidetis: ac similiter interdictum vti possidetis Labeo dabat non tantum domino ædium in quas, sed etiam domino ędium ex quibus proiectum esset, vt proiectionis possessionem retinere liceret, *d. l. pen. §. Labeo*, nam suas quisque ædes possidet, in quas vel ex quibus proiectum est. & qui eas ex quibus proiectum est; & proiectionem quoque possidet cum eis. Sed quia proiectio cedit ædibus in quas proiectum est, videtur earum ædium dominus potius esse debere in interdicto *vti possidetis*, maxime quod non sit de proiectione similiter atque de superficie speciale propositum interdictum. Verum enim quidni liceat exemplum interdicti de superficie trahere etiam ad proiectionem. nam & id traxerim recte ad emphiteusim & beneficium. & hoc voluit omnino Labeo, licet diffidenti similis, vt solet sæpe M. Tullius, vt Academici omnes, ita scripserit, An quo facilius possem retinere possessionem eius proiectionis interdico tecum, Sicuti nunc possidetis eas ædes ex quibus proiectum est. His consequens est, vt idem sequamur si quis supra solum alterius proiectionem habeat: nam etsi ea proiectio cedat solo, vtrique tamen vtile vti possidetis interdictum est, vni proiectionis cum ędibus suis, alteri soli liberi possessionis retinendæ causa. quamobrem in *d. l. pen. §. item videamus*, quam legeram in veteribus libris & legent qui eos scrutabuntur, veriorem scripturam adserui esse hanc, *vtrique esse vtile*, quia alter solum possidet, alter cum ædibus superficiem & suam cuique seruari, sclic. possessionem ęquum est. quam tamen scripturam quidam reiicientes, negant domino soli vtile interdictum esse, quod proiectio solo non cedat, contra quam ostendat *l. vlt. §. pen. D. quod vi aut clam*, soli esse omne cœlum quod supra solum est, & proiectionem quoque, tametsi non tangat solum. Et rursus non negant, domino ædium ex quibus proiectum est, vtile interdictum esse. quod tamen secundum scripturam quam tuentur vtique dicendum est, nempe vtrique inutile interdictum esse, quod est absurdū. & eo posito, ineptissima ratio subiecta, quia alter solum possidet, alter ædes cum proiectione. Res igitur ita se habet, vt à summo ad imum, Vlpianus in *d. l. penult.* ostendat eī qui supra solum alterius proiectum habet vtile esse interdictum *vti possidetis*, eadem æquitate qua placet esse vtile ei qui supra ædes alterius proiectum habet, vel qui supra ædes alterius ἐνδιαίτημα siue diætam habet, in qua quasi superficiarius moretur, vel qui supra solum alterius solidè superficium habet.

Cap. III.

Ad l. ita tamen §. quotiens, D. ad Trebel.

QVod Iulianus scribit in *l. ita tamen §. quotiens D. ad Trebel.* heredem rogatum filio emancipato & præterito restituere hereditatem non cogi adire & restituere, si filius emancipatus bon. pos. contra tabulas accipit, huic sententię statim subiecisset commodius quod scripsit inferius *§. qui rogatus*, cogi tamen eum adire & restituere, quamuis in ea causa sint tabulæ, vt contra eas filius bon. poss. accipere possit, si iam non eam acceperit. quare motus Marcellus id subnotandum esse censuit in *d. §. quotiens*, iustissimè his verbis, vt libro tertio docui esse legendum, *Plane est compellendus adire si non iam filius bon. possessionem accipit*, vt Comicus, *vxorem iam non dat Chremes.* quod etsi euidentissimum sit, & satis confirmetur ratione subiecta, *Ne intercidat fideicommissum*, &c. tamen repetendum censui, nē calumniator taciturnitatem meam in conscientiam duceret, qui vt suo more monstri aliquid adferat potius quam acquiescat vero, ponit heredem rogatum extraneo restituere hereditatem, quotiens filius emancipatus petit bon. possessionem contra tabulas, restituere non compelli, & adnotante Marcello etiam adire non compelli. Quæso enim Iulianus cum dicat restituere non compelli, an non etiam dicit adire non compelli, vt *l. nam quod §. vlt. l. si eius §. 1. eod.* & contra Marcellus cum dicit adire non compelli, an non etiam alterum dicit? quia remota aditione & restitutionem remoueri necesse est, vt retro posita aditione & confestim restitutio sequitur, *l. postulante, D. eod.* At rursus adire non compelli recte dixeris eum tantum qui adire possit. Atquin adire in ea specie ex testamento hereditatem heres scriptus

scriptus non potuit, re perducta ad causam intestati per bon. possessionem contra tab. *l. vt liberis, C. de collat.* quam Iulianus ponit filium emancipatum accepisse. Præterea idem ille Iuliani verba misere contorquet, dum rationem illam, ne intercidat fideicommissum, quæ solet in eo titulo esse positiua, vt *l. ille à quo* §. 1. *l. cogi* §. *1.* facit remotiuam, dum petiisse filium dicit bon. possessionem quam Iulianus filium accepisse. & si accepit, quæsiuit. & si quæsiuit, iam omittere eam igitur, vel repudiare nõ potest, *l. 1.* §. *decretalis, D. de suc. edic.* Omittere est tempore excludi, *l. quod si minor* §. *Scæuola, l. auxilium, D. de minor. l. 1. C. quan. non pet. par.* & qui eam accepit semel, tantum abest vt excludi tempore possit, vt excludat potius ipse omnem præscriptionem temporis. ille autem omittere bonorum possessionem accipit pro desistere à possessoria hereditatis petitione. quo sensu nemo vnquam iurisconsultus ea vsurpauit verba.

Cap. IV.

De §. heres l. Cum illud, D. quando dies leg. ced.

Recte abesse negationem à Pandectis Florentinis non deesse in *l. cum illud* §. *heres, D. quando dies leg. ced.* iamdiu probaui. quod hoc argumento quidam ita refellunt. Si pupillus, inquiunt, ex contractu sine tutore habito locupletior factus sit, & leget creditor id pupilli nomen, vtile legatum est etiam ante solutionem, quia ex rescripto D. Pij ex eo nomine datur vtilis actio, cuius non erat Papinianus ignarus. Sic sane, triuialis scientiæ magister, si non libet quandoque Papiniano, vt de Aristone Plinius scribit, sic antiqua iura vt recentia tractare, si non & idem Papinianus in *l. cum tale* §. 1. *D. de cond. & dem.* tractat similiter de eo iure quod obtinuit ante Constitutionem D. Marci remissa cautione fideicommissi, si non & alij de interdicto de precario sic tractant, acsi non esset ex eo, quam hodie constat esse actio ciuilis præscriptis verbis, *l. 14. D. de precar. l. eum qui* §. *is qui precario, D. de fur.* quam verisimile est introduxisse nouam Constitutionem aliquam, cum & ex bona fide oriri dicatur *l. 2. D. de precar.* quæ verba significant bonæ fidei actionem esse, vt *l. pen. depos.* Sed omissa est in §. *actionum, De act.* quia interdictum magis frequentabatur. Constitutionum autem est bonę fidei iudicia facere, vt §. *fuerat, Inst. de act. l. vlt. C. de pet. her.* & ita sic tractant Papinianus & Scæuola de pupillo contrahente sine tutoris auctoritate ac si nulla esset Constitutio D. Pij, *d.* §. *heres,* & *l. si pupillus, De verb. oblig. & l. Stichum* §. *aditio, De solut.* cuius ego contextum non immuto, sed affero liquido tum in eo, tum in §. *heres;* Flor. & castissimam scripturam. nec quod in triuiis fit & stationibus ad Ligerim prouerbio notissimis, ex pupillo hac in re quem sine distinctione ætatis vnum auctores faciunt, duos fieri sino, vnum infantiæ, alterum pubertati proximum. & seruo curatè quod *l. non tantum* D. *de excusat. tut.* finit proximitatem semestri tempore, *vt l. properandum* §. *& si quidem, C. de iud.*

Cap. V.

Legatum rei peculiaris non valere seruo relictum ab extraneo, Stipulationem valere.

SI legatum seruo alieno relictum ex persona serui valet, non ex persona domini, *l. debitor* §. *seruo,* D. *de leg. 2.* & ob eam rem via seruo ad fundum domini legatur inutiliter, *l. & si maxime,* D. *de ser. leg.* quia & libero facto legaretur frustra, eadem ratione res peculiaris seruo legatur inutiliter; quia nec libero res sua vtiliter legaretur. & similiter libero homini bona fide possesso si res sua legetur, nec ex persona possessoris consistet legatum. quod tamen est qui non erubuerit adfirmare confusis legatis cum stipulationibus, quæ multum hac in re inuicem distant. Nam stipulationes valent statim ex persona domini vel possessoris. & idcirco viam ad fundum domini seruus stipulatur recte, *l. si vnus ex socio,* D. *de seruitutibus rust. l. 7.* §. *vlt. l. 17.* D. *de stip. seru.* ac consequenter liber homo bona fide possessus ex re possessoris, vel ex suis operis. ergo & rem peculij sui seruus stipulatur recte. ac similiter homo liber bona fide possessus rẽ suam ex re possessoris vel ex suis operis. quæ est manifestissima sententia *l. liber,* D. *de stip. ser.* quę sane non erat extra omnem dubitationem. nam absurdum videbatur domino seruum vel possessori liberum hominem adquirere, quod sibi adquirere non potest. & inde Vlpianus in *l. qui bona* §. *generaliter,* D. *de adq. rer. dom.* consentiens cum Paulo in *d. l. liber,* generaliter constituit, ex re bona fide possessoris quod ei adquiri non potest, sibi liberum hominem adquirere: nec enim esse nouum vt sibi quis adquirat quod alij non potest adquirere. Quod autem ex re possessoris liber homo sibi adquirere non potest, id eum possessori adquirere. quod satis nouum est, nempe vt quod mihi non possum, adquiram alij. Nam & ita seruus rem quam si liber esset sibi non posset adquirere, domino adquirit. & hoc tamen perspicui iuris obscurant omne addita negatione Pand. Fl. in *d.* §. *Generaliter,* & vulgarem scripturam iamdiu adsertam à me initio libri quarti semel, iterumque nunc vrgente calumnia, magis sequendum est. Nam extra rem possessoris vel operas ei per liberum hominem adquiri inauditum est.

Cap. VI.

Emendata quædam libro quinto Codicis.

IN *l. 1x.* §. *quod & in his, C. de nat. lib.* delenda sunt hæc verba, *vel ascendentium.* nam vt iniquum & falsum est patrem naturalem non succedere ascendentibus filij naturalis, hoc est, patri suo vel auo aut proauo. In *l. 2. C. rer. amot.* legendum, *edicto perpetuo promittitur actio,* vt *l. 1. C. de alien. iud. mut. edicto perpetuo promittatur,* vt in Bas. ἐπάγγελται. & similiter *l. vlt. C. de act emp. promissæ,* non *permissæ,* & *l. 1. C. si adu. solut. promissum beneficium,* ἐπαγγελθεῖσα βοηθεία. & in *l. adfinitatis, C. com de suc.* In *l. 7. C. sol. mat.* aut pecunia pro peculio accipitur singulariter, aut rectius Thalelæus legit, *filiæ peculium.* vt *l. donationes* §. *pater,* D. *de donationib.* In titulo *de iu. dot. l. 17.* rectissimè libri vet. & Accursius, *Res quarum vsufructu sibi deducto, socrus in dotem dedit.* vt sit σύλληψις, sicut *l. filium, C. fam. erc. l. eam quam, C. de fideic. l. filius f.* §. *diui,* D. *de leg. 1. l. qui Romæ* §. *Flauius,* D. *de verb. oblig.* Et in eodem titulo *l. 23.* legas; *sponte necne contractum habuerit.* vulgo male, *contractum ratum habuerit.* In *l. 13. C. de nupt. amissa scriptura* non *omissa,* vt in Bas. ἀπολλυμένου τὸ συμβολαίου. In *l. 10. Qui da. tut. pos.* vt glossa notauit, & suadent quodammodo hæc verba, *negotiis pupillaribus,* legendum, *tutorem habenti.* falsum enim est, curatorem habenti curatorem dari non posse, *l. ventri,* D. *de tut. & cur. dat.* Et in inscriptione delenda est vox *militi.* nam miles ne volens quidem ad tutelam vel curam admittitur. & intelligẽda est lex de absente sui negotij, non Reipubl. causa: Nam absens Reipub. causa periculo medij temporis non obstringitur, *l. 1. C. si tutor vel cur. Reip. causa aberit.* & in locum eius alius tutor datur *l. quæsitum,* D. *de tutel.* In locum absentis ex alia causa neque tutor, neque curator, *l. curator,* D. *de tut. & cur.*

da. quatenus in ea afuerit. i. abfuerit. In *l. 8. C. arb. tut.* legendum, *nouatione atque acceptila ime*, vt in Baſ. *διὰ μεταθέσεως καὶ ἀποχῆς*, quod eſt, ſtipulatione Aquiliana.

Cap. VII.

Differentiæ inter tutorem & curatorem.

MOdeſtinus VII. *differentiarum* expoſuit quid inter tutorem & curatorem eſſet. ventri curatorem dari ex edicto prætoris, non tutorem: quia nec prætor tutorem facere potuit. tutorem habenti tutorem non dari, curatorem habenti curatorem dari. Cuius differentiæ rationem reddidi *lib. 5. Codicis tit. xxxvj.* & hæ duæ ex eodem Modeſtini libro differentiæ extant in *l. ventri, D. de tut. & cur. da.* & ex eodem quoque tertia in *l. j. D. qui pet. tu.* Matrem puniri quæ tutorem non petiit, non ſi curatorem puberi non petiit, vt *l. 6. C. eod.* Pubes enim ipſe ſibi petat. nec enim ei inuito peti darive curator poteſt. Tutor autē datur inuito, quæ eſt quarta. Poſſunt addi aliæ. Tutorem teſtamento dari non curatorem: quia lex xij. tab. de tutela non de curatione loquitur. Tutorem in ſolemnibus adhiberi iure ordinario, non curatorem, *l. curatorem, D. de auct. tut. l. cum in vna §. j. D. de appell. l. vlt. C. de in litem dan. tut.* quia & ius legitimum, vt dixi, tutorem nouit non curatorem. Et hodie tutorem tantum dari impuberi, curatorem puberi & impuberi. Et tutorem tutelæ conueniri finita demum tutela, *l. 4. in prin. D. de tut. & rat. diſt.* itemque fideiuſſorem tutoris, *l. 4 § hanc, D. rem pup. ſal. fo.* Curatorē fideiuſſoremve eius vtili negotiorum vel ex ſtipulatu conueniri etiam manente adminiſtratione, vt quæque res minori ſalua eſſe deſinit, *l. cum curatore, D. de adm. tut. l. j. § ſed ſi pro tutore, D. de cont. tut. l. 16. §. vlt. D. de tut. & rat. diſt.* & quamuis Paulus ſatis habeat reddere hanc rationem in *l. 4. §. vlt. de tut. & rat. diſt.* quia non idem in negotior. geſt. quod in tutelæ actione conſtitutum eſt iuxta *l. non omnium, De legib.* vt plerumque ſolent iuris auctores non admodum perſcrutari rationes eorum quæ à maioribus per manus acceperunt, tamen ratio poteſtatis hanc differentiam facere videtur quam tutor in pupilli caput habet non curator. quia nec vlla alia actio pupillo eſt in tutorem ex cauſa quæ cœperit tutelæ tempore, *l. 10. D. de tut. & rat. diſt.* ſed ex contractu tantum paterno & cauſa præcedente tutelam, ſpeciali tutore vel curatore auctore. Nec vt idem ſtatuam hac in re eſſe in tutore & curatore quidquam moueor *l. 2. & 12. C. de adm. tut.* quæ, vt gloſſæ quædam notarunt, de generali tantum negotiorum geſtorum actione loquuntur, vt *l. actus, D. eod.* non de ſpeciali. eſt enim in generali vtraque par ratio abſurditatis & vtilitatis quæ proponitur in *l. 9. §. & generaliter & l. 16. D. de tut. & rat. diſt.* vnde reſtat hoc tantum inter ſe hæc duo iudicia diſtare, quod tutelæ ſit ſemper generale, Negotiorum geſtor. etiam ſpeciale poſſit eſſe, *l. 3. § negotia, D. de neg. geſt* hoc eſt quod tutelæ non agatur niſi de vniuerſis negotiis finita adminiſtratione, ex curationis cauſa etiam de vno negotio.

Cap. VIII.

Interpretatio l. 2. C. ſi ex pluri. tut. vel cur. omnes vel vnus ag. pro min. vel con. poſſint.

REs inter alios iudicata vel acta, aliis nocere non poteſt. Ergo nec ſi diuiſa ſit adminiſtratio inter tutores, vel ipſorum tutorum cōuentione, vel ex præcepto ſiue arbitrio teſtatoris aut iudicis, ea res mutare A ius creditoris pupilli non poteſt, vt cum vna ſit perſona pupilli qui ei obligatus eſt, vnumq; patrimonium, non experiatur cum quo volet ex tutoribus non obſeruata diuiſione tutelæ, *l. inter, l. Titium §. vlt. D. de adm. tut.* & tamen *l. 2. C. ſi ex plur. tut.* omnes vel vnus ag. &c. diſerte ait, diuiſa tutela per prouincias his tantum omnibus inſinuandam eſſe litem quæ pupillo infertur, qui in ea prouincia tutelæ officium ſuſtinent, ad quam res pertinet qua de agitur. Sed animaduerti inſinuationem illo loco ſignificare denuntiationem illam ſolemnem futuræ litis quæ olim erat in vſu, idque *l. j. C. Th. de denunc. vel edi. reſ.* vnde *d. l. 2.* ſumpta eſt, aperte demonſtrat, à qua denunciatione certa vtrique parti erant conſtituta tempora ad cauſam agendam, exceptis quibuſdam actionibus, in quibus hic ordo non obſeruabatur. hanc ergo denunciationem ſolemnem his vel ab his tantum fieri oportet qui in ea prouincia vnde lis emerſit tutelam gerunt, & his omnibus licet teſtamento aut ex inquiſitione dati ſint tutores vt ait *d. l. j.* non tamen & omnibus auctoribus his agenda eſt. ſatis enim eſt diuiſa tutela per prouincias ſi in ſua quiſque prouincia auctoritatem interponat, nec tametſi neceſſe ſit omnibus qui in vna prouincia tutelam gerunt denūciari litem, etiam neceſſe ſit omnibus qui in vna prouincia tutelam gerunt denunciari litem, etiam neceſſe eſt ab omnibus eius prouinciæ tutoribus vel auctoribus omnibus litem peragi, *l. vlt. C. de auct. præſt.* nam & cum indiuiſa eſt tutela, denunciari lis debet omnibus *d. l. 1.* quæ peragi vno auctore poteſt. vbi vero illa denunciationum & temporum obſeruatio ceſſat, vt in actione creditæ pecuniæ ſi ad eam pecuniam ſoluendam minor aut tutor, vel curator eius conueniatur euidenti chirographo, vel ſi quæ alia actio non excedat ſummam C. aureorum, *l. 5. & 6. C. Th. de denun. vel ed. reſ.* protinus creditor agit cum quibus ei commodum eſt, etiam cum his qui in altera prouincia tutelæ officium ſuſtinent, aut cum pupillo, ſimiliter ex eis vel vno auctore.

Cap. IX.

De iudicio epiſcoporum lxx.

QVod in capitulis Caroli magni legimus epiſcopum damnari teſtibus lxxij. idem legimus in cōdēnatione Marcellini Papę, in lxxij. comparentibus eum fuiſſę damnatum, & alio loco: Intra lxxij. teſtimonia ipſum iudicē, ipſum reum, ipſum ſemetipſum innocentem ſeruare aut infidelem damnare, quoniam, inquit, in lxxij. libra occidua in reparationem reſurgit aureos. Lego, aureos: quoniam libra auri in Occidente tot aureis æſtimatur ex *l. quotieſcunque, C. de ſuſcept. & arc.* libra igitur teſtium. 1. lxxij. vt quadriga iiij. ἁλίας ix. & librale quoque iudicium quod conſtat iudicibus lxxij. quot videntur etiā deſiderati in exauguratione epiſcopi. nam rotundato numero, ſicut cum lxx. interpretes Biblię ſacrę dicim°, videtur ſcriptum in *l. 19. C. Th. quor. app. non rec.* Chronopium ex antiſtite fuiſſe damnatum in iudicio lxx. epiſcoporum.

Cap. X.

Cur ſerui qui ſunt in fuga nec vendi nec donari poſſint.

SErui qui ſunt in fuga etiamſi ſi furtiui non ſint, quia nec natura patitur vt idem ſit fur & res furtiua, nec ius ciuile, vt qui alterius rei poſſeſſione dominium ſubuertere non poteſt, ſubuertat ſua, tamen vtilitatis cauſa receptum eſt vt pro furtiuis habeantur, ne vſucapi vel longi tēporis prę ſcriptione adquiri poſſint, *l. 1. C. de ſeruis fugitiuis.* Et S. C. quoque quod

factum est ad legem Fabiã de plagiariis eorum venditio & donatio inhibita est *l. in fuga, C. ad leg. Fab. l. 2. D. eod. l. 5. in fine, C. de ser. fug.* An ne per causam venditionis, plagiarij, vel qui proximi plagiarijs sũt sollicitatores alienorũ seruorum, redamptis forte à domino seruis, eludãt plagij publicum crimen in fraudẽ Reip. qua ratione Græci vtuntur in *d. l. in fuga.* An vero, vt à fuga serui deterreantur, si nec recipi se posse & quoquã vel celari impune intellexerint, nec adquiri alteri titulo vllo vel auctoritate iusta, veluti emptionis aut donationis. quam rationem adiuuat *l. 12. C. de agric. censitis, & l. 6. C. de ser. fug.* quę & fugitiuos si eos occultator adserat in libertatem, aut vindicet esse suos, protinus iubet adhibitis tormentis interrogari cuius domini j cuiusve condicionis sint, adiecta eadem ratione, vt à fuga deterreantur, quæ etiam efficit ne in commissum cadant, *l. vlt. §. serui D. de Publican.* & ne in arenam se dando vel alio periculo discriminis vitæ, domini potestatem effugiant, *l. vlt. D. de fugit.*

Cap. XI.

Cur de filio corrupto nulla sit actio prodita.

DE seruo corrupto actionem prodidit prætor in duplum, actionem mistam. Cur non & de filio corrupto? dixeris apprime rectissime ex sententia *l. vt tantum §. 1. D. de ser. cor.* corrupto seruo minui patrimonium domini, dignitatem & famam domus integrã manere: nec enim seruuli labem familię dignitatem labefactare. filio autem corrupto, non minui patrimonium patris: nec enim filios esse in nostro patrimonio, sed minui dignitatem splendoremque familiæ, cuius infamiam prætor existimauit neminem sanum prouulgaturum, idcirco nec dedit actionem de filio corrupto. At si quis velit corrupto filij vel filiæ suæ animo, in corruptorem potest experiri. i. vtili iudicio. i. in factum, verbis obscuris, temperatis, mollioribus, vt non faciat mentionem corruptionis & opprobrij, quod suæ contigit domui, in qua officio iudicis æstimabitur quod ex filio commodi perciperet pater si esset bonus & frugi, vt filio subrepto in actione furti quæ patri competit æstimatur quanti patris interfit, veluti ob lucra adquisitionum quæ fur intercepit patri, eaque duplantur, *l. eum qui §. si filius f. l. mater, D. de fur.* Affectionis rationem haberi verum non est.

Cap. XII.

Vti accipienda sit l. si seruus, D. Commod.

QVod ait *l. si seruus, D. Commod.* re dominica inuito domino à seruo commodata L. Titio scienti nolle dominum eam rem commodari, domino commodati competere actionem, & furti, & cõdictionem furtiuam; sic accipio vt vtraque experiri possit furti & commodati, cum non adiiciat, quod semper auctores adiicere solent, altera eum debere esse contentum. nam & ita constat admitti concursum actionis furti & mandati, furti & negot. gest. vel tutelæ, vel depositi, vel locati, vel pro socio *l. 45. & 46. D. pro soc. l. si mandauero 22. §. si tibi, D. mand. l. 3 C. depos. l. si sacculum, D. eod.* Quod si dicas eum qui agit commodati, ratum habere commodatum, vt in specie *l. 1. C. de fur.* is qui agit mandati videtur ratum habere mandatum, ergo & furti quoque eum non agere. alioquin secum pugnare, nempe improbare quod L. Titius cum seruo gessit agendo furti, & probare agendo commodati, vel mandati, dicam diuersas esse species, & in *l. si seruus*, dominum agere commodati ex contractu serui, vt rem suam recipiat, non vt probet factum. In *l. 1. C. de fur.* dominum agere mãdati, non vt pecuniam suam recipiat, sed vt L. Titius mandatum impleat, & ex bona fide fundum restituat sua pecunia comparatum. quo genere plane habet ratũ omne id quod cum seruo L. Titius gessit. Si ageret mandati ad pecuniam recipiendam duntaxat, non prohiberetur etiam furti agere. ex quo apparet quam male in *d. l. si seruus*, Accursius suppleat, electa actione commodati extingui actionem furti, quod plane est ac si diceret, exacta re furtiua furem absolui pœna. Soluitur quidem condictione furtiua, quoniam vtraque actio commodati, & condictio furtiua respicit ad rei persecutionem, sed non soluitur etiam actione furti pœnali. & in *l. si is cui commodata, D. de furt.* hodie constat actionem furti non significare actionem furti pœnalem, sed condictionem furtiuam, vt in *l cum furti*, D *de in lit. iur.* Actio furti genus est *l. eum qui §. qualis*, D. *de furt.* cuius species duæ, vna ad pœnam duntaxat, quæ generis nomen retinet, altera ad rem quæ dicitur condictio furtiua. & hac si prius actum sit, actio commodati ipso iure perimitur, quia commodati actioni, cum sit bonæ fidei, inest exceptio doli. Sed si prius actum sit commodati, condictio furtiua quæ stricta est, non perimitur, nisi posita exceptione doli mali, *l. qui seruum §. si is cui rem*, D. *de obl. & act.* Cetera quæ aliter Accurs. de *l. si is cui* exequitur in *d. l. 45.* δεχρέων δέπαι.

Cap. XIII.

Ad §. postea, Inst. de suc. libertorum.

FAlsum est ius mutuæ successionis quod habent libertorum liberi ex *l. 4. C. de bon. lib.* excluso patrono, etiam eos habuisse iure veteri, ex quo idem illud Iustinianus repetierit. nam tantum abest vt in *§. illud, Inst. de grad. cog.* id se dicat ex veteri iure repetere, nec aliter suum se id facere quam alia multa, quæ ipse cum & antea prodita fuissent, in meliorem ordinem reduxit, quod astruit quidam, vt nominatim referentes Græci sententiam *d. l. 4. βασιλικῶν 49. tit. 1.* scribant, κ τοῦτο σαφέστερον κ αὐτοῦ τοῦ παίδας εἰς τὸ ἀλλήλων κληρονομίαν τῷ διάταξιν κωλεῖν. Falsum & illud fratrem collibertum aut ingenuum fratri ab intestato heredem esse in semissem tantum, patronum patris suumve in alterum semissem, cum & ex eadem constitutione idem adiiciant, penitus cessare ius patronatus his verbis: κ βέλτιον ἦ διάταξις τὸ πατρωνικὸν δίκαιον ἀφεῖν. ὥστε κ αὐτοῦ τοῦ παῖδας ἀπ' ἀλλήλων κληρονομεῖσθαι, κ μηδεμιᾶ χάριν εἶ τῇ πατρωνικῇ διαδοχῇ. Vnde apparet quam vere illa quæ dixi, Ioannes adstruat, vt efficiat non male in *§. postea, Inst. de suc. lib.* ex lege Papia referri liberto moriente vno filio relicto, perinde partem dimidiam patrono deberi ac si iis sine vllo filio filiave intestatus decessisset. quod, si credere dignũ est, etiam ante Constitutionem Iustiniani, & hodie ex Constitutione Iustiniani è duobus filiis liberti vno mortuo intestato, alter pro semisse tantum patrono obstaret. & quam igitur recte pro intestatus iampridem reposuerim testatus in *d. §. postea.* cui similis error insederat etiam in *§. imprimis, Inst. de eo cui lib. caue. bo. add.*

Cap. XIV.

Differentia inter operas officiales & fabriles, vel alterius artificij operas.

MVltum interest promittat quis operas officiales vt patrono libertatis causa, an fabriles aut pictorias vt cuilibet, non libertatis causa. Illæ in officij, hæ

quasi in pecuniæ præstatione sunt, *l. 6. D. de op. lib.* Et in promissione officialium non recte adiicitur persona alterius solutionis gratia, quia officium non soluitur alij quam patrono, *l. 10. 11. 12. D. eod.* In promissione fabrilium adiectio extranei valet, si quis ab extraneo vel patronus à liberto stipuletur non libertatis causa certi artificij sibi dari aut Titio, *l. 23. D. eod. Et libertus*, inquit, *obligationes soluetur si tales operas extraneo dederit quales patrono præstando liberaretur.* Vbi manifesta est traiectio verborum. Scribendum enim, *si tales operas patrono dederit quales extraneo præstando liberaretur.* quia sc. eas non vt patrono, sed vt extraneo debet. Item officiales solus libertus soli patrono debet & soluit, non filio patroni exheredato, non extraneo heredi, non marito patronæ, non fideicommiss. Trebellia- B no, *l. si patroni, D. ad Treb. l. 10. C. de op. lib.* Possunt tamẽ si in artificio sint etiam alij præstari iubente patrono, quia ipsi patrono præstari videntur quæ amico patroni eo iubente præstantur, *l. 9. & 27. D. eod. l. si non sortem § libertus, D. de cond. ind.* Fabriles autem vel alterius artis operę à quocunque cuilibet debentur & soluuntur *d. l. 9.* Et officiales natura debentur, ac proinde neque iuratæ neque promissæ si soluantur non repetuntur. Aliæ operæ non debentur nisi ex contractu, & per errorem indebitæ solutæ repetuntur *d. § libertus*, hæ debentur ex contractu, non ex iureiurando, illæ etiam ex iureiurando, & in idiotismo à nobis etiam appellantur, *Iurees.* Officiales non transeunt in heredem extraneum, nisi quæ iam defuncto deberi C cœperunt, veluti indictæ aut petitę. Nam si egerit patronus de operis & pendente iudicio decesserit, translatio iudicij heredi extraneo danda est. Sic legendum in *l. si operarum, D. de op lib.* Filio autem qui patri heres extitit, licet abstinuerit se, licet non extet, vt ait *d. l. si operarum* (extare est constare & perseuerare heredem esse) etiamsi defunctus cum liberto operarum iudicio non egerit, operas quas volet indicere & petere licet, *l. 4. l. cum patronatus § 1. eodem tit.* Fabriles & aliæ quæ cuilibet deberi possunt, transeunt in omnes heredes, *l. 6. D. eodem*, ac postremo officiales non cedunt antequam indictæ sint, quia ex commodo patroni edendę sunt. Fabriles cedunt ex die interpositę stipulationis, *l. 22. & 24. D. eod.* D

Cap. XV.

Regularum iuris, quas iurisconsulti à maioribus per manus acceperunt, eos rationes neque nimium diligenter conquirere, neque reddere nimis bonas.

PVgnant sæpe iurisconsulti inter se ob rationes regularum iuris antiqui, & cum de regula inter eos constat, non constat tamen de ratione semper: vt cum per manus traditum esset, qui conueniri potest noxali iudicio, ipsum eiusdem serui nomine eodem iudicio non agere, *l. pen. C. de fur.* & hanc redderet rationem Vrseius ex Proculo, seruo communi meo & tuo, occidente aut vulnerante seruum meum proprium, ideo E scilicet non esse mihi in socium noxalem actionem, ne sit in potestate serui vt vni soli seruiat, *l. si seruus seruũ, §. 1. D. ad leg. Aq.* quæ si vera est, eadem efficeret, non esse mihi in socium communi diuidundo actionem quasi noxalem. quod tamen falsum est, *l. si seruus communis, D. de fur.* & eadem rursus efficeret, ne dominus vnquam teneretur noxali iudicio ex delicto serui, ne sit in potestate serui vt dominum mutet, cum tamen constet hac vna in re seruum domini deteriorem condicionem facere posse, *l. 1. § quod igitur, D. de vi & vi ar.* Iulianus ad Vrseium notauit *l. cum seruus, D. de nox. act.* idcirco cessare potius noxalem actionem, quod si extraneo seruus communis damnum dedisset, A mecum noxali iudicio in solidum agi posset, *l. 8. D. eod.* in qua legendum, *scilicet non alias poterit*, &c. & absurdum sit eos inter se agere noxali iudicio, qui in ea causa sunt vt serui nomine tanquam domini nox. actionem pati & excipere debeant. quæ ratio etiam efficit vt inter se socij non agant de pecul. *l. hinc quæritur §. vlt. & l. seq. D. de peculio*: nam qui agit de peculio vel noxali, non se, sed aduersarium dicit esse dominum & possessorem. Denique & extraneus his iudiciis cum domino agit, non vt dominus. quam rationem videtur Iulian. ducere ex Sabino, qui vt constat ex *l. vt tantum §. si seruus, D. de ser. cor.* comparauit hac in re seruum communem seruo proprio. hic si alij seruo meo proprio noxam fecerit, B cessare noxalem actionem, & similiter si seruus communis, seruo meo proprio. noxalem enim actionem pati meum est, extraneo agente siue ex parte siue in solidum dominus sim, non extranei vel socij me agente: quia nec scindere hominem possum vt pro parte cum socio agam, cum is homo noxam seruo meo nocuerit toto pectore corporeque suo, non parte. & Vlpianus qui Iuliani rationem sequitur *d. l. 8. & l. sed & si vinus §. si seruus, D. de iniur.* non veram rationem Proculi sed sententiam, vt arbitror, dicere voluit, in *d. l. si seruus seruum.* Nesciebant sæpe iurisc. veras rationes regularum iuris antiqui, vt nec nostri iuris Gallici veteris, hodie causas nouimus omnes, nisi è re nata forte & incommodo quod obtigerit aliquo, quales sint admoneamur, & non exquirebant etiam iurisc. admodum rationes iuris traditi per manus. & satis erat eis nonnunquam edicere, *Non omnium quæ à maioribus tradita sunt rationem reddi posse.* vel *ita receptum aut constitutum esse*, vt in *l. 4. § vlt, D. de tut. & rat. dist* etiamsi non deficeret optima ratio differentiæ inter actionem tutelæ & actionem negotiorum gestorum, quam notaui *cap. vij.* tamen satis habuit hanc reddere, *Quia non idem in negotior. gest. quod in tutelæ actione constitutum est*

Cap. XVI.

Restituuntur Græca verba in l. antepen. § si quis autem, C. de recep. arb.

NOndum quisquam fideliter restituit Græca verba *l. 4. § si quis autem, C. de recep. arbit.* nam si scribas, ἐὰν αὐτπλέγω, quia perfecta oratio est quæ neque verbum ὁμολογῶ, neque aliud quodquam desiderat, perspicuum est non congruere eam orationem sententiæ legis, quæ hoc vult, ex imperfecta scriptura in qua scilicet verbum ὁμολογῶ desideratur, obligationem nasci & actionem in factum, puta si L. Titium iusserit arbiter dare certam summam, & ille sententię arbitri subscripserit, Dare, omisso verbo, Promitto, non ideo minus obligatur ex subscriptione sua: nam & testamentum non ideo minus valet quod in nuncupando herede omissum sit verbum directum, esto, *l. 1. D. de her. inst. l. 7. C. de testam.* nec fideicommissum, quod omissum sit verbum, *volo.* Et generaliter quod adiectum vel repetitum verbum ἀπὸ κοινοῦ perfectum sensum rectumque sermonem non stribiliginem facit, pro adiecto habetur, *l. verbum, C. de fideicom. l. cum pater § cum imperfecta, D. de leg. 2.* Conseruanda enim est ratio recti sermonis, *l. Plautius, D. de aur. & argen. leg.* Rursus in *d. § si quis autem*, quod addunt quidam πληροφορῶν vel διαιδέντα διδόναι, vel ἐνεῖναι, nullo vetere libro auctore mihi perspicue comprobare possint, qui in tribus ita clare scriptum legi, *Si quis autem post arbitri definitionem subscripserit* ἐμμένειν vel συνέχειν, vel πληρῶν, vel πάντα ποιῶν, vel διδόναι, &c.

Cap. XVII.

Querelam inofficiosi testamenti imitari actionem iniuriarum.

VT iniuriarum actio dissimulatione aboletur & renunciatione, ita querela inofficiosi testamenti, *l. 8. §. si quis post rem, l. nam etsi §. j. D. de inoff. testam. l. j. C. de in int. rest. min.* vt iniuriarum filij nomine, ita querela inofficiosi testamenti non agit pater inuito filio, quia filij iniuria est, *d. l. 8. in prin.* filij indignatio est, *l. filius, D. eod.* Et vt actio iniuriarum magis contumeliæ & doloris quam pecuniæ persecutionem habet, tametsi lis pecuniariter æstimetur, *l. 2. §. emancipatus, D. de collat. bon.* & profecto querela inofficiosi testamenti principaliter causam doloris agit, & notæ quam filio immerito per exheredationem inflixit parens potius quam pecuniæ, j. hereditatis Quo fit vt sicut iniuriarum actio in bonis nostris non computatur ante litem contestatam, *l. iniuriarum 28. D. de iniur.* ita nec querela inofficiosi testamenti. & in hanc rem est admodum singularis *l. 1. §. sed si puta, D. si quid in fraud. pat.* Actionibus igitur quæ vindictæ potius quam pecuniæ persecutionem habent, veluti de moribus ingratiin donatarium vel libertum, iniuriarum, deinceps etiam adiungamus querelam inofficiosi tementi, & adfirmemus in multis eam imitari actionem iniuriarum. Exheredationem iniuriæ speciem esse.

Cap. XVIII.

Lege obligari non tantum eum qui contra, sed & qui secundum præceptum legis facit.

NOn tantum lege obligatur qui contra præceptum legis, sed & qui obtemperans legi secundum præceptum legis facit, auctore Modestino in *l. obligamur, D. de obligat. & act.* cui & metaphrasis βασιλικῶν adstipulatur, in quibus ita est, Νόμῳ ἐνεχόμεθα, ὅτε πράξαντες ἢ ἐναντίμβοι τῷ νόμῳ ποιοῦμεν. quod mihi videtur posse explicari ex *l. 20. D. de except.* quæ docet aliquãdo exceptionem opponi ei qui facit quod facere debuit, vt si venditor rem venditam tradiderit, & postea eiusdẽ rei dominio alio iure quæsito vindicet rem ab emptore, repellitur exceptione rei venditæ & traditæ, *l. 1. D. de exc. rei vend. & tr.* nam vt liberamur non tantum ipso iure, sed etiam beneficio exceptionis, *l. qui res §. mihi Romæ, l. qui hominem §. stipulatus, D. de solut.* ita obligari nos vere dici potest, non tantũ ipso iure, sed etiam si posita exceptione adstringamur in eo perseuerare quod fecimus secundum præcepta legum, ex eo quod iure fecimus, puta quod rem venditam ex fide bona traddimus. quinimo si eam euincamus, obligamur etiam actione ex stipulatu in duplum vel actione ex empto, *l. vindicantem & l. seq. D. de euict.* Sic fit vt ex eo quod iure fecimus non minus obligemur quam ex eo quod fecimus iniuria.

Cap. XIX.

Constantini leges de admittendis bonorum possessionibus.

IN *l. pen. C. qui admitt. ad bon. pos.* neque Basilicum neque χτ πόδας hæc agnoscit verba, *facti vel absentiam.* nam vterque sic habet, ἐὰν διὰ ἀγροικίαν ἢ ἄγνοιαν ἢ εἰον ὅπστε ἄλλον λογισμόν, si per rusticitatem vel ignorantiam vel quamcunque aliam rationem. quod vt placet valde, ita me cogit ignorantiam vel rusticitatem accipere pro imperitia iuris, *l. 3. §. si quis ignorãs, de S. C. Sillaniano.* Hæc enim est mens Constantini in *d. l. pen.* quæ refertur *l. vlt. §. nos itaque, C. de cur. fur.* nullum excludi commodo bon. possessionis ob id solum quod intra tempora bon. possessionem solemniter non petierit à prætore, modo si eam interim agnouerit. Iure necessariam esse solemnem petitionem dationemque bonorum possessionis, quæ fiat solemnibus verbis apud prætorem vel præsidem. Sed si rusticus forte vel quis alius iuris ignarus vel qua alia ratione præpeditus sibi delatam morte alterius bon. possessionem intra tempora solemniter non petierit, non ideo commodum eius amittere si modo eam interim admiserit & agnouerit. Et adiicit idem Constantinus *l. vlt eod. tit.* qualemcumque testationem amplectendæ hereditatis factam apud præsidem vel magistratum municipalem intra constituta tempora sufficere & pro solemni petitione cedere: ac præterea præmaturã testationem sequentis gradus cognati. j. quæ fiat nondum præteritis diebus datis proximiori cognato, eo postea repudiante vel omittente bonorum possessionem valere perinde atque si suis sita curriculis fuisset. Igitur tria sunt valde noua quæ illis duabus Constitutionibus Constantinus Imperator induxit: vt apud magistratum municipalem agnosci posset bonorum possessio, quæ olim peti & dari à magistratu municipali non potuit, quia non habuit mistum imperium, & datio bonorum possessionis est misti imperij, dare bonorum possessionem prætorium vel præsidale non duumuirale. Vt necessaria solemnis petitio datioque non esset, quæ fuit olim necessaria, *l. 1, C. com. de succeff. l. 20. in fi. D. de excep.* vt præmatura agnitio facta intra tempus datum proximiori cognato, eo deficiente recte facta intelligatur, quod olim non obtinuit *l. si filius, D. de bon. lib.* Post Constantinũ Theodosius & Valentinianus Impp. etiam citra testationẽ existimarunt sufficere qualecumque indicium admittendæ bon. possessionis, *l. 1. C. Th. de cret. vel bon. poss.* siue vt Græci interpretes aiunt, οἱαν ὅπστε ἔμφασιν τ καταδοχῆς. quod & Iustinianus probat, §. *vlt. Inst. de bon. poss.*

Cap. XX.

De manumissione per censum, Cicero emendatus.

VT inter prudentes magnam contentionem fuisse vtrum ratihabitio retrotraheretur, ostendit *l. 1. §. sed & si quod alius, D. de vi & de vi arm.* ita ex reliquiis quibusdam Vlpiani vel alterius vetustissimi I. C. quas nobis dedit Claudius Puteanus Senator & disciplina omni instructissimus & ingenio prudentiaque acutissimus, si quis seruum suum ex iure Quiritium non minorem xxx. annis inter ciues Romanos retulisset in censum, magna dissentio inter prudentes fuit; vtrum ex eo tempore seruus factus ciuis Romanus videretur quo census esset an ex quo lustrum conditum esset. Quidam enim existimabant, vt ille iuris auctor eleganter scribit, censum descendere ad diem lustri, non lustrum recurrere ad diem census. Alij lustrum retrocurrere volebant ad diem illum, quo seruus inter Ciues Romanos census esset. Et eam dissensionem fuisse inter prudentes etiam Marcus Tullius auctor est 1. *de oratore*, his verbis quæ restituimus ex vet. membranis. *Quid de libertate, quo iudicium grauius esse nullum potest, nonne ex iure ciuili potest esse contentio, cum quaritur is qui domini voluntate census sit continuone an vbi lustrum conditum, liber sit.* Et verius forsitan est lu-

strum conditum, qui finem censui censendo adfert solemni sacrificio facto in extremo quinti anni (condere enim finire est) id est diem quo quis lustratus est inter Ciues Romanos retrotrahi ad diem quo census est manumissionis causa: Nam, vt idem iurisconsultus ait, *omnia quæ censu aguntur, lustro confirmantur.* Quę confirmantur autem, retrotrahuntur, *l. donationes, C. de don. inter vir. & vxor, l.* 40. *D. de mor. cau. don.* & in de rectius in *l. vlt. D. quod cum eo*, &c. sententiam à qua appellatum est maiorem iudicem conseruare, non confirmare. nam si eam confirmaret, confirmatio retrotraheretur. nec tamen retrotrahi constat quod maior statuit iudex, *l. furti* §. *j. D. de his qui notantur infamia.*

CAP. XXI.

Ad l. 3. C. de. her. inst.

MIles seruum communem quem habuit cum fratre heredem scripsit vt liberum suum hoc modo, Ille libertus meus heres esto, ex quo non statim sequitur & credidisse eum suum esse libertum, arg. *l. ex his verbis, de mil. test.* excidit enim sæpe nobis falsa demonstratio in herede instituendo, *l. falsa demonstratio, D. de cond. & dem.* quam ob rem recte *l.* 3. *C. de her. inst.* inde nasci ait quæstionem voluntatis, puta vtrum instituturus eum fuerit, si seruum communem nosset, & dato ei substituto vulgariter in hunc casum, si hereditatem adire nollet, vel non posset, merito quæri an substitutioni locus sit. quæri etiam potest an videatur institutus cum libertate, & sicut in *d. l. ex his verbis*, distinguitur, vtrum errore lapsus libertum esse crediderit, an animum habuerit miles dandæ libertatis, qui seruo suo vt liberto suo legauit aliquid, ita in specie & quæstione *d. l.* 3. ita distinguendum est: aut errore ductus libertum esse credidit, nec per eum ad alium quemquam, cuius iuri forte post ea subiiceretur, hereditatem peruenire voluit. & hoc casu ex voluntate defuncti verba substitutionis sic interpretabimur, Sibi ipsi hereditatem non adquisierit, quod cũ non extiterit etiãsi iubente domino adierit, substitutus admittitur. nam vbi quem quis instituit vt libertum non aliter instituturus, si is libertus non sit, omnino inutilis institutio est, sicut cum vt filium instituit vel vt fratrem, *l. j.* §. *vlt. D. de Carbon. edicto, l. auferetur in principio, D. de iure fisci, l.* 5. *C. de testam. l.* 4. *&* 7. *C. de heredib. instit.* Aut verba substitutionis testator retulit ad ius, id est, ad id quod in iure ipso est, & ea quoque tum secundum ius interpretabimur hoc modo, cum sit seruus communis, Si neque sibi neque Domino hereditatem adquisierit: vt si noluerit adire (potest enim nolle etiamsi dominus iubeat adire, maxime cum Domini aut serui in institutione nulla sit facta mentio, vt *l. penult. C. de iur. deliber.* & dato substituto vulgari, sicut filiusf. *l. filiã, D. & auro & arg. leg.* substituto locus sit, si paruerit domino, expiret substitutio vulgaris. & hæc est sententia *dict. leg.* 3. nec pugnat §. *vltim. Institut. de vulgari substit.* nam etsi instituerit quis seruum alienum quem liberum esse credebat, dato substituto vulgari, eidem distinctioni locus est, vt si omnino noluerit per eum ad alium suã hereditatem peruenire, si plane vt liberum instituerit non aliter instituturus, tum substituto proculdubio locus sit. Si verba ad ius retulit, & ita accepit vt in specie *d.* §. *vlt. & l. si paterf.* D. *de her. inst.* si neque sibi neque ei cuius iuri postea subiectus esse cœperit hereditatem adquisierit, valde dubitatur an substituto locus sit, substituto dicente casum substitutionis extitisse, quod iusta interpretatio verborum pertineat ad liberum hominem qui postea redactus sit in seruitutem, & is seruus neque liber fuerit neque in alterius venerit seruitutem, domino autem contradicente nihil referre in potestate sua fuerit testamenti facendi & mortis testatoris tempore, an in eam venerit postea, iustam interpretationem vtrumque casum admittere. quamobrem in re tam obscura, vtrinque prolatis iustis & magnis rationibus ex decreto Tiberij diuisa est hereditas ex æquo inter substitutum & dominum serui, vt apud Philostratum legimus *libro* 2. Appollonium inuentum thesaurum diuisisse inter duos qui de eo inuicem contendebant, in re scilicet dubia & admodum obscura: & iure quoq; veteri, vt Vlpianus scribit *lib. sing. Regularum*, cum cretione heres institutus si non cernat, sed pro herede gerat, in partem substitutum admittit, & in specie, *l. verbis*, D. *de vulg. subst. & l. Lucius, de hered. inst.* etiam tractatur similiter an in partem admitti debeat substitutus. videtur autem hallucinatus Tribonianus cui imperatum erat ne vlla essent singula in Pandectis, dum in *d. l. si paterf.* has literas. As pro singulis accipiens ita explanauit, alter semis, vt simili errore cum in *l. redhibere* §. *pen.* D. *de ædil. edict.* scriptum esset, *id reddi*, vt *l. item si serui, eod. tit.* duas priores literas quasi singulorias ita explanauit incongrue, iisdẽ diebus. nihil etiam pugnat cum *d. l.* 3. *C. de hered. inst.* quam hoc capite suscepi interpretandam, *l. neque* §. *si seruum*, D. *de mil. test.* nam, vt Accursius recte notat, alia est ratio serui proprij sine libertate heredis instituti, quẽ testator credebat esse liberum, quia siue non aliter instituturus erat quam si liber esset, siue ad ius institutionem retulit, institutio valere non potest: quia & priore casu noluit non liberum sibi heredem esse, & posteriore serui proprij institutio sine libertate iusta inutilis est.

CAP. XXII.

Distinctione vna multæ leges adductæ in concordiam.

LEgatum puellæ relictum sub condione, Si L. Titio nupserit, non debetur si post mortem testatoris moriatur L. Titius ante nuptias contractas, *l.* 4. *C. de cond. inst.* quia condicio defeciisse intelligitur, siue impleri testator eam voluerit post mortem, siue non satis egerit quando impleretur, vt *l.* 10. *& l. condicionum*, D. *de cond. & dem.* cum eo tempore quo maxime impleri debuit non fuerit impleta, nec per L. Titium steterit quo minus impleretur. nam si per eum stetisset, pro impleta haberetur, vt *l.* 1. *C. de inst. & substit. l. in omnibus causis*, De *reg. iur.* Recte dixi, Si post mortem testatoris moriatur L. Titius, sic accepta *d. l.* 4. *vt l. in testamento* 2. *de cond. & dem.* nam si viuo testatore moriatur L. Titius & testator voluerit post mortem suam condicionem impleri, legatum debetur, *l. qui ex fratribus*, D. *de cond. inst.* Eadem ratio est *l. turpia* §. 1. D *de leg.* 1. *& l. filiæ suæ*, D. *de cond & dem.* Si Titiæ legaui sub condicione si arbitratu Seij nupserit, ei legatum debetur. Contra si post mortem meam Seius moriatur, cum ea non nupserit consulto Seij, videretur legatum non deberi, nisi forte quis dicat probare sententiam legis Iuliæ Miscellæ. verba certę non obstant. Et secundum eandem distinctionem, hac condicione appositа legato, Si Stichum seruum manumiserit, si Stichus moriatur viuo testatore, quo tempore impleri condicio non debuit, legatum debetur, *d. l. turpia* §. *penul. l.* 8. §. *quotiens*, D. *de cond. inst.* si moriatur post mortem testatoris, quo tempore promiscua condicio impleri debuit, legatum non debetur

tur, *l. inde Neratius §. idem Iulianus*, D. *ad leg. Aq.* eadem distinctio adhibenda est in specie *l. annua, in prin. D. de an. leg.* Legaui Titio sub condicione si moretur cum matre mea. Mortua matre viuo testatore, quo tempore impleri condicio non debuit, legatum debetur, vt *d. l. annua* Contra mortua ea post mortem testatoris cum nondum cum ea moraretur Titius, dicerem legatum non deberi, *l. Stichum §. vlt. De adimendis legatis*, & ita hac condicione inserta legato, Si Titio x. dederit, si Titius moriatur post mortem testatoris antequam dederit legatarius pecuniam, legatum non debetur, *l. cum ita datur, D. de cond & dem.* si viuo testatore, legatum debetur.

CAP. XXIII.

Cur priuatis quam publicis causis dirimendis longiora sint præstituta tempora.

QVod causis priuatis in iudicio terminandis præstituta sint longiora tempora quam publicis, his puto biennium hodie ex constitutione Iustiniani, illis triennium, quam rationem & veteres sequutos opinor vt causis publicis præscripto anno, *l. reus*, D. *de mun. & hon.* nimirum priuatis plus temporis darent, *l. arbitrio §. si cuius*, D. *de dolo*, id vero tam varie quantum existimo non alia ratione, quam quod priuatæ causæ sint obscuriores. M. Tullius 11. *de Orat. Quarum rerum negligentia pleraſque causas & maxime priuatas (sunt enim multo sæpe obscuriores) videmus amitti.* Nec his contrarium est quod Iulius Seuerianus ait in *arte, Iudices in causis priuatis festinare semper magis quam in publicis*: cunctari scilicet in publicis & capitalibus, quod, vt Poëta ait, *nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa sit.* nec enim ideo sequitur longiora tempora iudici esse præscripta tractandis publicis quam priuatis consiliis & causis, sed in priuatis intra triennium festinare sæpe iudicem, in publicis cunctanter admodum & timide progredi intra biennium.

CAP. XXIV.

De Spadonibus quædam.

QVod est constitutum *l. 5. C. qui test. fac. poss.* vt spadones testamentum facere possint, videtur posse referri ad cubicularios principis, vt etsi serui sint, habeant testamenti factionem, vt *No. Leonis 38.* generaliter constitutum videmus de seruis principis, vt plenam habeant testamenti factionem. Seruus publicus Populi Romani pro parte bonorum dimidia testamenti factionem habuit, vt Vlpianus scribit *lib. Regularum*, cui similis est qui se stupro effœminari passus est. Nam & huic, auctore Paulo, non ex maiore parte quam dimidia testamentum facere licet. Seruo autem principis dat Leonis Nouella plenam testamenti factionem, & seruo cuilibet, nedum cubiculario, cum soli cubiculario hoc datum esset olim tanquam ingenuo. Ab intestato autem Spadones cubicularij legitimum heredem habere non possunt, *l. pen. C. de præp. sac. cub.* Potest etiam *d. l* 5. referri ad Eunomianos Spadones, quibus *l. 17. C. Th. de hæret.* omnimodo adimit testamenti factionem, vt nec capere ex alieno testamento possint, nec ipsi sibi facere testamentum. Et quod ait Eunomianos Spadones videtur attingere quam qui de hæreticis scripserunt turpitudinem Eunomianorum erubescunt proferre in medium, & Theodoritus addita ratione honestissima, Ἀ ἱκανὴ γὰρ ἡ μόνη ἡ τὸ μίσος ἐκοὴ μιᾶναι τὸν λογισμόν. De Spadonibus possit videri mirum quod est in *c. 5. De corp. vit.* & si oporteat presbyteros clericos esse ὁλοκλήρους, tamen clero non remoueri eum qui imminente periculo elephantiæ consilio medici exsecuerit sibi virum, nisi nos Aëtius doceret ex Archigene, Spadones non corripi elephantia, his verbis, οἱ δαμῶ δέ τινας ἀποτεμόντας, ἢ μαχαίρᾳ τὲς ἑαυτῶ διδύμες ἀποτέμνοντας. ἐ γὰρ πεφύκασι, ἐπὶ τὸ χεῖρον τὸ πάθος τοῖς δυσχεραίνομένοις. ἐ γὰρ ἂν εὕροις φησὶν Ἀρχιγένης τῶ δυσχεραινόντων ἐλεφαντιῶντα εὐνοῦχα, ἢ μιᾶ γυναῖκα ὁμιλοῦντα, *lib. xiij.* Boëtius *1. De disc. sch. legitur Timothei filium lepra incumbente castratum.* Valde autem quod ad nomen attinet noua est Stephani deductio, vt dicantur Spadones ab Spada, vico Persico, in quo primum homines castrari cœperint.

CAP. XXV.

Restituitur græcum verbum in l. 2. C. Com. de leg.

QVod de institutione heredis Constantinus cauit vt quibuscunque verbis facta valeret directis aut precariis, *l. quoniam*, C. *de test.* consequens erat idem de legatis caueri. quamobrem Iustinianus in *l. 2. C. com. de leg.* iure legatum relinqui ait non tantum verbis directis, quale esse ait verbum, Iubeo, vt Vlpianus libro Regularum dum scribit, ita recte heredē scribi, *Titium heredem esse iubeo*, & ita recte legari, *heredem meum dare iubeo*, & libertatem ita directo dari, *Liberum esse iubeo*, & quare tamen in *d. l. 2.* quasi diffidenter cum adfixo dicat Iustinianus, Iubeo forte, ostendi *libro xj. cap. xxv.* in causa esse ambiguitatem verbi, quam idem etiam fuisse ait in verbo, ἐνορκῶ. Sic enim lego auctoribus libris innumeris scriptis, non vt Alciatus diuisim ἐν ἴρκῳ, cum de verbo vnico lex agat, & ante vt de verbo rogo, volo, mando, fideicommitto, ita mox de verbo ἐνορκῶ, quod interpretor adiuro, vel iureiurando conuenio, eadem forma composito, qua ἐνοσκῶ, quod est liquido iuro. Frequens enim est testatores cum iurisiurandi obtestatione heredes onerare legati aut fideicommissi præstatione, vt in *l. 3.* D. *de iu. fisc. Per deum rogo te*, & in *§. j. Inst. de fid. hered. Per salutem principis.* & ita *l. cum pater §. filius*, D. *de leg. 2.* ponitur, testatorem cum iurisiurandi religione rogasse tabulis data fideicommissa præstari, quæ enixæ preces effectum sunt habituræ, etiamsi ab intestato non ex testamento heres rem obtinuerit omissa in testamento clausula codicillari, quia valde voluisse videtur testator id de quo heredem adiurauerit. Male ponit Alciatus ad *d. l. 2.* exemplum hoc modo: Iuro me daturum Titio c. nam ex hac scriptura neque legati neque fideicommissi petitio est, *l. 34. in prin. de leg. 2.* Hoc quoque perperam Accursius, Si heres iurauerit se daturum, quod de hac condicione quæri nihil attineat cum ipso iure remittatur.

CAP. XXVI.

De clausula l. Lucius, D. *de vulg. substit. quæ abest à Pandect. Florentinis.*

MErito videntur abesse à Pand. in *l. Lucius*, D. *de vulg. subst.* hæc verba: *Aliter si eiusdem ætatis liberi instituti inuicemque substituti fuissent: tunc enim altero defuncto intra pubertatem, eius successio non ad matrem sed ad substitutum fratrem eius deuoluitur.* Nam cum velle videatur opponere his quæ ante scripta sunt aduersum casum, dum ait, *aliter*, non opponit tamen. Po-

fuit enim supra Paulus factam substitutionem reciprocam à patre heredibus institutis filiis impuberibus legitimo & naturali, vbi legitimum vocat quæsitum ex iustis nuptiis, non adoptiuum, cum de matre eius tractet, vxore defuncti, naturalem quæsitum in seruitute vel ex concubinatu, qui & ipse ante Constitutiones de nat. lib. solidi capacitatem habuit, vt extraneus quilibet. Hi igitur liberi de quibus egit supra, sunt eiusdem ætatis, sed non eiusdem condicionis. Vnus enim est sui iuris, alter in potestate patris. Proinde ex aduerso casus ita proponi debuit, *Aliter si eiusdem condicionis*, consequenter superioribus, vel, *Aliter si eiusdem condicionis & ætatis liberi*, &c. Sed & sic ex diuerso posito casu, vt fuerint ambo eiusdem cõdicionis, ambo scilicet in potestate patris, legitimi ambo, impube[illegible] sultum est adnotare, altero impubere defuncto fratrem substitutionis iure præferri matri, cum & in iure legitimo matri præferatur, quia consanguineus frater est, §. *frater*, *Inst. de Senatus Consul. Tertyl. l. 3.* §. *plane si mater concedat*, *D. de Carb. edic. l. 2 C. Th. de inofficio. testament. l. 2. C. Th. de secund. nupt.* Frater naturalis, qui in eiusdem patris potestate non fuit, vt ante docuit Paulus, nec iure substitutionis quæ intelligitur in casum tãtummodo vulgarem facta, nec iure legitimo, præfertur matri. Quod autem dicitur diuersæ condicionis vel ętatis liberis factam substitutionem reciprocam, valere tantum in vulgarem casum, *l. iam hoc iure*, *D. de vulg. substit. l. 2. C. eodem.* hoc adeo verum est vt etiamsi miles cui datum est vt puberi non inutiliter substituat in secundum casum, quod in eum casum verba directa trahantur ad fideicommissum, *l. precibus*, *C. eod.* si miles, inquam, liberos non eiusdem ętatis inuicem substituerit, vel vt in specie *l. 9. C. de testam. mil.* fratrem suum iam puberem & filiam impuberem, mortua impubere intra pubertatem, mater in bonis filiæ præferatur patruo, nisi probauerit patruus eam fuisse voluntatem militis, vt in vtrumque casum omnimodo substitutio haberet locum.

Cap. XXVII.

De obstetricibus quædam.

HYgenus in fabularum libro refert Athenienses lege cauisse, ne quis seruus aut femina artem medicam disceret, eamque ob rem antiquos obstetrices non habuisse, vnde eueniebat vt pleræque mulieres verecundia ductæ, dum mares medicos adhiberent nollent curandis partibus sunt, interirent, vt non abs re postea etiam feminis medicinam facere permissum fuerit, & medici qui γυναικεῖα scripserunt hosce libros potissimum feminis medicis dedicare maluerint, vt Theodorus Priscianus Victoriæ Sabinæ, ad quam inter cetera de præcipuo eius munere in facienda medicina. *Aliquæ mulieres*, inquit, *quæ voto posteritatis longo tempore desiderata adficiuntur, medicas accersiuere, quas effectus elaborata conceptionis felices & peritas exhibuit. Nosti itaque, Victoria, professionis communis hoc magis esse necessarium ministerium, quæ ex tuis officiis sedulis in his magnis rebus experimentum habes, quantum aut gratiæ aut gloriæ accrescat aut medicæ promittenti, aut susceptæ concipienti.* Hæc Priscianus. Hæ vero medicæ mulieres, vel vt est in Basilicis ad *l. pen. C. de post. her.* ἰαψάνας aniles vel obstetrices sunt, quæ manibus nascentes excipiunt, & mulieribus ægris medicamenta supponunt, de quarum vt de medicorum mercedibus etiam extra ordinem ius dici ait *l. j.* §. *1. D. de ext. cog.* & eis non minus quam maribus medicis imputari culpam si qua noxia medicamenta suppositurint aut dederint, *l. item si obstetrix*, *D. ad leg. Aq.* quod nolim tantum accipi de A pessis, quæ & φθόδετα & ἐγκολπωμοί dicuntur, sed & de his quæ firmãdis fœtibus opponuntur & ἐπωμφάλια vocantur. Sic enim legendum est Fabij Fulgentij III. *Myth. In vmbilico matrix catenata constringitur, vnde & epomphalia eodem loco firmandis fœtibus apponuntur.* Epomphalia non epinephridia. Etiam illud addendũ, obstetricum ex Constitutione diuorum fratrum esse arbitrium æstimandi an mulier prægnans sit, *l. 1. D. de ven. insp.* quod hoc multis modis deprehendi possit. *An sit virgo, est in difficili ac penè impossibili, nec huius rei vsquam legitur obstetricibus delatum arbitrium.*

Cap. XXVIII.

Iure veteri etiam pupillis legitimam tutelam deferri. Et in libro Regularum emendata pleraque.

VT hereditas, ita tutela legitima tam masculorum quam feminarum proximis agnatis ipso iure defertur cuiuscumque ætatis sint. non ergo adolescentibus tantum, sed etiam pupillis, quod obtinuit ante Iustinianum, qui primum ad legitimam tutelam pupillum vocari noluit, §. *item maior*, *Inst. de exc. tut.* ne tutor esset alterius, vt est proditum in Constitutione Iustiniani, qui ipse tutore indiget. Erat autem pupillus proximus agnatus tutor iure & nomine, non administratione: nam in locum eius dabatur curator qui administraret, non etiam tutor, quia tutorem habenti tutor non datur. Et hoc aperte demonstrat Vlpianus *libro singulari Regularum tit. de tutelis*, dum in locum patroni absentis, vel in locum pupilli patroni filij, qui & ipse patronus est, *l. cum patronum*, *D. de in. patro.* scribit alterum tutorem mulieri non peti, nisi ad hereditatem adeundam & nuptias contrahendas ex Senatusconsulto. Nec eo nunc ex loco quicquam demi velim. Nam & paulo ante idem euidentius ostendit Vlpianus alium casum adnotans quo tutorem habenti tutor datur, ita fere: *Mulieri virginive tutorem dari ex lege Iulia ad dotem dandam, dicendam, promittendam, si legitimum tutorem pupillum habeat.* Sic enim perspicue scriptum est in *originali Regularum Vlpiani*, quod mihi benignissime communicauit V. C. Iacobus Tillius pro sua eximia humanitate & beneuolentia erga me, vt mirer πάπῳ qui non habebant aliud exemplar longe aliter expressisse, *Si legitimum tutorem pupilla non habeat.* Etiam in eodem titulo contra authentici exemplaris fidem scriptum est, *Tutoris auctoritatem necessariam esse mulieribus, si mancipia alienent*, cum in eo sit scriptum, *si rem mancipi alienent.* quod verba quæ sequuntur de pupillis exigunt, vt ij etiam in rerum nec mancipi alienatione tutoris auctoritate opus habeant, cum scilicet mulieres ea tantum opus habeant in alienatione rerum mancipi. In eodem quoque authentico eodem titulo scriptum est, Proculeiani, pro Proculiani, vt in *P. Fl. l. 2. De or. iu.* & beneiuolentia, pro beniuolentia, curatorei pro, curatori, non Proculeij. In eodem titulo *de dotibus* scriptum est rectissime, *viridiariis & pictoris.* pictoris, pro picturis. In eodem *titul. xi.* scriptum est, Idem lex XII. Tab. iubet his verbis, *Si pater*: vt Vlpiani 7. *de off. proc.* Verba Consultationis & Rescripti ita se habent: *Em inter* &c. *Em* est demonstratio legis, demonstratio rescripti. Placet etiam valde quod in eodem exemplari scriptum est *tit. 15. Et quandoque liberos habuerint, eiusdem partis proprietatem. Hoc amplius mulier præter decimam dotem petet legatam sibi.* Miror etiam *tit. 16.* expressisse formas, *Si vterque vel alteruter eorum nondum eius ætatis sit quæ quidem liberos exigit.* Etenim *in archetypo nondũ ei⁹ ætatis sũt qua lex liberos exigit.* Etiã rectius in *archetypo tit. 19. Traditio propria est alienatio rerum nec mancipi. Harum rerũ dominia ipsa traditione adprehendimus.*

Et in

Et in *eodem*: *Quod ſi poſteaquam adita fuerit in iure ceſſa ſit, is qui ceſſit, permanet heres.* Et in *tit. xx.* non eſt ſcriptum, *Seruus publicus pratoriſve*, ſed, *Seruus publicus pratoriani*, vt *tit. 24. ſub imperio pratoriani.* quæ ſcriptura manifeſtius vtroque loco exigit, vt emendemus, Pop. Romani, vt *l. omnibus*, D. *ad Trebel.* Sic *titulo 22.* rectius, *Seruis hereditariis cibaria dat.* Nec omittam *titul. de legatis* citra fidem exemplaris hæc verba inſerta eſſe, *Si quidem diſiunctim, ſingulis in ſolidum debentur.* & deſiderari tamen in eo quædam illo loco fateor, illa ſubaudiri aut reponi recte nego, & hęc potius ſubaudirem, *Si quidem diſiunctim, ſingulis partes debentur.* Item in *eodem tit.* Sententia illa (*Idęque eſt etſi tacite legauerim. Titio hominem aut decem heres meus dato. hominem dare heredis electio eſt*) aberrat à fide exemplaris, quod hac in parte tria habet ſpatia vacua, hæc verba, *Idemque eſt*, vſque ad verbum, *hominem*, & alterum ab hoc verbo ad iſtud. *Heres*, & ab hoc rurſus aliud ad illa, *hominem dare heredis electio eſt.* Spatia autem qua mente ductus quis ita repleuerit, neſcio. primum enim tacite non legat qui hominem aut x. legat. Deinde, hominem aut x. heres meus dato, legatum eſt damnationis, non vindicationis. de quo tamen eo loci dicere Vlpianus inſtituerat, & malim ſic ea replere, *Idemque eſt ſi generaliter legauerim Titio hominem. At ſi ita, heres meus damnas eſto hominem dare, heredis electio eſt, quem velit dare.* hęc poſtrema verba in exemplari obliterata ſunt, ita tamen vt adhuc agnoſci poſſint illa, *velit dare.*

CAP. XXIX.

Ad l. 6. §. ſi tibi mandauero, D. *Mand. & l. Si vendita* D. *de per. & com. reiuend.*

QVod ait *l. 6. §. ſi tibi mandauero*, D. *Mand. Si tibi mandauero quod mea non intererat, veluti vt pro Seio interuenias, vel vt Titio credas, mihi tecum eſſe mandati actionem*, non pugnat cum *l. 8. §. mandati*, D. *eod.* quæ non dicit ei tantum competere actionem mãdati qui mandauerit quod ſua intererat, ſed tunc competere actionem mandati cum cœperit intereſſe eius qui mandauit, & retro § *ſi tibi mandauero*, non dicit ei competere actionem mandati cuius nihil intereſt, ſed ei etiam qui mandauerit quod ſua non intererat. id eſt, aliena non ſua cauſa, vt puta mecum agente mandati eo cui mandaui vt pro Seio fideiuberet, vel vt Titio crederet, tum quia mea intereſſe cœpit, & mihi in Seium aut Titium erit mandati actio, quia qui paſſus eſt à me mandari vt ſibi crederetur, vel vt pro ſe quis fideiuſſor intercederet, hoc ipſum vt mandarem, mihi ipſe mandaſſe intelligitur, *l. qui patitur*, D. *eod.* Etiam illud adnotabo quod initio ait *l. ſi vendita*, D. *de per. & com. rei vend. incendium ſine culpa fieri non poſſe*, non pugnare cum eo quod ſequitur, incendium ſine patrisfam. culpa fieri poſſe. Vtrumque enim eſt verum, hoc ſpecialiter, illud generaliter. nam etſi fiat incendium ſine culpa patrisfamilias, non tamen ſine aliorum culpa. & quod accidit aliquando fortuito caſu, eo illud haud quaquam infirmatur. Recte enim *Nou.* 44. & 94. τὸ συμβαίνοντα ἀσυνίως ἐκ ἂν ἐμποδὼν ϛαίη τοῖς καθόλε, & Nicetas in *Io. Comneno*, ὁ νόμον τὸ ἀπάνιον ἡγησάμθα.

CAP. XXX.

De his qui ob ætatem vel paupertatem accuſare non poſſunt.

IN enumeratione eorum qui publico iudicio accuſare non poſſunt, quod ponantur pupilli *l. 8. D. de accuſ.* & excipiantur certæ cauſæ, *l. 2. D. eod.* duco inde ex contrario adoleſcentes minores xxv. an. accuſare poſſe, ſicut & inter eos qui iudices dari non poſſũt, *l. cum prætor*, D. *de iudiciis*, dum numerat impuberem, ex eo intelligo quandoque puberem minorem xxv. ann. iudicem dari poſſe, & cum *l. bonæ fidei*, *De adqrer. do.* ait rem pupilli vſucapi non poſſe, ex eo colligo rem adoleſcentis vſucapi poſſe. Sola eſt lex Iulia de adulteriis quæ nominatim prohibet adulterij accuſare minores xxv. an. *l. 15. §. lex*, D *ad legem Iuliam de adult.* videlicet, niſi de ſuo matrimonio violato quærantur. nam de marito tantum accipienda ſunt hæc Pauli verba, *lib. ſing. de adult.* Intra quatuor menſes vtiles expertus (maritus ſcilicet de quo ante dixerat) licet talis ſit qui alios accuſare non poſſit, vt libertinus aut minor xxv. an. aut infamis, tamen ad accuſationem admittitur. & quod ait Paulus vt libertinus, id ex *Papiniani xv. Reſponſorum* eſt accipiendum de libertinis filio orbis, aut qui rem ſeſtertiorum triginta millium non habent, vt magis ob orbitatem vel paupertatem ab accuſatione excludantur; quam ob condicionem libertinitatis, quæ à patronorum duntaxat accuſatione eos repellit. nam & ingenui quoque ob paupertatem repelluntur, quæ in eis ita definitur, ſi rem minorem habeant ſeſtertiorum quinquaginta milium, *l. 10. eod.* & in *Nouellis Conſtantini Porphyrogenneta*, τὺς ὑποϕήτας τ τραπωτῶν, τὺς μήχρι Ν'. δηναρίαν ἔχοντας, vnoquoque aureo ęſtimato ſeſtertiis mille, vt in *l. Papia*, & in *edicto prætoris de apertis tabulis*, ante quæſtionem familiæ occiſo teſtatore. atque ita in libertinis paupertatis definitio hæc eſt, Si minus quam triginta aureos habeant, in ingenuis ſi minus quam L.

CAP. XXXI.

De Nouellis Leonis Philoſophi.

NOuellarum Conſtitutionum Leonis ſophi quæ multa corrigunt ex Iuſtinianeo iure quod ſequimur, tantum abeſt vt aliqua ſit apud nos auctoritas, vt nec ætate eius vnquam obtinuerint. nam quod noſtris hodie, idem etiam ſæpe Pop. Romani principibus eueniebat, vt quæ conſtituerant iudicio populi non reciperentur, poſſim memorare multa. Sed de Conſtitutionibus Leonis ſatis habeo referre quod ita in græcis interpretibus ſcriptum legi. Νεαρὰς διατάξις ἐξέθεντο μὲν καὶ ἄλλοι πόλλοί βασιλῆς ἐξέθετο δ καὶ ὁ σοφώτατος κύριος Λέων, καὶ ἐγένοντο καὶ παρ' αὐτῦ πολλαὶ νεαραὶ, οὐκ ἐπεράτωσαν δ, εἰ μὴ μόναι αἵτινες ἐχάραξαν εἰς ἀποθέσεις τῶν ἄλλοι παλαιοτέρων νόμοι οὐ διελάμβανον, καὶ ὅσαι ἐγένοντο εἰς ἀναπλήρωσιν ἐκείνων ὧν αἱ θῖαι τῦ Ιυστινιανῦ νεαραὶ παρέλιπον, καὶ οὐκ εἶπον περὶ τύπων ἐντελῶς καὶ σαφῶς αὗται γὰρ μόναι ἀπὸ τ νεαρῶν τῦ κυρίε Λέοντος τῦ σοφῦ ἔχυσι τὸ κύρος καὶ σέρνυται. αἱ δ ἄλλαι πᾶσαι ἀνέκτησαν. Et in *pragmatica Michaëlis* ducis & iudicis Attaliotę. Ο μακαρίτης βασιλεὺς κύριος Λέων νεαρὰς μὲν ἐκτέθεικεν πολλὰς, οὐκ ἐπεράτωσαν δ, εἰ μὴ μόναι αἵτινες ἑτέρων νόμων μὴ ὑπόντων ἐχάραξαν, ἢ εἰς περιθήκλω τ παραληφθέντων ταῖς νεαραῖς τῦ Ιυστινιανῦ ἐγένοντο. Ex tot igitur Conſtitutionibus Leonis ea tantum obtinuerunt quæ his de rebus ſunt de quibus nihil eſt ante conſtitutum, veluti de epochis maritimis, *No.* 57. 102. 103. 104. περὶ ἐσχολογίας *No.* 89. περὶ ἐκπυρώσεως, *No.* 92. & de ſpatio quo domum ædificatam in agris abeſſe oportet ab aruo vicini, *No.* 71. quæ de re quod ante conſtituerat Baſilius quia non erat relatum in libros βασιλικῶν, quos ipſe Baſilio patri attribuit non ſibi, ac proinde aberrabat à corpore iuris, nec pro lege obſeruabatur, Leo ſupradicta Nouella ita ſeruari præcipit, vt ſi terrę latitudo hoc ferat inter

eam domum & adfinem agrum tantum interſit quantum duo tali iactus ſpatij conficiunt, ſin minus quantum vnus. In ea autem pro εἰς ἀποκλήρωσιν, vet. liber habet, ὡς ἀποκληρώσων, quod eſt ὡς ἀπόμοιραν, vt partem aliquam ab aruo aut vinea ſeparatam. nam & ἀποκληροῦς duobus locis dixit *No.* 5. pro partem addicere alicui & ſupponere. Idemque vetus liber in eadem *Nou.* 71. habet νόμε πρώτης & infra: ἐχέφη συμπολιτείαν, vt *No.* 78. τὸ ἐν τοῖς νόμοις συμπολιτείας. & χρὶ τῷ ἐκείνε, & γνώμην, & μεζεῖος τὸ διάστημα, vt *apud Harmenopulum*, non πολεῖος Illæ etiam Leonis Conſtitutiones obtinent, quæ ius vetus explicant, vt *No.* 77. aut ſupplent vt *No.* 5.

CAP. XXXII.

Ad eaſdem Nouellas emedationes quædam

EX eodem veteri libro didici *Nou. lxxxii.* quæ ſaluę ſi ſint ſubſcriptiones teſtium, labefactari non vult fidem teſtamenti ob id ſolum quod vetuſtate aut quo alio caſu ſigna eorum interierint, ſic eſſe legendum, Κελεύομεν κᾶν μὴ ὁ σφραγῖδος ἡ σωτηρία φθείρει τὴ διαθήκη, εἰ τῷ ἀξιοπίςῳ αἱ ὑπογραφαὶ δύναιντο φερομαρτυρεῖν, μὴ διαμβρτάνειν τὸ εἶ βεβαίαν αὐτῷ, 1. Iubemus etiamſi ſigilla teſtamenti non ſuperſint, ſi idoneam fidem ſubſcriptiones teſtamento adhibeant, ne quid ob eam rem teſtamenti fides infirmetur. Placet etiam valde quod *Nouella lxxxiv.* ſcriptum eſt, τοὺς ὑφισαμένους τὸ βίαιον οὐκ ἀπορεῖν ἀποφυγὴν διὰ τῆς πρὸς βασιλέα ἐπικούρεως, non deeſſe auxilium his quibus vis infertur, cum poſſint inuocare principem. & *No. xcix.* ἀπὸ γνώμης δολιότητι κινεμένης, vt *No. cvii.* δολιότητι γνώμης, quod eſt dolo malo, malitia mala. & *No. L.* pro τῷ ῥηθέσαν, vetus habet recte, πρηθέσαν, & *No. xl.* pro χρὶ τὰ φέροντα, rectius χρὶ τὸ φέρον τῷ χρισιανῷ πολιτεύματι. In *No.* quoque *xxxiv.* rectiſſime, πρειζόμενον ἕτερον χέρδος, & intelligit fiſcum cui ius vetus addicit bona tutoris qui vitiauit pupillam ſuam, quæ multo æquius pupillæ addicerentur ſolatij loco. & infra, ὧν περιπλίσια μᾶλλον. Item, *No. xxvii.* ſcribendum, ὅσῳ χρὴ ἐναντία συμβαίνει, & paulo poſt, ἡ γνώμης ἐκουσιότης εἰς ὑποταγὴν ἐπιφέρεται.

CAP. XXXIII.

Quæ cauſa ambigendi fuerit in ſpecie l. Aquilius, D. de donat.

IN ſpecie *l. Aquilius, D. de don.* dubitationem facit, vt opinor, quod ſcribit Scæuola *l. Lucius eod. tit.* mortuo eo qui gratuitam habitationem alij conceſſit, heredes eius habitationem prohibere poſſe. & videtur Scæuolam mouiſſe lex Cincia, quæ donationibus certum modum impoſuit, eaſque certis ex cauſis fecit inutiles, & ſtrictius vbique ſemper accepit. & inter cetera hoc ius eſt, vt donato gratiſve conceſſo vſu domus vel cœnaculi vel diætę habitandi cauſa non cogatur heres donatoris eum inquilinum ferre, niſi aliud dictum ſit, etiamſi dictum ſit vt quamdiu vellet hoſpitio vteretur, quoniam hoc ita ſtricte interpretamur. Quamdiu vellet ſe viuo vel ſe mortuo ſinente herede. & hac ratione ducti heredes donatoris in ſpecie *d. l. Aquilius*, Nicoſtrato faciebant controuerſiam habitationis, nec ſinebant eum inſequentis temporis habitatione frui. ſed refelluntur, quia diſcipulus præceptori donaſſe proponitur, & remunerationis igitur loco potius quam meræ donationis habitatio ſucceſſiſſe. Si remunerationis, & quaſi ſolutionis, *l.* 10. §. *ſi domini*, De *in rem. ver.* aut permutationis, *l. ſed & ſi lege* §. *conſuluit*, *D. de pet. her.* quæ res à mera donatione lōgiſſime diſtat. qua de cauſa recte dicitur leges de inſinuandis donationibus, vel de reuocandis & ſpecialiter, *l. ſi vnquam, C. de reu. don.* ad remunerationes non pertinere. Quamobrem tantum abeſt vt Papinianus in *d. l. Aquilius* diſſentiat à Scæuola, vt tacitè potius admittat ſcientiam quidem Scæuolæ eſſe veram in mera donatione, non in remuneratione præceptoris, quam vtique non oportet accipi reſtrictè ſicut donationem, ita vt non teneat heredem donatoris quandiu vixerit donatarius idemque præceptor, quia & ad remunerationis cauſam legis Cinciæ modus non pertinet. Licet enim præceptori donare in infinitum, quia doctrina certo modo æſtimari non poteſt.

CAP. XXXIV.

De legibus annariis vrbis aut municipiorum quædam.

REperio in vrbe Conſulatui præſcriptos fuiſſe annos XLIII. apud Ciceronem *V. Philip.* ac ſimiliter præturæ ceteriſque magiſtratibus vrbanis ſuam cuique ætatem. Latinus Pacatus in *Panegyrico Theodoſij*: *Non in ampliſſimis*, inquit, *magiſtratibus adipiſcendis, ſed in præturis quoque & ædilitatibus capeſcendis ætas ſpectata eſt petitorum, nec quiſquam annos comitiali lege præſcriptos feſtinatis honoribus occupauit.* Aliquando tamen ex indulgentia principis aut populi etiam minorem xxv. aut xx. annis legimus Conſulem factum, *l.* 1. *D. de off. Conſ. l. quidam, D. de re iud.* aut beneficio liberorum, *l.* 2. *D. de mino.* Lampridius in *Commodo. Venia legis annariæ impetrata Conſul eſt factus.* Et in *eadem Philippica* M. Tullius plures recenſet qui admodum adoleſcentes Coſſ. fuerunt. Et ætas quoque præturæ aut quæſturæ præſcripta legibus annalibus non ſemper obſeruata eſt. Capitolinus in *Marco. Gratia ætatis facta quæſtor eſt deſignatus.* Spartianus *in Iuliano. Quæſtor ante annum quam legitima ætas ſinebat deſignatus eſt.* Plinius VII. *Ep. Illum in prætura ſum conſecutus cum mihi Cæſar annum remiſſiſſet.* Sed exigebatur, vt opinor, plena pubertas ſemper. i. ætas XVIII. annorum, *d. l. quidam, l.* 19. *C. de decur.* quæ ἀκρωτάτη ἥβη dicitur ab Arriano in Indicis, & ab aliis prima lanugo. Et ita in municipiis minorem xxv. an. conſtat decurionem creari beneficio principis. nam dignitas, vt eleganter ait *l. pen.* §. 1. *de decur.* id eſt pulchritudo oris, quam proprie dignitatem appellari Agrœtius ſcribit, vt illo loco Ciceronis *pro Cœlio*, *Quis non poſſit huic ætati atque huic dignitati?* quæ quidem dignitas certa ſpes eſt eius honoris, ea nunquam facit vt ex indulgentia principis decurio fiat minor xxv. an. Nam vt Plinius ait *in Epiſt. ab optima indole non exigitur numerus annorum.* Et Valerianus apud *Vopiſcum in Probo. In eo non ſpectari ætatem qui & virtutibus fulgeat & moribus polleat.*

CAP. XXXV.

Seruitus vna, Ne quis ædes ſuas altius tollat, ne luminibus vicini officiat.

QVæ dicitur ſeruitus, Ne altius quis tollat ædes ſuas, ne luminibus vicini officiat, vna eſt ſeruitus non duæ, adeo vt qui alterū obtinuit, veluti, ne vicinus ædes altius tollat, & hoc adeptus videtur, Ne luminibus officiat, & contra qui Ne luminibus officiat, etiam illud, Ne altius tollat, *l. luminum, l. hac autem, D. de ſer. vrb. præd.* §. *prædiorum, &* §. *vlt. Inſt. eod.* qua de re in celeberrimis vrbibus ſæpe diſputatur, certe in vtraque Roma fuit frequentiſſimum his de rebus quęri, & in hoc vbique ſeruari veterem formam

ædificiorum, *l. 1. C. de ser. & aq. l. qui luminibus*, D. *eod. l.* εἰξλώνης, *C. de ædif. pr.* & ita Agathias Scholasticus Smyrnæus *hist. v.* Constantinopoli refert magnam fuisse controuersiam inter duos vicinos Anthemium mathematicum & Zenonem Rhetorem, τὸ διοπτέυειν χάειν ἐ προτέρου εἰδισμένου (quę est de prospectu instituto contra veterem morem) ἢ νεωτέρας οἰκονομίας ἕνεκα τὸ μεσαίτατον εἰς ὕψος ἀφεῖσαι ἢ τῷ φωτὶ λυμαινομένους, de seruitute altius non tollendi & non officiendi luminibus. Et similem in eadem vrbe refert Zonaras fuisse querelam mulieris cuiusdam aduersus Petronam prę-fectum vigilum vicinum suum, τὰς ἑαυτῆς διαίτας ὑφορῶντα, ἢ τῇ αὐτῆς οἰκίᾳ ἐπισκοποῦντα. & quamuis hoc tantum legibus decretum sit vt si quis contra seruitutem debitam in fraudem vicini ædificauerit, damni habita ratione, nouum opus suis sumptibus tollat, *l. si quid, l. si in ædibus, C. de ser. & aq.* tamen Theophilum imperatorem destructo ædificio etiam materiam & solum addixisse mulieri.

Cap. XXXVI.

Etiam Impuberes Ciues Romanos certis casibus habuisse olim testamenti factionem.

INuenio apud Sozomenum *lib. 1. cap. 9.* lege Constantini etiam impuberibus profitentibus cœlibatum datum ius testamenti faciendi in ipso ingressu monasterij, quod vt Leo philosophus mutauit *No. vi.* ita quod antiquæ leges permittebant pupillo vt sibi faceret testamentum si esset tribunus numerorum quasi dignitate militari supplente ætatem, & consequenter non permittebant patri in cuius potestate esset ei facere substitutionem pupillarem, id Iustinianus abrogat *l. vlt. C. de test. mil.* facilius autem tribunatus numeri vel alia dignitas militaris impuberi mandatur maxime ex illustri familia profecto, cum possit maiores natu vicarios, adiutores, consiliarios habere quam onus militiæ eidem imponitur, quanquam & id quoque Adriano displicuisse legimus. Valerianus Aug. *apud Vopiscum in Probo*: *Miraris quod ego imberbem tribunum fecerim contra constitutum Diui Adriani.* Et de eodem Adriano Spartianus. *Nullum tribunum nisi plena barba fecit, aut eius ætatis quæ prudentia & annis tribunatus robur impleret.*

Cap. XXXVII.

Ad l. in omnibus, D. de Iudic.

PApinianus *libro xi. Quæstionum* tractauit de dotibus, & inter cetera cum scripsisset idem quod Vlpianus *l. si constante* §. *quotiens*, D. *soluto mat.* soluto matrimonio ante diem soluendæ dotis in iudicio rei vxorię condemnari virum vt mulieri caueat, Sua die dotem reddi, subiicit generaliter, *Et in omnibus bonæ fidei iudiciis cum nondum dies præstandæ pecuniæ venit, si agat aliquis ad interponendam cautionem.* i. satisdationem, ex iusta causa, puta quod debitor labatur facultatibus, condemnationem fieri, *l. in omnibus*, *D. de iudic.* Quia dicit in bonæ fidei iudiciis, ergo non in strictis, nisi scilicet cum bonorum separatio fit, *l. 4. D. de separ. l. quotiens* § *si semel, D. de pecul.* Et ita plerumque vbi quid obtinere dicitur in iudiciis bonæ fidei, id existimandum est non obtinere in strictis, vt cum dicitur, In bonæ fidei contractibus ex mora vsuras deberi, In bonæ fidei iudiciis pacta facta incontinenti inesse ex parte actoris, In bonæ fidei contractibus patrem non solum de peculio conueniri & de in rem verso, sed & si quid præterea dolo malo eius captus fraudatusque actor est, In actionibus bonæ fidei haberi rationem furti ab aduersario commissi, In bonæ fidei iudiciis affectus rationem haberi. In actionibus bonæ fidei etiam maioribus officio iudicis subueniri. Excipiuntur autem actiones legatorum & fideicommissorum. Nam & si strictæ sint, tamen pleraque mutuantur ex bonæ fidei iudiciis, puta vt cautio legatorum pręstetur ante diē, quæ tamen est ex edicto prætoris, vt & quæ de hereditate interponitur ante diem non fideicommissaria tantum, *l. Impp. D. ad Trebel.* sed & directa, *l. inter, D. qui satisdare cog. l. 8. D. de præt. stip.* In bonę fidei iudiciis ex officio iudicis interponitur, *d.* §. *quotiens, l. quod si in diem, D. de pet. her.* & ita *d. l. in omnibus*, cum sit sub titulo de iudiciis, etiam accipienda est, vt officio iudicis ante diem pecuniæ debitæ cautio interponatur. Et ait, *In omnibus*, i. siue generalia sint siue specialia, *l. pro socio arbiter*, D. *pro soc.* & siue sui origine bonæ fidei sint, siue postea fiant beneficio exceptionis doli mali, vt *l. Seia*, D. *de mor. cau. don.* Qui agit ad pecuniam ante diem, repellitur ipso iure, quia & hæc exceptio, Cuius pecuniæ dies non venit, inest bonæ fidei iudiciis. Qui ad cautionem, ex iusta causa admittitur & condemnat reum.

Cap. XXXVIII.

Eorum quæ in testamento scribuntur quæ à testatore proficiscuntur, quæ ab herede.

TVtelæ non ab herede sed à testatore protinus proficiscuntur, *l. 7.* D. *de test. tut.* & huius rei argumentum præstat, quod heres ipse tutor dari potest, qui non posset dari si tutelæ datio ab herede proficisceretur, & post mortem heredis recte tutor datur, qui non daretur recte si ab herede tutela proficisceretur. & hoc dicitur in *d. l. 7.* ad discretionem legatorum & fideicommissorum & libertatum, quæ omnia ab herede proficiscuntur. Legata omnino ab herede, vt nec heredi ob eam rem à semetipso legari possit, nec post mortem heredis alij. Fideicommissa quoque heredi à semetipso relinqui non possunt, & ab herede proficiscuntur, vel ab herede heredis, vt & legata hodie ex constitutione Iustiniani libertates similiter ab herede proficiscuntur, à quo serui liberi esse iussi sunt, adeo vt nec post mortem dari possint, vt Vlpianus scribit *lib. sing. Regularum tit. 1.* videlicet, si hi quibus dantur heredes cōstituti non sint. Nam si heredes instituti sint, non à coheredibus, sed à semetipsis, id est, nullo actu, nullave persona media interueniente libertatem accipiunt, *l. 6.* §. *vlt. D. de her. inst. l. ex parte, D. de adq. her. l. 2.* §. *penult. D. de Statulib.* vel quod pene idem est, ab ipso testatore, vt *l. 1. C. de nec. her.* ait ab ipso testatore seruum liberum & heredem existere, id est, protinus & ἀμέσως etiam ante apertas tabulas, vt Stephanus docuit recte in *l. eius qui in prouincia, D. de rebus cred.* Vnde nata est regula iuris ciuilis, libertatem adimi non posse, *l. si ita scriptū* §. *Regula, D. de lib. & post.* quæ tamen falsa esse videtur, *l. 1. D. de adem. lib. l. si peculium* §. 1. *D. de man. test. l. si seruus, D. de fid. lib.* & vere falsa est, nisi coangustetur ad seruum proprium quem dominus liberū & heredem esse iussit, vt huic eodem testamento libertas adimatur inutiliter. quia à quo legari non potest, nec adimi ab eo quidquam potest. Ab herede autem ipsimet heredi legari non potest. Ergo nec ab herede ipsimet heredi adimi quidquam potest, *d. l 6. in fi.* quoniam vna atque eadem causa est & legandi & adimendi.

A

Cap. XXXIX.

Ad l. pen. D. in quib. cau. pig. vel hyp. tac. cont.

MAior est vis specialis quam generalis pignoris, & maior expressi quam taciti. quia videntur quodammodo credidori nexa magis quæ specialiter quam quæ generaliter & perfusoriè pignerata sint, quæ expressa conuentione; quam quæ tacito iure. Hinc fit, vt seruum locatori pensionis nomine expressim datum vel obligatum non possimus manumittere, B qui tamen manumittimus recte seruum eidem ob pensionem tacite obligatum vel illatione sola serui in domum conductam, *l. penult. D. in quib. cau. pig. vel hypothec. tac. cont.* videlicet vt ait lex, antequam pensionis nomine præcludamur. nam moris erat non soluente inquilino pensionem aperiri ędes & describi à publicis officiis res omnes & mancipia quæ in eas intulisset, *l. cum domini, D. loca.* ac deinde ab eisdem officiis obsignari, vt *l. si iniuria, D. de iniur. l. vlt. C. Th. de adm. tut.* ac præcludi ostium ædium claustro adhibito vel consepto, quod Græcis illo loco est, τὸ οἶκον ἀσφαλίζεσθαι, quo genere videbatur locator ipse detinere mancipia quæ incluserat, nec iam erat tacitum C pignus, sed reale & corporale & quasi manifestarium, ideoque nec à præfixis & præclusis ædibus ius erat inquilino eorum mancipiorum manumittendorum. Et derisus est, inquit Nerua iurisconsultus, qui monstrauerat seruos detentos ob pensionem per fenestram manumitti posse, puta in fenestra exhibito aut se offerente seruo & domino dicente teste populo eum se liberum esse velle. Derisus autem est non insultando (nec enim solent prudentissimi iuris auctores alij aliis insultare) sed argumentando, dum opposita ratione certa cautioni eius ceteri adsensi non sunt. quia scilicet si ea ratione quam Nerua monstrauit serui manumitti possunt quasi non plane detineantur, quibus patent fenestræ, non tantum præfigendum esset ostium ædium, sed præfigendæ etiam essent vel obstruendæ fenestræ & prospectus omnes: quod vtique dixerit D nemo. & seruus quoque specialiter pignori datus locatori & à locatore retentus in suis ædibus, à domino transeunte beneficio fenestræ manumitti posset, quod etiam dixerit nemo. & eod. sensu Seneca *xii. Epist. Quemadmodum opposita interrogatione simili derideatur attende.* Et in *l. sed an vltro* D. *de neg. gest.* cum Labeo dixisset negotiorum gestorum actionem habere eum qui vtiliter negotium gessit, etiamsi effectum negotiū non habuerit. vt si domum fulsit & combusta est, si seruum curauit & obiit, & adnotasset Proculus hāc definitionem non esse perpetuam, nec enim agere negotiorum gestorum eum qui domum fulsit, quam dominus quasi impar sumptui dereliquisset, vel quam sibi necessariam non putauit: hanc adnotationem Proculi Celsus derisit, delusit, declinauit oppositа hac E ratione, quia eum tantum dixit Labeo agere negotiorum gestorum qui negotium vtiliter gessit. Is autem quem ponit Proculus vtiliter negotium non gessit, qui non necessariā rem & quæ oneratura erat patrem familias aggressus est: atque ita adnotatio Proculi non potuit apte accommodari ad definitionem Labeonis.

Cap. XL.

Græcorum adnotatio ad extremum vērsum l. Fratres C. de inoff. test.

AD hæc vltima verba *l. Fratres, C. de inoff. testam.* Excepto seruo necessario herede instituto, quā subiiciam adnotatio Græcorum interpretum non caret mendo, & tamen cum sit petita ex intima iurisprudentia, digna est vt à nobis penitus excutiatur. Verba eius hæc sunt. Ὁ πάτερον γὰρ ἄπορος ἐστὶν ἢ ἴσια, ἐπειδὴ ἐᾶι ἐπιβέβαια τῷ ἀδελφῷ τῷ de inofficioso κινεῖν. τοῦτο γὰρ τὸ νόμιμον ἐπὶ τ ἄπορα μᾶλλον ἴσιας ὀφείλομεν δίκας, καὶ ἐπὶ παντὸς δόλα ζωῆ ἐλαθρείᾳ γραφέντος κληρονόμου. εἰ γὰρ ὡς ἐγνωμεν ἐν τῷ de testamentis οἱ ὑποκατάστατοι τῶ δόλα προτιμῶνται αὐτῶ καθ᾽ ὰ τῷ τ διαθήκης ἀκολουθίαν. πολλῷ πλέον καὶ ὁ ἀδελφὸς ζητῶν διαδέξασθαι τ εὔπορον αὐτῶ ἀδελφὸν ὀφείλῃ τῶ δόλα προτιμᾶσθαι. Et hic sensus, vbi hereditas soluendo non est, frustra permitti fratri querelam inofficiosi testamenti. & legem *Fratres*, potius accipiendam esse de hereditate quæ soluendo est, & non de omni seruo cum libertate herede scripto. nam si, inquit, vt didicimus in libro de testamentis, qui seruo substituti sunt ei præferuntur contra testamenti seriem, & multomagis frater volens succedere fratri qui soluendo est seruo præferri debet. & hic vero sensus stare non potest. Primum quia vbi fit mentio serui necessarij heredis, fere semper ponitur hereditatem non esse soluendo, vt in *lege Ælia Sentia de non manumittendis seruis in fraudem creditorum*, & *l. qui potuerunt*, D. *de man. test. l. facta* §. *vlt. D. ad Trebel.* & *l. si sine* §. *sed quod Pap. D. de minor.* Causa enim instituendi serui necessarij heredis, est inopia domini, ne post mortem creditores eius famam & existimationem incessant. Itaque videtur etiam versus ille *l. Fratres*, accipiendus de hereditate quæ soluendo non est. nam si frater præteritus in bonis testati fratris præferatur liberto heredi instituto, nisi fratrem qui eum instituit maximis beneficiis adsecutus sit. & præferri quoque eum est æquius liberto Orcino, nisi agatur de conseruanda fama & existimatione defuncti fratris. Quamobrem in ea adnotatione pro ἄπορος legendum opinor ἄπορα, vt vel initium adnotationis suadet eum locum esse accipiendum de hereditate quæ soluendo non est. Nam & vix acturus est frater, aduersus seruū heredem scriptum de hereditate quæ soluendo non est. Et vbi soluendo hereditas est, recte subiicit æquissimum esse vt quemadmodum seruo præfertur is qui ei substitutus est, ita ac vero multo magis ei frater anteponatur beneficio querelæ inofficiosi testamenti. Seruo autem præferri substitutum dixit esse relatum libro de testamentis. quibus verbis haud quaquam existimes notari *l. 57. D. de her. inst.* quæ de ea hereditate loquitur quæ soluendo non est, sed *l. vlt. C. de necess. her. inst.* quandoquidem in *Basilicorum libro de testamentis* & in ceteris omnibus libris commistæ sunt Digestorum & Codicis leges. & ex *d. l. vlt.* seruus proprius à domino purè heres scriptus & sub casuali condicione liber, deficiente condicione si hereditas soluendo sit, excluditur ab hereditate & in eius locū venit substitutus vel legitimus heres. sin autē soluendo non sit, seruus liber & heres necessarius fit. quæ distinctio etiam merito recipitur in *d. l. Fratres*, & adnotatio ea profecto doctissima.

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XVIII.

A

CAPVT PRIMVM.

Quid sit inter condicionem & diem incertum.

DIEM incertum adiicit legato, qui Titio legat cum pubes erit, vel cum inierit consulatum, quia fieri potest vt moriatur Titius ante pubertatem, vel ante indeptum consulatum, *l. si heres, D. Quando dies leg. ced.* vel qui legat hoc modo, Heres meus cum morietur Titio C. dato, quia fieri potest vt is dies non cedat viuo legatario, puta si prior legatarius moriatur, quo casu legatum extinguitur *l. 1. l. heres* §. 1. *D. de cond. & dem. l. si pecunia* §. *vlt. De leg. 2. l. vlt. in fin. C. de contrah. stipul.* Proinde legatum B huiusmodi quasi condicionale est, & hoc est quod dicitur, Diem incertum facere condicionem. quamobrem ad ea legata quibus dies incertus adiicitur, regula Catoniana non pertinet, *l. cetera* §. *1. de leg. 1.* & eorum dies non cedit à morte testatoris, sed cum extiterit condicio vel dies, *l. vnica* §. *sin autem, C. de cad. toll.* Denique si legatarius ante decesserit, ad heredem suum legatum non transmittit *d. l. 1. l. 4. D. quand. dies leg. ced.* nec interim id alij delegari. i. cedi potest, *l. legata sub condicione, D. de cond. & demonst.* quia nondum debetur, & legatarius condicionalis creditor non est, *l. is cui, De oblig. & act.* Et ita malo accipere delegari in *d. l. legata; vt l. 1. C. de cont. ind. l. 11. C. de don. l. quod debetur, D. de pec.* quam vt Græci μεταφέρεσθαι. C Ergo diem incertum, cum effectu ipso condicio sit, etiam non male condicionem appellaueris, vt *l. 1.* §. *vlt. D. vt leg. nom. cau. l si dies* §. *1. D. quand. dies leg. ced.* in illo loco, tẽpus condiciove. nam & è contrario condicio appellatur dies incertus, *l. talis, De leg. 1.* Sed hoc interest quod omnis condicio est dies incertus omnis dies incertus non est condicio. Si possit non cedere, vt cum relictũ proponitur legatũ. Cum morietur heres, conditio est. quia non cedere potest viuo herede legatario mortuo. Si non possit non cedere, condicio non est, vt si cum morietur Titius ei legauero, purum est legatum: quia fieri non potest vt non moriatur Titius. Ne dicas, quia & si prior heres moriatur, heredis heres Titij heredi tenetur, *l. 4. Quan. dies leg. ced. l. heres, De cond. & dem.* quia & idem est in legato condicionali, *l. legato sub condicione, D. eodem.* Et ita si eum moriar promisero, dies incertus est, non condicio, & quod interim soluitur repeti non potest, quod tamen repeteretur si condicio esset, *l. sub condicione & l. seq. D. de cond. indeb.* Et recte *l. dies, D. de cond. & demon.* diem incertum condicionem facere in testamento. Nec enim idem est in stipulatione, vt constat & inter legata condicionalia & stipulationes condicionales innumeras differentias esse. Nec item testamento quoque ita est, nisi dies legati possit non cedere. In *d. l. sub condicione*, videtur legendum, die pendente.

CAP. II.

De pacto ita concepto, Profiteor te non teneri.

PActum quo debitum remittitur, vel in rem concipitur vel in personam. In rem si generaliter paciscatur debitor, ne petatur. In personam si specialiter ne à se petatur, & vt hac in re sibi præcipue prospiciat atque consulat, *l. iurisgentium* §. *pactorum, D. de pact.* Pactum in rem heredi debitoris prodest, non pactum in personam. Item pactum in rem emptori prodest, non pactum in personam, secundum Proculi sententiam. Sic malim in *l si tibi* §. *pactum, D eodem.* Nam secundum Sabini sententiam pactum in personam prodest emptori vel donatario. Et in *l. tale pactum, D. eodem.* Pactum in rem ideo generale pactum dicitur quod non paciscentes tantum teneat, sed etiam successores eorum. Nec personis paciscentium coarctetur, si ita conceptum sit, Profiteor te non teneri. Non dicit, Profiteor me nihil à te petiturum, quibus verbis non abrogat obligationem, sed Profiteor te non teneri, quibus plane verbis abrogat obligationem ipsam, & in rem igitur sermonem dirigit non in personam. Denique hęc verba, Profiteor te non teneri, vim pacti generalis habent. plus est profiteri quam confiteri. Cicero *pro M. Tullio* (sic est legendum apud Nonium.) Hic ego non solum confiteor, verum etiam profiteor. & pro Cæcinna. Ita confitetur vt non solum fateri, sed & profiteri videatur. Hæc tamen verba, Profiteor te mihi pecuniam soluisse, neque vim C pacti habent, neque liberationis aliter quam si pecunia soluta sit, *l. si accepto latum* §. *1. D. de accept.* Fit his verbis apocha, L. Titius profiteor P. Mæuium mihi soluisse X. quæ debuit ex testamento G. Seij, Lutetiæ Parisiorum anno & die illo. quæ & professio solutæ pecuniæ dicitur *l. 14. C de solut.* Apocha autem non liberat debitorem, sed solutio, quę si nulla interuenerit, apocha nullius momenti est, si modo intra XXX. diem fuerit posita querela siue exceptio non solutæ pecuniæ.

CAP. III:

Differentiæ inter vsuras & fructus.

NOn est per omnia verum quod ait *l. vsuræ D. de vsur.* vsuras vicem fructuum obtinere, & merito à fructibus non separari, quæ sententia proprie pertinet ad S. C. de petitione hereditatis. nam in tribus potissimum inter se plurimum distant. Malę fidei possessor tenetur de fructibus percipiendis, non de vsuris, *l. si nauis*, D. *de rei vindic. l item veniunt* §. *Pap. D. de petit. hered.* Item nouatio obligationis non extinguit fructuum persecutionem qui ante vel post nouationem percepti sunt. extinguit tamen vsurarum petitionem *l. 4. D. de vsuris.* quia à tempore nouationis voluntariæ vsurę non currunt. Voluntariæ, inquam?

niam lite conteſtata vſuræ currunt. quam differentiam inter nouationem voluntariam & litis conteſtationem patefaciunt, ſi coniungantur quæ ex eodē libro ſumptæ ſunt *l.* 18. *D. de nouat. & l. lite, D. de vſur.* Itaque quod ait *l.* 4. §. *vlt.* quod non transfertur in cauſam nouationis iure priſtino peti poſſe, vt *l.* 3. §. 1. *D. de act. emp.* non eſt perpetuum, vt Græci dicuntillo loco, non ἀῤῥαγῆ μηδὲ ἀπάλδτον. nec enim locum habet in vſuris aut pœnis, aut hypothecis, quæ etiamſi in nouationem nō venerint nouatione perimuntur, *l.* 15. 18. *l. aliam, D. de nouat.* niſi aliud cautum ſit poſteriori obligatione, *l.* 1. *C. etiam ob chirog. pec.* ſed ei regulæ tantum locus eſt in fructibus & partubus & adquiſitionibus ſeruorum. At præterea in iudiciis bonę fidei vſuræ veniunt ex mora, fructus etiam ante moram *l. videamus* §. *pen. D. de vſur.* Et malæ fidei poſſeſſor fructus perceptos ante motam controuerſiam omnes reſtituit, vſuras poſt motam controuerſiam demum ex *l.* 1. *C de his quib. vt indig.* quod quoniam idem obtinet in bonæ fidei poſſeſſore, mira quadam ratione Vlpianus adſtringit in *l. item veniunt* §. *ceterum, De petit. hered.* vt diſcordiam diſſipet quę eſt inter illam legem & S. C. Adrianum *De petit. hered.* Nam legem illam vult tantum locum habere in rebus hereditariis quæ magis onerant, quam augent hereditatem, puta ſterilibus aut tempore perituris, quas expediebat vendi, & quas niſi venderet imputaretur ei. Vnde reſtat hæc tantum in ea re differentia inter bonæ fidei & malæ fidei poſſeſſorem, quod ille ſi res hereditarias diſtraxerit poſt motam controuerſiam, non aliter in petitionem hereditatis ipſæ res veniant & fructus earum vel quanti in litem iuratum fuerit, *d. l. item* §. *vlt.* quod plerumque eſt immenſum & iniquum pretium, niſi fuerint res ſteriles aut tempore perituræ, quia res illæ non veniunt in petitionem hereditatis aut fructus earum, ſed vel æſtimatio earum vera, vel quod ex venditione redactum eſt pretium cum vſuris provt actor elegerit, *d. l. item* §. *quid ſi poſt.* Malæ autem fidei poſſeſſor ſiue ante, ſiue poſt motam controuerſiam bonorum res diſtraxerit, res ipſæ veniunt & fructus vel quanti in litem iuratum fuerit, niſi fuerint res parui emolumenti, non neceſſariæ vel quę ſeruari non poſſunt, quæ tempore ſunt perituræ, *l. niſi* §. *Iulianus D. eod.* eę namque res & fructus earum non veniunt in petitionem hereditatis, ſed ſi fuerint diſtractæ ante motam controuerſiam, venit earum æſtimatio verā, ſi poſt motam controuerſiā, vel æſtimatio vera, vel pretia quanti venierunt cum vſuris, actoris arbitrio, *d.* §. *ceterum.* Nec alias vero agnoſco eſſe differentias inter vſuras & fructus.

Cap. IV.

Cur legatum cum ſeruo proprio relictum ſub appellatione liberti non valet, & inſtitutio tamen valet.

EX reſcripto Antonini ad Aufidium Victorinum ſeruus proprius qui heres ſcribitur ſine libertate ſub nuncupatione liberti hoc modo, Stichus libertus meus heres eſto, benigna interpretatione pro eo habetur atque ſi cum libertate heres ſcriptus eſſet, & valet inſtitutio, & legatum tamen non valet quod ei relinquitur ſub eadem nuncupatione, *l.* 2. *C. de neceſſ. hered. inſtit.* Cur benigna illa interpretatio admittitur in heredis inſtitutione potius quam in legato? aut cur ſeruo proprio ipſo iure cum neque hereditas, neque legatum dari poſſit non adſcripta libertate, & libertum nuncupare non ſit adſcribere libertatem, ſub ea appellatione hereditatem recte datam interpretamur potius quam legatum? An quia hereditates plenore honore tribuuntur, *l. filium* §. *ſed & ſi portio, D. de leg. præſt.* adeo vt ſi qua fiat in legato benigna interpretatio, & multo magis fiat in hereditate, non continuo etiam fiat in legato. Nam & ita licet ex ſola ſcriptura inſtitutionis vel ſubſtitutionis ſerui proprij hodie ſeruo competat libertas, non tamen competit ex legato ei relicto ſine libertate, *l. pen. C. de neceſſ. hered. inſtit.*

Cap. V.

Seruo proprio tutori dato filio impuberi ſine libertate, directa an fideicommiſſaria libertas competat aut debeatur.

IVſtinianus in *l. pen. C. de neceſſ. ſer. inſtit.* dum ita argumentatur, Si per præſumptionem adſumitur libertas in perſona ſerui qui tutor datus eſt ſine libertate, vt *l. ſi hereditas* §. *vlt. D. de teſt. tut. l. etſi non adſcripta, C. de fid. lib.* & adſumenda igitur eſt in perſona ſerui qui heres ſcriptus eſt ſine libertate, non bene argumentari videtur. maior enim eſt ratio adſumendę libertatis in tutore quam in herede. Nam in tutore duplex eſt fauor, libertatis & pupilli, *d. l. & ſi non adſcripta.* in herede vnus tantum libertatis fauor. ac præterea in perſona tutoris fideicommiſſaria tantum libertas adſumitur, *d. l. & ſi non adſcripta*, quod & *l. generaliter* §. *ſi quis tutorem*, D. *eod.* ſignificat. In perſona heredis ſcripti Iuſtinianus adſumit directam. ſunt igitur caſus diſſimiles. quamobrem vt hanc diſſimilitudinem contereret & augeret quam ipſe ſtatuit ſimilitudinem aut minimum ea vt clauderet, efficeret, adſumit Iuſtin. etiam in perſona tutoris directam libertatem §. 1. *Inſt. qui teſt. tut. da. poſ.* vt plane ſit liberum, vt opinor, ſeruo vel ex *l. & ſi non adſcripta*, ſibi adſerere fideicommiſſariam libertatem, vel ex *d.* §. 1. *directam, arg. l. ſi quis ſeruo.* D. *de manum. teſt.* quod & Thalelæus ſcripſiſſe videtur in *d. l. & ſi non adſcripta*, dum ait eum qui adſumit fideicommiſſariam libertatem non abrogare directam, & vtramque ſibi ſeruum adſerere poſſe. Incommodum quod attulit Theophilus in *d.* §. 1. S. C. Daſumianum tollit, ex quo pupillus interim vice abſentis habetur, vt libertas ſeruo competat ac ſi ex cauſa fideicommiſſi manumiſſus eſſet.

Cap. VI.

An heres adire hereditatem poſſit antequam vltus ſit necem defuncti.

VErum eſt quod Azo ſcribit, heredem poſſe adire hereditatem, aut miſcere ſe hereditati, aut bonorum poſſeſſionem petere, & aperire, recitare, deſcribere tabulas teſtamenti antequam vlciſcatur necem defuncti: nam in *l. eius* §. *vlt.* D. *de iure fiſ.* is demum incidit in crimen inultæ mortis defuncti qui poſt aditam hereditatem eam non vlciſcitur. ergo adiri poteſt ſine periculo, quod etiam probat *l. eum qui* §. *bonis*, D. *de his quæ vt ind g.* & tamen *l.* 6. *C. de his quib. vt indig.* ſignificat maiorem XX. an. non poſſe adire hereditatem niſi & reo cędis poſtulato rem perduxerit ad ſententiam vnam atque alteram interpoſita appellatione à priori ſententia. & ex contrario *l.* 9. *eod. tit.* dum occiſo eo à quo hereditas proficiſcitur veneno aut vi carminis, heredem ait poſſe adire hereditatem antequam mortem exequatur atque vindicet, ſatis oſtendit, occiſo illo vi aperta aliud eſſe dicendum. quæ diſtinctio valet quidem in S. C. Silan. *l.* 1. §. *quid ergo, l. neceſſarios* §. *vlt. l. propter*, D. *de S. C. Silan.* cum paterf. à familia necatus eſſe dicitur per vim & cædem, ſcili-

cet vt tum non liceat adire antequam de ſeruis qui ſub eodem tecto inve eodem loco fuerit habita quęſtio & de noxiis ſit ſumptum vltimum ſupplicium, & adeuntem delinquere & accuſari poſſe vt indignum & ingratum. Hoc ideo ne ſeruis teſtamento manumiſſis competat libertas ſtatim adita hereditate ante quæſtionem familiæ, & neceſſe ſit de liberis hominibus neglecta eorum libertate, quam melius eſſet non negligi, non labefactari, nõ lędi, haberi quęſtionem ſumique ſupplicium ta quam de ſeruis. quę ratio ceſſat defuncto clandeſtinis inſidiis, veluti veneno occiſo, quia hoc caſu nec quæſtio de ſeruis haberi, neque in eos pœna conſumi vlla poteſt. At eadem diſtinctio non habet locum vbi quis non à familia occiſus eſſe dicitur, ſed ſiue per inſidias, ſiue per vim occiſus ſit, liberum eſt heredi ſtatim adire, & erit aditio cum effectu ſi poſtea defuncti mortem vlciſcatur. alioquin ſine effectu conſtituetur, à fiſco erepta hereditate. Itaque exiſtimo *d. l. 6. & 9.* pertinere ad S. C. Silanianum.

Cap. VII.

Codicillis ſcripta verbis directis non aliter valere quam ſi ſpecialiter teſtamento confirmati ſint.

SI codicilli teſtamento confirmati ſint, excepta hereditate, cetera omnia quæ in eis verbis ciuilibus ſcripta ſunt, legata, tutelæ, libertates directę, valent, & nihil refert confirmati ſint teſtamento antequam fierent, an poſtquam facti ſunt, *l. 6. C. de codicil.* ſed ſiue vetuſtiores ſint teſtamento ſiue poſteriores, vtique ſemper ſpeciali confirmatione opus eſt, vt quæ in eis directo ſcripta ſunt obtineant, *l. ante tab. D. de in. cod. l. 22 §. qui codicillos, D. ad leg. Cor. de fal.* Nec moueor reſcripto Seueri & Antonini relato in §. *non tantum Inſt. de codicillis*, cuius ſententiam attingit etiam *d. l. ante tab.* quia ex codicillis qui teſtamentum præceſſerunt, ſi quocunque indicio appareat defunctum à voluntate in codicillis expreſſa non receſſiſſe, licet non ſint ſpecialiter confirmati, non dicit legata deberi aut libertates directas cõpetere, aut tutelas deferri, quas conſtat verbis tantum directis deferri *l. 1. D. de conf. tut.* Sed fideicommiſſa duntaxat, quę conſtat ſola deberi ex codicillis teſtamento non confirmatis, vel ab inteſtato confectis.

Cap. VIII.

Edictum de quo agitur in l. quæſitum, D. de adq. hered.

EDictum, *Si omiſſa cauſa teſtamenti*, ſi verba ſpectas, pertinet tantum ad eum heredem qui omittit teſtamẽtum, & ab inteſtato, aut veluti ab inteſtato poſſidet hereditatem. Sed ex ſententia Edicti quam conſtitutiones & auctoritates Iuriſconſultorum explicarunt, pertinet etiam ad eum qui omittit hereditatem teſtamento delatam, etiamſi non poſſideat ipſe, ſed alius, veluti ſubſtitutus aut legitimus heres, & ad ſubſtitutum quoque vel legitimum heredem, licet non omiſerit teſtamentum, & ſubſtitutus vero teſtamentum amplectatur, videlicet cum id actum eſt dolo malo inter inſtitutum & ſubſtitutum vel legitimum heredem in fraudem legatariorum, vt heres inſtitut⁹ teſtamentum omitteret & deſtitueret. nam vterque tenetur, hoc ordine, vt ſi inſtitutus pecunia accepta teſtamentum omiſerit, ipſe prior conueniatur, & poſt eum ſubſtitutus vel legitimus qui cum eo fraudem participauit, ſi gratis, prior ſubſtitutus vel legitimus, & poſt eum qui omiſit teſtamentum *l. 2. & 10. l. mater §. vlt. D. ſi quis omiſ. cau. teſt. l. 1. C. eod.* Ex ſententia etiam Edicti tenetur dominus vel pater heres inſtitutus cui ſeruus vel filius ſubſtitutus eſt, ſi omittat inſtitutionem, & ſeruum vel filium iubeat adire ex ſubſtitutione dolo malo ne legata à ſe relicta præſtet, licet verum ſit & hunc non omnino omiſiſſe teſtamentum vel inſtitutionem qui venit ex ſubſtitutione vulgari, quæ & ipſa inſtitutio eſt, *l. cui ſeruus, & l. ſeq. D. eod.* His conſequenter dico etiam heredem extraneum inſtitutum ex aſſe & ſubſtitutum filio teſtatoris impuberi exheredato ſi omittat inſtitutionem, & amplectatur ſubſtitutionem pupillarem, ex ſententia edicti eiuſdem petitione legatorum, ab inſtitutic ne relictorum teneri, licet verum ſit & hunc non omnino teſtamentum omiſiſſe: nam patris & filij teſtamentum pro vno habetur. quamobrem in *l. quæſitum, D. de adquir. hered.* hæc verba, Incidere in edictum, ſic merito interpretari debes, Incidere in ſententiam edicti, Si quis omiſſa cauſa teſtamenti, ex auctoritate Iuliani conditoris edicti perpetui. Eſt ea lex de extraneo herede, & quæ ſequitur de filio. atque ita inter eos concilianda eſt gratia. Et quod *l. quæſitum* loquatur de creditoribus paternis non de legatariis, nihil hanc ſententiam offendit, cum per conſequentias & creditoribus paternis teneatur qui legatariis tenetur quibus poſt creditores demum præſtari legata iuris eſt.

Cap. IX.

Emendata quædam libro ſexto Codicis.

IN *l. 3. C. de ſer. fug.* ſcribendum eſt, ad Barbaricum, vt in Baſilicis, & in *l. 1. C. qua res exp. In l. 3. C. de poſt. hered. inſt.* veteres animi, & *l. 23. C. de legat.* animos veteres, vt *l. 9. C. qui teſt. facere poſſ.* antiquos animos. In *l. 3. C. de Edict. D. Adr. tol.* vetus ſcriptura hæc eſt, Sub occaſione hereditatium. In *l. 7. C. de codicil.* ſcribendum opinor, daretur, non mandaretur qui in authentico *Regularum Vlpiani tit. XXII.* legi ſeruis hereditariis cibaria dat, non mandat. In *l. 9. C. de legat.* formula cautionis ita reſtituenda eſt, Si euicta fuerit hereditas, ea reſtituiri. de qua ſola agitur in ea lege, cuius ſententia hæc, non quod interdum illa cautio præſtetur nulla mota controuerſia hereditatis, vt *l. 3. §. ſi legatarius, l. 4. in pr. D. Si cui plus quam per leg. Fal. l. Iulianus §. Marcellus, D. ad exhiben.* ideo minus, imo vero magis mota controuerſia & perlata accuſatione falſi teſtamenti eſſe præſtandam. In *l. 19. eod. tit.* priſcus ſermo quem retinuit Haloander, Non tantum duum menſum, vt *l. 2. C. Th. de decur.* facit vt præſumam hoc ex lege priſca, forte Iulia & Papia, fuiſſe ante eam conſtitutionem, ne aliter ius haberent capiendi ſolidi noui nupti inter ſe qui infra ætatem eſſent habendi liberos lege definitam, quam ſi vel duum menſum ſpatio vna fuiſſent, noui caloris coërcendi cauſa, quo æſtuantes facile ſua omnia nouo coniugi elargirentur. In *l. 13. C. de fideic.* vetuſtior ſcriptura hæc eſt. *Quotiens principe loco* : vt illo verſu,

Lubrica per vacuum poſui veſtigia princeps.

Et *l.* 18. lego immutilatam, non immutatam. Et *l. vlt. rectius*, Ne quid falſitatis incurrat per duos forte teſtes compoſitum, obliterato verbo, teſtamentum. vt hic ſit ſenſus, ne quid falſi teſtes fabricent & commiſcantur, quod facilius ex compoſito facturi ſunt duo teſtes quam plures, ideo plures teſtes deſiderari in fideicommiſſis, puta quinque, vt plures rem communiant, vt loquitur *l. quidam §. vlt. D. de fur.* vt efficiant voluntatem *l. dictantibus, C. de teſtam.* In *l. 3. C. ad S. C. Treb.* alij habent reſtitutio, alij Inſtitutio. Scribas retentio. Græci non placent qui ponunt quæ ex fideicommiſſum à legitimo relictum Reip. & eius

quartæ reſtitutionem actoribus Reipub. competere, quia lex ſubiicit & fructus eius quos conſtat in reſtitutionem non venire, *l. in fid. D. eod.* ac pręterea notum eſt vbi fit mentio quartæ & fructus, quartæ ſemper Falcidiam exaudiendam eſſe, vt *l. mulier §. ſi heres, l. 15. §. fructus, D. eod.* In fine *l. 5. eod.* ſcribas, nil obtinere poſſe præſtiterit. & obtinere accipias pro retinere, vt *l. cum fratrem, C. de his quib. vt ind. l. 1. C. de his quæ ſub mo.* Et *l. 2. in fi. C. de bon. mat.* legas, qui ex patre ſunt coheredes .i. fratres conſortes vt in omnibus manuſcriptis, vt in *Cod. Th.* vt in Baſilicis, ἀπὸ τῆς πατρός. nam extraneis coheredibus certiſſimum eſt filios defuncti propria non conferre.

Cap. X.

Cauſæ ex quibus retentionem non petitionem habemus.

QVædam ſunt cauſæ ex quibus retentionem habemus non petitionem, veluti ex iniuſta ſententia ſi poſſeſſor vincat, *l. 3. §. vlt. D. de pignor.* vel ex iureiurando ſi poſſeſſor iurauerit rem petitoris non eſſe, *l. & non tantum §. veniunt, D. de petit. hered. l ſi rem §. 1. D. de euict* Is etiam qui in alieno ſolo ædificauit ſumptuum habet retentionem non petitionem, *l Paulus, D. de do. excep. l. 14. D. com. diuid.* & ſimiliter Falcidiæ olim fuit retentio non petitio, & conſtat debiti naturalis retentionem eſſe non petitionem. & diuortio facto ſextas propter liberos in retentione non in petitione eſſe vt Vlpianus ſcribit *lib. Regularum tit. de dotibus.* Et pignorum ſæpe retentionem eſſe non perſecutionem, *l. vnica, C. etiam ob chir. pec. l. 1. D. quib. mod. pig. ſol. l. 1. D. de pign.* Et legata quoque incertis perſonis relicta in retentione eſſe non in petitione, *§. incertis autem perſonis, Inſt. de legat.* Et de his cauſis eſt regula iuris hæc quæ proponitur in *l. ex quibus, D. de cond. ind.* Ex quibus cauſis retentionem quidem habemus, petitionem autem non habemus, ea ſi ſoluerimus, repetere non poſſumus. cuius prima fronte hic videtur eſſe ſenſus, vt nobis debita quæ retinere poſſumus non petere, ſi per errorem ſoluerimus repetere non poſſimus, vt *l. ſi in area, D. eod.* quo ſenſu, ſi ſoluerimus .i. ſi non retinuerimus, quæ eſt valde impropria verbi ſoluere ſignificatio. nec enim ſoluimus quod nobis debetur, ſed quod nos debemus, niſi ſoluere, ſic accipias, ſoluere rem quæ petitur & reſtituere ſine vlla deductione, vt *l. inter §. 1. D. de pact. dotal.* quod eſt verius. Tentari tamen non inepte poſſet hoc regulam velle, vt nobis debita quæ retinere poſſumus non petere, ſi nobis ſoluantur per errorem, ab eo qui ſoluit, repeti non poſſint, & ita explanari poſſe. Ex quibus cauſis retentionem habemus, petitionem non habemus, videlicet cum ex eis cauſis alij nobis debent, ea ſi nos ex ijſdem cauſis aliis debeamus & ſoluerimus, repetere non poſſimus, vt ſi heredes ſcripti per errorem ſoluamus legata relicta incertis perſonis, quorum olim petitio non fuit, ea repetere non poſſumus.

Cap. XI.

In S. C. Trebelliano correcta verba quædam.

IN his verbis S. C. Trebelliani: Cum eſſet æquiſſimum, in omnibus fideicommiſſariis æquiſſimum hoc eſt, ſed etiam in directis, & in his quæ aliis ceduntur in iure, vt onera ſubeant hi in quos ius fructuſque transfertur. Cedi in iure poterat hereditas, vt Vlpianus docet *lib. Reg. tit. de dominiis* & Seruius *III. Æn.* in illum locum,

Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.

Ceſſiſſe, inquit, de iure eſt. Cedi enim hereditas dicitur. At quæ ceditur poſt aditionem, inutiliter cedi videtur, quia non poteſt ceſſio efficere, vt qui ſemel aditione factus eſt heres, deſinat heres eſſe, & alius heres fiat. denique fructum quidem hereditatis in alium transferre poteſt, ſed non etiam ius heredis. ideoque nec onera creditorũ in eum cui ceſſa eſt transferuntur, niſi interpoſitis ſtipulationibus, ſed creditoribus reſpondere debet qui adiuit hereditatem, non minus ſi ceſſerit, quam ſi vendiderit. debitores autem hereditarij liberantur, quia nec exigi ab eo cui ceſſa eſt hereditas poſſunt, cum heres non ſit, nec ab eo qui ceſſit cum bonis ceſſerit hereditariis, in quibus & nomina ſunt, quo facto & ſi aliis nocere non poſſit, puta creditoribus hereditariis, cum quibus adeundo contraxiſſe intelligitur, ſibi tamen nocet, ne cum debitoribus experiatur. & hoc ita Vlpianus ſcribit ſupradicto loco. & addit, tunc recte cedi hereditatem in iure, cum ab herede legitimo ceditur antequam adierit. nec enim ipſo iure, vt ſuus heres exiſtit, ſed neceſſe eſt vt adeat ſi velit adquirere hereditatem. Quia tamen lex eum facit heredem, vt & de tutore legitimo dicitur *l. legitimos. D. de leg. tut.* ideo recte cedit hereditatem nõ aditam, & is cui ceſſit perinde heres fit atque ſi ipſe eſſet legitimus heres, & hereditatis ad eum redeunt commoda & incommoda omnia, quia & ius heredis ad eum tranſit, quod ex XII. tab. eſſe opinor. & in eodem S. C. Trebelliano, pro ex his, lego, ex XII. tabulis, vt in libris Ciceronis de legibus memini me emendare, ex XII. tab. tres arbitri fines regeremus. & alibi, veteribus XII. tab. quibus locis antea legebatur, his. vel ex his & ita in *l. 2. D. de orig. iu.* lego, Omnium tamen XII. tab. & interpretandi ſcientiæ, &c. pro, Omnium tamen harum.

Cap. XII.

Species, ſententia & ratio l. 4. C. ad S. C. Trebell. & l. 2. §. vlt. D. de ſuis & leg. her.

NEſciunt interpretes cur in *l. 2. §. vlt. De ſuis & leg. her.* contra ius commune quo cautum eſt fideicommiſſum ab herede teſtamentario relictum non videri repetitum à legitimo herede niſi nominatim ab eo repetitum aut ſimpliciter, id eſt generaliter relictum ſit, Bona mea poſt mortem heredis inſtituti ad illum pertinere volo, vt *l. eam quam, C. de fideic.* aut in teſtamento adſcripta ſit clauſula codicillaris, tamen dicatur herede ſcripto repudiante qui fideicommiſſo oneratus eſt, hereditatem tranſire ad legitimum heredem cum onere fideicommiſſi, licet repetitio nulla fideicommiſſi fuerit, ſicut nec vllam fuiſſe vel intelligi in eodem paragrapho penitus. Et puto hac in re eandem eſſe cauſam coheredis & heredis legitimi. Sed prius agam de coherede, poſt de herede legitimo. De coherede eſt *l. 4. C. ad S. C. Treb.* cuius ſpecies & ſententia hæc eſt. Quidam auiam & fratrem ex partibus heredes ſcripſit, & auiam rogauit vt portionem ſuam extraneo puta Quintianæ reſtitueret. Auia repudiauit hereditatem calliditate & fallacia, vt ait, id eſt in fraudem fideicommiſſarij, vt nepoti ſuo eidemque coheredi à quo nominatim extraneo fideicommiſſum relictum non erat, potius adcreſceret portio inſtitutionis ſuę repudiata hereditate, quam adita hereditate ad extraneum perueniret ex cauſa fideicommiſſi. Poſt repudiationem, vt fieri poteſt ex reſcripto D. Pij *l. nam quod §. 1. D. ad Treb. d. l. 2. §. vlt.* poſtulanto extraneo auiam prætor coëgit adire, & adiuit igitur re ipſa, ſed priuſquam pro herede gereret (aditionem omnem ſequitur pro herede geſtio) id eſt prius attingeret

attingeret res & negotia hereditaria, & hereditatem fideicommissario restitueret ex S. C. Trebelliano, mortem obiit. Quæritur an interciderit fideicommissum, quod prima facie videbatur, quia neque id coheres debet à quo nominatim relictum non est, neque heres auiæ, quia ad eum portio illa hereditatis non peruenit quæ statim à repudiatione adcreuerat coheredi. Sed placet magis coheredi eam adcreuisse cum onere fideicommissi, quia post rescriptum Seueri & Antonini quo ab instituto si heres non existat ad substitutum hereditas transit cum onere fideicommissi, quasi tacite repetito fideicommissi à substituto, & coheredi exemplo substituti repudiata portio à coherede adcrescit cum onere fideicommissi, *l. si Titio & Mæuio* §. *vlt. De leg. 2.* & quidem sine deductione Falcidiæ in hac specie, quia auia cuius portio ei adcreuit coacta adiuit, & placet coactum adire atque adeo adeuntem periculo fideicommissarij, amittere Falcidiam ex S. C. *l. 4. l. qui totam, D. ad Trebel.* vt quo modo onus fideicommissi subiisset auia, eodem subeat & coheres qui eius portionem sibi adserit iure adcrescendi, quam vtique eo iure sibi adserere potest ex priore repudiatione, coacta aditione extorta propter fideicommissarium tantum. & hæc est sententia *d. l. 4.* Verum aliter quam ponatur in ea lege si post repudiationem antequam auia cogeretur adire vita decesserit, ex eodem Seueri rescripto dicemus coheredi adcreuisse portionem hereditatis cum onere fideicommissi, salua tamen Falcidia. & ita in specie *d. l. 2.* §. *vlt.* legitimum heredem vocari post repudiationem heredis scripti factam in fraudem fideicommissarij, cum onere fideicommissi, salua Falcidia, quia post repudiationem in ea non proponitur heredem fuisse coactum adire, sed quia potuit cogi quamdiu vixit nec ante certum fuit patremfamil. intestatum decessisse quam is heres vita functus est, ideo non vocari ad legitimam hereditatem patrisfam. eum qui ei proximior fuit agnatus tempore mortis suæ vel tempore repudiationis, sed qui proximior fuit tempore mortis heredis scripti, id est vlteriorem siue posteriorem illo qui fuit proximior tempore mortis testatoris vel tempore repudiationis. Et ita multum interesse dico, repudiauerit heres scriptus hereditatem in fraudem fideicommissarij, & gratiam heredis legitimi vel coheredis, an antequam adiret vel repudiaret vita decesserit. hoc casu legitimum heredem vel coheredem vocari sine onere fideicommissi, vt *l. tutores* §. *heres*, D. *de adm. tut.* Coheredem, inquam, aliter quam substitutum, qui quocumque casu deficiente herede instituto vocatur ad hereditatem cum onere fideicommissi, nec rescriptum Seueri quod de substituto tantum loquitur, ad coheredem porrigitur nisi in casu repudiationis, quo & coheres & legitimus heres, cuius bono cessit quæ per repudiationem fideicommissario structa fraus est, forte, vt fit, pretio repudiationis heredi dato, merito vocatur ad hereditatem cum onere fideicommissi. nec alia est ratio *d. l. 2.* §. *vlt.* non alia scilicet legitimi heredis quam coheredis in *d. l. 4.* quæ omnia summe notanda sunt.

A B C D E

tempore testamenti, & hæc est definitio *l. 3. D. de his quæ pro non scrip. hab.* quæ tamen non est porrigenda vltra casus in ea lege comprehensos; si seruo alieno qui legauit deinde eius dominium adquisierit, vel si quis ciuis Romano legauerit, & is post testamentum peregrinus factus sit, aut seruus pœnæ viuo testatore; id est si deportatus, aut in metallum datus sit: nam si post mortem testatoris hoc contingat ante apertas tabulas, per legem Papiam caducum fit legatum, licet in eam causam peruenerit à qua incipere non poterat, & delatori locus est etiam si palam relictum sit, *l. 13.* §. 1. *D. de iu. fisc.* quod tamen iure antiquo secundum illam definitionem pro non scripto habebatur. & ita quoque per legem Papiam in causa caduci fit legatum quod deficit morte naturali legatarij vel defectu condicionis, licet in eam causam peruenerit à qua incipere non poterat, quod iure antiquo fuit pro non scripto, & eadem ratione fuit etiam semper pro non scripto si legatarius viuo testatore in peregrinitatem aut seruitutem pœnæ redactus fuisset, *d. l. 3. l. 12. D. de iu. fisc.* Dico seruitutem pœnæ, cruciatus, fodinæ: nam seruitus fisci aut Cæsaris aut priuati quæ legatario contingit non mutat ius legati si cum domino sit testamenti factio, sed per eum nouo domino legatum adquiritur. Seruus pœnæ non habet dominum ex cuius persona cum eo possit esse testamenti factio, adeo vt nec ei per fideicommissum libertas relinquatur recte, *l. generaliter* §. *si seruus in metallum, D. de fid. lib.* & obseruandum vtique est longum interuallum esse interiectum inter peregrinitatem & seruitutem & mortem naturalem, & seruitutum quoque genera. Nam si ante apertas tabulas legatarius moriatur, vel peregrinus fiat, lege Papia purum legatum caducum fit, condicionale caducum non fit si peregrinus factus sit antequam condicio existeret, quia ciuitatem Romanam recipere potest nondum defecta condicione, *l. intercidit, D. de cond. & dem.* atque ita odio caducorum peregrinitas non comparatur morti, quod & contingit in casu *l. ex facto* §. *si quis rogatus, D. ad Treb. & l. sed si mors, D. de don. inter vir. & vx.* nec mirum, cum nec seruitus quælibet morti comparetur, non seruitus fisci, vel Cæsaris, vel priuati vtique semper, *l. cum hic status* §. *si donator, D. eod.* nam etsi legatarius seruus fiat fisci vel Cæsaris vel priuati ante apertas tabulas, vel quocumque alio tempore, etiam legatum caducum vel in causa caduci non fit, sed domino adquiritur. Sed si fiat seruus pœnæ ante apertas tabulas, si purum vel si condicionale fuerit legatum antequam condicio extiterit, per legem Papiam omnino caducum fit, *d. l. intercidit*, aut si post apertas tabulas, cum ceteris bonis damnati & legatum transit in fiscum. Hæc est seruitus quæ per omnia morti comparatur in lege Papia, vt plane *l. antepenult. De reg. iur.* cum sit inscripta ad legem Papiam, de ea sola accipienda sit, & quod ait Fere, non hoc significet aliquando eam seruitutem non comparari morti, sed eam subire seruitutem, prope esse interire naturaliter.

CAP. XIII.

Ad l. 3. De his quæ pro non scrip. habentur.

PRo non scriptis habentur non ea tantum quæ ab initio inutilia sunt, sed & quæ ab initio vtilia sunt si in eam causam recidant à qua incipere non poterant quasi in ea ipsa causa retro fuisse fingantur

CAP. XIV.

Mendum notatur quod est in l. item veniunt §. *ait Senatus* 1. *D. de petit. hered.*

REctissime Vlpianus *lib. Regularum*, cum definit caduca, de herede loquitur scripto ex parte, non de scripto ex asse qui aperturam tabularum non expectat vt hereditatem adeat. & similiter S. C. quod

auctore Adriano factum est de petitione hereditatis loquitur de partibus hereditatis caducis non de asse caduco. quæ verba interpretans Vlpianus *l. item veniunt §. ait Senatus 1. de petit. hered.* sic scribit, Hoc euenerat vt partes caducæ fisco peterentur. sed & si ex asse fiat, S. C. locum habebit. idem & si vacantia bona fisco vindicentur, vel si ex alia quacumque causa bona ad eum peruenerunt. Hæc Vlpianus. Quia euenisse ait vt partes caducæ fisco peterentur, fuere ergo heredes scripti ex parte mortui aut peregrini vel serui pœnæ effecti ante apertas tabulas. quod ita poni non potest in herede scripto ex asse, in quo aperturæ tabularum nulla ratio habetur. Neque hoc Vlpianus sentit cum ait, Sed & si ex asse fiat, S. C. locum habebit, sed hęc verba iungenda sunt sequentibus mutato articulo, Idem, in, Id est, quod mendum alias notaui quinque aut sex locis iuris nostri, hoc modo, id est & si vacantia, &c. vt sit sensus, S. C. locum esse non tantum si pars hereditatis caduca sit, sed & si tota hereditas, non quidem quod heres scriptus ex asse mortuus sit ante apertas tabulas, quod per legem Papiam poni non potest, sed quod vacantia sint bona nullo herede existente ex lege Iulia, vel quod ex delicto publicata seu confiscata sint.

Cap. XV.

An res aliena donata mortis causa vsucapi possit.

INter virum & vxorem donationes mortis causa receptæ sunt, donationes inter viros iure ciuili impediuntur. Finge maritum donasse vxori rem alienam inter viuos, an impediatur vsucapio? quod videtur, quia vitiosa eius rei traditio est. Imo vero non est vitiosa. quia iure ciuili ea tantum donatio inter maritos prohibetur, quæ donatorem pauperiorem in rebus suis facit. Valet ergo donatio rei alienæ à marito facta vxori bona fide, quia pauperior in rebus suis maritus non fit, *l. 83. D. de reg. iur.* & eius rei vsucapio possidenti procedit, vt *l. si vir vxori, D. pro don.* & rectius in *l. sed & si constante, D. de don. inter vir. & vxor.* vulgati quam Florent. Quia etsi mortis causa donaretur ei, non impediretur vsucapio: vt hæc sit ratio, Quia res donata mortis causa statim vsucapi potest antequam mors insequatur, licet non sit directa & simplex donatio, *l. Aristo §. Aristo, D. de donat. l. si alienam in prin. l. qui alienam, D. de mor. cau. don.* quod tamen non carebat dubitatione, & resigitur vxori donata inter viuos, vel quod ea donatio post orationem Antonini comparetur donationi causa mortis, *l. 12. C. ad leg. Falc.* Et meo iudicio negatio quæ in Florent. additur superiore loco est reiicienda in inferiorem, vt ita concludat, Itaque licet non mortis causa donatio interueniat, &c. Idemque hodie dici potest de donatione rei alienæ à patre in filium fam. collata.

Cap. XVI.

Emendata quædam in tit. Quando dies leg. ced.

IN *l. 7. §. vlt. D. quand. dies leg. ced.* iam *lib. III.* ostendi esse legendum, *Vel sicuti seruus legatus est*, & quod sequitur, *Et ideo seruo aliquid legatum sit* (sic habent Florent.) sic emendo, Et eidem seruo aliquid legatum sit. nam neque Florent. neque vulgaris scriptura vllum sensum idoneum admittit, & scripto herede extraneo his tantum legatis inuento aditionem hereditatis facere moram, Si libertas data sit directa vel fidei commissaria, Si ius personale legatum sit, Si seruo testamento manumisso directo aut per fideicommissum. quin & in manumisso per fideicommissum expectandus est dies præstitæ libertatis. Et si seruo alij legato aliquid legatum sit. Initio *l. si vsusfructus*, lego, vtrumque expectandum, vt in fine legis, expectabit condicionem, & in *l. cum illud, in fi. eod. & §. libertatibus, C. de cad. toll.* In *l. Firmio, in pr.* pro postea, lego, propter ea, vt in fine eiusdem legis, propter hæc verba. In eodem *titulo lib. VI. Cod. l. 2.* ex vet. lego, nec alij fideicommisso adstringitur. quod vtique verum est etiamsi cum ita legatum esset pluribus liberis vel agnatis, supremus ex eis extraneum heredem reliquerit, *l. qui solidum §. pen. D. de leg. 2.* nec enim præmortuorum liberis vel propinquis tenebitur ex causa fideicommissi. In *l. 3. eod. tit.* omnes Codices manuscripti habent, Si Pontionilla ad eam ætatem peruenit cui legatum vel fideicommissum delegatum erat. vt Egesippus II. Solomæ delegatum seruauit. In *eod. tit. l. 4.* obseruandum est vestigium iuris veteris, quo vxori non habenti solidi capacitatem licebat legare vsumfruct. tertiæ partis bonorum, & cum liberos habuerit, eiusdem partis proprietatem, vt *l Lucius §. marius, D. ad Trebel.* Vlpianus *lib. Regularum tit. de decimis.* Vir & vxor præter decimam, inquit, etiam vsumfruct. tertiæ partis bonorum eius capere possunt, & quandoque (sic est in originali non quotcumque) liberos habuerint, eiusdem partis proprietatem.

Cap. XVII.

Adnotata quædam ad tit. C. de suis & legit. lib.

QVod est in *l. si defunctus, C. de suis & leg. lib.* scriptum his verbis, Nisi forte auia elogia inurenda impiis nepotibus iusta semotis ratione dixerit & cet. non potest accipi vt Accursius voluit, Nisi eos exheredauerit auia. quia ab intestato exheredatio fieri non potest. Ergo mens eius loci hæc est, vt in successionem auiæ maternæ vel paternæ non veniant nepotes ex filia concurrentibus filiis, si à matre vel patre eorum iusta ex causa exheredati sint. Filios exheredatos à patre vel matre non repræsentare vicem patris sui vel matris in successione auiæ, vel aui, quod summe notandum est. In eodem titulo *l. vbi*, pro paterna est reponendum materna ex Cod. Theod. & ex XLV. *βασιλικῶν*, vt sit sensus, natum quidem post emancipationem matris iure ciuili auo materno non succedere ex *l. 4. & 5. C. Th. de leg. her.* quæ sunt tantum de nepote ex filia quæ mansit in potestate patris, & vna cum fratribus patri succedere potuit. At natum post emancipationem matris iure ciuili auiæ paternæ vel maternæ succedere, & frustra quæri an mater fuerit emancipata, quia auia vel quæ alia mulier familiæ potestatem non habet, *l. 8 C. de præs. lon. temp. l. nulla fœmina, D. de suis & leg. hered.* Leo Nou. XXV. *μόνῳ ἄῤῥενι πρεσβύτῳ υἱωξόσιος χρηματίζῃ ὁ παῖς.*

Cap. XVIII.

Spurium esse vltimum versum l. XI. C. de leg. her.

CVm *l. 11. C. de leg. her.* coniungenda est *l. liberos, C. de collat. & l. pen. C. de emanc. lib.* eadem enim omnium inscriptio & subscriptio est. & *l. liberos* docet filios emancipatos ex rescripto principis reseruato iure legitimarum hereditatum, quod ge-

nus emancipatos introduxit Anastasius auctor illarum legum, *d. lege pen.* vocari ad legitimam hereditatem patris cum fratribus in familia retentis, sic tamen vt bona propria conferant. Illa autem lege iis iisdem fratribus seruat legitima iura etiam in successione fratrum, exclusis agnatis, in qua cum collationi bonorum locus non sit, liquido constat ex eo; perperam in extremo *d. l.* 11. apposita fuisse hæc verba, Collationibus tamen ab his secundum ea quæ super emancipatis statuta sunt, quoties talis casus emerserit, vt pote peracta emancipatio faciendis. quæ etiam absunt à libris veteribus quamplurimis, & ab interpretatione κατὰ πόδας, & Accursius quoque ea non agnouit. & ita *l.* 1. *C. de leg. hered.* ad Cassium & Hermionem filios fratris iam mortui, qui Imperatorem consuluerant de iure patris non de iure suo, an in hereditatem patrui amitæ suę cum patre suo iure admissę fuissent, quas auus paternus dotauerat, rescribit iure admissas fuisse, licet fuissent ab auo paterno dotatæ, quia scilicet dotem non debent conferre cum agitur de hereditate fratris, sed cum de hereditate patris. & ita Acc. rectissime.

CAP. XIX.

Græcos in l. 29. D. de fid. lib. male legere, libertus pro libertas.

SI is à quo relicta est seruo fideicommissaria libertas seruum vendat, vel is ipse oneri præstandæ fideicommissarię libertatis subiicitur, vel provt elegerit seruus, is qui emit. Quod si forte venditor præsens sit, emptor latitet; vel absit non iusta ex causa, Rubriano S. C. locus est, *l. si eum seruum, in pr. D. de fid. lib.* quod est seruum interposito decreto prætoris vel præsidis liberum fieri, & libertum Orcinum, non libertum emptoris, *l.* 16. §. 1. *D. eod.* Absens ex iusta causa non perdit libertum ex S. C. Dasumiano *d. l. si eum* §. *eorum*, *l. non tantum* §. *S. C.* D. *eod.* Igitur cum quæritur cuius sit libertus, distinguimus vtrum dominus iusta an non iusta ex causa abfuerit. & tamen vt Græci legunt lib. XLVIII. βασιλικῶν in *l.* 29. D. *eod.* etiam libertus seruatur latitanti emptori. quod vt non feram, superiores loci efficiunt, & melius est legere, libertas non libertus, vt hic sit sensus, cum quæritur de libertate serui absente domino qui fideicommissariam libertatem præstare debet, non quæri qua ex causa absit. omnimodo enim libertatem ei seruari ex sententia prætoris aut præsidis, ius autem patronatus non aliter seruari ei qui libertatem præstare debuit, siue is sit heres, aut legatarius, aut emptor, quam si absit iusta ex causa.

CAP. XX.

Ad l. 4. C. de fid. libert.

SErui quidam sunt non legitime manumissi qui dicuntur non esse liberi, sed voluntate domini in libertate morari, vt manumissi inter amicos, §. *multis Instit. de libert.* quales in Comœdiis frequentes manumissiones sunt, aut per epistolam, *l. qui absenti*, D. *de adq. possess.* aut per mensam, vt Theop. loquitur in *tit. de liber.* & Gaius *in Institutionibus*, conuiuij adhibitione, sicut dicebant homines quasi Deos aut Semones fieri, qui conuiuio Deorum excepti fuissent. Qui vero ita manumittebantur, iure veteri non fiebant liberi, sed seruiendi metu dimittebantur, quamdiu domino libuisset: nam mutata domini voluntate per vim in seruitutem reduci poterant, quod tamen Prætor qui libertatibus fauere solet *l.* 3. §. 1. D. *de alien. iud. mut. caus.* non permittebat, vt Vlpianus scribit in reliquis quibusdam Regularum. nam & manumissum à peregrino qui peregrinæ condicionis erat non Ciuis aut Latinus, vt & Plinius docet *in epistolis ad Traianum*, Prætor seruire non permittebat. Sed postea eis lex Iunia Norbana, à qua dicti sunt liberti Latini Iuliani, propriam libertatem dedit, vt fierent non ciues Romani vt qui vindicta, censu, testamento manumittuntur, sed Latini, id est vt eodem iure eademque condicione essent qua Latini colonarij erant olim, vt in *tit.* 6. qui tamen tunc omnes erant Ciues Romani, vt idem Vlpianus ait, ex lege Iulia, vt Cicero *pro Balbo* scribit, & vt certis modis Latini coloni, ciues Romani fiebant, beneficio liberorum, lege, censu, magistratu, vt ex Liuio 41. & Asconio *in Pisonianam* dicimus, ita & Latini Iuliani, vt Vlpianus docet in *tit. de Latinis.* Hæc qui nouerit, facilius intelligit *l.* 4. *C. de fid. libert.* cuius species hæc est. Heres rogatus ancillam manumittere, qui vtique semper rogatus intelligitur de iusta & legitima libertate. i. ciuitate Romana *l. generaliter* §. *hostium*, D. *eod.* moram fecit. i. petitam non præstitit, sed ancilla voluntate eius in libertate morata est, puta manumissa inter amicos, aut per conuiuium, aut per epistolam. Post moram editus partus, Ciuis Romanus est ex Constitutionibus factis ad S. C. Rubrianum, atque ita fit vt ex ancilla ingenuus & ciuis Romanus nascatur, *l.* 3. *C. eod. l.* 1. §. *quæri*, D. *de suis & leg. her.* quia nec ex mora facta libertati fideicommissariæ nec ex illa manumissione inter amicos aut simili, per quam voluntate domini in libertate morata est, ancilla libera facta est. nec obstat quod ait *l. cum quasi* §. *vlt.* D. *de fid. lib.* ad iustam libertatem. i. ciuitatem Romanam peruenire seruos quos heres præstandæ fideicommissæ libertatis gratia in libertate morari voluit: quia non dicit simpliciter, in libertate morari voluit, sed hoc addito præstandæ fideicommissæ libertatis gratia. At ex constitutione Iustiniani, id est *l.* 15. *C. eod.* post moram ancilla ex sententia prætoris aut præsidis eripitur in libertatem iustam & fit libertina Orcina, vt non sit mirum hodie si ingenuum pariat; cui & ipsa succedat ex S. C. Tertulliano, & vicissim ille eidem ex S. C. Orphitiano *l. vlt. C. de S. C. Orphitian.* quæ coniungenda est cum *d. l.* 15. vt eædem inscriptiones & subscriptiones suadent, & inde lux vtrique legi reddita clarior.

CAP. XXI.

Quibus adiectionibus Iustinianus modos faciendi Latini Liberti fecerit modos faciendi Ciuis Romani.

CVm Iustinianus ait in fine *tituli De succ. l. b.* se quibusdam adiectionibus modos ipsos qui ad Latinitatem ducebant, ad capiendam ciuitatem Romanam traduxisse, neque adiectiones passim, vt Accursius, interpretari modos ipsos, neque vt Alciatus, adiectiones familiarum, de quibus nullum verbum in Constitutione Iustiniani, qui etiam nescit adiectiones familiarum Cornelij Taciti lib. 1. Hist. non esse, quod est, auctum numerum colonorum. vt Tit. Liuius XLIII. ait, postulantibus à Senatu Aquileiensium legatis vt numerum colonorum augeret mille & quingentas familias ex S. C. scriptas fuisse, Triumuirosque qui eas deducerent missos. Et quiddam aliud ad illum Cornelij Taciti locum comminiscitur Alciatus, quod neque probat neque probare potis quisquam sit. Et euidens est

quas adiectiones Iustinianus vocat, has esse, vt per epistolam Ciuis Romanus fiat qui olim fiebat Latinus, non per nudam epistolam, sed cum hac adiectione quæ non fuit olim, adhibitis subscriptoribus quinque, & similiter inter amicos vt fiat Ciuis Romanus, qui olim Latinus fiebat, non nudo sermone domini, sed actis interuenientibus tanquam in iudicio, adhibitis testibus quinque, quem numerum etiam exigit seruo si reddat dominus instrumentum seruitutis, aut si id animo dandæ libertatis conscindat testibus præsentibus. atque adeo merito hunc actum dicit esse imitationem codicilli, quippe quod in codicillo tot testes exigantur, *l. vlt. C. de codicil.*

CAP. XXII.

Emendata quædam lib. VII. Codicis.

S. C. cuius fit mentio in *l. 1 C. pro quibus cau. ser. pro præm. acc. lib* est S. C. Silanianum, quo cauetur inter cetera, vt seruus qui necem domini indicarit vel arguerit, pro præmio indicij adito prætore vel præside, ab eo libertate donetur *l. 3. §. si ex stipulatu §. vtrum, § is quoque, D. de S. C. Silan. l. indicasse D. de verb. sign.* vnde & in *d. §. vtrum*, recte pro vindicasse Antonius Augustinus reposuit indicasse, & eadem ratione ego in *d. l. 1.* pro vindicant reposuerim indicant, quod est verbum S. C. maxime cum in Basil. sit scriptum, ὁ δοῦλος καταμηνύσας, non ἐνδικήσας, & paullo post in eisdem præmium libertatis appelletur ἔπαθλον τῆς μηνύσεως. forte & in *l. 1 C. de precib. Imp. offer.* quæ cum illa coniungenda est, legendum, indicanda, pro vindicanda. & simili errore in *l. deferre §. sed communem, D. de iur. fisci.* deferre id est vindicare, vbi nemo est qui non videat esse scribendum indicare, itemque *l. vlt. D. ad exhib.* Lex autem quarta *C. de ing. man.* ita emendata est ab interpunctionibus & verbo natum, mutato in factum, Cum cognatum tuum ingenuum, factum ex Palmyrenæ factionis dominatione velut captiuum, distractum & cet. factum veluti captiuum ait, quia factio, rebellio aut bellum ciuile captiuum non facit, *l. si quis §. vlt. D. de cap. & post.* sed bellum hostile tantum & factio illa Palmyrena satis nota est ex Zosimo & Trebellio Pollione & Flor. Vopisco & aliis. In *l. 25. C. de lib. cau.* quod quidam Codices habent vitium, pro præiudicium, Basil. confirmant in quibus est ἐλάφωμα. In *l. pen. C. de ord. cog.* lego, Si res tuas ruptas, quod est verbum legis Aquiliæ. nam de damno datò agitur eo in loco, ac præterea de rebus furto subreptis. In *l. 2. Ne rei dom. vel templ.* perspicue scriptum habent libri emendatiores, Vniuersas terras quæ à colonis siue emphyteuticariis dominicis reip. (quod interpretor, rei priuatæ) vel iuris templorum, &c. In *l. 7. §. pen. C. de præf. 30. an.* nec creditoris, lego, nec debitoris, sed ne sub accusatione moræ fiat.

CAP. XXIII.

De ordinatione liberalis causa.

LIte siue causa liberali ordinata, is qui de suo statu litigat in possessione libertatis constituitur, & interim liberi loco est nec possidetur ab eo qui se dominum dicit *l. 14. C. de lib. cau. l. ordinata, l. si cui §. licet D. eod. l. 1. C. qui da. tut.* & hoc est quod XII. tabul. erat cautum *l. 2. § initium, D. de orig. iur.* vt in causa liberali vindiciæ darentur secundum libertatem, id est, vt qui de suo statu litigat in possessione libertatis constituatur. quod locum habet non tantum si ex libertate vindicetur in seruitutem, sed & si ex seruitute proclamet in libertatem, idque *l. seruum §. 1. D. de procurat.* probat, quæ indistincte eum qui de suo statu litigat, siue ex seruitutis, siue ex libertatis possessione, ait procuratorem habere posse, non quidem in causa ipsa liberali quam non nisi per semetipsum agere potuit, sed in aliis litibus, quæ ab eo contra alios vel ab aliis contra eum interim intenduntur. Vnde sequitur eum interim haberi pro libero. alioquin nec agere, nec conueniri posset. idemque probat *l. is autem, D. ex quib. cau. ma.* quæ eum qui in seruitute erat, post ordinatam causam liberalem ait non esse in seruitute. & *d. l. ordinata*, quæ in actionibus annuis ait, annum ei qui de statu suo litigat cedere demum ex tempore ordinatæ litis liberalis, nimirum quia ante fuit in seruitute, nec agere potuit, & nequeunti agere annus non cedit, post litem ordinatam agere potest, quacumque actione in eum qui se dominum dicit vel alium quemlibet, quia pro libero habetur. Quod si ex possessione libertatis vocetur in seruitutem, post motam controuersiam libertati, etiam ante litem ordinatam agere poterit. Ordinata autem lis liberalis & cœpta dicitur & inchoata, & præparata, *d. l. is autem, l. liberis §. vlt. D. de lib. cau.* non quæ contestatur, sed ante litis contestationem dum adsertor quæritur, dum satisdatio vel cautio exigitur iudicio sisti, vt *l. 1. §. omnes, C. de adf. tol.* quam ante litis contestationem præstari conuenit *l. amplius, D. rem rat hab.* dum cautio rem saluam fore, de qua *l. 1. & 2. C. Th. de lib. can.* dum cautio de rato quæ indistincte exigitur à procuratore eius qui se dominum dicit, *l. non solum §. si status, D. de procur.* dum apud eum qui de statu cogniturus est vt lis ordinem accipiat disceptatur quis actoris, quis rei partibus fungatur, id est, vtrum ex seruitute quis in libertatem petatur, quo casu actoris partes sustinet, & probare debet se esse liberum, *l. 5. hoc tit.* nisi in seruitute fuerit dolo malo possessoris, *l. vis, sup. de probat. l. si quis liberum, D. eod.* an vero ex libertate in seruitutem, quod vtrumque conceptio petitionis manifesto declarabit *l. 21. C. de lib. cau.* vt *l. cum tibi, C. de euict.* & hoc casu rei sustinet partes, & probatio incumbit ei qui se dominum dicit, nisi dolo malo in libertate fuerit. hic enim perinde habetur atque si in seruitute fuisset, ex edicto Prætoris *d. l. 21.* secundum quod edictum etiam causam liberalem ordinari verum est, *l. 4. in fi. C. si de stat. def.* Idem vero ordo constituitur, si quæratur libertinus quis an ingenuus sit, *l. circa, D. de probat.* & generaliter in præiudicialibus actionibus is actoris partes sustinet secundum cuius intentionem formula concipitur, rei secundum cuius intentionem formula non concipitur, *l. generaliter, D. de except.* & recte Theophilitzes noster, præiudicium intentione sola constare actoris, nec vt ceteris actionibus inesse ei clausulam condemnationis. & ita vero de ingenuitate causam agit Paris Histrio celeberrimus aduersus Domitiam Neronis amitam, vt Cornel. Tacitus scribit XIII. Ann. filiam, vt Vlpianus *l. 3. §. Neratius, D. de cond. cau. da.* quod est Vlpiani παράδειγμα, non ἁμάρτημα, cum & duobus locis Tacitus amitam vocet, & Dio in Nerone. & vera species *d. §. Neratius*, & historia hæc est. Domitia Neronis amita Paridem accepta ab eo pecunia pro libertate manumisit, atque ita diu is fuit quasi libertus Domitiæ. post iussu Principis dixit se esse ingenuum, & veritati ingenuitatis nihil officere manumissionem, & vicit. Ereptus, inquit, amitæ libertus Paris quasi iure ciuili,

non sine infamia Principis, cuius iussu perpetratum ingenuitatis iudicium erat. Quæritur an Paris ingenuus pronuntiatus repetere potuerit pecuniam manumissionis causa Domitię datam. Et ait, potuisse siue scisset Domitia ingenuum eum esse, siue ignorasset. Et hęc de ordinatione causæ liberalis dicta sufficiunt. Verum adiiciam ita *l. 1. C. ad S. C. Turp.* causam criminalem ordinatam dici, inscriptionibus depositis & fideiussore de lite exercenda præstito. & similiter causam inofficiosi testamenti petita bonorum possessione Vnde liberi, vel vnde legitimi ab intestato litis ordinandæ gratia, quæ ius & titulum præbeat agendi de rescindendo testamento, & si opus sit tutore vel curatore dato, *l. Pap. §. 1. D de inoff. test. l. iure §. vlt.* D. *de test. tut.* quod vtique fit ante litis contestationem, & consultis adhibitisque plurimum Iurisperitis & aduocatis. Seneca *XIV. Epist.* Aduocato & litis ordinatore. Cicero *II. de Orat.* In lite ordinanda & consilio dando.

Cap. XXIV.

Naturalem possessionem non tantum facti, sed & iuris esse.

Qvod prioribus scripsi etiam naturalem possessionem iuris, esse comprobabo iterum percensitis enumeratisve his qui naturaliter possidere dicuntur. Fructuarius possidet naturaliter propter vsumfructum non dominij, sed vsus fructus iure, & ius vtendi fruendi potius quam fundum; *l. adquiritur §. vlt. D. de adq. rer. do. l. 1 § quod ait*, D. *Quod leg.* & quasi possidet igitur potius quam possidet, *l. ait Prætor §. 1. D. Ex qui cau. ma. l. 3. §. vlt. D. vnde vi.* Fundum autem fructuarius possidet alij non sibi, ius fruendi, sibi. Ne igitur dicamus fructuarium fundum possidere naturaliter, dominum ciuiliter. quia eiusdem rei duo possessores in solidum esse non possunt. Denique dominus solus fundum, in quo alter vsumfructum habet, possidet per eum. & aliud est possidere, aliud alieno nomine possidere, *l. quod meo in pr.* D. *de adquir. pos.* Creditor autem corporale pignus possidet naturaliter iure pignoris, *l. 3. §. vlt.* D. *ad exhib.* quia à debitore possessio dimissa, & in eum translata est. *l. cum & sororis §. vlt.* D. *de pig. act.* ita tamen vt per eum debitor possideat & vsucapiat quãdiu viuit, nec sibi suoque nomine creditor, nisi post mortem debitoris, *l. pignori* D. *de vsur. & vsucap l. 7. §. sed cum illud, C. de præs. XXX an.* Similiter vero conductor, sequester, depositarius, commodatarius, is qui precario rogauit, naturaliter possident, nec sine iure, sine titulo, non tamen titulo quibus dominia quæri solent, quibus etiam non eo animo cedimus possessionem vt eam sibi habeant, sed nobis. Itaque non tantum proprietatem earum rerum retinemus, sed etiam possessionem per eos, denique naturaliter possident alij, non sibi. Is autem qui vi alium de possessione deiecit, naturaliter possidet sibi, & qui deiectus est desinit possidere, quia deponit animum possidendi. imo & cuius animus labascit suspicione, vt *l. si id quod §. vlt. D. eod.* vel dubitatione aliqua iuris sui, veluti lite contestata aduersus eum: nam & si rem naturaliter possideat post litem contestatam, eam tamen ciuiliter possidere desinit, cui lis dominij infertur, *l. 10. C. de adq. poss ss.* quę de possessione loquitur, non de vsucapione, quæ litis contestatione aut quoquomodo superueniente mala fide non interrumpitur, atque ita fit vt malæ fidei possessori vsucapio procedat, *l. bonæ fidei, D. de adq. rer do.* Vxor quoque rem sibi donatam à marito possidet naturaliter non ciuiliter, quia ea donatio non est iusta causa adquirendi dominij, maritus cessit possessionem. Sed & hæc naturalis possessio; quam inuasor possidet; vel coniunx, iuris aliquid habet, vt in pari causa scilicet potior habeatur, & eam tueamur aduersus quoscumque alios interdictis possessoriis, *l. 1. §. vlt. D. vti poss. l. 1. §. qui à me, &* §. *deiicitur, D. de vi. l. 1. §. si vir, D. eod. tit.* & possessio coniugis donatarij hoc amplius, vt fructus suos faciat, *l. fructus, D. de vsur. l. de fructibus, D. de don. int. vir. & vx.*

Cap. XXV.

Scientiam rei alienæ, non esse malam fidem.

Si emo ab eo quem ius puto habere vendendi, veluti procuratore aut tutore; vel possessionem accipio ab eo quem ius rei concedendæ habere puto, vt *l. 7. C. de adq. poss.* scio quidem rem esse alienam, sed tamen malæ fidei possessor non sum, *l. bonæ fidei, D. de verb. sig* Si à bonæ fidei possessore seruus mihi noxæ dedatur, tametsi sciam seruum alienum esse, malæ fidei possessor non sum, *l. & generaliter, D de nox act.* Si sciens emam rem alienam & eius rei soluam pretium, eaque mihi tradatur voluntate venditoris, malæ fidei possessor non sum & hoc est quod dicitur, non esse prædonem eum qui pretium numerauit, *l. 13. §. si quis sciens*, D. *de pet. hered l. nemo prædo*, D*e reg. iur.* Sed in hac tamen specie ab Vlpiano, qui & quosdam à se dissentire fatetur ipsemet in *d. §. si quis scien*, Iulianus dissentit, *l. non solum §. 1. De vsurp. & vsucap.* Dixi, Eaque mihi tradatur voluntate venditoris: quia sine voluntate eius vitiosa, improba, & malæ fidei possessio est, *l. 9. C. de adq. poss. l. 5.* D. *eod.* licet venditori pretium adnumerauerim, vnde recte dicere possim, etiamsi à domino venditam mihi rem post adnumeratum pretium occupauerim sine voluntate eius, me quidem furti venditori non teneri, quia nihil venditoris interest qui pretium accepit, *l. eum qui §. 1. D. fur.* Sed non ideo tamen minus rem mala fide possidere. & vt eleganter Acc. ait in *d. l. 9.* hæc non esse contraria, furem non esse, aut furti non teneri & malæ fidei possessorem esse, sed diuersa. Contraria se inuicem impugnant. Diuersa distinctam rationem habent.

Cap. XXVI.

Auctor præscriptionis XXX. annorum.

Olim aduersus malæ fidei possessorem actio in rem erat perpetua, id est sempiterna & nullis seculis interitura, itemque actio in personam in Prouinciis & mista, cui leges non præscripserant certum tempus. At primum Theodosium magnum omnibus his actionibus opposuisse præscriptionem XXX. anconstat ex Nou. Valentiniani & Theodosij iunioris, *De XXX. an. præs. om. cau. opp.* in qua hoc ius Valentinianus tribuit Theodosio patri suo. Non ergo collegæ Theodosio, sed Theodosio magno. nam Impp. solent antecessores suos patres appellare, vt Alexander Antoninum, *l. vlt. C. de eden.* & idem Valentinianus in eadem Nou. Honorium qui ei fuit auunculus, non parens. Et ex eadem constitutione Theodosij magni, idem Valentinianus refert in *Nou. de epis. ind.* Theodosium patrem suum non imputasse in præscriptionem tricennij tempus pupillaris ætatis, quo scilicet quis rem pupilli possedisset: nam vt vsucapi res pupilli nõ potest, ita nec adquiri longo aut longissimo

tempore. At ſane eam Theodoſij magni conſtitutionem non habemus. Nam *l. 3. C. de præſcrip. XXX. an.* Theodoſij iunioris eſt non ſenioris, quæ tamen idem ſtatuit quod illa, & ſimiliter tricennio ſubtrahit pupillarem ætatem domini vel creditoris. Et vt hodie malim ſoli Theodoſio iuniori illam *l. 3.* adſcribere, facit Cod. Theod. & inſcriptio ad Aſclepiodotum, cui ſolum paſſim alibi lego Theodoſium ſuas conſtitutiones dirigere, & ſolius Victoris Cos. ſubſcriptio, cui nec Caſtinum addi volo, cuius memoria damnata fuit, nec Symmachum, qui Victoris collega non fuit, vt *l. vlt. Cod. de codic. l. vlt. C. Th. de inoff. teſt. l. vlt. C. Th. de cog. & proc. & l. penult. C. Th. de coll. don. poſ.* quam manifeſtum eſt eſſe Theodoſij iunioris ex ordine Imperatorum qui vbique ſeruatur in legum diſpoſitione, & ex mentione quam facit aui, patris & patrui. Auus fuit Theodoſius magnus, pater Arcadius, patruus Honorius. Et vt alio argumento comprobem *d. l.* 3. non eſſe Theodoſij magni, Valentinianus in ſupradicta No. *de XXX. an. præſc.* refert in Conſtitutione Theodoſij magni fuiſſe verbum, *Omnia*, quo nulla actio excluderetur, nulla exciperetur, quale nullum eſt in *d. l.* 3. nec in *l.* 1. *C. Th. de act. cer. temp. fin.* Non eſt igitur Theodoſij ſenioris, ſed iunioris, neque vero vſquam reperitur illa Theodoſij ſenioris, credo quod nunquam fuerit in Occidente perlata nec perferri potuerit Eugenio ſubſeſſore imperij Occidentalis, vt vere Sidonius Apollinaris ſcribat, legem de præſcriptione tricennij intra Gallias fuiſſe neſcitã ante Valentinianum Imp. & Conſulatum Aſterij ſub quo data eſt illa No. Valentiniani *de XXX. an. præſ.* & Theodoſium iuniorem, vtroque tum in ſuo regno eam legem de præſcriptione tricenaria quam Theodoſius magnus tulerat non pertulerat, ſuo nomine perferente, atque etiam ampliante interpretatione. quamobrem in Cod. Theodoſiano cuius auctor eſt Theodoſius iunior, de præſcriptione tricennij leguntur tantum Theodoſij iunioris aut Valentiniani conſtitutiones. Quod autem eſt ſcriptum in *c. vigilanti De præſ.* Epheſinum legiſlatorem primum introduxiſſe præſcriptionem tricennij, vel vt legitur ſecundo tomo Conciliorum, Euphegium, ſi diis placet patruum Origenis, quodque ibi adnotatur ſumptum illud caput eſſe ex Clementis στρωμάτων libris, id omne merito poſſis adnumerare inter caſſa palearum.

Cap. XXVII.

Ad l. 1. *&* 2. *C. de præſ.* 30. *vel* 40. an.

SI Theodoſius auctor eſt præſcriptionis XXX. an. & Anaſtaſius XL. qui fieri poteſt vt *l.* 1. *C. de præſ. XXX. an.* quæ eſt Diocletiani & Maximiani, & *l.* 2. *eod.* quæ Valentiniani & Valentis, pertineant ad eum titulum, *De præſ.* 30. *annorum?* nam & reuera *l.* 1. legitimum tempus accepit pro longo tempore, & emptorem prædiorum pro bonæ fidei emptore, quia ex officio emit & auctione publica, nulla probata mala fide emptoris, nulla aperta fraude emptoris, denique fuit de prę ſcriptione longi temporis, quæ ſola tum legibus cognita erat. Sed quia Iuſtinianus in ſpecie eius legis emptorem habuit pro malæ fidei emptore, qui captata occaſione abſentiæ debitoris contra legum interdicta emit pretio viliore, vt *l. quemadmodum, C. de arg. cenſ.* in fraudẽ fiſci, & debitoris fiſcalis, & emptionem quoque non eſſe iure contractam exiſtimauit, cum vitioſam & iniuſtam eam appellet, ideo eam legem poſuit ſub illo titulo, vt intelligeremus emptori neceſſariam eſſe præſciptionem XXX. an. & de ſuo adiecit etiam vt opinor, ei tanquam malæ fidei emptori dominum intra legitimum tempus, quod inflectit ad tricennium, prædia vindicantem non reſtituere pretium quanti ea de fiſco emit, vt *l. 2. C. ne rei dom. vel temp. l. ſi ſciens, C. ad Vell. l. 2. C. de fur. l. 3. l. ſi mancipium, C. de rei vind. l. 2. C. ſi vend. pig. ag. l. ſuper empti, C. de euict.* Lex autem ſecunda fuit de præſcriptione LX. annorum introducta Conſtitutione Conſtantini, cuius pars reſtat in *l. vlt. C. de long. temp. præſ. quæ pro lib.* quæ in cæteris cauſis præterquam ſi agatur aduerſus libertatem, etiamſi iniuſtum fuiſſet initium poſſeſſionis effectum habuit, modo ſi quis non alij poſſediſſet. nam qui alij poſſidere cœpit nec poſſideat ipſe, nec mutata cauſa per ſe ſolus efficere poteſt vt ſibi poſſideat. & non poſſidenti nulla prę ſcriptio prodeſt. Aduerſus libertatem ne eundem effectum habeat, congruit æquitati, vt ait *d. l. vlt.* cuius ſcilicet præcipuam eſſe rationem quam ſtricti iuris placuit, vt ait *l. placuit, C. de iudic.* quæ ita connectenda eſt cum *d. l. vlt.* Sunt enim duæ partes legis Conſtantini. At abolita omnino cum eſſet illa præſcriptio LX. annorum, & omnium longiſſima eſſet XL. dumtaxat annorum & conſtitutione Anaſtaſij, ideo quod Imp. Valentinianus & Valens ſcripſerant de præſcriptione LX. an. in *d. l.* 2. Iuſtinianus mutauit in XL. an. vt hodie legitur.

Cap. XXVIII.

Ad l. 2. *C. Theod. de longi temp. præſcrip.*

IMpp. Conſtantius & Conſtans in *l.* 2. *C. Th. de long. temp. præſcrip.* Annorum, inquiunt, XL. præſcriptio, quam vetuſtatem leges ac iura nuncupare voluerunt. Hoc loco, vt reponam XX. pro XL. titulus ipſe me compellit, & conſtitutio Anaſtaſij quæ prima XL. an. præſcriptionem induxit, & res ipſa, quia lex negat prę ſcriptione illa tolli actionem perſonalem, quod in præſcriptione XX. an. eſt verum, in præſcriptione XL. falſum, ac præterea veriſſimum eſt, in legibus vetuſtatem accipi pro ſpatio XX. an. vt *l. 1. §. vlt. l. 2. in prin. l. vlt. D. aq. & aq. pl. arc.* quoniam tot annis aquæductus adquiritur etiamſi ius eius non probetur, *l. Si quis diuturno, D. ſi ſer. vind. l. apparet §. pen. De itin. actuque pri.* & ita in *d. l. 1. §. vlt.* quam primum dixit vetuſtatem, mox longam conſuetudinem & diuturnum vſum vocat. Nec obſtat *d. l. 2. §. idem Labeo ait ſi in agro & §. ſeq.* quia non de iure ſeruitutis loquitur, ſed de opere quod factum habeo in alieno, quod aut iure factum oportet, aut eius memoriam non extare, quia immemoria pro iuſto titulo eſt. Seruitutem iure impoſitam eſſe non oportet, ſi ei ſuffragatur quaſi prærogatiua longi vſus. Nihil etiam obſtat *l. hoc iure §. ductus, D. de aq. quot. & æſt.* quia vt aquæductus iure conſtituti loco habeatur, fateor hoc deſiderari ne eius memoria extet, non etiam vt mihi adquiratur. Namque vſu longo adquiri eum & ſuffragio temporis retineri atque vindicari placet, licet non ideo magis iure conſtitutus dicatur, *d. l. ſi quis diuturno, & l. apparet.* Alias vetuſtatis nomine, ſignificantur XL. anni, vt *l. vlt. C. de fun. rei pr.* alias XXX. vt *l.* 11. *C. de fun. pat.* alias XX. vt ſupradictis legib⁹ de aqua. & ita diutinum tempus quod plerumque accipitur pro X. aut XX. an. interdum accipitur pro XXX. vt *l.* 1. *C. Th. de act. cer. tem. fin.* interdum pro XL. vt *l.* 2. *C. de præſ.* 30. *an.* illo loco; Diu alienas res, *l. qui in prouincia, D. de rit. nupt.*

CAP. XXIX.

Litis contestatione perpetuari actionem.

OLim siue lis contestata fuisset siue non, actio personalis erat eterna atque perpetua. Hodie ante litis contestationem ex constitutione Theodosij finitur XXX. an. post litis contestationem atque etiam nonnullam iudicij exercitionem si omittatur, ab vltima cognitione qua lis omissa est, ex constitutione Iustiniani porrigitur vsque ad XL. an. *l. vlt.* C. *de præs. 30. an. l.* 1. §. *ad hæc*, C. *de an. excep.* Constitutio scripta est de actione personali, vnde negant quidam pertinere eam ad actionem realem. quibus non adsentior, quia Constitutio non est simpliciter scripta de actione personali, sed ita, vt licet sit actio personalis instituta ab initio, ea tamen litis contestatione non perpetuetur, sed prorogetur tantum in annos XL. qui sermo & omnes alias actiones includit quæ personales non sunt, vt & aperte scriptum est in *d.* §. *ad hæc*, in omnibus actionibus, licet personales sint, id locum habere vt si contestatæ primum, deinde ante definitiuam sententiam silentio omissæ sint, perimantur continuo silentio non XXX. sed XL. annorum. De actione personali magis dubitabatur, quæ olim erat perpetua & sempiterna, Constitutione Theodosij quæ non contestata esset facta est tricennalis, an contestata vt iure veteri & multo magis censeretur esse perpetua, ita conuenienter Constitutioni Theodosij post litis contestationem procuderetur tantum in alios XXX. annos. quod & Valentinianus voluit *No. de Epis iud.* Sed abolita illa No. Iustinianus definit, non esse similem eum qui litem contestatus est ei qui omnino litem contestatus non est, maiorem huius quam illius negligentiã esse, ideoque excludi hunc præscriptione XXX. an. illum, si denuo agat repetatve litem intermissam non nisi XL. an. Rectius dices, Constitutioni Iustiniani locum esse in actionibus quæ olim erant perpetuæ, hodie redactæ sunt ad XXX. an. cuius generis sunt etiam reales actiones aduersus malæ fidei possessorem. Actiones temporales. i. quas excludit præscriptio anni, quales sunt prætoriæ fere omnes, vel biennij, vt de dolo, vel quinquennij, vt de inofficioso testamento, quæ mista actio est, vel longi temporis, vt in rem, vel hypothecaria aduersus bonæ fidei possessorem, litis contestatione perpetuari. i. extendi in infinitum secundum ius vetus, *l. nam postea* §. *si is qui temporali, D. de iureiur. l. vlt. in fi. D. de fid. tut. l. aliam, D. de nouat. l.* 1. §. *vlt. D. de iure fis. l. 5.* §. *vlt. D. ad l. Iuliam de vi publica, l. 2.* C. *quan. lib. pr. obl.* atque ita saluas permanere, vt ait *l. omnes*, D. *de reg. iur.* & in tutum redigi, *l. ordinata, D. de lib. cau.* nullum iam sperantes interitum aut finem ex tempore vel morte. & hac de causa vt sua iura in tutum saltem redigant quibus in præsenti non suppetit litigandi copia, lite contestata tantisper conquiescunt dum sit eis otium & maior litigandi copia, *l. 2.* D. *de feriis, l. 5. C. de off. præs.* At secundum ius nouum actiones temporales dicimus litis contestatione perpetuari. i. extendi in tricennium tantum ex sententia Constitutionis Theodosij non XL. an. Nec excipio actionem de dolo, quod perficienda sit intra biennium, vel actionem restitutoriam, quod intra quadriennium, vel præiudicium ex libertinitate in ingenuitatem, quod intra quinquenium. nulla est enim actio quæ non intra certum tempus perficienda sit, nec tamen ideo minus litis contestatione perpetuatur, etiamsi perierit instantia. Perit enim lite salua, *l. & post, in fi.* D. *de iud.* Et vno tantum vel altero A casu inuenio litis contestatione non perpetuari actionem, Si actor à lite destiterit, quod est si in totum deposuerit animum litigandi, *l. desinisse*, D. *eod.* & ita in specie *l. 2. in fi.* D. *ne de sta. defunct.* qui Titio litem status fecit, post destitit à lite & diu siluit, quod Accurs. pro spatio triennij accepit, quia de homine agitur, aut quia tanto tempore perimitur instantia, si litem repetat ipse vel alius post mortem Titij repellitur qui & viuo Titio, vt opinor, repelli posset, quia destitit, quod verbum expendi velim in *d. l.* 2. atque etiam in *l. intra*, D. *de diu. tem. præs.* ex quibus videtur quæstor eruditissimus Caroli IX. eruisse Constitutionem illam quæ vetat litis contestatione, quæ triennio intermissa sit, perpetuari actionem, vel præscriptionem interrumpi, atque adeo videtur tantum ad illum casum contrahenda esse quo ponitur actor destitisse à lite, & tacuisse triennium. nam si quis non destiterit, sed distulerit actionem vel propter potentiam aduersarij aut gratiam, vt nominatim est expressum in *l. vlt. C. de præs. 30. an.* vel propter infirmitatem suam vel aliam iustam causam, etiamsi tacuerit triennio vel ampliori tempore, non est quod dicas litis contestatione eum actionem suam in tutum non redegisse. Alter casus est in *l. 1.* §. *sed interdum*, D. *Ne de sta. def.* ne qui viuus pronuntiatur esse ingenuus, mortuus talis esse negetur, licet retractatio cœperit eo viuo, vt adsertio secunda.

CAP. XXX.

Emendatio ad l. VIII. C. quom. & quan. ind. & de contumacis definitione.

COntumax ita definitur in *l. contumacia*, D. *de re iud.* qui tribus edictis propositis vel vno pro tribus, vel literis euocatus, præsentiam sui facere contemnit. Legendum, vel literis, vt apud Paulum *V. Sent. tit. V. & l. item veniunt* §. *petitam*, D. *de pet. hered.* Et ait qui contemnit, contumacem παρεπυμολογῶν, vt Velius Longus ait in contumaci melius i. seruari, quod veniat à contemnendo, tametsi Nisus contumacem per u putauit posse scribi à tumore. & ita in Glossis καταφρονητὴς, contemptor, sperrulis, contumax. Vnum autem pro tribus edictum sufficere quod vulgo peremptorium dicitur, si ita iudici videatur, etiam demonstrat *l. 8. C. quo. & quan. iud.* dum præsidem ait impleta iuris solemnitate, hoc est absente tribus literis vel vno edicto peremptorio in iudicium quod deseruit euocato, condicto die & loco, si is non obsequatur, præsentis allegationes audire posse, & subiicit, quod vel successor eius facere curabit. quæ verba interpretanda sunt ex *l. edictum, D. de iudic.* ita vt successor præsidis, qui ei scilicet in prouinciæ administratione successit, audiat præsentis allegationes, quas antecessor non audiuit, qui tamen edictorum ordinem impleuerit, videlicet si à successore adhuc dato edicto vno, absens non obaudierit. Vnde quod sequitur in *d. l.* 8. à quo ter citatus, cum referri debeat ad successorem de quo proximius dixit, vt sit à quo, id est à successore, apparet in ea non esse legendum ter citatus, sed iterum citatus, vt hic sit sensus, ab antecessore finito numero edictorum, si decesserit prouincia antequam præsentis allegationes audiret, tum iterum vice vna non trina citato absente per contumaciam possessionem rei de qua agitur in petitorem, & eum ex reo petitorem, vt in specie *l. sipriusquam, D. de no. op. nunt. & l. à quo, D. de dam. inf. & l. pen.* §. *pen. C. de præs. 30. an.* vt tædio sibi ablatę possessionis tandem venire cogatur & experiri de iure suo, quo genere rei iudicium suspenditur, non finitur vel om-

nino rem ipsam definiat summaria cognitione (nec enim potest esse plenaria absente altera parte) auditis præsentis allegationibus contra contumacem vel pro contumaci. In eodem titulo *l.* 4. scribendum, absente & ignorante, vt *l.* 3.

Cap. XXXI.

Ad l. Quotiens, C. de rei vind.

AD *l. quotiens, C. de rei vind.* ponunt ab eodem re eadem duobus in solidum vendita diuersis temporibus, eum cui vendita & tradita est in detinendo aut vindicando dominio esse potiorem eo cui vendita non tradita est: quod perinde est ac si dicerent in rei vindicatione dominum præferri non domino. quod tam est certum *l. qui tibi, C. de hered. vend.* vt non debuerit de eo *l. quotiens*, ita vt scripta est sollicitius scribi. Itaque maiorem quandam necesse est dubitationem fuisse in specie *d. l. quotiens*, nimirum qui p r e rat vtriusque emptoris causa. vtrique enim res vendita & tradita erat : vt in eadem lege ponitur similiter duobus eandem rem fuisse donatam, quod est traditam donandi animo. & tamen eum cui priori res tradita, est ex causa venditionis, licet non sit ei priori vé dita vel ex causa donationis licet ei priori promissa nō sit, ait esse potiorem ex sola prærogatiua temporis, in detinēdo dominio, si non dominus qui vendidit nunc ab eo rem vindicet vt dominus, nisi vltro paratus sit emptor rem restituere cū vsuris recepto pretio quod soluit, & in vindicando si possessio ad venditorem peruenerit, si modo ei pretium vt dixi emptor soluit, vel qua alia ratione satisfecit. alioquin rei venditæ venditor retentionem habet veluti pignoris loco, *l. Iulianus* §. *offerri, D. de actio. emp.* Et ita explicanda est *d. l. quotiens* ex *l. si à Titio, D. eod. tit. & l. pen. D. de excep. rei vend. & l. apud* §. *si à Titio, D. de doli excep.* vbi proponitur Titium vni fundum vendidisse & tradidisse, deinde eundem fundum alij etiam vendidisse & tradidisse, puta ad se casu aliquo fundi possessione reuersa, & priori quidem tradidisse bona fide non dominum, posteriori fundi dominum effectum v- D trique iure, vt ponit *l. quotiens.* i. sine dolo malo, vt *l. si ea res* §. *vlt. D. de act. emp.* neque tradendo posteriori dissimulans se priori vendidisse. quod si fecisset stellionatus crimine teneretur, neque falso affirmans se nulli alij vendidisse, quod si fecisset, falsi teneretur, vt docui *Obs. V. XIII.* Sed ingenue professus se hereditate dominum effectum vendere posteriori fundum quem cum falso opinaretur se esse dominū, priori vendiderat. Et placet in hac specie vtroque vindicante fundum à venditore ad quem eius fundi possessio rediit, priorem esse potiorem, qui & ipse si fundum possideret obtentu non datorum instrumentorum vel E quo alio colore vindicantem venditorem excluderet. itemque, posteriorem emptorem licet subtili iure is solus traditione dominus effectus sit, quia traditio facta priori dominio postea quæsito perinde habetur ac si à domino facta esset, arg. *l. 5. C. si res al. pig. da. sit.* Et hoc si non dominus vt posui, prioti, deinde acquisito dominio posteriori vendiderit & tradiderit. Si dominus priori, & idem non dominus posteriori, palam est priorem aduersus omnes esse potiorem. Si nō dominus priori & posteriori, æque palam est priorem esse potiorem, *l. sine autem* §. *si duobus, D. de Pub. in rem act.* in quo, *An is qui tantum emit.* i. qui tantum prior emit, posterior autem rem traditam accepit, *l. si non dominus, D. qui pot. in pig.* Et hoc si idem eandem rem vendiderit & tradiderit duobus. At si duo quorum vnus est dominus, alter non dominus, eandem rē vendant & tradant duobus, non ambigitur potiorem esse eum qui à domino causam habet, licet posterior sit, *l. si ea res, in fi. D. de act. emp.* Quod si duo non domini, Iulianus qui ex Sabinianis fuit, non eum cui primum res tradita est, sed eum qui tunc rem possidet potiorem facit, *d.* §. *si duobus.* Neratius contra, qui ex Proculianis fuit, in *d. l. si ea res* §. *vlt.* Rem fuisse controuersam indicat hæc Vlpiani adseueratio. Quæ sententia vera est, in *d.* §. *si duobus.*

Cap. XXXII.

B

Qui verbo sententiam dicant, & veteris sextentiæ iudicis formula explicata.

SI præf. prætorio verbo sententiam dicit, vt Cassiodorus scribit in formula præf. prætorio, & princeps multo magis. & ita in *l. 1. C. de appell.* post illa verba, Sententia D. Seueri A. data in personam M. Prisci Id. Ian. Pompeiano & Auito Coss. veteres Codices habent recte, Seuerus A. dixit, vt *l. pen. D. de his quæ in test. del.* & *l. 3. C. de quæst.* Imp. Antoninus A. cum cognitionaliter audisset, dixit. Et in *l. 6. C. de vsucap. pro emp.* quæ sententia est Imp. Philippi. Imp. Philippus cum consilio collocutus dixit, vt in *actis Apost.* συλλαλήσας μὲ τῶ συμβουλίῳ, ἀπεκρίθη. Et verba illa, Cum consilio collocutus, moris erat his litteris exprimi CCC. vt in libris notarum iuris memini me legere sic explanatas, Cum consilio conlocutus. & ita quoque explananda sunt inantiqua illa sententia Alfeni Senetionis subpręfecti Classis Pr. Mis. De his ædificiis & locis puris adiacentibus ædificiis siue is locus ager est P. Æli Rufini militis in quibus se possessorem esse ex causa emptionis P. Æl. Abascanti patris sui Alfeno Senetioni subpræf. classis Pr. Mis. probauit & meruit sententiam quam iussu eiusdem Senetionis subpræf. huic titulo proscripsit. Senetio CCC. dixit. Necessariam fuisse inspectionem ædificiorum & loci de quibus apud me actum est reipsa manifestatur. Cum igitur ædificia solo puro posita deprehenderim, neque vllo sepulchro superposita vel coniuncta, apparet venditionem eorum iure factam, ideoque ad Ælium Rufinum militem ex causa emptionis pertinere videntur. Loci vero siue agri quem adiacentem ædificiis Ælius Abascantius pater Rufini ab heredibus Patulci Diocletis æque mercatus est cum habeat plurima in diuersis locis sepulchra, ius per vēditionem trāsferri ad emptorem non potuit. Sed cum pater Rufini, & postea Rufinus quanquam non iure facta emptione semper in possessionem fuerint, nullo iure sibi vindicare eum locum Patulcij possunt. Plane cum in re præsenti inspexerim obliturat um atq. erasum Patulci Dioc. nomen, & remanere inscripta capita quædam exprimentia hæc verba, Actius Diocl. Patul, Dioc. F. cum fratr. qui nunc hic adsunt, P. Ælio Abàs. locum purum in quo nulla sepulchra iacta super neque coniuncta apparent, lib. nep. pronep. q. & reliq ob. contemptum rel. Rufinus P. Æli Abas. F. agro priuetur fiatq. pub. speliendor. mil. in vsum. Her. vero Patulci Diocl. multentur sorte vna cum anatocismo binæ cent. vsuræ PPR. neglectam relig. sepulc. clam dirutorum, paupereſque milites clas. pr. Mis. donati sint vt ægrescentes & morientes nec ære conl. curentur sepelianturque. Quam sententiam sanctam esse omnes sciunto. Proposui integram sententiam Senetionis subpręfecti classis primæ Misenatium iamdiu ab Aug. constitutæ ad tutelam inferi maris, quod sit eximium monumentū vetustatis, & quod ex eo discamus ædificiorum solo puro, id est, irreligioso positorum licet cohæreant coniunctave sint religioso

ligioso loco, ratam venditionem esse, non etiam loci siue agri adiacentis ædificiis quem multa sepulchra occuparunt, quia locus religiosus est, vt *l. 6. D. de cont emp. l. locum, C. de religios.* qui tamen si modicus esset, tacite emptioni maioris prædij accederet, *l. in modicis, D. de cont. emp.* Ambrosius *t. de Abraham.* Sæpe cum alienationibus possessionum vænales fiunt quæ in hisdem locis sepulturæ sunt. At si eum locum diu emptor heresque eius possederit, heredes venditoris nullo iure sibi eum locum vindicare possunt, vt *l. si creditoribus, C. de ser. pig. dat. man.* Imo & heredes venditoris propter neglectam à defuncto religionem, qui eum locum vendidit tanquam purum dirutis sepulchris multantur pretio & vsuris centesimis duplicibus cum anatocismo, vt ex ea pecunia pauperes milites classis primæ Misenatium non collato ære ęgroti curentur & mortui sepeliantur in eo agro siue loco, Rufino militi heredi emptoris ablato factoque publico in vsum militum sepeliendorum. Locũ fuisse religiosum & vænisse quasi purum sciente emptore & venditore & compacto obscuratam faciem sepulchrorum, in re præsenti oculis loco subiectis, vt Vlpianus loquitur, ex inspectione loci Senetio deprehendit & ex vestigiis tituli abrasi quo hęc contra fidem veri referebantur, Actius Diocles Diocl. F. cum fratribus qui nunc hic adsunt P. AElio Abascantio locum purum in quo nulla sepulchra iacta super neque coniuncta apparent liberis, nepotibus, pronepotibusque, & reliqua. Adiacere est cohærere coniunctumue esse, non tamen ita vt non sit interstitij aliquantulum, vt *l. si finita, D de dam. inf.*

CAP. XXXIII.

Ad l. 3. D. de off. Prat.

QVod definitur *l. 2. C. de sent. & interl. om. iud.* à seruo quem magistratus iudicem dedit cum existimaretur esse liber, latam sententiam non infirmari etiamsi postea appareat eum fuisse seruum, non carebat dubitatione, nimirum quia reuera non fuit iudex. Si iudex fuit, certissimum est iudicium quoque eius siue sententiam esse sententiam iustam. Sed quia seruitus ei obstitit quo minus iudex fieret, *l. cum prætor §. pen. D. de iud.* ideo dubitari poterat an sententia ab eo lata qui iudex non fuit rei iudicatæ haberet auctoritatem. & licet subtili iure nullam vim habeat, tamen humanius est eam approbare & tueri propter vtilitatem eorum qui apud eum tanquam legitimum iudicem bona fide lege aut legitimo iudicio egerunt, id est, propter eos quorum interest, vt quod ad eos attinet plus valeat quod est in existimatione hominum quam quod est in veritate, quod ad ipsum vero, plus quod est in veritate quam quod in existimatione: nec enim quod iudex datus sit, ideo fit liber, *l. non mutant, C. de lib. cau.* Et eadem est ratio *l. 3. D. de off. Prat.* si Barbarium Philippum seruum fugitiuum qui se pro libero gerebat & vulgo existimabatur esse liber, Populus vel Princeps Prætorem fecerit ignorans condicionem eius: nam si dicamus eum Prætorem fuisse, vtramque gessisse Præturam, quod Pomponius dixit, certo certius est omnia quæ in Prætura gessit esse rata. At si prætor non fuit, si falsam Pręturam gessit, quod tentat Vlpianus in *d. l. 3.* dum ait, Et tamen videamus si seruus quamdiu latuit non dignitate Prętoria functus sit (pro in vel ni quod est in Flor. repono, non) & verius sane est falsa Prætura eum functum, vt M. Perpennæ, qui cum esset peregrinus pro ciue Romano obrepserat ad honorem Consulatus errore populi, Valerius III. scribit falsum fuisse Consulatum & caliginis simile imperium, & adumbratum M. Perpennæ nomen, vt adumbratum quoque fuisse Barbarij Philippi ex Suda constat, dum ei agnito à domino scribit dominum reddidisse antiquum & seruile nomen, quem locum Sudæ nobis primus doctissimus Turnebus indicauit. Si igitur Barbarius falsam præturam gessit, non abs re dubitatur an teneant quæ is interim edixit vel decreuit inter aliquos. Et ait *d. l. 3.* humanius esse vt teneant, licet postea seruus apparuerit nec prætor fuisse. Cui definitioni obstat *l. nulla, D. qui & à quib. manum.* quæ nullam libertatem competere ait datam ab eo qui postea seruus ipse pronuntiatus est. & nullam, id est, neque ciuitatem Romanam neque Latinam libertatem: nam & peregrinus manumittendo nec ciuem Romanum facit nec Latinum, vt ex Octaueno relatum est in fragmentis quibusdam Vlpiani, Quia, vt ait, lex Iunia quæ Latinorum genus induxit non pertinet ad peregrinos, sed peregrinum facit. Plinius *ad Traianum*: Manumissus à peregrina peregrinæ condicionis est. Obstat etiam quod nullum est iudicium quod instituit per se vel procuratorem ex suo contractu qui postea seruus apparuit, *l. 44. D. de iudic.* qua lite, vt ait, debitor absoluitur, non etiam lite propria domini, cui per seruum adquisita obligatio est. Et quod argumento ex contrario colligitur ex *l. 1. C. de testam.* nullum esse testamentum quod obsignauit is qui postea seruus pronunciatus est, nam lex ita demum id ratum esse ait, si testes qui obsignauerunt omnium consensu liberorum loco habiti sint, nec quisquam ei hucusque fecerit controuersiam status. His vt respondeam, puto separanda esse ea quæ quis per se solus auctoritate sua fecit tanquam liber, vt si manumisit, si testamentum obsignauit, si litigauit, quæ rata non sunt si postea in seruitutem depulsus sit, ab his quæ auctoritate Populi vel Principis fecit, vt si à Populo vel Principe Prætor designatus Prętoram gessit, quæ rata sunt etiamsi vera Prætura non fuerit. nam vt iudicium infantis dicitur suppleri auctoritate tutoris, *l. quamuis §. infans, D. de adq. poss.* ita quod eius iudicio deest suppletur auctoritate publica, qua nixus ad Præturam aspirauit. nam & si sciens Populus vel Princeps seruum esse, eum Prætorem fecisset, tacite videretur ei dedisse libertatem, & domino pretium ex ærario redderetur. quod apertius in Bas. ad *l. 3.* scriptum est his verbis, εἰ δὲ ὁ βασιλεὺς γινώσκων αὐτὸν δοῦλον ψηφίσηται στρατηγὸν, ἐλεύθερος & hoc igitur est quod ait *d. l. 3.* Sed & si sciisset seruum esse, liberum eum effecisset, id est, ex sola delatione Prętoræ tacito intellectu liberum eum effecisset. At quia ignorauit seruum esse, neque liberum neque Prætorem effecit, sed tamen acta apud eum confirmantur propter vtilitatem eorum qui apud eum egerunt, & vel otij & quietis causa, vt M. Tullius *XVI. ad Atticum* scribit, non tantum eos quorum intererat confirmasse acta Cæsaris, sed etiam eos qui illa non probabant, otij causa. Et ait *d. l. 3.* hoc in principe multo magis obseruandum esse, puta vt quem sciens Princeps fecerit Prætorem, & liberum fecisse intelligatur. quia beneficia Principum quam latissime sunt interpretanda, latius certe quam Populi rogationes. & nuda voluntas Principis liberum facit, *l. apud eum, D. de manumiss.*

CAP. XXXIV.

Cur exceptiones peremptoriæ possint opponi post litem contestatam vsque ad sententiam, non dilatoriæ.

IN iudiciis ciuilibus exceptiones dilatoriæ, veluti exceptio fori quæ negat iudicem esse competen-

tem, vel exceptio procuratoria quæ negat procuratorem iure datum esse, vel exceptio, quæ dicit non agi quo tempore vel loco agi oportet, & tempus differendum, locum, iudicem, actorem mutandum, opponuntur initio litis contestandæ, in ipso limine quæstionis vt Symmachus loquitur. 1. *Epist.* scribés de exceptio ne procuratoria, non post litem contestatam, & ratio hæc est, quia eæ exceptiones respiciunt ea quæ iudicium potissimum constituunt, cum quæritur an iustæ & legitimæ sint personæ litigatorum, an iudicis, an locus iudicij, tempus ve legitimum, quas Rhetores translationes vocant, quod ex earum propositione actio translationis & commutationis indigere videatur, & statuunt idem discrimen inter translationem & præscriptionem, quod nos inter exceptionem peremptoriam & dilatoriam. Quid interest, inquit Curius Fortunatianus, inter præscriptionem & translationem? quod præscriptio excludit actionem, translatio autem differt. Quia vero dilatoriæ exceptiones de constituendo iudicio sunt & personis quibus iudicia constant, plane necesse est ante iudicium aut in exordio iudicij eas opponi, excuti, disceptari: quia iam cõstituto iudicio, prępostere agitur de eo cõstituendo, *l. pen C. de excep.* M. Tul. *in Part.* Ante iudiciũ de cõstituendo ipso iudicio solet esse contentio. & paulo post. De constituendis actionib. accipiendis subeundisque iudiciis ea fere generis eius sunt vt quanquam in ipsum iudicium sæpe delabantur, tamen ante iudicium tractandæ videantur. Peremptoriæ autem exceptiones quia non sunt de iudicio constituendo, sed de iam constituto finiendo, quia rem ipsam feriunt qua de agitur, & reum releuant, ideo quamdiu iudicium durat, quandoque opponi possunt. quod etsi edicto perpetuo caueatur, *l. 2. C. Sen. ref. non pos.* etiam naturæ congruit vt vbi quandove cumque pulsamur, integrum sit nobis prõmere nostras & vti defensiones quibus releuamur.

Cap. XXXV.

Ad l. Admonendi, D. de iureiur.

QVod ait *l. admonendi, D. de iureiur.* interdum etiam post exactum iusiurandum à iudice secutamque sententiam, Constitutionibus permitti ex integro causam agere si quis noua instrumenta se inuenisse dicat quibus nunc solis vsurus sit, non veteribus quibus vsus causam tenere non potuit, quod, inquam, ait, Interdum. significat regulariter ob noua instrumenta causam ex integro non agi, sed eo casu, cum iudex in dubiis causis & deficientibus probationibus detulit iusiurandum & secundum eum qui iurarit sententiam dixit, causam in integrum restitui posse si is contra quem iudicatum est noua instrumenta se inuenisse dicat, quib. nunc solis vsurus sit. Et ratio hæc est, quia constat rem iudicatam ex falsis instrumentis ex integro agi posse, *l. Diuus*, D. *de re iud. l.* 11. *D. de excep. & C. tit. si ex fals. instr. iud. sit*, & instrumentis adnumeratur iusiurandum quo iudex instructus est ad rem iudicandam, sicut & quodlibet aliud quo instruitur causa vel iudex vel aduersarius. ac proinde prolatis nouis instrumentis si probetur falsum iusiurandum fuisse, merito de integro agi causa potest. Multum igitur interest vtrum solus iudex operam dederit & iudicauerit, an exacto iureiurando secundum eum qui iurauit sententiam dederit, vel vt *l. cum iudex, C. de sent. & interl.* iurari pronuntiauerit, & quid ex iureiurando fieri oporteret. Priore casu sub obtentu nouorum instrumentorum post rem iudicatam repertorum causa redintegrari non potest, *l. cum de* A *hoc, D. de excep. rei iud. l. 4. C. de re iud. l. Impp. D. eod.* quæ tamen adiicit, in negotio publico ex causa principem permittere restitutionem litis ob instrumenta noua. Vnde dicam etiam in priuato negotio idem ex magna causa principem permittere posse, & solum principem, *l. Diui fratres*, D. *de pœnis.* Plinius, *VII. Epist.* Adit principem, affirmauit se nouas probationes inuenisse. præceptum est iudici vt vacaret finitam causam retractanti si quid noui adferret. Denique dicam, ex præcepto Principis solius causam ex integro agi posse, alioquin iure & legibus sub obtentu nouorum instrumentorum causam restaurari non B posse. Posteriore autem casu etiam non adito Principe, ex Constitutionibus prætextu periurij causa restaurari potest. Et alia est ratio iurisiurandi delati à parte, quod aut voluntarium aut necessarium dicitur, *l. 1. C. de reb. cred. d. l. admonendi*, quia inter se partes videntur iureiurando rem transegisse, & prætextu nouorum instrumentorum transactione bona fide terminata non instaurantur, *l. sub prætextu, C. de transact.* Hoc casu ei qui aduersario iusiurandum detulit veluti ex transacto, quod fecit imputatur. Priore casu, id est, iudice ipso deferente iusiurandum, nihil est quod alteri parti imputari possit: ideoque proferentem eam noua instrumenta quibus iusiurandum partis comprobet esse falsum, audiri æquum est. Exceptionem quæ additur in *d. l.* 1. Nisi specialiter C hoc lege excipiatur, plus quam manifestum est à Triboniano additam ex *l. vlt. eiusd. tit.* quæ rationem suam propriam habet, non quam vulgo dictitant, sed aliam, de qua alio loco vel scripsi vel scribam.

Cap. XXXVI.

Explicatur locus difficilis ex No. CXXVI.

VAlde difficilia existimaui semper esse illa verba *No. 126.* ϰ᾽ διὰ τοῦτο κελεύομεν ἐν ταῖς τοιαύταις ὑποθέσεσι, μηκέτι εἰς τὸν πρότερον ἔκκλητον πάσας τὰς διαγνώσεις ἀναφέρεσθαι, ἀλλὰ μίαν ἑκάστην τὴν ἰδίαν ἡμέραν ἔχειν προγεγραμμένην. quæ ita Iulianus interpretatur: Et propter D hoc iubemus in talibus causis non in primo introitu omnes cognitiones referri, sed singulas propriam diem præscriptam habere. Nec video qua melius ratione explicari possint quam fecerit Theodorus Hermopolites. Primum enim certum est, semel introducta ab appellatore causa appellationis absente vel præsente altera parte, si ab eodem peracta non fuerit saltem intra biennium, priorem sententiam ex solo biennij lapsu ipso iure confirmari, *l. vlt. §. illud, C. de temp. appel.* & hanc biennij præscriptionem non abrogari *No. 49.* quæ hoc tantum victori permittit si nolit sententiam priorem solo biennio confirmari, sed sententia etiam iudicis, vt sub finem biennij causam agat μονομερῶς, eliciatque sententiam ab eo ad quem appellatum est. E Tutius esse victori sententia eius ad quem appellatum est confirmari priorem sententiam quam solo biennij lapsu, propterea quod aduersus præscriptionem temporis ex causa facilius impetrabitur à Principe restitutio quam aduersus rem iudicatam. Et solo biennij lapsu vtique confirmatur nemine intra biennium causam agente. Non abrogari etiam *Nou. 126.* supradictam præscriptionem biennij, quæ vult intra fatales dies appellatione ab vna vel ab vtraque parte introducta, non solo biennij lapsu confimari priorem sententiam, sed adiuncta etiam posteriori sententia, vel præsente altera parte. quod congruit plane cum *No. 49.* namque innuit, nemine presente, nemine agente causam, priorem sententiam solo biennio confirmari. Et ob id

his subiicit clausulam superiorem, propter hoc iubemus & cet. ne, quia bis licet appellare, id est gemino iudicio superato, *l. vnica, C. ne cui liceat in vna eademque can. ter. pro.* aliquis forte existimaret vtrique appellationi exequendę, vtrique cognitioni præfinitum esse biennium. nam & prima appellatio suo biennio, & secunda æque suo biennio circumscribenda est, & hæc est interpretatio Theodori tomo primo ἦλ ἐκλογῶν, cuius hæc sunt verba: Ἐπεὶ ὁ νόμος τῷ καταδικαζομένῳ δέδωκεν ἄδειαν δὶς ἐκκλητεύειν καὶ μιᾷ ἑκάστῃ ἐκκλήτῳ δέδωκεν εἰς ἐξέτασιν δικαίαν, ἐκ ὀφείλῃ ἀπὸ τοῦ δὲ ὁ ζητήσας τὸ ἔκκλητον καταναγκάζεσθαι ἐντὸς μιᾶς δικαίας γυμνάζειν τοὺς δύο ἐκκλήτους. ἀλλ' εἰς μίαν ἑκάστην ἔχειν δικαίαν ὁλόκληρον.

CAP. XXXVII.

Quot erroribus occasionem dederit Synopsis βασιλικῶν.

CVm esset in synopsi βασιλικῶν nuper edita ad *l. 3. C. de praes. 30. an.* perperam scriptum ζητεῖν, pro ζῶ, ideo & in illa magis probarunt quidam mouendi & *l. 3. C. de temp. appel.* vtendi, quam viuendi. quibus equidem non adsentior. nam & *IV. Instit. de perp. & temp. act.* prætorias similiter actiones dixit intra annum viuere, & in *l. 1. C. de an. excep.* actionis vitam esse longiorem. Corruptè etiam legunt ad *l. 10. C. de op. pub.* ἐκδάσει pro ἐγκαύσει, vnde apparet pro substitutioni in Cod. Th. recte legi, subustioni. Et in eadem synopsi quæ sunt ex Nouellis Iustiniani pleraque male opinantur esse Constitutiones Græcas, quæ desiderẽtur in Codice eiusdem, vt quæ refertur sententia in fine *tit. de inf. exp.* quæ non est Constitutio eius tituli, sed παρεκβολὴ ex *Nou.* 153. & quæ in *fi. tit. De vsuris,* οἱ χρήμασιν &c. ex *Nou.* 138. cui subiicitur hęc interpretatio Theodori iam ante edita ab Haloandro ἡ παροῦσα διάταξις, &c. & Constitutio cuius fit mentio in ead. *No.* 138. Latine conscripta non vlla est Constitutio Codicis, sed *No.* 121. Quod item adscribunt cuidam Constitutioni de epis. & cler. ne quis communione vel ecclesia excludatur causa non probata, est ex *No.* 123. Quod in eadem synopsi, οἱ ἔπαρχοι πραιτωρίου ὅλων, &c. quod de præfectis vrbi dicitur, non de præf. prætorio, & quæ illam quoque prędedit sententia; non alij adscribendam eam esse quam *No.* 62. statim qui eam legerit intelliget. nec scio quid sibi velint qui δημόσια τέλη malunt functiones quam fusiones vertere, à *l. 27. D. vsufr.* elegantissimo verbo fusiones exulare iusso, sicut extricatarum margaritarum à *l. 27. Adleg. Aquil.* quas Plinius exaluminatas à detracto alumine nondum pertusas tamen & coniectas in lineam, qua de causa Bas. ἀκρήτους interpretantur. qui item pro numerauit, quod Bas. habeant ἐδάνισε, emendant, mutuauit, ac si numerauit non possit idem, & numeratio similiter non significet mutui dationem, qui etiam τὸ διαφέρον vtilitatem, vendere ἐν κόπῳ, vendere auersione, φεγγίτας τῶν δρόμων curiosos, ἐπιδικίαν συγγενικὴν bon. possessionem vnde cognati, restituere tutelam, reddere rationes, eum qui peritissime interpretatur etiam antequam ediderit sua reprehendere gestiunt. nec enim superiora elegantius quisquam Latine interpretari potis sit. nec necesse vt Seneca ait imitari & transferre Græca verba ad illorum formam. Res ipsa de qua agitur aliquo signanda nomine est quod appellationis Græcæ vim non faciem habeat. & ἀπόπτωσιν ἐνοχὴν quam etiam illi nobis dant pro principali obligatione intolerandum est, errore ducto ex more scribendi ἄπτωσις pro ἀφοπόπτωσις. Sed de his satis & de aliis eiusdem alia numero multis.

CAP. XXXVIII.

Notantur alij quidam errores alterius.

EX eodem vt opinor, qui in Synopsi illa semper curauit scribi κηείας ἡμέρας pro κωείας, post alius existimauit atque adfirmauit, & ceteros omnes ita semper scripsisse, cum omnes editiones Nouellarum perspicue scriptum habeant κωείας, non κηείας, & κωείας vocant quas Constitutiones Latinæ temporales & fatales non errore sed certo iudicio, quod finitæ dies quæquæ fatales dicantur, testibus glossis veterum, in quibus ita est, Ἐπωρέσιμος ἡμέρα, fatalis dies, finita dies, vt plane miserear eius qui petito ex vulgaribus lexicis ignauo subsidio, nulla necessitate probandi coactus κηείας rectius esse probat quam κωείας, ac proinde laborat in corrigendo mendo nec quidquam, quod nusquam est, nec potuit admitti in vertendo, si forte illi credere dignum est; in Latinum sermonem Codice Iustiniano, Theodosiano, Hermogeniano, ab his quos comminiscitur illos Codices vertisse in linguam Latinam. nam vt cætera quæ per quam verterunt bene probant, si peritissimi fuerunt linguæ Græcæ nunquam κηείας pro fatalibus accepissent. Miseret etiam quod adlaborat rursus probare illos Codices è Græcis factos fuisse Latinos duplici argumento, quia, inquit, è Latinis facti sunt Græci, & quia in Latinis Constitutionibus multi sunt Græcismi, vnde scilicet sequitur eos ex Græcis factos fuisse Latinos, quæ collectio qualis sit nemo non videt. Idẽ ille imponendi callidissimus Vlpiano adscribit etiam nouissima editione in *l. 1. De off. cons.* Consulem seruum suum manumittere præsentecollega apud se posse, & Vlpianus tamen collegæ præsentiam nullam exigit; sicut nec Iulianus, *l. 5. De man. vind.* alioquin non tam apud se quam apud collegam manumittere videretur. nec miror si etiam mihi adscripserit anteriori editione id cuius tamen puduisse eum posteriori demiror, me in *l. apud eum, D. de manumis.* sine negatione legere, Apud eum cui par imperiũ est manumittere possumus, quod neque manus neque vox neque animus meus expressit vnquam, quin imo longissime abesse ab hac sententia indicat satis abundeque *Obser. 7. c. 17.* Vellem retractaret vel obliteraret etiam aliquando quod sępius scripsit, Censoriam notam me appellasse infamiam iuris. nam vt locum quo infamiam non esse scripserim facile indicare possit, non tamen æque vllum omnino vsquam quo infamiam esse à meipso desciscens, non vere, inquam, falso admodum pro suo more, vt iam olim alio libro quem à quo emendicauerit, ego qui sæpę de ingrato discipulo querentem doctorem audiui, non minus scio quam ipsemet, suo Marte scripsit ius occidendæ adulteræ quod olim fuisse maritis plane scripseram ad *l. 7. D. quod met. cau.* id eis ius non fuisse me scripsisse *Obser. 6.* qui hoc ibi tantum scripsi, male hoc quosdam legi Regiæ adscribere, de qua nec verba Marci Catonis loquuntur, nec vllus auctor ea lege scribit dari ius occidendi sed dimittendi tantum vel multandi, sicut nec si partum suppositum fuerit, aut claues adulterauerit, aut vinum biberit. nam de vino epoto fuit multa tantum & infamia, licet quidam mariti seueriores ob eam rem vsque ad cędem progressi ferantur, & alij duo casus, nullibi memorantur. nam in *Romulo Plutarchi* τίνων ἡ κλείδων ἀποβολῆ (qui sunt modi exigendę foras vxoris veneficæ vel adulteræ) legendum est. vt item falso scribit, me hæc certæ legis verba corrigere, Ex quo

prouinciam ingressus est, *lib. 1. Obser. cap.* 1. vbi sane ea non corrigo, sed testor abesse ea à Pandectis Florentinis & omnibus aliis veteribus. & ad hæc valde est elegans & suauis quo loco mihi falso tribuit eorum verborum correctionem, cum accipit legis actionem pro omni actu iudiciario, & dat legato Proconsulis legis actionem nomine alieno, quo lege agere neminem posse dictat regula iuris. Nescit Andius sine bono quid sit legis actio: quis vel hoc solo nomine non iubeat te Andi in scholam iuris reuerti, è qua te crudior nimis in forum immisisti, in quo vereor vt non geras te prout facis in scriptis tuis. quæ me causa impulit de te forte loquentem tuique similibus aliquando vt vos vulturios togatos dicerem, non etiam, vt falso insimulas, vniuersum ordinem aduocatorum. os mihi tuo longe dissimile, qui falso etiam me id dictasse auditoribus, quibus prę terfluens oratio mea nihil dictat vnquam. tu ipse proprium conuicium quod tibi erat, edixisti palam & effudisti perperam in omnes, vt es temerarius & insolens. quod & aliis argumentis ostendere iuuat. Quæ temeritas hæc est scribere datum esse Prætori lege Lætoria ius supplendi & corrigendi iuris ciuilis, & huius rei Censorinum facere auctorem in libro De die Natali, manifesto mendacio, & addere hanc legem Lætoriam Papinianum recitare suppresso, si Dijs placet, nomine legis in *l.* 7. D. *de iustit. & iur.* Quæ temeritas scribere quod habet anterior editio, haberet & posterior nisi me hoc ridere sensisses, M. Aurelium in *l. quidam Hiberus, D. de ser. vrb. præd.* ad querelam eius qui se ab Hibero socio suo, qua de re socium non admonuerat, lædi dicebat, respondisse. Volo cum Hibero loquaris ne rem illicitam faciat, cum nulla in ea lege fiat mentio M. Aurelij & non ad querimoniam cuiusquam id respondeatur, sed qui queritur ipse de Hibero, roget tantum Proculum I. C. vt cum Hibero loquatur, & auctoritate sua efficiat, ne is aduersum se rem illicitā faciat. nam & huic rei Iurisconsulti dabant operam nec minus in ea quandoque poterant quam iudices ipsi. Etiam non feram, vt noua inauditaque ratione quadam interpreteris *l. domus, D. de leg.* 1. Lex ait ædibus hereditariis per fideicommissum relictis post mortem heredis, & sine eius culpa igne consumptis, deinde ab eodem herede sua pecunia refectis, post mortem eius si eas fideicommissarius consequi velit præstare fideicommissarium debere ędificiorum sumptus, & sumptus æstimari examinatis ædificiorum ętatibus, id est habita ratione status & quantitatis ædificiorum. nam ætatem Græci & Latini sua quique lingua quantitatem & staturam dicunt. quę noua interpretatio non est, cum & Doctores nostri quos ego plurisfacio quam tu, & tu me contemnere falso criminaris, pro ætatibus maluerint quantitatibus, quod illud esset aliquanto obscurius, non vt tu somnias vel consulto consilio fingis ad dericulum, quod in pedes mensuraſve opus admetiri satis habuerint simpliciter, sed quod pro quantitate moduloque lateritij aut cæmentitij aut marmorei operis æstimationem fieri voluerint, non æstimari quantum temporis ędes ab herede restauratæ duraturæ essent. quia hoc modo plus aliquando fideicommissarius refundere teneretur quam ipse heres impendisset, quod esset iniquum, & alienum à sententia legis, quæ sumptus tantum deduci vult quos suis nummis fecit heres. Et male etiam Vitruuij auctoritate veteris, hoc posito ædes antequam incendio consumerentur è molli cæmento constructas æstimari tanquam duraturas LXXX. annis, dum statuisi ædificationis impensa fuerit C. aureorum, post annum quadragesimum contingente incendio pretium diminui pro parte dimidia. pro L. igitur. nam consumpto ædificio & pretium eius consumitur totum. & refecti quoque requisito pretio, non prę teriti sed præsentis ædificij habenda ratio esset, *l.* 3. § *Diui, D. de in. fis. l.* 2. *C. de pat. qui fil. dist.* & Vitruuius qui te in hunc perduxit errorem de ęstimatione stantis communis parietis loquitur in iudicio communi diuidundo, non consumpti siue collapsi, sicut *l. domus, de æstimatione* stantis, id est refecti ab herede ædificij in persecutionę fideicommissi, non consumpti, & consumpti qui stetisset annis XL. si, vt tu ponis pars tantum aliqua ex pretio locationis deducenda esset secundum sententiam Vitruuij quam tu perperam inflectis etiam ad consumptum ædificium, non deducenda esset dimidia quæ est L. aureorum, sed semis tantum vnius aurei pro quadraginta octogesimis, vt fieret in æstimatione stantis parietis communis è molli cæmento facti, ita vt pro eo ex reliqua summa, id est ex XCIX. & semisse partem socius redderet socio qui parietem fecit. Non feram etiam te abuti Aristotele scribente quod vna cuiusque rei sit substantia, vnam cuiusque rei definitionem esse non plures. nec enim ideo minus verum est quód ex Galeni methodo retuli in Epistola ad Lomellinum, vnius rei plures definitiones confieri posse figura verborum non substantiæ demonstratione distantes, vt legati alia est Modestini, alia Florentini, alia Vlpiani definitio, testamenti alia Modestini, alia Vlpiani, alia Quintiliani. Et eleganter Seneca cum tres aut quatuor proponeret clementiæ definitiones, plures proponere tutius esse, ne vna clementię definitio parum rem comprehendat & formula excidat. Et alio loco de definitione summi boni, posse eam diffundi & porrigi, & alias colligi atque in se cogi, exemplo exercitus qui modo latius panditur, &c.

Cap. XXXIX.

Cur suspectum tutorem soli mores faciant, suspectum heredem solæ facultates.

TVtor neque ex XII. Tab. postulatur, neque remouetur quasi suspectus propter paupertatem solam, *l. suspectum, D. de susp. tut. l.* 5. *&* 6. *C. eod.* quia nec propter paupertatem excusatur nisi probet se oneri iniuncto imparem esse, *l.* 7. *D. de excus. tut.* Et contra propter diuitias non ideo minus remouetur quasi suspectus si malis moribus præditus sit *d. l. suspectum*, sicut propter diuitias non ideo magis confirmatur nisi animo & vita bene institutus moratusque fuerit, *l.* 21. *D. de tut. & cur dat.* At ex edicto Prætoris heres mox vt adiuit hereditatem à creditoribus suspectus postulari potest propter paupertatem solam, & decreto Prętoris cogitur satisdare creditoribus hereditariis pignoribus vel fideiussoribus datis de reddendo cuique credito suo, vel deminuere vetatur, *l. qui fundum* §. *qui sciens, D. pro emp. l. si creditores*, D. *de reb. auct. ind. poss.* in qua eleganter Vlpianus, heredem solas facultates suspectum facere, tutorem non facultates sed fraudulentam in rebus pupillaribus & callidam conuersationem. & cognitio tamen de suspecto tutore, & de suspecto herede vtraque prætoria est, & meo iudicio vt de suspecto tutore ita de suspecto herede. mandari tamen potest ex Constitutionibus propter vtilitatem pupillorum, specialiter vel generaliter, *l. pen. D. de off. eius cui mand. est iurisd.* Illius autem differentiæ valde placet ratio, qua Theodorus vtitur in *d. l. si creditores*, quod suspectus tutor plerumq; remoueatur notata fide & existimatione *d. l. si tutor, D. de susp. tut.* ideo iniquum esse forte

fortuna prolapsum in egestatem tutorem cui nihil vitio verti potest, notata existimatione abire tutela, heredi suspecto postulato hereditatem non auferri. nec igitur vt depulsum hereditate infamia eum notari ob hoc solum quod suspectus postulatus sit ac proinde propter inopiam facilius heredem suspectum existimari quam tutorem. Et verba Theodori apponam, quia elegantissima sunt. Ὁ ἐπίδικος ὕποπτος φανεὶς καὶ ἀποκινεῖται τῆς ἐπιδικίας καὶ ἀπεμοῦται, καὶ ἔστιν ἄδικον τὸν πένητα ἐπίδικον διὰ τὴν πενίαν, ὅσῳ ἐστὶ σύμβαμα τυχηρόν, ἀπεμοῦσθαι καὶ ἀποκινεῖσθαι μηδὲν ἁμαρτόντα, καὶ κατὰ τοῦτο ἄλλως ἂ κρίνεται ὕποπτος, εἰ μή ἐστι δολερός. ἀξιοπιστότερα γὰρ εἰσὶν ἐπὶ τῆς ἐπιδίκων οἱ ἀγαθοὶ δίκαι διὰ τὴν εὐπορείαν τὴν δολερόν. ὁ δὲ κληρονόμος, ἐπεὶ οὐκ ἀποκινεῖται ἀπὸ τῆς κληρονομίας ἂ δ' ἀπεμοῦται, εἰκότως κρίνεται ὕποπτος ἐξ ἀπορίας, καὶ ἀπαιτεῖται ἱκανά ἵνα μὴ δαπανήσει τὰ ἀλλότρια.

CAP. XL.

Responsio ad ea quæ obiici possunt l. vlt. C. de priu. fis.

IN *l. vlt. C. de pri. fis.* ostenditur eum qui pro debitore fiscali soluit fisco, non succedere in priuilegium fisci nisi id à iudice in eum specialiter transcriptum & translatum fuerit, quod & *l. 3. eiusd. tit.* significat. Verum huic sententiæ vehementer obstat *l. 2. D. de ces. bon. & l. si ventri §. pen. & vlt. De reb. auct. iud. poss.* in quibus generaliter definitur, priuilegiarios creditores eos etiam esse quorum pecunia ad creditores priuilegiarios peruenit, nec vllo modo exigitur vt priuilegium in eos à iudice competenti transcriptum fuerit. His legibus si obiiciantur, ego respondebo, aliud esse priuilegium quod in actionibus hypothecariis fiscus habet ex tempore vt quilibet creditor hypothecarius qui tempore prior est, quod ius fisci rectius dicitur in *d. l. 3. & vlt.* & est ius commune, quoniam priuilegium temporis proprie non est priuilegium. In hoc ius siue priuilegium fisci non succedit, cuius pecunia ad fiscum peruenit, nisi nominatim auctoritate iudicis in eum fuerit translatum cum pro debitore solueret, vt *l. cum alter, C. de fideiuss. l. 2. C. de his qui in pr. cred.* vel consensu debitoris, vt *l. 1. & 3. eod. l. Aristo, D. quæ res pig. oblig. pos.* aliud esse priuilegium quod fisco præcipuo quodam iure competit in actionibus personalibus. de quo in *d. l. 2. & l. si ventri*, & in hoc vtique tacito intellectu succedit, cuius pecunia peruenit in fiscum.

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XIX.

CAPVT PRIMVM.

Cur in distrahendis bonis fisco vindicatis non possint etiam procuratores Cæsaris distrahere eorum bonorum actores.

IProcuratores Cæsaris bonorum fisco vindicatorum inconsulto Principe actores vendiderint, venditio rescinditur ex rescripto Seueri & Antonini, *l. bonorum, D. de iure fis.* nec quidquam interest distrahant ea bona procuratores an retineant. quia vtroque casu eos homines distrahere prohibentur *l. aufertur §. actores, eod. tit.* quoniam fisco maxime vsui esse possunt, cum sint periti rationum tractandarum & administrandorum negotiorum quibus imponuntur, atque adeo magni momenti magnique pretij, & facilius Princeps rebus quam hominibus carere possit. Et eadem ratione si forte venditi, ab emptore manumissi sint, manumissionem rescindi placet, *l. ne procuratores, eod.* A procuratore ipso fisci certe manumitti non possunt, quia rem fisci diligenter gerere non donare aut deminuere ei permissum est. Eademque ratione si actor rerum vnius solus fisco commissus sit, æqui boni consulere debet fiscus si dominus eius serui boni viri arbitratu æstimationem præstet, nec debet eum distrahere, aut sibi habere si offeratur æstimatio iusta, *l. interdum, D. de publican.* quia in eo homine dominus plerumque habet posita rationes omnes & facultates domus suæ, vt periculum sit, ne eo amisso totius rei familiaris iacturam faciat, quę actoribus nostris exploratior est plerumque quam nobis ipsis. denique eo homine amissonon tantum minuitur patrimonium domini, sed etiam euertitur sæpe atque disperit, *l. vlt. D. de off. Præs.* & ita Apost. *c. 82.* seruum alienum non temere assumi in clerum quod ex eo plerunque sequatur οἶκον ἀνατρέπειν. & *l. 1. C. de bon. dam.* capite damnatum seruum non sustinere pœnam quę dicta est, antequam rationes domino reddiderit. Ad hæc Græci interpretes ad l. II. De minoribus minorem XXV. non restitui in integrum aduersus libertatem à se datam, nisi ex magna causa à Principe ipso restituatur, recte exemplum ponunt in actore rerum minoris ab eo per imprudentiam manumisso. Porro actores recte definiuntur in *d. §. actores*, Qui aliquod officium gerunt in bonis. nam in ampla domo varij sunt actus, varia officia, varij actores, alij ponuntur supra rationes familiæ, alij Calendario, alijn gotiationibus ex quibus dominus rem facere solet, alij vt in antiquis inscriptionibus legi, sunt præpositi ab auro & argento escario vel potorio, alij à veste matutina, alij à commentariis, libellis, epistolis omnibus domini, qui non minimus actus est. & hi omnes quod sint pretiosiores omnium, si inueniantur in bonis fisco vindicatis quæ distrahunt procuratores Cæsaris, non temere ab eis venundari possunt inconsulto Principe qui rerum fiscalium arbiter & dominus est *d. §. actores*.

Cap. II.

Emendata quædam in tit. Digestorum De iure fisci.

QVod in *l.* 2. §. *Senatus*, *D. de iure fis.* vulgo existimatur difficilius esse, vna tantum litera immutata facillimum redditur, si vt ante scripsit semper delator, delatoris, ita illo loco scribas delatoris non delatores, hoc nimirum sensu, vt si delator solus tribus edictis euocatus aut vno peremptorio absit suo vitio, possessor præsens sit, & respondere paratus, tum possessor absoluatur, qui si & ipse abfuisset non absolueretur, ita tamen vt sententia comprehendatur, etiam delatoris edicto id comprehendisse, quasi velit non aliter absolui possessorem quam si edicto peremptorio delatoris iudex significauerit se absente delatore daturum secundum præsentem, vt *l. in peremptorio*, *D. de iud.* & hoc se significasse etiam sententia absolutionis comprehendat, & vt significauit ita pronuntiare. In eod. *tit. l. 6.* recte legi in quibusdam libris, Ex quo conuenit certum debitorem confitentem, detracta coniunctione, vt hic sit ordo & sensus, fiscum qui in ius priuati creditoris successit, exinde vsuras fiscales etsi leuiores deberentur ei cui successit, ex quo conuenit debitorem certum confitentem. nam inanis inutilisq; confessio est nisi sit certi confessio, *l. certum*, *D. de confes.* & quod est in controuersia, veluti quod debitor inficiatur, nondum fisci esse intelligitur, *l. 22. D. de in. fis.* & ita debitorem debitoris non conuenit fiscus nisi confitentem, *l. 3. C. quan. fis. vel pr.* & confitentem certum igitur; nam hoc in omni confessione semper exigitur.

A pretij pro modo substantiæ damnati, æstimatione iudicis, ex S. C. *de famosis libellis. l. 5. §. vlt. D. de iniur.* vel quinque aureorum in singulos seruos cædis domini noxios qui ante quęstionem familię profugerint & requisiti ac delati fuerint lege Cornelia ex bonis occisi vel de publico, aut decem aureorum ex bonis damnati si profugus seruus qui requisitus delatus & damnatus est aperto testamento liber scriptus inueniatur, *l. lege. D. de S C. Sillan.* Et hæc differentia quam facio inter eos qui bona deferunt ad fiscum pertinentia, & eos qui causam criminis siue delicti persequuntur, euidentius apparet in eo crimine quod ex S. C. Sillaniano descendit propter apertas ab heredibus tabulas ante quæstionem familiæ. nam si quis hereditatem ex B hac causa fisco detulerit tanquam indignis heredibus, proculdubio ei hereditatis debetur quarta, vel hodie octaua, nomine vulgaris prędmii. Quod si ex edicto Prętoris egerit, etiam in heredes populari actione in C. aureos ex bonis heredum, pars dimidia, id est L. aurei ei dantur pro præmio, pars in fiscum redigitur *d. l. lege* §. *vlt.* vt apud Frontinum *II. de aquæd.* qui aduersus S. C. fecit quod factum est de spatiis relinquendis circa aquę ductus, in singulas res populari etiam actione, vt opinor, in dena millia damnatur, ita vt pars dimidia præmium accusatori detur, pars altera in fiscum redigatur, quam rationem existimo esse seruandam in omnibus popularibus actionibus. & C meę existimationis argumentum, quod lite contestata populares actiones in heredes transmittantur, *l. si cui*, *De verb. sig.* quæ ante litem contestatam non transmittuntur. nimirum quia post litem contestatam incipiunt esse iuris nostri propter præmium dimidiæ partis.

Cap. III.

Vulgare præmium delatoris.

QVod dicitur vulgare præmium consequi delatorem iuris alieni in *l. 13. §. extat*, *D. de in. fis.* non D esse dimidiam partem bonorum quę nuntiantur ad fiscum idem ille locus ostendit, & esse quartam Cor. Tacitus *IIII. Annalium*, secundum necessitudinem legis, vt ipse loquitur. Lege igitur aliqua veteri quartam esse delatoribus promissam in omnibus causis, cũ dicatur vulgare præmium, nec igitur tantum si tacitum fideicommissum fisco deferant, vt *d. §. extat*, sed etiam si caducum vel in causa caduci, vt Neronem constituisse Suetonius scribit. nam delatores legis Papiæ vocat eos qui caduca fisco deferunt quibus ea lege maiora quam lege veteri præmia constituta erant. Et generaliter si qua alia ex causa bona ad fiscum nuntient, vnde & quadruplatores dicti sunt, quod propter præmium quartæ ad delationes veniant. Capitolinus *in Marco.* Calumniis quadruplatorum intercessit apposita falsis delatoribus pœna. Vopiscus *in Aureliano.* Quadruplatores ac delatores ingenti seueritate persecutus est. Hodie recte dices ex *l. vlt. C. de delat.* vulgare præmium delatoris bona fisco nuntiantis esse octauam partem. nam si in causa maiestatis ex *d. l. vlt.* præmium delatoris non excedit octauam partem, & multo minus amplius erit octaua in aliis causis. At specialiter si is qui capere non potest quod sibi relictum est, vltro prior deferat fisco, ex edicto Traiani accipit dimidiam partem *d. l. 13. l. 1. C. de his qui se def.* Extra vero causam bonorum, quæ fisco vindicantur, inuenio alia delatoribus siue accusatoribus præmia esse promissa, vel immunitatis vsque ad certum substantiæ modum ex *l. 1. C. de fal. mon. l. 1. C. de desert.* vel

Cap. IV.

Interpretatio l. 3 §. si posteriori, D. de in. fis.

SI posteriori creditori fiscus successerit, eo iure vtitur quo is vsurus erat cui successit. Verba sunt *l. 3. §. si posteriori*, *D. de in. fis.* quę si non adiecissent, posteriori, facile explicarentur ex *l. 6. eod. tit.* At verbum, posteriori, difficilem interpretationem facit. quoniam dubitatur cum dixerit posteriori. & quid si priori? nam cum dicat fiscum vti iure posterioris creditoris cui successit, hoc significat, iure successionis infirmiorem fiscum esse quam esset iure suo ex suo contractu posteriori. quę differentia non potest constitui in hypothecis, in quibus nulla est differentia inter fiscum & priuatum, *l. res §. res, eod. tit. l. si pignus*, *Qui potiores in pig. l. 2. C. de in. fis.* Sed qui prior est tempore, & iure potentior est, & qui posterior tempore, iure etiam infirmior. Vnde sequitur, non posse constitui differentiam in actionibus hypothecariis inter fiscum suo iure agentem & fiscum agentem iure successionis in locum posterioris priuati creditoris, & posse igitur tantum constitui in actionibus personalibus, quod in eis iure suo fiscus habeat priuilegium exactionis licet posterior sit, *l. 3. C. de pr. fis. l. 1. C. pœn. fis. cred. præf.* Iure autem successionis pro tempore quod successionem anteceſſit. i. pro debito eius temporis non habet priuilegium exactionis, sed ex creditoribus qui occupauerit suum recipere, is est potior, *l. 3. D. quod cum eo*, &c. & hoc vtique sentit Callistratus in illo §. *si posteriori*, ex quo necessario consequitur, vice versa fiscum succedentem priori creditori habere priuilegium exactionis, licet id non habuerit is cui successit. & ratio hęc est, quia cum prerogatiua temporis causa publica concurrit (cœpit enim esse fiscale nomen) & duo iura sunt potentiora vno. Itaque quod

dicitur priuilegia personalia non æstimari ex tempore *l. priuilegia, De reb. auct. ind. possid.* verum est, ex solo tempore. Sed si temporis priuilegio etiam iungatur causa & priuilegium fisci, singula quæ per se erant exigua, multum coadunata proficient.

Cap. V.

Interpretatio §. 1. l. cum possessor, D. de censibus.

QVod ait *l. cum possessor §. vlt. D. de cens.* ob tributa præteriti temporis quorum dies iam venerat, legatarium qui prædia possidet teneri fisco, pugnare videtur cum §. 1. eiusdem legis, quo ostenditur, heredi qui in soluendo legato vel fideicommisso sibi cautione exacta à legatario vel fideicommissario non prospexit tributorum præteritorum nomine, ne scilicet eorum onus subiret ipse, sed legatarius (nam illo loco, non habita ratione tributorum, recte Bas. interpretantur, μὴ ἐπεχοντας τὰς τῶν δημοσίων) heredi igitur qui omisit hanc cautionem subueniri data actione, id est condictione indebiti, vt opinor, quasi plus debito soluerit, vt *l. si quis cum à fideicommissario, D. de cond. indeb.* condictione incerti. ex quo sequitur teneri heredem fisco tributorum præteritorum nomine, non legatarium. Et sane verum est, heredem solum teneri fisco actione personali tributorum nomine quæ suo die reddita non sunt, quia iam ea debere cœperat, vt *l. cum seruus §. heres, D. de leg. 1.* Legatarium autem tãquam possessorem teneri actione hypothecaria, de qua in *d. §. vlt.* quia tacito iure fisco prædia ex causa tributorum pignoris iure tenentur *l. 1. C. in quib. cau. pig. vel hyp.* Et fiscum etiamsi heres soluendo sit ius commune priuatorum habere, quod scilicet priuati habuere ante Iustinianum, vt eligere possit qua actione vti malit, personali an hypothecaria, præsertim cum de tributis agitur. nam quæ adimitur fisco electio in specie *l. Moschis D. de iu. fis. & l. 1. C. de con. fis. deb.* non pertinet ad causam debiti tributi, sed ad causam pecuniæ fisco debitæ ex contractu, veluti ex locatione publicorum, publicanis reliqua trahentibus. quo casu etiam non aliter fisco adimitur electio quam si possessores hypothecarum fisco cauerint de indemnitate, *d. l. 1.* In eum igitur casum quo omisso legatario heres ob præterita tributa conueniri à fisco potest actione personali, sibi ipse in soluendo legato à legatario cauere potuit de indemnitate, quia æquum est, vt in quem prædia transeunt, transeant etiam onera cuiuscumque temporis cohærentia prædiis, nisi probetur testatorem his oneribus legatarium ab herede voluisse leuari, vt *l. vsufructu relicto*, D. *de vsuf. l. qui quatuor §. qui hortos* D. *de leg. 3.* In dubio heredi parcimus *l. Sempronius, De leg. 2. l. 3. §. pen. De an. leg.* quę omnia summe notanda sunt. nam & quemadmodum sit accipiendum quod vulgo dicitur fisco electionem non dari quam priuatus creditor habet explicant, verumque sensum *d. l. cum possessor, & l. si quis cum à fideicommissario, De cond. indeb. & l. cum seruus §. heres, De leg. 1.*

Cap. VI.

Confirmatur quod Iustinianus retulit de Christianorum euulsa lingua; nec amissis verbis.

IMp. Iustinianus in *l. 1. C. de off. Præf. prat. Africæ*, non auditione accepisse, sed vidisse se ait venerabiles viros quibus Vandili in Africa linguas exciderant nec tamen ademerant loquendi facultatem, quod & in aliis plerisque legimus auctoribus, & tam præcipue sæuitiam Honoricum Africæ incubantem exercuisse in Catholicos à quibus non poterat impetrare vt Arrianorum impias opiniones sequerentur & approbarent. quin & mutum quendam ita natum apud Marcellinum Comitem post abscissam linguam, ac si lingua ei ante quo minus loqueretur impedimento fuisset, statim refutasse impietatem Arrianorum & de fide Christiana veras voces emisisse, & hic Marcellinus etiam alter est oculatus testis. namque adiicit, multos ex eis religiosissimos se vidisse viros Constantinopoli sine linguis, integra voce. Est & tertius Æneas Gazæus *in Theophrasto* his verbis: εἶδον ἔγωγε τὰς ἄνδρας καὶ λαλούντων ἤκουσα, καὶ τὸ σῶμα διανοίγων ὅλως ἐκ ῥίζων ἀνάσπαστον ἐπιφέρων τὴν γλῶτταν. & quartus Procopius *de bel. Vand.* cuius hæc sunt verba perperam interpretata à Volaterrano: πολλῶν καὶ ταὶς γλώσσας ἀπέτεμεν ἀπ' αὐτῆς φάρυγγος, οἱ ἔτι, καὶ ἐς μὲ τελέοντες ἐν Βυζαντίῳ ἐχρῶντο ἀκραιφνεῖ τῇ φωνῇ, ἐδ' ὅπως ποιῶ τοῦτο δὴ τῆς πρωτείας ἐπιλανθανόμενοι, ὧν δὴ δύο ἐπιδὴ γυναῖξιν ἐπίκρασις πλησιάζειν ἔγνωσαν, ἐκ ἔτι φθέγγεσθαι τὸ λοιπὸν ἴσχυσαν. Multos ait sua ætate fuisse Constantinopoli superstites adhuc quibus tametsi Honoricus linguas radicitus amputasset, tamen integer erat vocis vsus perinde ac si nullam talem ab eo pœnam pertulissent. Duos tantum ex eis cum se scortis miscuissent, ampliusloqui nequiuisse. Tot testibus etiam addi potest Victor Vticensis *libro de persecutione Africæ*, & Paulus Diaconus in *Odoacro.*

Cap. VII.

Agros ex hostibus captos publicari, nec prædæ loco cedere.

PRædæ loco victoribus militibus cedunt liberi homines quos bello ceperunt iure gentium, itemque homines serui & pecudes, & res omnes mobiles vel animales quas occupauerunt ex hostibus, non etiam res immobiles. nam agri ex hostibus capti publicantur, *l. si captiuus §. pen. D. de cap. & post.* & quod ait Labeo in *l. si quid, eod. tit.* quod bello captum est in præda esse, non postliminio redire, de re mobili aut se mouenti accipiendum est, non de immobili. Et postlimniio non redire pacis aut inducIarum tempore nisi hæc fuerit pactio pacis, vt captiui redderentur. nam quod *l. in bello, in prin. eod. tit.* In pace autem & cet. nisi legas id, pro nihil dictum est ἐλλιπῶς, vt *l. 1. D. Si quis ius dic. non obt.* Porro hac distinctione rerum eleganter vtitur Solomon præf. pret. Africæ apud Procopium *lib. vltimo de bello Vandilico*, dicens, æquum esse agros ex hostibus captos redigi in publicum, ex quo milites stipendia & annonas ferunt, non etiã militib⁹ prædę loco cedere, quod tamen suasu vxorum captiuarum expulsis Vandalis sibi milites quidam vindicabant. & hæc quidem sunt Procopij verba. Ταῦτα οἱ γραπτῶται ἐν νῷ ἔχοντες Σολόμωνι εἶκειν ἐκ ἤθελον χθιζαὶ τὰ βανδίλων χωρία, ἐς τὸ τὸν δημόσιον καὶ ἐς τὸν βασιλέως οἶκον ἐθέλοντα ἀναχωρῆσαι, φάσκοντί τ' ὡς τὰ μὲ ἀνδράποδα καὶ τὰ ἄλλα πάντα χρήματα τοῖς γραπτῶταις ἐς λάφυρα ἰέναι, ἐκ ἀπεικὸς εἶ, γῆν μὲν τοι αὐτὼ βασιλεῖ τ' καὶ τῇ ῥωμαίων ἀρχῇ προσήκειν, ἢ γὰρ αὐτὸν ἐξέτρεψε τ' καὶ γραπτώτας καλεῖσθαι τ' καὶ ἐδ' ποιῆσαι, ἐκ ἐφῶ σφίσιν αὐτοῖς τὰ χώρια κεκτῆσονται ὅσα αὖ βαρβάροις ὑπηκόους τ' ῥωμαίων βασιλείας ἀφέλοιντο, ἀλλ' ἐφῶ ἐς τὸ δημόσιον ταῦτα ἰέναι, ὅθεν σφίσι τ' καὶ ξυμβαίνῃ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τὰς οὐσίας κομίζεσθαι. Verum vt præda aliquando, vel aliqua ex parte in publicum redigebatur *l. pen. D. ad leg. Iul. pec. l. pen. §. simile, C. de donat.* ita prædiis redactis in publicum, ex eis sæpe pars militi-

bus adsignabatur pro emerito, *l. Lucius, D. de euict. l. in agris, D. de adq. rer. dominio.* atque ita prędæ loco cedebat.

Cap. VIII.

Locus explicatus l. Cum quidam D. de vsur.

CVm ad speciem propositam initio *l. cum quidam D. de vsur.* ita D. Marcus rescripsisset, *Praesidem prouinciæ adi, qui stipulationem de cuius iniquitate questus es, ad modum iustæ exactionis reuiget*, Paulus adnotauit hanc D. Marci Constitutionem ad finitum, vt Flor. habent, hoc est vsque ad summum modum excedere, quoniam iudici permittit stipulationem vsurarum redigere ad legitimum modum. ergo vsque ad summum legitimæ vsuræ libera potestas iudici datur vsuræ constituendæ, quæ res iudici vel ambitionis erga potentes, vel gratiæ erga ceteros, materiam forte præstabit, vnde melius esse ait ita rem temperare, vt iudex ob non solutas leuiores vsuras, grauiores de quibus conuentum est, infligat ex die quo leuiores soluere debitor desiit, non retro etiam ex præterito tempore quo leuiores solutæ sunt. Et eodem sensu in veteribus exemplaribus Plinij *lib. XXXI. c. III.* legi, Niues præferunt imbribus niuibusque etiam glaciem, velut ad finitum coacta subtilitate: leuiora enim hæc esse. In eodem capite post illa verba, Certior subtilitas, inter pares meliorem esse quæ calefiat refrigereturque celerius, quæ sunt ex *aphorismo Hippocratis*, ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον, quod sequitur ita restituendum est, Quin & haustam, vasis ne manu pendeant depositis in humum, tepescere affirmant.

Cap. IX.

Pœna abacti partus.

QVæ sit pœna abacti partus non ex facili dixerim, cum *l. Cicero, D. de pœn.* priore sui parte statuat pœnam capitis mulieri quæ sibi partum abegit, posteriori autem parte exilium temporarium, vt & *l. 4. D. de extr. crim. & l. si mulierem D. ad legem Cornel. de sic* nec plane scio, an sicut multum interest pecunia accepta perperam iudicauerit iudex, an odio vel gratia, ita, quæ sola notatur differentia in *d. l. Cicero*, grauius puniatur quæ pecunia accepta sibi abegit partum, quam quæ odio mariti post diuortium, ne inimico filium procrearet, vt ait lex. Est enim diuortium magnarum inimicitiarum causa. & ita in *l. cum in fundo §. sed & si non sit, D. de iu. dot.* inimicus mulieris dicitur maritus à quo diuortit. An vero magis probanda sit distinctio quam ex lege Dei datâ populo Israëlitico Accursius notat in *d. l. 4.* vt si partus fuerit abactus facto mulieris vel alterius quod iam erat animal, hoc est παιδίον ἐξεικονισμένον, vt est in lege Dei *Exodi XXI.* interpretibus LXX. puta vtero iam verminante, quod proprie abortum dicimus, tum capitale sit crimen. Sin vero nondum animal fuerit, si fuerit παιδίον μὴ ἐξεικονισμένον, vt illo loco LXX. loquuntur, vel ἀμόρφωτον, vt *Psal.* 138. quod Grammatici aborsum vocant, tum minor pœna infligatur, veluti in primis mensibus intra XL. aut XC. diem abacto pecu, non multo post conceptum, nec dum animato. nam & aborsus veteribus impunitus fuisse videtur, & Aristoteles ipse aborsum permittit πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζῆν id est antequam pecus sensu & vita præditum sit, *Polit. VII.* quod tamen Christiani æque abhorrent atque si prope tempus pariendi abactus partus fuerit. Tertullianus in *Apologetico.* Nobis, inquit, homicidio semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est prohibere nasci. nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui est futurus. etiam fructus omnis iam in semine est.

Cap. X.

Etiam inuoluntaria quædam delicta coërceri.

VEl definitio legis tradita à Papiniano ostendit etiam quædam inuoluntaria delicta coërceri. Et specialiter *l. 2. D. de ter. mot.* eum qui per ignorantiam aut casum lapides finales abstulerit, verberibus coërceri. nam & si non crimen, culpa tamen quædam in ignorantia est. & ex XII. tab. etiam qui ædes struemve frumenti combussit casu quodam, non consulta opera, in eum est actio in duplum, vel si non sit soluendo, extra ordinē coërcetur, *l. qui ædes, D. de incen. ruina & nauf.* præsertim si maxima & incauta negligentia vel lasciuia fuerit, imo & si leuior culpa fuerit ex lege Aquilia in eum competit actio, *l. qui occidit §. pen. Adleg. Aq.* & lege Dei *Exodi XXII.* vbi ἅλωνος nomine LXX. aceruum frumenti intelligunt. Constat etiam lege Dei exilio voluntaio ad tempus destinatis vrbibus sex, tribus cis, tribus vls Iordanem, eos sibi vitęque suæ consuluisse qui fortuito homicidium fecissent, puta manu fugiente ferro, vt Onkelosius Chaldæus interpres dixit *Deuter XIX.* quem etiam D. Hieronymus sequitur, vt in nostris actionibus *apud Ciceronem*, Si telum manu fugit magis quam iecit, quod imitatus D. Augustinus *de libero arbitrio*, Cui, inquit, inuito atque imprudenti telum manu fugit: & similiter Celsus *XXXVII. Digestorum*, Si stipulam incendenti ignis fugit. Et *Nou. Valentiniani De hom. ca. fac.* etiam homicidium casu factum punitur nisi sua adnotatione obliuionem veniamque delicti fecerit Princeps. & *l. ant facta §. Euentus, D. de pœnis*, hoc idem ostendit dum ait à clementissimo quoque factam cædem coërceri, non voluntate, sed euentu inspecto, quod non pugnat cum eo quod Diuus Adrianus rescripsit, voluntatem spectari non euentum: nam hoc ita procedit si quis cum telo fuerit hominis occidendi causa, licet non occiderit. & ad hunc casum respicit ille §. *Euentus*, dum subiicit, quanquam lex non minus eum & cet. & obtinet idem in aliis plerisque maleficiis vt docui *Obs. XV.* vt rescriptum quoque illud non de homicidio, sed generaliter de maleficiis loquitur. At non idem erit è contrario, si occiderit cui non fuit voluntas occidendi, nisi forte quis in publico certamine, in stadio colluctatorem occidat, cum id agit non vt occidat, sed vt viuum prosternat & vincat, *l. 7. §. si in colluctatione, D. ad leg. Aq.* Demosthenes χτ' ἄειε. ἐπὶ τὸ συμβαὶν νόμος ἐσκέψατο, ἀλλὰ τὴν τῆς διανοίας. ἔστι δ' αὖ δή τις ζώντα νικῆσαι, καὶ οὐκ ἀποκτεῖναι. & Tertullianus *aduersus Gnosticos.* Iniuriarum actiones extra stadium esse. Plato *in suis legibus*, εἰ τὶς ἐν ἀγῶνι καὶ ἆθλοις δημοσίοις ἄκων ἀπέκτονέ τινα φίλον, καθαρὸς ἔστω. ad quem casum etiam referri potest rescriptum D. Adriani. alioquin ei qui imprudens cædem fecit, venia Principis opus est.

CAP. XI.

Rationes quædam inhibendorum latronum.

MVltis latronibus post bella ciuilia in Italia grassantibus, eos Augustum inhibuisse Suetonius scribit dispositis per opportuna loca stationibus, id est stationariis militibus, & qui eis præessent latrunculatoribus. nam & latrunculatores, quos Græci vocant λησοδιώκτας, ex illo instituto Augusti profectos opinor, quod & Tiberium seruasse idem auctor est. Imprimis, inquit, tuendæ pacis à grassaturis ac latrociniis curam habuit, stationes militum per Italiam solito frequentiores disposuit. Dispositæ etiam sunt in Prouinciis eadem ratione. Tertullianus *in Apologetico.* Latronibus vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur. & ita legimus apud Eusebium *De loc. Heb.* in loco latrociniis infami qui à Græcis dicitur ἀνάβασις πύῤῥων. i. ascensus sanguinariorum siue latronum inter Æliam & Hiericum fuisse positam stationem siue castellum militum ob auxilia viatorum. Idem Augustus inhibendis latronibus vel τῇ καταλύσει τῆς λησῶν, vt Strabo scribit *lib. IV.* constituendarum publicarum viarum curam suscepit, ne arctæ essent nec præruptę, ne fallaces & ponendis grassatorum subsessis accommodæ. Illa quoque ratio inhibendorum grassatorum valde placet quam Aristoteles notauit *in admirandis suis*, si quod esse in more quibusdam Italiæ regionibus Alciatus noster scribit, qui loco, in quo latrocinium factum est, sunt proximiores oppidani, aut municipes, aut vicani, latrones exhibere, aut damnum sarcire compellantur: nam & apud Iosephum legi *II. de bello Iudaico cap. XX.* Cumanum procuratorem Syriæ imputasse proximorum vicorum dominis quod latrones persecuti non comprehendissent (nam pro διωκώτας illo loco legendum est διωμώτας) & malim certe hoc imputari dominis qui vico imperant quam vicanis. Nec abs re est quod homicidio commisso in agro, cuius auctor ignoratur, lex Dei data populo Israëlitico exigit vt in se vicina ciuitas expiet scelus solemni ratione quadam, atque ita eo se absoluat atque purget, *Deuteronomij XXI.* Cur enim nisi quia non immerito potest eius sceleris culpa transferri in vicinum oppidum, ciuitatem aut vicum?

CAP. XII.

Ratio differentiæ inter furem nocturnum & diurnum, manifestum & nec manifestum.

VT furem nocturnum occidere liceat non diurnum siue interdiarium quod multis iam in locis expositum, id ex legibus Solonis fuisse relatum in XII. tab. constat ex Oratione Demosthenis *contra Timocratem*, in qua hęc legis Solonię de furtis verba proponuntur, εἰ μὲν τις μεθ' ἡμέραν κλέπτοι, ἀπαγωγὴν ὀφλισκάνειν τοῦ ἰδίου ἕνδεκα. εἰ δ' τις νύκτωρ ὁπουοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι. Et placet valde ratio qua Vlpianus vtitur, quod difficilius sit cauere sibi à nocturno quam à diurno fure. ἐν γὰρ ἡμέρᾳ δυνατόν τινα καὶ βοηθοὺς καλέσαι ἑαυτῷ, ἐν δὲ νυκτὶ, ἀνέφ. Hæc sunt verba Vlpiani quibus efficit maius esse nocturnum crimen. & his accedit Platonis lex, Νύκτωρ φῶρα εἰς οἰκίαν εἰσόντα ἐπὶ κλοπῇ χρημάτων ἐὰν ἕλων κλείνητις, καθαρὸς ἔστω Inuenio etiam eandem differentiam constituere legem Dei *Exodi XXII.* nimirum vt fur siue effractor nocturnus impune occidatur non etiam diurnus. Cur maior sit pœna furis manifesti quam nec manifesti A longe alia ratio est, nempe vt plus consequatur qui vigilantior fuit in seruandis rebus suis, quique diligentior in persequendo & deprehendendo fure. nam furtum quod fit nobis, nostræ culpæ adnumeratur, non casui, vt latrocinium. & quo maior culpa est in eo qui non deprehendit furem, eo etiam actione furti minor, æquum est vt ad eum redeat pœna, scilicet vt eatenus & ipse suę negligentię sustineat aliquam pœnam, nec alia ratio dandę actionis furti non etiam de dolo malo ob rem summamve modicam. maior enim stultitia est eius cui videnti & consentienti palam fallaciis quibusdam quam cui inuito furtim sua res eripitur. eademque ratione de dolo actio est temporaria, furti perpetua.

CAP. XIII.

An procurator Cæsaris de capitalibus causis cognoscere possit.

PRocuratores Cæsar mittebat non tantum in prouincias quas Senatui & populo reliquerat, sed etiam in suas, Dione auctore *LIII.* quas sibi receperat, vel equites Romanos vel libertos suos, qui initio quidem nullam habuerunt iurisdictionem, sed administrationem tantum rerum fiscalium, vt idem *eodem lib. & LVII.* scribit, & Strabo *III.* post vero auctore D. Claudio ex S. C. data est eis iurisdictio inter fiscum & priuatos in causis fiscalibus pecuniariis non in causis criminalibus, nisi cum fungebantur vice præsidum *l. 3. D. de off. proc. Cæs. l. ex consensu* § *1. D. de appel. l. 3. C. vbi caus. fis. l. 2. C. de pœn. l. 1. C. de ped. ind. l. 4. C. ad leg. Fab. l. frustra, C. de bo. pros.* vt Pontius Pilatus fuit procurator Cæsaris in Syria vice præsidis. alioquin de crimine præsidis cognitio est. At crimina pœnave criminis extincta morte rei, succedunt partes procuratoris Cæsaris, si supersit bonorum quæstio, vt *l. 1. & 2. C. vbi can. fis. l. defuncto, D. de pub. ind.* Item post dictam de crimine sententiam, de bonis fisco vindicandis procuratoris Cęsaris cognitio est. & ita Vlpianus *lib. IX. de off. Proconsul. tit. ad legem Fabiam*, legis Fabiæ cognitionem in prouincia esse Præsidum prouinciarum. *Nec aliter*, inquit, *Procuratori Cæsaris hæc cognitio iniungitur quam si Præsidis partibus in prouincia fungatur.* Plane post sententiam de plagio dictam, Procuratoris partes succedunt. Idem tamen Vlpianus subiicit. Insulę Cretæ procuratori, qui illam prouinciam regit, licet de capitalibus causis cognoscere non possit, quod scilicet vice præsidis non fungatur, tamen ex Constitutione Antonini de lege Fabia & de lege Iulia de adulteriis cognoscere licere. Repono, Insulæ Cretæ, loco horum verborum quæ deprauatissima erant, Huius certæ. Regebatur Creta cum Cyrenaïca à Proconsule ex Instituto Augusti, vt Strabo scribit duobus locis, itemque Dio *LIII. illo loco*, Κρήτη τε μετὰ Διβύης ἡ πρὸς κυρηνίᾳ. Egesippus *II. de excidio Hier.* Creta centum vrbibus nobilis, vnum consularem veretur. & plurimi populi sex fascium virgul metu inclinantur. idemque patet ex *l. 14. D. ad S. C. Turp.* Nec tamen ideo male ab Vlp. Creta dicitur regi à procuratore Cæsaris. nam in partem administrationis prouinciarum procuratores Cæsaris veniunt, & ἡγεμόνες dicuntur non minus quam legati vel præsides, vt rectius vetus interpres *Lucæ III.* ἡγεμονεύοντος Πιλάτου, procurante Pilato, quam alij Præside. Præses enim Syrię tum fuit Vitellius vir Consularis, Procurator Pilatus eques Romanus, cuius rei auctores habeo, Tertullianum, Tacitum, Iosephum.

Cap. XIV.

Differentia vna inter eos qui pro ciuitate sua & eos qui pro principe legatione funguntur.

VLpianus scripsit in *l. 26. §. vlt. Ex quib. cau. ma.* eum qui pro ciuitate sua legatione fungitur ad principem si quid per cæusam absentiæ amiserit vel non adquisierit restitui in integrum ex generali clausula, Si qua alia iusta causa, vel ex Constitutionibus hodie, veluti Marci & Commodi, vt *l. 8. eod.* licet in ciuitate sua à qua legatus creatus est procuratorem reliquerit à quo defendi potuit, si nec defensus fuerit: tamen, vt *l. 1. C. eod.* discordare cum Vlpiano videtur Paulus in *l. 39. eod. tit.* qui generaliter definit eum qui Reip. causa abest, si procuratorem domi reliquerit per quem defendi potuit, reuersum non restitui in integrum. quæ definitio etiam complectitur legatum, sed legatum qui abest Reip. causa, puta missum à principe ad hostes vel ad exteros. nam legatus municipalis non abest Reip. causa quia ciuitates vel municipia priuatorum loco habentur. & ex septem quas attulit Accursius, hæc vna est ratio componendi dissidij inter Vlpianum & Paulum quæ mihi videtur esse verior, & quam Græci quoq; interpretes comprobant magis, è quibus Theodorus Hermopolites hanc reddit rationem differentiæ, quia legatus municipalis cum sit creatus communi ciuium decreto in rem communem omnium, non potest quisquam ciuium ex absentia eius captare lucrum, siue procuratorem ille reliquerit siue non, quia per omnes factum est vt abesset in rem omnium, & iniquum est vt qui tuæ rei causa peregre profectus est tua voluntate, eum interim tu impune lædas in re sua; quod idem dici non potest in legato principis. nam etsi mittatur Reip. causa, tamen à solo principe mittitur non decreto omnium ciuium. & verba Theodori hæc sunt. ἐπεὶ γὰρ ἅπαντες οἱ πολῖται τὸν πρεσβευτὴν ἐπελέξαντο, καὶ ὑπὲρ τοῦ κοινῆ συμφέροντος ἀπῆλθεν ὁ πρεσβευτὴς, ἐὰν τις τῶν συλλάντων αὐτὸν πολιτῶν δίκην ἔχει μὴ αὐτὸς, οὐκ ἂν βοηθηθείη καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ, ἀπελθόντος εἰς τὸν βασιλέα πρεσβευτοῦ. εἰ γὰρ ἐκεῖνος εἰσάγει τὸ τοιοῦτόν τι καὶ τὸ πρεσβευτοῦ, εἶπεν καὶ ὁ πρεσβευτὴς πρὸς αὐτόν. ἄνερ, σὺ με ἀπέστειλας, καὶ νῦν διὰ τὸ ὑπὲρ σοῦ ἀποδημίαν, ζητεῖς βλαβῆναι, καὶ ζημιωθῆναι με, ἄδικον πρᾶγμα αἰτεῖς. τοῦτο γὰρ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ἐπὶ τοῦ πρὸς βασιλέως πεμπομένου πρεσβευτοῦ. εἰ γὰρ καὶ ὑπὲρ τοῦ συμφέροντος πάσῃ τῇ ῥωμαίων ἀρχῇ οὗτος ἐστάλη, ἀλλά γε μόνος ὁ βασιλεὺς ἀποστέλλει αὐτὸν, καὶ οὐκ ὁ κατὰ τὴν πολιτῶν.

Cap. XV.

Ad l. 28. §. si quis sæpius, D. ex quib. cau. ma.

QVod ait *l. nec non §. si quis sæpius D. ex quib. cau. ma.* Si quis sæpius Reip. causa abfuerit, &c. quodque subiicit, sed si omnes quidem absentiæ, &c. id omne Basilica hoc versu complectuntur, ἐὰν πολλάκις ἀποδημήσῃ εἰς πρᾶγμα δημόσιον, ὁ ἐνιαυτὸς τῆς ἀπογραφῆς μὴ τὴν ὑστέραν ἀποδημίαν ψηφίζεται: Si sæpius abfuero Reip. causa, annus restitutionis post vltimam absentiam computatur. Igitur quod subiicitur, Sed si omnes quidem absentiæ, &c. eò pertinet vt intelligamus annum restitutionis dari ex nouissimo reditu non tantum si absentiæ.i. absentiarum interualla minus anno, sed & si annum integrum coadunatæ colligant. Pone, vt idem Theodorus ponit, Qui rem meam bona fide possidere cœperat, eius rei vsucapionem impleuit me absente Reip. causa. ego post reditum in ciuitate feci tres menses vtiles, vel ad Iustiniani Constitutionem specie accommodata annum continuum. post Reip. causa iterum abesse cœpi, & reuersus similiter in ciuitate feci tres menses vel annum. actertium deinde etiam Reip. causa abfui, & reuersus alios tres menses vel alium annum in ciuitate feci. & quartum nouissime abfui Reip. causa. Reuerso mihi dabitur integer annus vtilis ad restitutionem, vel hodie integrum quadriennium continuum non computatis IX. mensib. aut tribus annis quos inter absentias in ciuitate feci. Idemque erit si omnes absentiæ, id est, si quod temporis inter absentias omnes in ciuitate feci, id omne colligat annum vel quadriennium, vt si post primam absentiam quatuor menses vel XVI. in ciuitate feci, si post secundam, totidem, quanquam hoc casu tentari poterat anno vel quadriennio per absentiarum interualla in ciuitate perducto ad diem extremum ei qui eo ipso die cum nondum exisset nouissime abesse cœpit Reip. causa, reuerso non dandum alium annum aliudve quadriennium ad restitutionem, sed tantum dumtaxat temporis quantum occupasset quarta & nouissima absentia, id est quo petere restitutionem, superuentu negotij publici præpeditus esset, quod tamen Vlpianus non admittit supradicto loco, & secundum hanc sententiam apparet, interualla absentiarum, si sint singula anno vel quadriennio minora, absentiis connumerari. & recte igitur illa verba, Sed si omnes quidem absentiæ, nos accipere de interuallis quæ fuerunt inter absentias. At sciendum est, restitutionem quidem dari ex nouissimo reditu intra annum vel quadriennium, sed restitui tantum eos dies quibus me absente rei meæ vsucapio finita est, vt si eam aduersarius me præsente possedit statuto vsucapionis tempore vno mense minus, deinde Reip. causa abesse cœpi, mihi reuerso petita restitutione intra quadriennium vnus tantum mensis restituatur ad rescindendam vsucapionem. & ita est accipienda *l. 26 §. sed cum feriæ & §. seq. eod. tit. l. vlt. D. de minor.* Item in *d. §. si quis sæpius*, agi de vsucapione finita me absente, non de finita me reuerso; quæ per restitutionem non rescinditur aliter quam si paulo post reditum finita sit, cum me protinus ad restituendę rei meæ actionem compararem: nam verbum, postea, in edicto, non longum interuallum sed modicum tempus significat, *l. ab hostibus §. vlt. eod. tit,*

Cap. XVI.

Constitutio Constantini ad Tertyllianum De inuasis locis alienis.

EX Constitutione Imp. Constantini ad Tertyllianum, quæ inserta integra est interscripta Iulij Frontini de limitibus agrorum, ducta est ex *l. 3. C. fin. reg. & l. inuasor, C. vnde vi.* Sed vtraque à Triboniano aliquantulum interpolata. Eo vero quo coniunctæ sunt vinculo ad Iulium Frontinum, hanc sententiam exprimunt, si vicinus dicatur inuasisse loca quædam agri vicini, vnde orta sit inter adfines quæstio de proprietate locorum, quæ cohæret quæstioni de finibus, vel contra si orta sit inter eos quæstio de finibus, quæ etiam cohæret quæstioni de proprietate, vt Apuleius *VI. Metamorphoseos* ait, in causa finali de proprietate contendi, (hæc vero propositio congruit contextui *d. l. 3.* illa contextui relato ad Frontinum) quia nunquam existit quæstio de proprietate vel de finibus, quin etiam de possessione quæratur, vt potius de possessione quæstio finiatur, *l. 3. C. de interd. l. ordinarij, C. de rei vind.* deinde

agrimensor mittatur ad loca de quibus est controuersia, vt præsente vtraque parte oculis subiectis suis locis, vt *l. si irruptione in fin. D. fin. reg.* disterminet fines & secundum ordinem finitionis eius de proprietate quæstio finiatur: vel si altera pars locorum adempta, dominium, id est possessionem se subtrahat, ne quæstio de proprietate possit definiri, vt nihilominus ad locorum ordines faciendos mittatur agrimensor, qui etiam absente altera parte μονομερῶς inspectis locis statuat ad quem potius loca de quibus agitur pertinere videantur, &, vt ait Constantinus, si fidelis inspectio tenentis loca esse probauerit, petitor victus abscedat, si contra loca eius esse claruerit qui primo detulerit causam, vt tum inuasor pœna legitima teneatur, quia post finitam demum de possessione & principalem de proprietate quæstionem, de vi criminaliter agi potest *l. 1. C. de appell. l. Si quis, C. ad legem Iul. de vi*, improbato decreto Adriani, de quo *lib. V. cap. XV.* Et pœna legitima, id est ex legibus Iuliis, vel ex eiusdem Constantini *l. 6. & 7. C. ad legem Iul. de vi*, pœna capitis vel deportationis quę differtur post totius negotij exitum, vt ait *l. 14. C. Theod. quor. app. non rec.* in qua fit mentio *d. l. 6. & 7. siue l. 1. 2. 3. C. Theod. eod.* Et hoc, vt posui, si vi eadem loca eundem inuasisse constiterit. Nam si per errorem vel incuriam domini loca data ab aliis possessa sunt & cet. Placet addi in *d. l. inuasor*, verbum, *data*, quod est in lege Constantini ad Tertullianum integra, vt primum ponamus dominum ea loca possedisse, non possessionem fuisse vacantem, quo casu primus Iustinianus dedit domino momentariæ possessionis interdictum, *l. vlt. C. vnde vi*, secundum quam licet etiam ponere in specie *d. l. inuasor*, possessionem fuisse vacantem, vt Græci χηλάζουσαν τὴν νομὴν, sed integra lex Constantini & forma veteris iuris potius exigit vt ponamus dominum ea loca possedisse, & per errorem eius dum alia pro aliis accipit non admodum peritus possessionum suarum vel per incuriam dum satis segnis est in inspectione & conseruatione locorum suorum, alios ea loca mihi bona fide ementi vendidisse, & tradidisse non ignorante eo, & hoc casu me quia nihil deliqui nulli pœnæ obstringi, sed domino teneri in hoc tantum vt ei restituam possessionem non interdicto Vnde vi, quia vis nulla intercessit, sed generali interdicto restitutorio momentariæ possessionis, quod hodie beneficium redintegrandæ possessionis appellamus, cuius vsus ductus videtur ex *d. l. inuasor*, & ex *l. momentariæ, eod. tit.* quæ interdictum momenti non semper ait ad vim pertinere, sed & ad alio modo possessori ablatam possessionem, veluti sub specie & terrore rescripti aut iudicati *l. 6. C. vnde vi, l. 2. C. si per vim vel alio mo.* & ex *l. vlt. C. vnde vi*, etiam ad occupatam possessionem vacantem, absente domino, sine auctoritate iudicis, à non creditore.

CAP. XVII.

Coniectura ad l. 3. §. Plane si dubitat, D. de lib. ho. exhib.

SI quæratur de statu, puta liber sit an seruus homo qui apud alium est, sicut interdicto de tabulis vel liberis exhibendis non oportet prejudicium fieri quæstioni hereditatis, *l. vlt. D. de tab. exhib. l. pen. D. de lib. exh.* secundum regulam *l. per minorem, D. de ind.* ita Vlpianus in *l. 3. §. Plane si dubitat, D. de lib. ho. exh.* ait interdicto de libero homine exhibendo non oportere præiudicium fieri alienæ cognitioni. & alienam cognitionem proculdubio vocat cognitionem liberalis causæ, quæ & proprie cognitio dicitur & cognitor, defensor in causa status, auctore Asconio Pediano. etsi forte eo loci illud, Alienæ, est proprium nomen legis de cognitione liberalis causæ. nam & auctores limitum mentionem faciunt legis Alienę, & apud Dionem *in Vespasiano* fit mentio Alieni Vespasiano amicissimi, & Liuij 3. L. Alieni trib. plebis, & *in Diuinatione* illo loco, Deinde vt opinor habet Alienum, Asconius quosdam Alienum velle intelligi proprium nomen esse, quod est verissimum, quosdam hominem alterius iudicij non ex auditorio Prætoris significari, quod vix probaturus est quisquam, sicut nec in *d.* §. *Plane*, vt alienæ, sit alteri cognitioni. nam & alteri cognitioni simpliciter per alteram præiudicium fieri nusquam vetatur, sed maiori tantum, veluti de vita, de hereditate, de libertate, de causa fiscali. Cum eo vero quod ait, si de statu agatur cessare interdictum De libero homine exhibendo, non pugnat §. *exhibitoria, Instit. de interd.* qui Prætorem ait per interdictum iuberi exhibere eum cuius de libertate agitur, quoniam hoc sic intelligi potest, cuius de libertate tuenda agitur, ne inuitus ab alio retineatur quem pro certo constat esse liberum. vel etiamsi vt Theophilus ea verba accipias de controuersia status quam fecit qui eum tenet quem in libertatem vindicare volo, hic erit sensus, vt huius iudicii præparandi causa absque præiudicio possim desiderare exhiberi eum vel actione ad exhibendum *l. De eo, D. ad exh.* vel interdicto prętoris.

CAP. XVIII.

Ad l. Quisquis, C. de donat.

SI rem meam quam tibi per epistolam donaui, constituo me à te precario possidere, eius rei possessio à me tibi tradita videtur, quia desino mihi possidere, & possideo tibi, *l. quod meo, D. de adq. poss.* & eadem ratio est, si rem donatam à te conduco, *l. quadam, D. de rei vind.* vel si mihi recipio vsumf. rei donatæ, *l. quisquis, l. si quis argentum* §. *sed si quidem C. de don.* Retentio vsusfruct. facta in donando pro traditione habetur, & etiam non subdita stipulatione, vti frui licere, vsumfructum constituit in personam donatoris, *d. l. quisquis*, & in donando tamen si conuenerit vt donator teneatur de euictione, nihil agitur citra stipulationem, *l. 2. C. de euictionib.* Hoc autem ius vt in donando recipere vsumfructum sit tradere possessionem rei donatæ, etiam olim obtinuisse significat *l. vlt C. Th. eod. tit.* nec quod ponitur in *l. Seia D. de mor. cau. don.* donator in tradendo sibi vsumfructum recepisse, ex eo sequitur & in donando per epistolam sine traditione corporali eum qui sibi vsumfructum recipit non videri possessionem tradidisse rei donatæ, sed hoc tantum traditionem corporalem plenam proprietatem transferre in donatarium, nisi excipiatur vsusfructus nominatim. Non facta autem rei donatæ traditio corporalis pro facta habetur retento vsufructu, quia fingitur breui manu, vel vt Isidorus ait ad *d. l. quisquis* χειρὶ οἰκειοῦται, donator donatario rem tradidisse & mox ab eo recepisse vtendam fruendam, celeritate coniungendorum extremorum subrepto & occultato medio, vt *l. 3. §. vlt. D. de donat. inter vir. & vx.* Vix enim vlla sunt extrema sine medio, nec ὅρος ὅρου πορρωτέρω, vt Plato ait *IX. de legib.* Fictas igitur traditiones si illas, & ceteras igitur omnes quas in aliis causis & in donatione ius ciuile admittit, vt si rem donatam retineat tanquam sibi commodatam à donatario, vel in causam pignoris aut depositi, vel vt *l. 1. C. de donat.* si tradat donatario instrumentum emptionis rei donatæ, vel vt *l. 7. & 8. C. eod.* si consentiente domino & volente donare

quis rem eius tanquam suam in censum deferat, aut deferat dominus ipse, vel si donetur res ei qui ex alia causa eam volente domino possidet, *d. l. quædam, l. absenti, D. de don.* Inuenio etiam in *c. 2. De consuet.* probari consuetudinem regni Daciæ, vt fundos donatos tradidisse ecclesiæ donator videatur delata vna gleba in ecclesiam, & vel altari imposita vel tradita in manum episcopi, vel alterius ecclesiæ prælati, qui mos videtur deriuatus ex iure ciuili, quo vna gleba in ius delata in ea tanquam in toto fundo vindicatio fieri solebat, vt refert Aulus Gellius *XX.* & similiter aditio hereditatis arrepta re aliqua hereditaria, *l. 1. C. Th. de leg her.* nam & aditio vindicatio est, *l. Si tu ex parte §. vlt. & l. vlt. De adq. her. l. 15. C. de cap. & postl.* Et vt fictitias quascumque traditiones in aliis causis receptas etiam in donationibus admittam, monet ratio *l. vlt. C. Th. de donat.* quod solemnitates iuris contrahere potius quam propagare debeamus. & tamen alio iure vtimur.

CAP. XIX.

Ad l. VII. C. de ædif. priu.

NOn licet quidem ædificium totum aut partem eius demoliri materiæ in eandem vel aliam vrbem transferendæ causa. At nihil vetat quædam vt ait *l. 2. C. de ædif. pri.* veluti ornatus quosdam ædificiorum, hoc est marmora, columnas, statuas ex domo nostra transferre in aliam domum æque nostram, vt *l. cetera §. item quæri, D. de leg. 1.* non tantum intra vrbem eandem, sed etiam ex vrbe in aliam vrbem vel ex rure & villa nostra in rus aliud villamque nostram, *l. 6. C. de ædif. pri.* cui vehementer aduersatur *l. 7.* quæ vetat ex alia vel eadem prouincia columnas statuasque auferri vel moueri. Posset dici translationem tantum ornatus labentium parietum permitti in *l. 6.* Sed & si lex ita scripta sit, contra dici potest etiam non labentium parietum ornatus ex mente legis transferri posse. quia labentium parietum quod ait, exemplum est vnum causæ quæ nos impellit ad transferendum ornatum vnius domus in aliam, quo non excluduntur aliæ causæ, quæ nos ad idem compellere possunt. Alij dicunt, id est diuinant, in *l. 7.* translationem eam tantum prohiberi quæ fit promerciī non ornandorum aliorum ædificiorum causa. & præterea lex ait, auferre vel mouere. Auferuntur quæ detrahuntur vt transferantur ex alio ædificio in aliud. Mouentur quæ eruuntur ex officinis. quæ vero ratio est, ne quas emi columnas vel statuas à fabro vel sculptore loco moueam? Sed tamen hoc vel illo modo quia non suppetit alius hæc legum pugna nobis vtcumque eludenda est, qui non laboraremus si esset integra. At non esse integram apparet ex *l. 1. C. Theod. de iud. deb. l. 2. C. Th. de itin. mun. l. 15. C. Th. de cur pub.* ex quibus in inscriptione *l. 7.* pro Vitianum scribendum Auitianum. & inuenio translationem marmorum quam priuati faciunt, quo nomine nemo negabit significari non rudem tantum & infectam materiam, sed & factam, puta columnas & statuas marmoreas, nominatim permitti *d. l. 15.* & hoc tantum prohiberi ne ad transferenda marmora priuatorum in ciuitatibus vehicula aut iumenta prouincialium ad canalem commoueantur, quod non sit æquum otiosis ædium cultibus, quibus verbis marmora intelligit, prouincialium patrimonia lacerari, scilic. vt suis quisque vehiculis sua marmora transuehat. & canalem vocat viam publicam, vt *l. 2. C. Theod. de curios. & synodi Sardicenæ c. 21.* ἐν τοῖς παρόδοις ἤτοι κραναλίῳ, & Apuleius *VI.* Iam canale directo pergis ad ipsam Orci regiam. & *IX.* Propellor ad incurua spatia flexuosi canalis.

CAP. XX.

Ad l. 1. D. in quib. cau. pig. vel hyp. tac. cont.

QVæ oratio D. Marci in *l. cum duobus §. idem respondit, D. pro soc.* dicitur præfinisse socio quatuor menses ad restituendum sumptum alteri socio qui solus illo interpellato & cessante communi nomine domum aut baleum reædificauit, eosdem etiam finiuit domino in solidum, quo cessante quis studio decoris publici in vrbe vel municipio ruina collapsum aut incendio consumptum ædificium restituit, *l. ad curatoris §. 1. D. de dam. inf.* & eadem, vt opinor, simul ac S C. quod eam consecutum est dedit instauratori tacitā hypothecā in ædificio instaurato, & duob. casibus ex eodem S. C. proditis in *l. 1. D. in quib. cau. pig. tac. cont.* Si quis pecuniam ob restitutionem ædificij extruendi domino mutuam dederit, Si quis mandante domino redemptori nummos subministrauerit, addi volo tertium, Si quis cessante domino vltro suis sumptibus ædificium restituerit. nam & hic priuilegiū exactionis habet, *d. §. idem respondit*, sicut illi qui crediderunt vel subministrauerunt pecuniam, *l. si ventri §. 1. D. de reb. auct. iud. pos. l. creditor, D. de reb cred.* & verisimile est etiā ex eadem Oratione habuisse omnes tacitā hypothecam. Post quatuor mēses ex eadem oratione ab eo qui sumptum non restituit ędificij noui ei qui id extruit suo sumptu ipso iure dominium adquiritur. quod & Adrianum edixisse indicat *l. Si is contra, C. de ædif. pr.* Imo & Vespasianum in vrbe Roma Suetonius his verbis, Deformis vrbs veteribus incendiis ac ruinis erat. Vacuas areas occupare & ædificare si possessores cessarent cuicumque permisit. & Victor. Romam deformem incendiis veteribus ac ruinis reparauit, permissa si domini deessent volentibus ædificandi copia. & Vespasianus & Adrianus dominium dederunt instauratori statim. D. Marcus dominio dando interposuit quatuor menses. Simile vero supplementum addo ad *l. Iulianus 2. D. de rei vind.* illo loco, tollat ædificium quod posuit. si id in agro forte posuerit extra ciuitatem. nam si in ciuitate, vix patietur Resp. deponi quod inædificatum est, quoniam hoc pertinet ad decus ciuitatis.

CAP. XXI.

De legitimis interuallis ponendorum ædificiorum quædam, & de insularum & domorum differentia.

INter mæniana quod vult *l. 11. C. de ædif. pr.* relinqui liberi aëris spatium X. pedum, ita procedit si viæ publicæ quæ intercedit media latitudo hoc ferat vt mænianis recta inuicem oppositis tot pedes intermedij liberi aëris relinquantur. finge viam esse latam ped. XXX. Quod si vitæ tanta non sit latitudo, vt possit sufficere proijciendis mænianis, & interuallo X. pedum liberi aëris in medio relinquendo, tum non possunt mæniana mænianis opponi recta, sed alternata serie mæniana construi possunt. & ita definit Zeno in *l. 12. eod. tit.* Inter ædificia Theodosius in *l. 11.* idem spatium X. pedum relinqui voluit. namque ait, Quem intercapedinis modum ædificaturis quoque proponimus, ita vt si quis intra definitum spa-

tium, id est X. pedum mensuram, vel intra XV. pedum ædificare vel mænianum possidere tentauerit, &c. Sic etiam ea verba ex mente Theodosij & congruentia *l. 9. eod. tit.* ordinanda videntur. Nam & inter ædificia priuatorum Theodosium requisisse interuallum X. pedum leges Burgundiorum testantur, & ius hoc fuisse vetus Leo philosophus in Nou. vlt. Sed mirari satis non possum quod idem Leo scribit nihil fuisse decretum olim de mænianis, cum à mænianis pro ædificatis manifesto Theodosius rem producat ad ædificia in *d. l. 11.* idem inter hæc & illa interuallum statuens. Miror etiam quod in Codice Iustiniano Constitutioni Theodosij mox subijcitur Constitutio Zenonis quæ illam corrigit, pro X. pedibus substitutis XII. inter ædificia, nisi dicamus non corrigi totam, sed ex parte tantum. nam & in mæniamis Zeno X. pedes retinet, & in ædificiis quoque si via publica inter ædificia non habuerit olim ante dirutum ędificium quod quis modo restituere vult XII. pedes in latitudinem. His prouisis, simul, vt opinor, satis prouides ex ipso tractatu non ex quatuor lateribus ædificij intermitti illa spatia, vt in insulis definitur, XII. tab. ambitus sestertio pede ex quatuor lateribus, & in ædificiis publicis libero spatio, *l. 38. C. Th. de op. pub.* Sed ex antica vel postica vel vno latere. nam neque in prouincialibus ciuitatibus insulas fuisse legi, neque in Constantinopoli vetus descriptio vrbis vllas ponit insulas, ad quem pertinet Constitutio Zenonis. In vrbe tantum Roma ponuntur insulæ & quidem multo plures quam domus, vt in vetere descriptione vrbis Romæ incerto auctore facta sub Arcadio & Honorio, & in libro P. Victoris de regionib. vrbis numerantur insularum per totam vrbem CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃVI. MDCII. Domus autē MDCCLXXX Et videntur insulæ fuisse vulgaria ædificia variis locis sparsa, nec contigua propter metum incendiorum, Domus nobiliores & ambitiosius extructæ, vt in regione Exquilina Sex. Ruffus & P. Victor ponunt domum Aquilij Iurisconsulti, quem etiam Plinius initio XVII. ait illa domo quam iuris scientia fuisse clariorem, & idem P. Victor in eadem regione domum M. Crassi & Q. Catuli, & Crassi Plinius illo libro magnificam. Catuli aliquanto præstantiorem. Aquilij Iurisconsulti multo pulcherrimam.

CAP. XXII.

Ad l. cum plures §. mandaui, D. locat.

PLacet valde lex quæ fuit Ephesi, vt Vitruuius scribit *initio libri vltimi*, vt bona architecti qui publicum opus curandum recepit & indicauit quanto sumptu id Reip. esset futurum, Reip. obligentur donec opus sit perfectum, & eo perfecto si ad indicationem impensa respondeat, vt publice decretis honoribus exornetur, si non amplius quam quarta parte superat impensa, vt non teneatur, si superet quartam partem vt de suo quod superet quartam impleat. & hoc iure nos vti æquum esset etiam in locandis priuatis operibus extruendis, cum & ex hac causa legamus in *l. cum plures §. mandaui, D. loca.* quod me architectus vel redemptor in indicatione fefellerit, vbi hoc animaduerti, mihi licere à locatione recedere & repetere, quod ei indicationem secutus prærogaui quod in opus nondum impendit & vt adijcio, si dolus arguatur manifestis insidiis etiam agere quanti interest. nam & ex indicatione temere facta obligatio nescitur in specie *l. Iulianus §. quod autem, D. de act. emp.*

CAP. XXIII.

Cur vsucapto seruo operarum legatum perimatur non vsusfructus, non pignus.

VSucapto seruo ius pignoris vel vsusfructus quod in eo habeo non perimitur, *l. vsucapio, C. de pig. l. locum §. pen. D. de vsuf.* Operæ eius quæ mihi legatæ sunt perimuntur, *l. 2. D. de vsuf. leg.* Ratio varietatis hæc est, quia operę serui, quæ consistunt in actu & ministerio serui, ius dominij sequuntur quod vsucapione quæsitum est. nam si seruus est tuus, consequens est vt tibi operas præstet non alij, nec testamento alterius fieri potest vt alij quam tibi seruus tuus edat operas. quia operę hærent personæ serui tui, & veluti quadam societate ei coniunguntur. at pignus nulla societate dominio coniungitur, *l. iusto §. non mutat, D. de vsurp. & vsucap.* Vsusfructus quoque serui è dominio separatus est, & non hæret personę serui, quia non in facto serui consistit, sed in facto & persona eius cui competit vsusfructus. Denique operarum nomen significat factum serui, vsusfructus nomen factum fructuarii, non serui, ex quo fit vt vsucapiendo seruum operas eius adquiram, quæ insunt proprietati siue personæ eius, non vsumfructum serui qui cohæret personæ alterius.

CAP. XXIV.

Cum quæritur, veniat culpa an & custodia, nullam esse differentiam inter pigneraticiam & commodati actionem.

CVlpam à custodia sic distinguit Accursius & alij plerique ac si custodiæ contraria sit negligentia. Culpa autem consistat in faciendo, vt si dum iaculatur creditor discendi causa, nondum bene sciens librare iaculum, & deerrans hominem traiecerit pignori datum. quam distinctionem non approbo. nam certissimum est culpam etiam in non faciendo consistere, *l. si seruum, D. de verb. oblig. §. præterea, Instit. de lege Aqu.* & nominatim, *l. socius socio, D. pro socio, & §. præterea, Instit. quib. mod. re cont. oblig.* culpam interpretatur desidiam & negligentiam. Ergo culpam generaliter accipiamus pro leui negligentia leuique vitio siue diligentiæ exactæ priuatione & delicto facto per imperitiam aut imprudentiam. Custodiam autem siue diligentiam pro exactissima diligentia, cui sit contraria leuissima culpa. His prouisis, videamus an verum sit quod ait *l. 13. §. vlt. D. de pig. act. & l. sicut, C. de pign.* in pigneraticiam actionem non tantum venire dolum & culpam, vt in commodato, sed & custodiam. Et opinor verum id tantum esse, si creditoris solius gratia pignus contractum sit, puta vt pecunia credita in tutum redigeretur, alioquin parati etiam sine pignore roganti amico credere pecuniam. nam si vtriusque gratia pignus contractum sit, quo magis debitori pecunia crederetur quam sine pignore habere non poterat, quod ea ratione quodammodo videtur ei creditor exprimere, vt *l. 4. C. de pign.* & quo esset creditori pignore cautum, hoc casu negabo custodiam pignoris esse præstandam secundum definitionem *l. si vt certo §. nunc videamus, D. commod.* Et eadem distinctione vtor in commodato. quoniam & in hac re pignus commodato comparatur, *d. l. 13. §. vlt.* nam si commodatum contractum sit solius commodatarij gratia, & custodiam præstat, *d. l. si vt certo §. commodatum*, si vtriusque gratia, dolum tantum & culpam, *l.*

n rebus §. 1. D. com. quæ etiam commodatum pignori comparat. & ita accipiendum quod Modestinus ait *II. Diff.* Commodati iudicio conuentum dolum & culpam præstare, quia vtriusque contrahentis vtilitas vertitur, hoc ad Modestinũ adiecto, vt si solius commodatarij, etiam custodiam & diligentiam.

Cap. XXV.

De his qui aureos adrodunt & de vultu principis aureis imprimendo.

ELegans est constitutio *Imp.* Constantini quæ extat in *Cod Theodosiano* sub tit. *Si quis sol. cir. ext. incid.* quæ grauissimam pœnam statuit in eos qui solidorum circulum exteriorem cicumciderint, quos recte dixeris φαλίδια, vt apud Procopium *III. de bello Got.* legimus Alexandrum quendam logothetam Byzantios φαλίδιον appellasse, id est forciculam quod perquam scite nosset aureos in orbem attondere, seu adrodere, quod est proprium verbum istius cupiditatis, *l 1. C. Th. eod. tit. l. 1. C. Th. de ponderat.* & verba Procopij hæc sunt: Βυζάντιοι ὃ αὐτὸν ἐξ φαλίδιον ἐπίκλησαν ἐπάλοω, ὅτι δὴ αὐτῷ ῥᾴδιον ἐῶ ἀποτεμνομένῳ κύκλῳ τὸ χρυσοῦν νόμισμα ἔλαοσον μὲν αὐτὸ ἐς ὅσον βάλοιτο ἐξεργάζεσθαι, φυλάσσειν ὃ ἐξ ὡς τὸ κυκλοτερὲς χρῆμα ἐφ' ἕ ἦρ τὸ πρότερον ἐῶ. φαλίδιον γὰ τοῦτο καλοῦσι τὸ ὄργανον ᾧ ταῦτα πις ἐργάζεται. Et de solidis qui & aurei dicuntur, Constantinus loquitur in quibus vultus eius impressus est. nam certissimum est etiam aureæ monetę Romanos Principes vultus suos impressisse, & *l. 1. C. de vet. num. pot.* solidi veterum principum veneratione formati, sunt aurei quibus insculptæ sunt facies veterum principum, *l. 3.* æternales vultus, *l. 6. C. Th. de ind. cr* sacrum os & diuini vultus, & inde Paulus *V. sent tit. XXV.* Vultu principum signatam monetam, qui flauerit *(sic lego)* aut conflauerit, priuatim scilicet, teneri ait lege Cornelia, sicut & is qui statuas vel imagines principis conflauit, tenetur lege Iulia, *l. 6. D. ad legem Iuliam ma.* Inde etiam Statius Poëta.

Quæ diuum in vultus igni formanda liquescat.
Massa, quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ.

Et ita omnis generis monetæ vultus suos impressisse reges Gothos qui Italiam tenuerunt Cassiodorus indicat *VII. Varia. for.* dum Theodoricum regem sic scribentem facit. Monetæ debet integritas quæri vbi & vultus noster imprimitur. Quid nam erit tutum si in nostra peccetur effigie? Sit mundum quod ad formam nostræ serenitatis adducitur. Claritas regia nihil admittit infectum. Nam si vultus cuiuslibet syncero colore depingitur, multo iustius mettallorum puritate principalis gratia custoditur. Idem Frãcorum reges. Persarum autem regibus & aliorum barbarorum argento tantum non auro vultus suos imprimere religionem fuisse Procopius *eodem libro* scribit his verbis: Νόμισμα μὲν ἀργυροῦν ὁ πρῶν βασιλεὺς εἰ βάλοιτο ποιεῖν ἐῶσι. χαρακτῆρα ὃ ἴδιον ἐμβαλέσθαι χρυσῷ οὔτε αὐτὸν ἔξεστιν, οὔτε ὃ ἄλλον πιαοῦ βασιλέα τῶν πάντων βαρβάρων.

Cap. XXVI.

Quæ sit causa dissidij inter l. rem alienam, D. de pig. act. & l. si Titio, D. de pignoribus.

PAulus multum interesse existimat si debitor qui rem alienam pignori esse cauit postea fiat dominus pignoris, an è contrario dominus pignoris cauti à debitore postea ei succedat & debitor fiat. illo casu pignus conualescere non directo, quia ab initio non constitit, sed data non retentione tantum, verum etiam vtili actione hypothecaria creditori aduersus debitorem, qui de pignore pepigit, hoc vero casu nec vtili hypothecaria creditori data aduersus dominum eundemque post pignoris conuentionem à defuncto factam iure successionis debitorem factum, quia nihil ipse pepigit de pignore, *l. rem alienam, D. de pign. act.* & ratio differentiæ est euidens. Nec Modestinus qui Pauli studiosus fuit, libris Differentiarum hanc differentiam omisit, sed adiecit, vt opinor, quod est in *l. si Titio, D. de pign.* postea ex æquitate & hoc casu fuisse receptum, vt daretur creditori vtilis actio, ad exemplum hypothecariæ, vt ait *l. 5. C. si res aliena pig. da. sit*, quia quod defunctus pepigit æquum est heredem facere ratum. Pauli tempore differentia obtinuit. Modestini qui Paulo diuturnior fuit, cum & ad Gordianorum tempora peruenerit, *l. 5. C. ad exhib.* fuit sublata.

Cap. XXVII.

Probabilis reconciliatio l. solutum §. si in sortem, D. de pig. act. cum Constit. Gordiani.

FOrtiter defendi potest quod si forte verum est in *l. solutum §. si in sortem, D. de pign. act.* esse legendum, Si in sortem dumtaxat, non in vsuras, vt docuit *Obernatio V. & XV.* Sed esto nihil mutemus, vt refractarij volunt, & volunt tantum nulla adiecta ratione certa & perspicua qua socient concordiam illius §. & Constitutionis Gordiani quæ extat. *lib. 8. Codicis, tit. 26.* nam & Basilica nihil mutant, & non est cur potius ob vsuras chirographarias denegemus pignoris retentionem, vt probat etiam *l. 4. C. de vsur.* quam ob sortem chirographariam. nam odium vsurarum quod interpretes isti rei adfingunt, iure ciuili nullum est. Nihil denique iure ciuili scriptum odio vsurarum; nam & quod dicunt odio vsurarum fieri vt pecunię creditæ vsuræ non petantur ex pacto facto incontinenti adiecta contractibus stricti iuris, quale est negotium creditæ pecuniæ, non pariant actionem. hoc enim tantum receptum est in contractibus bonæ fidei. Et probabilius res omnis sic explicabitur. Constitutio Gordiani loquitur tantum de duabus sortibus, hypothecaria nimirum & chirographaria, vt illa soluta ob hanc pignus retineri possit. Non loquitur de sorte & vsuris, vel contra, vt vel ob sortem chirographariam solutis vsuris retineatur pignus acceptum in vsuras dumtaxat, vel contra, vt ob vsuras chirographarias soluta sorte pignus retineatur acceptum in sortem tantum. & non est recedendum à finibus quos circumscripsit Gordiani Constitutio, sed quod singularis sit & noua restrictius accipienda est. Proinde dicere possis non improbabiliter Constitutioni locum esse si agatur de sorte duplici, non si de sorte & vsuris. Nam & Placentini sententia placet ad suos fines suamque speciem coarctantis Constitutionem de pignore repetito post translatum debitum simul atque dominium pignoris in alium, nouatione facta, non etiam de repetito consensu domini, & prioris debitoris. hoc enim casu soluta pecunia hypothecaria propter quam ex beneuolentiæ liberalitate quadam consenserat dominus suam pro alio pignerari, ob chirographariam pecuniam eadem res teneri non potest sine nouo consensu eius, arg. *l. item quæritur §. qui impleto, D. locati*

Cap. XXVIII.

Adl. pen. C. si vend. pig. ag.

DE venditione nullo iure facta est in *tit. Codicis, Si vend. pign. ag. l.* 2. De iure facta, sed mala fide puta viliore pretio in fraudem debitoris, *l. 1. & 3.* atque etiam meo iudicio, *l. 4.* vt indicant illa verba: Cum contra bonam fidem. & paulo post, quæ mala fide gesta sunt: ad quæ arbitror esse referenda etiam illa, non obseruatis quæ in distrahendis pignoribus celebrari consueuerunt, ita vt dicat mala fide omissa fuisse ea quę in distrahendis pignoribus celebrari & agitari consueuerunt. veluti frequentes & liberas indicationes, adiectiones, licitationes, per fraudem seu collusionem vel ambitionem & gratiam creditoris, non etiam defuisse solemnia iuris, solemnia proscriptionem & hastarum, quæ si defuissent etiam in bonę fidei emptorem debitori, quia dominus permansisset, competeret in rem actio, *l. 2.* & ea lex ita demum ait ei in emptorem esse actionem si fraudis particeps fuerit. & consequenter cum dicit non tantum aduersus creditorem, sed etiam aduersus emptorem fraudis participem esse debitori actionem, hoc sic accipiendum est seruato ordine scripturæ, vt prius excutiatur creditor quam emptor, vt *l.* 1. & 3. ne emptio solemniter & iure facta temere rescindatur.

Cap. XXIX.

Aliquando exceptiones quæ reo competunt non accommodari fideiussori.

QVibus casibus fideiussori soluenti aduersus debitorem non datur actio mandati vel negotiorum gestorum, his etiam exceptio quæ debitori prodest, fideiussori non prodest, vt si fideiusserit donandi animo vel in rem suam, *l. si quis reum, D. de lib. leg. l. quod dictum, D. de pac.* vel si pro inuito, *l. si pro te, D. mand.* vel si iussu testatoris in specie *l. tribus, D. de vsuf. ear. rer. quæ vsu cons.* vel si debitor aduersus fideiussorem restituatur in integrum, *l. 1. C. de fid. min.* Qua ratione etiam debitore capite deminuto, ipse quidem debitor liberatur, sed non etiam fideiussor, *l. 1. C. de fideiuss. l.* 11. *C. de except.* quia si soluerit fideiussor, aduersus debitorem mandati actionem non habet. nec pugnat *l.* 4. *D. qui satisda. cog.* & *l. sed & si quis, in pr. Si quis caut.* quæ sunt de cautione iudicio sisti, aut *l. §. Qui satisda. cog.* quæ est de cautione iudicatum solui. quoniam in vtraque cautione hoc iuris est, vt si ante commissam stipulationem debitor moriatur aut capite minuatur, fideiussor non teneatur, quia desiit sisti debitor aut condemnari posse, qui tamen proculdubio tenebitur si post commissam stipulationem ille moriatur vel capite minuatur, vt *l.* 26. *C. de fideiuss.* Sunt etiam exceptiones quædam quæ debitori non etiam fideiussori competunt, vt exceptio, Si non bonis cessit debitor, §. *vlt. Inst. de replic.* vbi non hæc ratio redditur, quod ea exceptio personæ cohæreat, quia nec personæ cohæret quæ aliquo casu heredi debitoris prodesse potest, sed qua heredi prodesse non potest *l. & si fideiussor & l. seq. D. de re. ind.* verū hęc redditur ratio, quod qui fideiussorem accipit hoc maxime prospicit vt facultatibus lapso debitore, à fideiussore suum seruet, & esse frustra debitorem iniquum est. Quintilianus in *debitore adultero*, Sponsor in hoc accipitur ne creditor in damno sit. Parique modo auxilium restitutionis in integrum quod aduersus creditorem minori datur lapso lubrico ætatis, fideiussori non prodest, quia non personæ cohæreat, cum transeat etiam in heredem, *l. non solum, D. de restit. in integr.* sed quia fideiussor in hoc accipitur ab eo qui cum minore contrahit quod ei potius quam minori fidem habeat, *l. in causæ* 1. *D. de minor.* Alioquin posset dici etiam exceptionem quæ minori datur ex lege Lętoria circumscripto dolo aduersarj, personæ cohęrere, quam etiam fideiussori dari constat, *l.* 7. *in fi. D. excep.* quem ego locum singulariter accipio de lege Lætoria, qua Cicero scripsit vindicari circumscriptionem adolescentum. & sic exceptio ex lege Cincia non tantum donatori sed etiam fideiussori eius prodest, *l. fideiussori, D. de donat.*

Cap. XXX.

Aliæ quædam notæ ad librum singularem Regularum Vlpiani.

LIber singularis *Regularum Vlpiani* primus titulus videtur fuisse *de legibus & moribus*, & sub eo posita primum fuisse definitio legis, & de lege perfecta, im-
„ perfecta, minus perfecta hæc fere verba: Lex aut
„ perfecta est aut imperfecta, aut minus quam perfe-
„ cta. Perfecta lex est veluti Ælia Sentia quæ vetat
„ aliquid fieri, & si factum sit, rescindit. Imperfecta
„ lex est veluti Cincia quæ supra certum modum do-
„ nari prohibet, exceptis quibusdam cognatis, & si
„ plus donatum sit, non rescindit. Minus quam per-
„ fecta, & cetera quæ sequuntur. Sed hoc discrimen postea sustulit *l. non dubium, C. de legib.* quæ omnem legem vult esse perfectam. Post hæc puto Vlpianum illa adscripsisse. Lex aut rogatur, & cet. & postremo hanc definitionem morum, Mores sunt tacitus consensus populi longa consuetudine inueteratus. Secundum autem titulum fuisse, De libertis, in quo mutila est illa sententia, vt testamento manumissi liberi sint lex XII. tab. facit quæ confirmat. nam quod additur, quod datum legatum est, in authentico non est. Et sententiæ sequenti ex aliis reliquis Regularum præscribenda videntur esse verba hæc, Inter amicos manumissi olim non erant ipso iure liberi, sed voluntate domini in libertate morabantur, & eos seruire non permittebat Prętor. In titulo, *De dotibus*, sic lego', Morum nomine grauiorum quidem, sexta retinetur. non enim pro numero liberorum fit hæc retentio. & si fieret pro numero morum grauiorum (quod fieri inquit) cum adulteria tantum sint mores graviores, vna tantum sexta retineretur. Initio *tituli XVIII.* rectius legeretur, Item liberis & parentibus testatoris.

Cap. XXXI.

De Iustiniana aurei æstimatione.

PRimus Iustinianus certam & perpetuam aureo æstimationem attulit, sestertiaria ratione, quam seruabant veteres leges & mores redacta ad rationem aureorum, vt deinceps non sestertiis, sed aureis inter homines negotia & res omnis ageretur. Proinde eum qui in bonis habet centum aureos quod ad legem Papiam attinet de bonis libertorum Iustinianus pro locuplete habet, quia lex Papia exigebat vt haberet centum millia sestertium, § *postea, &* §. *sed nostra, Inst. de suc. lib.* & idem in lege Voconia census appellabatur, vt docui in *eodem libro, tit. De lege Falcidia*, tametsi mediocrem eum censum esse argumento sit

quod Dio *LVI.* scribit lege Iulia cautum, ne aqua & igni interdicto τοῦ δώδεκα καὶ πέμπτου μυριάδα, id est, plus centum viginti quinque millibus sestertium, non vt mihi olim imposuit interpres quingentis millibus, in bonis habere liceret, & quod Cicero *in Paradoxis* centena tantum sestertia capere se ex suis prædiis. nam centena milia intelligit, vt in *penultima epistola lib. V.* Et non tantum in lege Papia sed etiam in pœnis æstimandis eandem rationem secutum Iustinianum, apparet ex *l. Lege* §. *vlt. D. ad Sillanian.* in qua popularem actionem quam Paulus *III. Sentent.* fuisse centum millia sestertium auctor est, ipse redigit ad centum aureos. Vnde opinor quę in *l. 1.* D. *ad leg. Iul. ambitus*, dicitur esse in aureos *C. ex lege Iulia* fuit in C. millia sestertium, hodie foret in C. aureos, & in *l. 11. D. de dolo*, modica summa quæ extenditur ad duos aureos, olim fuit ad duo millia sestertium. Sane *l. Mœuia, D. sol. mat.* cum initio dixisset, decem solidos, id est aureos, mox decem millia subiunxit in eadem specie, nimirum X. milia sestertium, nec dubito quin definitio paupertatis in *l. nonnulli*, D. *de accus.* ad aureos quinquaginta millia sestertium, in ingenuis scilicet. nam in libertinis ex *Papiniani XV. Responsorum* in Collatione legis Iudaicæ intelligimus fuisse triginta millia sestertium. ergo XXX. aureorum hodie, & ita actio quæ ex edicto De in ius vocando, vel ex edicto De his qui deiecerunt vel effuderunt, est in quinquaginta aureos, & De albo corrupto in quingentos, proculdubio in edicto veteri seruauit rationem sestertiariã. quæ redacta ad aureos, pro mille sestertiis computat vnum aureum. & ex quingentis millibus sestertium facit quingentos aureos, ex quinquaginta millibus sestertium quinquaginta aureos. quamobrem ex lege Fabia quam Vlpianus *lib. IX. de off. Procoss* scripsit fuisse pœnam sestertium quinquaginta millium, hodie si in vsu esset pœna pecuniaria legis Fabiæ redigeretur ad quinquaginta aureos. & eadem ratio est in æstimatione vulgari seruorum in aureos XX. quæ frequenter occurrit in corpore nusquam ad sestertios vel sestertia, sed ad aureos vel solidos tantum rationem haberi inuenies. Vnde apparet quam sit stultus ille qui mille & centum loco commutat in Institutionibus, vbi Iustinianus ait se pro mille sester- stertiis vnum aureum computare, ac proinde in lege Papia C. milia sestertium, C. aureos interpretari, quod & Theophilus ita luculenter explicuit. nam quod ille ait Africanum in *l. liberto*, D. *de bonis liber.* loqui de centum aureis, in eo mendacium deprehendimus, quia libertum die legati cedente ampliorem habuisse rem centum. hoc tantum Africanus ait, qui vtique centum millia sestertium intelligebat, & vt ille paulo ante fatetur in §. *postea*, hodie vero Iustinianus C. aureos. & quod prætendit locum Dionis, quo aureis X X V. drachmis æstimatur, in eo vero cæcam caliginem, quia de Attico aureo se loqui non de Romano Dio aperte demonstrat, de quo etiam Zonaras & Hesychius, & aurei Attici multo minor æstimatio est. Et quod de aureo ab Othone viritim diuiso cohorti prætoriæ, quoties Galbam conuiuio excipiebat siue centenis sestertiis ex Suetonio & Tacito, in eo etiam duritiam prodit oris sui, quia non sestertios dixit Tacitus, nec Turnebus ex quo ille eorum locorum collationem sumpsit, sed nummos, & centenos nummos licet interpretari centena sestertia, quæ est æstimatio aurei Iustiniani, non centenos sestertios. Nũmorum enim nomen generale est, nec alia re sestertio addi solet nummo quam quod nummi appellatio pateat latissime, vt *l. vlt. C. donat.* sestertij nummi vnius, assium quatuor, quæ verba erant donationis causa rem mancipio addicentis sestertio nummo vno assium quatuor, vt interpres βασιλικῶν rectissime interpretatus est, & ad eundem modum Vitruuius 1. Nummo sestertio mancipio dedit. & Seneca 15. *Ep.* Sestertio nummo æstimanda sunt. & Valerius. Sestertio nummo est addictus. Assium autem quatuor, quia vt præter Plinium & Vitruuium, Mætianus ex iuris auctoribus vnus docuit, sestertius qui primum erat assium duorum & semis, post cœpit esse quatuor. Et in donationibus verba illa sestertio nummo vno assium quatuor, ideo in *d. l. vlt.* superflua dicit esse Iustinianus, quod solemnitas illa per ęs & libram & ratio sestertiaria in vsu esse desiisset. denique re sublata etiam verba eam rem exprimentia in vsu frequentari haudquaquam esse conueniens. Ad confirmandam Iustinianam aurei æstimationem etiam facit plurimum Nou. Theodosij de pretio solidi, si modo bona fide agnoscamus vocem, sestertium, in ea degenerasse in septem, & hoc velle Theodosium, vt aureos acceptos à nummulario sestertium millibus ducentis non expendat quis sestertium millibus duntaxat, sed eo quo acceperit pretio, eademque quantitate. nam & quis vnquam audiuit aureum æstimatum VII. millibus? His quod addam, nihil aliud habeo quam ratione ad sestertium longe vetustiorem esse rationem ad assem. quod indicat lex *XII. tab. de arboribus furtim excisis*, & *de iniuriis*, quæ XXV. æris pœnam irrogat, & illa *De iniuriis*, Si iniuriam alteri faxit, XXV. æris pœnę sunto. quæ verba in vtraque lege significãt XXV. asses, Gellio & Festo auctoribus. postea auctis ciuium Romanorum facultatibus à iuris auctoribus commutata est pro assibus substitutis sestertiis. & à Paulo hoc modo concepta, *l. singulari*, *De iniuriis*, Qui iniuriam alteri faxit quinque & viginti sestertiorum pœnam subito. nec enim auctores verba XII. Tab. custodite eadem omnino seruare, & in eorum conceptione inter se consentire vtique semper, leges De testamentis & de intestatorum hereditatibus testimonio sunt, quæ non eodem modo ab omnibus proferuntur. Illa autem lex de iniuriis, vt idem Paulus subiicit *eodem libro* generalis fuit, quia non distinxit cui iniuria fieret, libero, an seruo, aut peregrino, sed dixit generaliter alteri, nimirum ad differentiam alterius de osse fracto qua non modo libero sed etiam seruo facta iniuria vindicabatur, vt Gellius scribit, alio modo quam talione, aut XXV. assibus. & ex ea opinor esse hæc quæ ex *eodem libro* Pauli restant verba, Libero C C C. seruo C L. sestertiorum pœnam subito. Sed interpolata æque vt superiora, pro assibus repositis sestertiis. namque vetus ita fere videtur fuisse cõcepta, si os fregit vel aliam attrocem iniuriam faxit libero C C C. si seruo C L. æris pœnæ sunto. Et simili modo priores leges cibariæ *apud Gellium & Macrobium* sumptum finiunt ad rationem sestertiorum. Vetus lex Furia testamentaria mille assium legatum prohibet capere, vt Vlpianus scribit *libro singulari Regularum*, perperam interpres Latinus Theophili, mille aureorum, cum nummũ scripserit Theophilus, non aureorum. Nummum autem illo loco est assium, qui si sint mille ęquant C C L. sestertios, quartam scilicet partem mille sestertiorum. Lex habuit, mille æris, sed auctore Varrone *VIII. de lingua Lat.* æs pro assibus accepit & quidem libralibus, vt supradictæ *leges XII. tab. de iniuriis & de arboribus iniuria cæsis*, rectissimeque Dionysius IX. assem interpretatur esse χάλκιον νόμισμα βάρος λίβριαῖον.

CAP. XXXII.

Ad l. nuda, C. de contr. stipul.

DIfferentia inter pollicitationem & pactum notissima est. Cæterum vt pactum sæpe transit in contractum,

contractum, *l. si vnus §. idem dicimus, C. de pac.* qua re fit vt eadem conuentio, veluti arrhæ datio, modo pactum, modo contractus appelletur; *l. 3. C. quan. lic. ab emp. l. contractus*, C. *de fide instr.* ita pollicitatio nnunquam transit vel desinit in contractum aut pactum. In contractum, vt in specie *l. vlt. D. de oblig. & act.* si vltro tibi per epistolam pollicear salarium tot aureorum quotannis si distracta omni re tua ad me veneris operas certas mihi præstaturus, & tu distracta omni re tua veneris, pollicitatio transit in contractum, quia ex parte tua res sumpsit effectum & tibi salarij nomine in me competit actio præscriptis verbis quasi ex articulo, Do vt facias, licet tu prius ceperis facere quam ego darem, vt *l. cum mota, de transact.* inita fuit, Dabo salarium. In Pactum vero si quid tibi vltro per epistolam pollicitus sum, tu gratum acceptumque habueris, vt *l. qui negotia, D. mand. l. dotale, 2. De fun. dot.* & hoc casu conuentio eadem & pollicitatio & pactum appellari potest. pollicitatio inspecto initio, pactum inspecto exitu, vt in *l. nuda, D. de cont. stip.* eadem conuentio & nuda pollicitatio dicitur & pactum, re gesta in hunc modum, Quod pollicitus sum tibi, finge quod voles cumque tu gratum habuisti, & ita hac de re confectum pactum est inter me & te, cui & postea subdita est stipulatio non pœnalis, sed quanti interest, ita vt si contra pactum facerem quanti ea res est tantam pecuniam darem adscripta certa summa, vt *l. vlt. D. de præt. stip.* Hæc stipulatio committitur agente te ex pacto, ita scilicet vt vel pacto paream vel stipulationi, vt *l. si pacto*, C. *de pac.* si neutri paream. Denique committitur post litem de pacto & de summa stipulatione conprehensa motam, id est, contestatam. sic enim semper inuenio in libris nostris litem motam accipi. Non potest quidem agi per se ex solo pacto nudo, & ita *l. nuda*, ait sæpe constitutum esse, id est abijsse in regulam iuris, vt *l. iuris gentium §. item responsum D. de pac.* & *νόμιμον ψήφισμα*, vt *Leonis No. 72.* Sed nihilominus lite mota de pacto simul & de stipulatione quanti ea res est, si non agnosco bonam fidem, si refugio conuentionem pacti, statim planum fiet stipulationem quanti ea res est esse commissam, quia conditio eius extitit. id est, quia iudicio commonitus pactum non impleui. & ita stipulatio ob rem non defensam quanti ea res est non re non defensa protinus committitur, sed lite contestata, aut in ipso articulo litis contestatæ ex ipsa stipulatione, *l. cum quæreretur §. proinde, De iud. sol.* & ad hanc interpretationem propius Ioannes accessit. Cetera. *λῆρος πεφλυάφοι μακροί.*

Cap. XXXIII.

De lege Lætoria.

SVetonius *lib. IV.* Prætorum scripsit legem Lætoriam vetare minorem XXV. an. stipulari, id est interrogatum vel interrogatam respondere stipulanti. & in femina quidem minore XXV. an. verum est eam stipulanti promittendo sine tutoris auctoritate non obligari, teste Vlpiano, qui tutoris auctoritatem esse necessariam mulieribus ait si se obligent *lib. Regularum tit. XI.* idemque subindicat *l. 7. C. de cont. stipul.* cuius duæ sunt partes, & prioris verba hæc: Neque tutoris neque curatoris absentia quidquam stipulationi nocet. quæ ad pupillum proprie pertinere qui tutorem vel curatorem habet demonstrat eadem pars legis integrior relata, *l. 1. C. de auct. præst.* nam quod ibi vulgo additur, vel adulto, abest à veteribus libris rectissime. Posterioris autem partis verba hæc sunt: Cum & feminam minorem XXV. annis absente curatore stipulari posse non ambigatur, quæ ex contrario argumentum nobis præstant, vt non possit femina minor XXV. an. stipulanti promittere sine tutore suo, vt olim etiam pubes in tutela fuit, vel hodie sine curatore suo. Cur vero ait Feminam, nisi quia marem minorem XXV. an. verum est sine curatore suo ex stipulatione obligari posse, *l. puberes, D. de verb. oblig.* Sed ei vel decepto in re subueniri iure prætorio data restitutione in integrum, vel circumscripto dolo aduersarij lege Lætoria, data præscriptione, *l. 7. in fi. D. de excep.* vt exposui *cap. XXIX.* quod etiã innuit inscriptio *d. l. puberes*, quæ est *de præscriptionibus*, & Comœdia Plauti, quæ has stipulationi præscriptiones addit.

Non dolo malo instipulatus sies, nisi etiam dum siem V. & XX. natus annos.

Cur item *l. 1. C. de inutil. stipul.* de impubere hoc tantum scriptum est, ex stipulatione eum non obligari sine tutore suo, nisi quia aliud est in pubere, nam & in aliis rebus in causa stipulationum plurimum distant inter se pubes & impubes, *l. vlt. §. 1. D. de verb. oblig. l. 9. D. de nouat.* & extra causam stipulationum in aliis quamplurimis, vt ostendi in *d. l. puberes.* Neque vero *d. l. puberes* quidquam obstat *l. 3. C. de in int. restit.* quia non de stipulatione loquitur, sed de venditione & alienatione rerum minoris XXV. an. nam & si lex tantum dicat, Vendidisti, quid vetat me intelligere, & tradidisti, & contractus nomine contractum impletum, illo loco, quod subaudire & intelligere licet in iure plus quam mille locis. Porro venditio illa & alienatio à pubere facta sine curatore suo ipso iure nulla est, quia rerum administratio non pertinet ad minorem, sed ad curatorem quem habet, quam rationem spectasse Impp. in *d. l. 3.* prodigi comparatio demonstrat. cui etiam ius rerum suarum administrandarũ non competit, & consequenter nec ex causa venditionis eius minorem obligari quis etiam me tacente non intelligit? nullius enim contractus nulla obligatio est, & ponere me sensisse aliter, positio vera est. Ceterum extra rerum suarum administrationem, & alienationem & negotia ciuilia iuris gentium, quale est negotium venditionis, ex aliis causis quæ solemnitatem iuris desiderant, vt si masculus minor XXV. an. dotem dicat, vel si creditori stipulanti promittat, vel si adeat hereditatem, vel si quid mancipet, vel si acceptum ferat, quæ omnia fiunt actu solemni, ita sensi, ea recte peragere puberem & ex eis causis obligari per se solum nullo auctore adhibito, quia ad solemnia iuris soli tutores adhibentur quos pubes masculus non habet, curatores vero quos habet ad ea inutiles sunt, *l. cum in vna §. vlt. D. de appell. l. curatorem, D. de auct. tut.* & de acceptilatione hoc probat *lex 3. C. de acceptil.* illo loco ei qui ex nulla causa restitui potest, pro quibus Bas. expressa mentione minoris, *εἰ μὴ ἀφῆλιξ ἦν.* Et quod non tantum à minore XXV. an. adiri posse hereditatem curatore non adhibito, sed etiam adieci in *d. l. puberes* ei solui recte, iusiurandum ab eo deferri, & ex fideicommisso hereditatem restitui recte, falso mihi imponitur ex eo me inferre minorem XXV. an. obligari sine curatoris auctoritate, quod sanus & siccus nemo cogitauerit cogitasse vnquam ne iuris dupondium quidem. & quæ his adiunxi ex *l. 24. De verb. oblig. & l. 1. §. excercitorem, De exercit. act.* & tractatus ipsius series manifesto coarguit me non vt id probem ea proferre in medium, sed inter pupillum & puberem quot quantæque sint differentiæ vt doceam atque commonstrem. Et quod his modis, puta solutum accipiendo, iusiurandum adferendo, fideicommissum restituendo alienare videatur minor sine

curatoris auctoritate contra quam ſtatuat *d. l. 3.* vt in reſtitutione fideicommiſſi verum non eſſe agnoſcunt, debent agnoſcere in ſolutione, quæ fit puberi, quod accipienti adquiſitio fit, ideo nihil eum amittere videri quia ſuum recipit, qua parte potiſſimum ſolutio ſpectatur, & valet etiamſi facta ſit non aduocato curatore, ſicut iure veteri, quod hodierno longe ſcrupuloſius fuit, valebat facta mulieri puberi nec adhibito tutore ſuo. M. Tullius *in Topicis*: Quod mulieri debeas, recte ipſi mulieri ſine tutore auctore ſoluas. & multum intereſt ſolutionem faciat pubes, quo caſu auctoritatem curatoris facile exigerem, vt *d. l. 3.* in venditione, an vero ei ſolutio fiat, quam recte fieri dico ſine curatoris auctoritate, ſed ſi nummi ſalui non ſint, puberem reſtitui poſſe in integrum, *l. ait Prætor, D. de minorib.* eademque ratio eſt iuriſiurandi, quia ſolutionis loco cedit factæ minori, *l. 27. D. de iureiur. l. 95. §. naturalis, D. de ſolut.* & fictiones iuris pro veritate habentur,

Cap. XXXIV.

Remedia quædam quibus leges ſubuenerunt miſeriæ fideiuſſorum, & hactenus ignorata conſtitutio Græca in tit. De fid. & mand.

Miſerabilis eſt condicio eorum qui fideiubent pro his qui ſoluendo non ſunt, vel qui poſtea non ſoluendo fiunt, & quam ſæpenumero perpetiuntur miſerabilis aſpectus auctionis bonorum ad eos pertinentium, vt recte Chilo Lacedæmonius dixerit, Comitem æris alieni litiſque eſſe miſeriam, & Ieſus Sirach *in Panareto*, ἰσχὺν πολλοῖς ἀπώλεσε καταδυώντας καὶ ἐσάλευσεν αὐτὰς ὡς κῦμα θαλάσσης ἄνδρας δυνατὰς ἀπώκισε καὶ ἐπλανήθησαν ἐν ἔθνεσιν ἀλλοφύλοις. & eleganter Auſonius. Per mille poſſum currere exempla vt probem, Prædes vadeſque pœnitudinis reos. Sed nolo quemquam nominatim dicere: Sibi quiſque veſtrum dicat, & ſecum putet, Spondere quantis damno fuerit & malo. Huic autem miſeriæ fideiuſſorum multis beneficiis ſiue remediis leges benigne ſubuenerunt quantum poteſt onera eorum alleuantes, vt puta maxima parte hominum his ſoluta obligationibus, hoc eſt feminis cuiuſcumque ætatis S. C. Velleiano, niſi huic beneficio renuntiaſſent, & maribus dato beneficio diuiſionis epiſtola Diui Hadriani ſi plures pro alio vel aliis interueniſſent, nec huic beneficio renuntiaſſent, & beneficio electionis ademptæ Creditori Conſtitutione Iuſtiniani, niſi & huic quoque renuntiarint. receptum enim eſt his omnibus beneficiis renutiari poſſe. quamobrem inutiles non ſunt innumeræ leges quæ ſunt in Digeſtis & Codice creditori permittentes electionem, quia plerumque in fideiubendo nominatim renuntiatur beneficio Iuſtiniani. Fideiuſſoribus etiam ſoluentibus ſolidum ſuccurri ſolet compulſo creditore vendere nomina, *l. 17. D. de fideiuſſ.* Singulare etiam eſt beneficium quod idem Iuſtinianus *l. 26. C. eod.* dedit fideiuſſoribus qui pro reo in cauſis ciuilibus vel criminalibus cauerunt iudicio ſiſti in diem certam, puta intra ſex vel ſeptem vel octo menſes, & ſi intra eam diem non ſtitiſſent pœnam certam, vt ſi ea die vadimonium non ſtiterint, quamuis verum ſit pœnam eſſe commiſſam, tamen differatur pœna in ſex menſes, intra quos ſi reum ſiſtant vel defendant, videlicet cum reum ſiſti aut defendi promiſerunt, pœnalis ſtipulatio euaneſcat. Beneficium eſt plenum humanitatis vt poſt commiſſam pœnam fideiuſſori liceat purgare moram intra ſex menſes exhibito vel defenſo reo, & euitare pœnam. quia regulariter pœnæ ſemel commiſſæ ex die appoſita obligationi, nulla deprecatio eſt, *l. traiectitia, Digeſtis de obligationibus & actionibus, l. Celſus, D. de recep. qui arb. recep.* Idem Iuſtinianus in *l. 27. C. de fideiuſſ.* docet, ex generali edicto præfectorum prætorio hoc beneficium dari fideiuſſoribus qui ſine ſcriptis & ſine adiectione diei pro alio iudicio ſiſti adpromiſerunt, vt ex ea ſtipulatione non in perpetuum teneantur, & conueniri poſſint, id eſt vſque ad finem tricennij, ſed intra duos menſes vt liberentur, tanquam maius ſit vinculum fideiuſſionis ſcriptę, quæobligatio perpetua eſt, quam non ſcriptæ, quæ bimeſtris, quia benigne præſumunt auctores huius beneficij ſe in longum tempus obligare noluiſſe eum quiex ſcripto fidem ſuam dicere & obſtringere noluit. quod Iuſtinianus producit etiam ad eum qui apud tabularium pro alio iudicio ſiſti promiſit in cauſis priuatis, vt plane, *lex eum pro quo, Digeſtis, de in ius voc.* hodie ita procedat demum ſi intra bimenſe tempus conueniatur qui pro alio iudicio ſiſti promiſit apud acta vel apud officium. Eſt etiam aliud in quo *lex vlt. Codice de fideiuſſ.* quæ eſt Conſtitutio Iuſtiniani Græca hactenus deſiderata, vel potius ignorata, ſignificat ſubueniri fideiuſſoribus qui pro alio in vſuras fidem ſuam adſtrinxerunt, quos *lex 10. eodem titulo* ait nullam habere iuſtam cauſam recuſando ſolutionem earum. ſed, vt *dicta lex vltima*, ſignificat, verum hoc tantum eſt intra biennium ſi in longius tempus ſe non obligauerint. nam poſt biennium recte recuſant ſolutionem vſurarum. Quod ſi in longius tempus ſe pro alio in vſuras obligauerint puta triennium aut quadriennium, ſequenda conuentio eſt, ita tamen vt ſecundum modum quem leges vſuris impoſuerunt ſupra duplum non debeantur. verba *dictæ legis vlt. in Baſilicis* hæc ſunt. ἐάν τις ἐγγυήσηται ἐπὶ τόκοις, μὴ μόνον εἰς διετίαν κατίχεται, ἀλλὰ τοσοῦτον χρόνον ὅσον σύνδηται. ὅσον οὖν δηλῴ χρόνον ὀφείλεται, μόνον εἰ μὴ ὑπὲρ τὸ διπλοῦν ζημιάζεται ἐν αὐτῷ. Hoc eſt, Eum qui fideiuſſerit in vſuras, non in biennium tantum teneri, ſed in tantum temporis in quantum cauit. igitur vſurarum nomine etiam in longius tempus quantumcumque fideiubere licere, intra quod modo duplum vſuræ non ſuperent. Et ſimilis diſtinctio eſt in *l. 27. eodem tit.* vt ſi quis ſine ſcripto pro alio iudicio ſiſti promiſerit non adiecta die, poſt bimeſtre tempus non teneatur, ſi die adiecta, vt teneatur in eum diem in quem vſque cauit etiamſi excedat bimeſtre tempus.

Cap. XXXV.

Species l. 22. C. de fideiuſſ. & mand.

Species *l. 22. C. de fideiuſſ.* nondum expoſita bene hæc mihi videtur eſſe. Mandaui Titio vt tibi crederet X. Titius mandatum meum ſecutus tibi credidit X. Deinde ex ſcripto eo nomine Titio caui præſenti atque promiſi me daturum X X. per errorem, quæ modo Titius mecum ex ſtipulatu agens ſibi dari deſiderat. Ego potero me tueri exceptione doli, quia obligatio principalis aut mandati non conſiſtit vltra X. *l. ſi tibi X. in prin. D. de pac.* vt plane in altero tanto quo ſtipulatio excedit, ſequatur ſtipulationem eſſe interpoſitam ſine cauſa, & pro ea ſtipulationis parte me tutum eſſe exceptione doli mali, imo & mihi vltro competere condictionem liberationis, *l. 15. C. fideiuſſ.* quam ibi Baſilica rectiſſime vocant, τὸ ἀδύλου ſi-

ue incerti actionem, vt *l. 2. §. aliud, D. de donat.* Eadem quoque ad, *l. 22.* eodem modo ponunt speciem ita scilicet vt congruat mandato creditum, discrepet stipulatio à mandato & credito. quod hæc eorum verba demonstrant. ἐὰν παρ' ὃ ἔλαβεν ὁ ἑτεροτυπος εἴτε οὖν παρ' ὃ ἐνετείλατο ἀπαιτῇ, δύναται condici εἰς τὸ μὴ ἀπαιτηθῆναι τὸ ὀφειλόν.

CAP. XXXVI.

Emendata l. vlt. C. de nouat.

SI quod mihi debes ex stipulatu idem de te stipuler nouandi causa, ita demum fit nouatio si posterior stipulatio aliquid noui habeat quod non habuerit prior, vel aliquid non habeat quod habuerit prior, vt si in posteriore pignus vel fideiussor vel pœna vel dies vel condicio adiiciatur aut detrahatur, vel si conreus debendi adiiciatur, quod in *l. vlt. C. de nouat.* puto significari his verbis, vel aliam personam adhibuerit, & sequitur, vel mutauerit, vt *in Basilic.* ἢ ἄλλο πρόσωπον προσλάβῃ ἢ ἐναλλάξῃ, non mutauerit, vt Haloand. & significatur nouatio quæ fit interuentu noui debitoris. Sed vt ad eam reuertar, quæ fit mutata causa vel statu obligationis non mutata persona, hæc quoque fit stipulatione iterata, si in posteriori quantitas debiti augeatur vel minuatur, ita vt minor tantum quantitas debeatur, ne obstet quod Theoph. scripsit, stipulationem X. non nouari stipulatione V. quia in XX. insint V. quod verum est, nisi id actum sit vt ex posteriori stipulatione V. duntaxat deberentur, non X. ex priore. & ita est accipiendum quod ait *d. l. vlt.* vel quantitatem augendam vel minuendam esse crediderit. Verum eadem lex paulo post addit, vel cautionem minorem acceperit. quibus verbis quid aliud significat quam quod dixit ante, vel quantitatem minuendam esse crediderit. Ergo superuacuo idem repetit. Sed inueni in veteribus rectius scriptum, vel cautionem iuniorem acceperit, quam scripturam confirmat etiam *l. chirographis*, D. *de adm. tut.* quæ docet nouationem fieri etiamsi amissum sit prius chirographum facto nouo chirographo licet nec persona nec causa obligationis mutata sit. mutationem chirographi nouationem esse. In fine eiusdem legis iampridem ostendi esse legendum *ἀνοcατεύτως.*

CAP. XXXVII.

Alia quædam emendata eodem libro Codicis.

IN eodem libro, *l. 22. de solut.* subdistingue, chirographum, & post lege, vestra, vt sit, vestra nihil interest. quam scripturam referunt sanctiores Codices, qui etiam in *l magnam, D. de contr. stip.* sic habent rectissime, Si quis certo tempore facturum se aliquid vel daturum stipulatori aliive quem stipulator voluit, promiserit. Excusi habent, vel daturũ stipuletur, vel quæ stipulator voluit promiserit & interpres stipuletur accipit passiue, vt *& l. si non sortẽ §. pen. D. de cõd. ind. l. vlt. D. de adm. tut. l. 7. D. de eo quod cer. lo. l. 39. D. de cont. emp. l. 5. §. pen.* D. *de solut. l. 112. §. vlt. D. de verb. obligat.* sed si legamus stipuletur, idque vt necesse est, passiue accipiamus, frustra subiicit, promiserit. Item cum dixerit, facturum se aliquid vel daturum. quibus verbis omnia quę in stipulatione deduci possunt comprehenduntur, vt in definitione stipulationis, frustra subiicit, vel quæ stipulator voluit. nam quæ alia possunt esse pręter dationem aut factionem? Itaque restituamus & retineamus antiquam scripturam, quam & Halcander retinuit ex parte, qui pro stipuletur, scripsit stipulatori, vt scilicet mox legamus, aliive quem stipulator voluit promiserit. Certum enim est nos alteri recte stipulari dari vel fieri, & nobis pœnam si alteri non detur vel fiat, quia pœna committi potest etiam ei cuius nihil interest, *l. stipulatio §. alteri, D. de verb. oblig. l. cum pœna, D. de rec. qui arb.* Initio quoque *l. 4. De reu. don.* ita scriptum legi, Confiteri in fraudem te alterius donasse & cet.

CAP. XXXVIII.

De quæstione l. si quis aliam, D. de solut.

NOn tantum emptori datur actio de euictione, sed etiam ei qui pro pecunia credita vel pro pretio certo vel incerto rei vænalis rem æstimatam in solutum accepit: quia æstimatio similis est emptioni & vt creditor qui pro pecunia rem æstimatam accepit pro emptore habetur, ita venditor qui pro pretio rem æstimatam accepit, idem etiam pro emptore habetur. & vtrique re euicta datur vtilis actio ex empto in eum à quo rem accepit pro soluto, in quantitatem debiti vel eius quod interest, *l. 4. C. de euict. l. eleganter, D. de pign. act. l. 1. in prima parte, C. de rer. permut.* Verum obstat *l. si quis aliam,* D. *de solut.* quæ si alia res pro alia soluta sit, & *l. libera, C. de sentent. & interl.* quę generaliter si pro debito res soluta sit volenti creditori secundum regulam quam Marcianus tractabat *libro tertio Regularum*, ex quo est *d. l. si quis aliam*, sicut Modestinus, *lib. primo l. 26.* D. *de iur. dot.* re euicta dicunt agi pristina actione & debitum repeti quasi ea solutione non sit sublata pristina obligatio. Posset dici non esse scripta contraria quę diuersas actiones dant, si data vna, nominatim non denegetur altera: & in casu proposito igitur re euicta agi posse vtili ex empto quasi contracta emptione vel actione pristina quasi res pro re vel pecunia soluta, nec facta accipientis non sustulerit pristinam obligationem. Sed ne hoc remedio vtamur, obstat *d. l. 1. in secunda parte*, quæ priori casui oppositio alio casu quo res non vænalis pro re data est, quod negotium permutatio appellatur, dum ita facta permutatione statuit esse in electione eius cui res euicta est, vt vel agat euictionis nomine in id quod interest, vt *l. 29. C. de euict.* vel repetat rem quam vice mutua dedit, plane indicat priori casu proposito in prima parte eandem electionem non dari ei cui res data pro pecunia euicta est, sed superesse tantum ei actionem in id quod interest per quam possit eam quoque pecuniam consequi, non pristinam actionem. Quamobrem melius est, quod vnum est ex remediis Accursij, vt ea negotia distinguamus, & inter ea hanc constituamus esse differentiam. Si pro pecunia res æstimata soluta sit, emptionem esse non permutationem, aut sane hoc genus negotij minimum demutare ab emptione, plurimum à permutatione, & ideo ex natura emptionis liberationem contingere ei qui rem alienam soluit pro pecunia, qui pro venditore habetur, quia venditor non tenetur rem facere accipientis. At si pro re res soluta sit, vt *d. l. Si quis aliam, & d. l. libera*, permutationem esse, quæ etsi emptioni venditioni similis sit, tamen in multis longe ab ea distat, vt ex professo docet Paulus in *l. 1. D. de rer. per.* & inter cetera, quod quæstionem propositam expedit, quia rem alienam tradens contrahit venditionem, non etiam permutationem. quia permutatio ita geritur, Do vt des & non dat nisi qui facit accipientis, *l. vlt. D. de cond. can. dat.* ergo quasi non contracta per-

mutatione priſtina obligatio rei debitæ integra manet re euicta quæ pro ea ſoluta erat.

CAP. XXXIX.

Retractatio l. tranſigere, C. de tranſact.

QVod ſcripſi *lib. VI. de l. tranſigere, C. de tranſact.* retractare cogor, vt faciam manifeſtius. De crimine non capitali, id eſt non ingerente pœnam ſanguinis tranſigere vel paciſci turpe eſt neque licet, excepto crimine falſi. & turpe eſſe ſignificat *l. ſi quidem, C. de cont. ſtip.* & Paulus 1. *Sent.* dum adiicit, propter infamiam. At de capitali quod ſcilicet ingerit pœnam ſanguinis, id eſt mortis, tranſigere vel paciſci neque turpe neque illicitum eſt, quia vt ait M. Tullius *in Miloniana*, Omnis eſt honeſta ratio expediendę ſalutis, excepto adulterio. Hanc omnes Latini & Græci interpretes vno adſenſu exiſtimarunt eſſe ſententiam, *l. tranſigere, C. tranſac.* De ratione tantum excepti falſi à criminibus non capitalibus, & excepti adulterij à capitalibus, inter eos fuit concertatio magna. Ego dicebam excepti adulterij hanc eſſe rationem, quia ſecundum antiquas leges vt interpres Græcus notat ad *l. tranſigere*, & ſecundum Conſtitutiones Gregoriani & Hermogeniani Codicis, ex quo ducta ea lex eſt, adulterium non erat capitale, & conſequenter de eo paciſci non licebat. & ita erat nominatim exceptum lege Iulia ne de eo crimine accuſator cum reo paciſceretur, *l. 10. C. ad legem Iul. de adulter.* & quamuis hodie factum ſit capitale Conſtitutionibus omnibus Codicis Theodoſiani & Iuſtiniani, tamen id etiam nulla effectum eſt vt abrogata illa exceptione legis Iuliæ de eo paciſci liceat. Itaque lex Iulia adhuc ea in parte valet, licet per conſequentias videatur abrogata adulterio capitali effecto, ſed iura noua ſtrictius accipiuntur, ſicut noua Conſtitutione Iuſtiniani vt legata relicta & ſtipulationes conceptæ poſt mortem vel pridie quam morietur heres aut legatarius ſtipulator, aut promiſſor valeant, quę olim ne valerent, impediebat vetus regula iuris, vt actiones ab heredibus vel contra heredes non inciperent quæ non cœpiſſent à defuncto vel contra defunctum, licet per conſequentias videatur ea quoque regula antiquata, manſit tamen poſt eam Conſtitutionem pluſquam triennium, nec fuit habita pro abrogata antequam ab eodem Iuſtiniano alia Conſtitutione nominatim abrogaretur. Excepti autem falſi rationem pendere ex lege Cornelia quę vt de iniuriis ita de falſis paciſci permiſerit, & ex Conſtitutionibus quæ idem permiſerint, aut certe non vetuerint. Eſt vtraque exceptio *l. tranſigere* referenda ad ius nouiſſimum, quoniam tempore quo ſcripta ea lex eſt, neque adulterium erat capitale, neque falſum non capitale, niſi ſi quos altior dignitas mortis pœna liberaret, vt Paulus oſtendit *5. Sent. tit. 23. & 25. & l 1 & 5. C. ad legem Cornel. de falſis.* Poſteriores Conſtitutiones adulterium fecerunt capitale, nec tamen de adulterio paciſci permiſerunt, vt *lib. ſeq. c. 18. & 19.* repetiturus ſum apertius, falſum autem fecerunt non capitale, *l. 22. C. eodem.* niſi ſi quando magnitudo criminis exigeret vltimam pœnam, vt ſi quis falſum fecerit quo alius veniret in vitæ periculum, *No. Leonis 77. & arg. l. I ex Iulia § vltimo, D. ad legem Iul. repet.* neque de falſo paciſci prohibuerunt. Puto & *lege Cornelia* falſum fuiſſe capitale, tanquam grauius crimen, *l. 3. D. de decur.* Nam quod eſt *in Inſtitutionibus* eius legis pœnam eſſe deportationem, tam eſt falſum, quam quod adulteros *lege Iulia* capite puniri, ſed inflectitur *lex Iulia*, itemque *lex Cornelia* ad poſteriores Conſtitutiones, eiſque legibus attribuitur quod ad eas S. C. & poſteriores Conſtitutiones derogarunt vel ſubrogarunt. Dico igitur vtramque exceptionem *l. tranſigere*, conuenienter iuri nouiſſimo inſeruiſſe Tribonianum, quod & ſermo ille prodit, citra falſi accuſationem, in quo Græcorum more citra exceptionem facit, vt in *l. vnica §. extraneum, C. de rei vx. act.* Extraneum intelligimus omnem citra parentem, id eſt præter parentem, extra parentem, ſicut Græcis χωρὶς etiam eſt extra, & in Baſilicis vt expoſita eſt *l. tranſigere* ſi abſque dubio exceptionem facit in priori parte his verbis χωρὶς τῶ τῆς μοιχείας ἐγκλήματος, facit ergo exceptionem etiam in poſteriori his, χωρὶς τῶ τῆς πλαστογραφίας ἐγκλήματος. de quo etiam tranſigi poſſe quin probet *l. 7. C. ad legem Corn. de fal.* non poſſis ingenue diffiteri, cum dicat eum non poſſe falſi accuſare qui fecit tranſactionem, qua ſcilicet de re niſi de falſi crimine : vt & Græci & Latini eam legem excipiunt, confirmandi huius ſenſus gratia etiam adducta *l. tranſigere*, & *l. 2. C. de his quib. vt indig.* Non poſſis etiam hanc collectionem improbare. Qui tranſegit de falſi accuſatione, non poteſt eam inſtituere. ergo vtilis fuit tranſactio de falſo. nam ſi dicas in *l. ſi maritus §. ſi negauerit, D. ad leg. Iul. de adult.* quod dicatur maritum qui intra LXX. dies negauit ſe accuſaturum adulterij iure ſuo, poſtea non audiri, non ex eo recte colligi de adulterio tranſigi non licere, fateor, quia non proponitur maritus tranſegiſſe, ſed vltro negaſſe ſe iure mariti acturum & gratis remiſiſſe, vt *l. mariti §. plectitur, D. eod.* At ſi tranſegiſſet, quia tranſactio inutilis eſt, eum poſtea accuſantem recte dicerem audiri. Non poſſis etiam iure negare in *d. l. 2.* ratam eſſe tranſactionem de crimine falſi, contra quam heres eius qui tranſegit ſi faciat, merito expellitur tanquam calumniator. nam & ſi lex dicat, Potes experiri, ſubiicit tamen, dum memineris, ſcilicet te ancipitem ſubire aleam retractantem quod tranſactione facta à defuncto iure finitum & conſopitum eſt.

CAP. XL.

Explicata & emendata l. pen. C. de pat. pot.

QVod ait *l. 6. C. de pat. poteſtate*, abdicationem liberorum iure Romano non comprobari, id *l. pen. eiuſdem tituli*, probat quatuor argumentis, dum ait non eſſe cuiquam liberum filium negare, id eſt abdicare, iure manifeſto declarare S. Conſulta, nempe S. C. Plancianum, & aliud quod factum eſt Adriani temporibus, *l. 3. §. 1. D. de lib. agn.* & denuntiati pœnam. ſic lego, non denuntiata. nam ex S. Conſultis ſi mulier denuntiauerit viro ſe eſſe ex eo prægnantem, & is non miſerit cuſtodes aut teſtato non dixerit eam ex ſe prægnantem non eſſe, hanc vir ſuſtinet pœnam vt cogatur partum agnoſcere, & ſi non agnouerit, extra ordinem coërceatur, *l. 1. §. pœna, D. eod.* Hæc eſt pœna mariti denuntiati, id eſt cui facta denuntiatio eſt, vt *l. venditor, D. de indic.* non denuntiata pœna. Et ſubiicit idem declarare præiudicium de partu agnoſcendo propoſitum edicto Prætoris, vt §. *præiudiciales, Inſtit. de action.* quo pater filium agnoſcere cogitur, Et remedium, de quo eſt tota *l. 5. D. de lib. agnoſ.* quo extra ordinem per Conſulem aut Præſidem filio maiori trimo alimenta & cetera ſubſidia decernuntur aliquo petente nomine eius. & ait maiori trimo, id eſt nuper lacte de-

pulso, exuberi, delactato, syringiato. quia non solebant ante triennium infantes mamma depelli, vnde *2. Machabæorum 7.* mater ad filium, ὑὲ ἐλέησόν με πῶ θηλάσασάν σε ἔτη τρία. & in *lege Papia* duo trimi.i. nupsi, exuberi, delactato, syringiato. quia non solebant ante triennium infantes mamma depelli, vnde *2. Machabæorum 7.* mater ad filium, ὑὲ ἐλέησόν με πῶ θηλάσασάν σε ἔτη τρία. & in *lege Papia* duo trimi.i. nu- A per mamma depulsi apud Vlpianum *tit. XVI.* In eadem *l. pen.* alij Codices petendi rectius, quam petenti.

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XX.

B

CAPVT PRIMVM.

De longa consuetudine.

LONGA dicitur consuetudo adiectione perpetua non discretione breuis. nec enim vllam vim habet, nisi quæ longa est & plurimis annis vsurpata, quod & probare debet qui consuetudine nititur, *l. 1. C. quæ sit lon. cons. l. 3. §. vlt. D. de testib.* vel testibus, vel rebus iudicatis. & testibus, non rogatis quidem singulis ciuibus vel prouincialibus, sed, vt fit, per tribus aut curias, aut centurias, aut vicos interrogatione currente. Rebus iudicatis, vt si ostendatur cum in iudicio quæreretur de consuetudine, & vnus adsereret talem esse consuetudinem, alter vero iustus contradictor non lusorius negaret esse talem, iudicem firmasse consuetudinem, *l. cum de consuetudine, D de legibus.* Sententia iudicis confirmat consuetudinem quę iam inualuit, si quis eam contradicat & vitilitiget, contradicto iudicio, vt ait *d. l cum de consuetudine*, id est causa cognita, vt in glossis antiquis, Ex contradictione καὶ διάγνωσιν, hoc est sententia iudicis declarat consuetudinem quę est, non etiam facit consuetudinem quæ non est, vt similiter dicitur, sententiam iudicis non constituere seruitutem, sed eam quæ D est declarare, *l. sicuti §. sed si quæratur, D. si ser. vind.* Et errant, meo iudicio, qui putant duas sententias iudicis in eodem genere litis consimiles, consuetudinem facere. nam à rebus iudicatis consuetudo separatur, *l. nam Imperator, D. de legibus:* & non res iudicatæ consuetudinem faciunt, sed tacitus illiteratusque consensus populi frequenti adsiduo & longæuo vsu inueteratus, & res iudicatæ vim legis non obtinent, si bis tantum similiter iudicatum sit, sed si sępius & perpetuo, *d. l. nam Imp.* ergo nec consuetudinis quæ legem imitatur. Et quod est scriptum in *l. 3. C. de epis. and.* ad quam nos illi allegant, primum id non est de communi consuetudine vnius ciuitatis vel prouinciæ, qua de agitur, sed de moribus vnius hominis, deinde quod ait ei cui venia criminis data est semel, non dari E iterum si in idem crimen relabatur, quod impunitatem veteris criminis non emendationi potius quam consuetudini deputauerit, id ait ὑφ' ἕλκοντος. Certum enim est consuetudinem vel habitum quem intelligit ex vna vel altera actione non ingenerari.

CAP. II.

Ad l. data, C. de donat.

NEc inter extraneos nec inter parentes & liberos facta donatio valet sine actorum contestatione siue insinuatione, *l. data, C. de donat* Hoc glossæ partim male, partim bene excipiunt. male ita, si donatio inter parentes & liberos fiat ex scripto: nam & quę sine scripto fit, ac multo magis insinuationem exigit, vt Leonis *Nouel. 50.* bene ita, si donatio excedat legitimam quantitatem. alioquin non exigi insinuationem. Dicet aliquis, at si ita accipias *l. data*, nihil igitur proC prium quod sit inter parentes & liberos ea lex statuit. nam & inter extraneos idem iuris est. nec fuit causa dubitandi vlla, an idem esset inter parentes & liberos. quamobrem & ex Græcis Domninus & ex Latinis Placentibus existimarunt, etiam inter liberos & parentes donationem quæ non excedit legitimã quantitatem non valere nisi apud actorum contestationem confecta sit. quod merito reiicit Accursius ex *l. donationes, C. de donationib. inter vir. & vxor.* Causam illis erroris dedit ignoratio causę dubitandi, quæ in eo consistit, quod quemadmodum Constitutio D. Pij hoc priuilegium dedit parentibus & liberis vt donatio inter eos facta non requirat mancipationem vel traditionem, sed nudo consensu perficiatur, ita dubiD tabatur an etiam eis esset remittenda actorum insinuatio, vt solemnitas traditionis & mancipationis, an etiam insinuationis. quod *l. data* non admittit. Finis ergo eius hic non est vt diuersum ius statuat in donatione facta inter parentes & liberos ab ea quę fit inter extraneos, sed vt ne diuersum ius inter hos vel illos statuatur, remissa liberis & parentibus necessitate insinuationis, argumento aut inductione Constitutionis D. Pij quę eis remisit solemnitatem mancipationis & traditionis, *l. 4. 5. 7. C. Theod. eodem.* Vnde Paulus *IV. Sent.* In donatione facta inter coniunctas personas sufficere quibuscumque verbis expressam voluntatem. nam parentes tantum & liberos intelligit, id est coniunctissimas personas, vt recte legit Haloander in *d. l, data.*

CAP. III.

Septimi nomen restitutum in Constitutionib. plerisque Iustiniani.

SVbscriptio *l. suncimus C. de sac. eccl.* testatur eam Constitutionem fuisse septimo miliario, vt apud Iulianum antecessorem *Nouellam Iustiniani* De here-

ditatibus quæ ab inteſtato deferuntur datam VII. Kalend. Aug. ſeptimo miliario, & ſic veteres libri habent, in ſubſcriptione *l. 30. C. de fideicom.* Recitata ſeptimo miliario. Id vero eſt palatium quod fuit in ſuburbio Conſtantinopoleos in quo Iuſtinianus iuri dicendo nouum conſiſtorium extruxerat, quod & ſimpliciter Septimum dicitur, vt in ſubſcriptione *l. 34. C. de donat. & l. 19. C. de in. delib.* & in ſubſcriptione *l. 6. C. de bon. quæ lib.* etiam ex veteribus legendum eſt, Recitata Septimo. Vnde manifeſtum eſt in ſubſcriptionibus *l. pen. C. de reb. cred. & l. 30. C. de in. dot. & l. vlt. C. de leg. tut. & l. 3 C. de bon. lib & l. litibus C. de ag. cenſ. & colon.* pro recitata ſepties eſſe legendum Recitata Septimo. Eadem forte ratione Septimum dictum eſt quo Decimum ſuburbium Carthaginis quod auctore Procopio ab eo diſtabat ſtadiis LXX. à quo & Septimum ſimpliciter in libro *De ædificiis Iuſtiniani*, bis aut ter.

A ſa minori atque moleſta, & ea condicione neglecta auctores ei fuerunt amplectendæ donationis. Finge ea lege donari minori vt æs alienum donatoris quod maximum eſt, minor diſſoluat. In eadem *l. XXV.*, verba illa, *In conſcribendis donationibus* demonſtrant Conſtantinum in donationib. ſcripturam exegiſſe, quod Theodoſius mutat *l. 29. C. eod.* Putem & Conſtantinum non probaſſe donationem collatam in hominem ignotum, quod & hoc ſimul mutat *d. l. 29.* Quod item plenior Conſtitutio Conſtantini vult aduocari vicinos & teſtes quamplurimos, hoc mutat Zeno in *l. 31. C. eod.* contentus inſinuatione publica, vel inſtrumento donationis. itemque quod idem Conſtantinus B *l. 3. Cod. Th. eod.* ne fiat inſinuatio apud Duumuiros præſente Præſide prouinciæ, hoc mutat Leo *l. 30. C. eodem.* Quod item generaliter voluit omnem donationem inſinuari, huic parti poſteriores Conſtitutiones plurimum derogaſſe notum eſt.

Cap. IV.

Explicantur loci quidam obſcuri in l. xxv. C. de donat.

LEx Conſtantini ad Maximum P. V. *de donationibus*, multa continet vel obſcura vel antiquata hodie, ea eſt *l. XXV. C. de donationib.* quę plenior extat in *Codice Theodoſii eodem titulo*, cuius etiam pars eſt *l. pupillorum, C. de adm. tut.* Et in ea quidem *l. XXV.* quod ait, *Siue mortis cauſa inſtituta*, antiquatur *l. vlt. C. de mor. cau. donat.* quatenus & in donatione mortis cauſa Conſtantinus actorum conteſtationem & inſinuationem exigit. Quod autem ait, *Ex aliquo notato tempore permiſſa*, id non tantum accipi debet de ea donatione, quæ fit ex certo tempore, ſed etiam de ea quæ ad certum vel incertum tempus, vt *l. 2. & 3. C. de donat. quæ ſub mo. l. vlt. C. de legat.* Illa autem verba, *Siue animo dantium accipientiumve ſententiis quantum ius finit cognominata*, Latini interpretes non intelligunt, Theodorus intellexit, ſed adiutore eget atq; vindice. Ea vero accipit de donatione quam donator vel donatarius non ſuo proprio nomine nuncupant, ſed venditionem forte aut conductionem, aut tranſactionem cognominant, hoc tamen acto tacite vt donatio D ſit, vt puta ſi donationis cauſa fiat venditio aut conductio imaginaria, *l. ſi quis conduxerit, D. loca. l. ſi vſusfructus D. de iur. dot. l. 3 C. de cont. empt.* Donationis nomen per ſe ſolum non facit donationem, ſed mens dantis & accipientis, *l. 15. §. Pap. D. loca.* Verum addit Conſtantinus, *Quamtumuis ius finit*, id eſt quibus caſibus eſt permiſſa venditio vel conductio imaginaria, non ſi fiat in fraudem legis Cinciæ vel legis Iuliæ repetundarum vel aliarum legum. Illis autem verbis, *Quas leges in dulgent actiones*, pro quo Theodorus παρέξῃς, Conſtantinus intelligit actus legitimos, veluti ceſſionem in iure, mancipationem traditionemque ſolemnem, non iura experiendi in iudicio, quos tamen actus legitimos ad perficiendam donationem Iuſtinianus non requirit. Quod ſequitur, *Hiſque penitus cognitis vel recipiantur & cet.* hunc habet E ſenſum, vt donatarius cognitis condicionibus & legibus quas donator rebus ſuis in donando dixit, donationem vel accipiat, vel reiiciat. Vult igitur Conſtantinus donationem fieri conditione donationis & cauſa à donatario cognita atque perpenſa & ſecuta acceptione donatarij, non μονομερῶς, quod etiam indicat *l. 26. eodem tit. & l. 15. C. de ſac. eccl.* & ad hunc locum pertinet *d. l. pupillorum*, ex qua periculum reſpicit ad tutores & curatores qui cum aliquid minori donaretur negligentes fuerunt in excutienda condicione & cauſa donationis forte, graui nimis & onero-

Cap. V.

Ad l. Si vnquam C. de reuoc. donat.

IN *ſi vnquam, C. de reuoc. don.* proponitur patronum orbum liberto donaſſe omnia bona ſua vel partem, & ſuſceptis poſtea liberis totam donationem reuocare poſſe. Vnde Accurſius tentat extra patronum & libertum ſi quis alius donat cognato, vel amico non habens liberos, nec poſtea ſuſceptis liberis donationem C eum reuocare poſſe quod non placet. quia in omnibus ratio legis valet, quæ poſita eſt in coniectura pietatis, quia veriſimile eſt eum extraneo donaturum non fuiſſe ſi de liberis cogitaſſet, vt *l. cum auus, D. de cond. & demonſt. l. 6. §. cum autem*, C. *de inſt. & ſubſt.* quamobrem vere dici poteſt tacite donationi ineſſe hanc condicionem, Si liberos non habuerit, & conſequenter natis liberis quaſi condicione defecta patri competere condictionem ob cauſam. Quod ſi hęc ratio valet in omnibus, ergo in omnibus idem ius ſtatuendum eſt, & imperatores in *d. l. ſi vnquam*, ex facto conſultos de cauſa inter patronum & libertum controuerſa præfecto vrbi reſpondiſſe. Aut eodem D modo eodemque exemplo quod dicitur de liberto in *l. cum tale §. 1. D. de cond. & dem.* non traham etiam ad alium, vt idem Accurſius voluit, & tamen eadem alij condicione iniuncta morandi cum liberis teſtatoris, is iure conſuetudinis, conuictus & familiaritatis liberis teſtatoris coniunctus eſt: nec minus etiam eſt periculoſum ſi is expectet eorundem liberorum mortem, quam ſi libertus ipſe teſtatoris. vnde & idem in extraneo dicendum videtur. An item quod dicitur in *l. 1. C. de reu. donat.* patronum liberto donaſſe videri rem quam ſua pecunia nomine liberti comparauit, non traham ad alium quam libertum, vt idem voluit quem ſatis refellit *l. filiæ ſup. fam. herciſ. l. cum hic ſtatus §. 1. D. de don. inter vir. & vx.* Sic igitur ſtatuo: *l. ſi vnquam*, pertinere ad quemcumque donatorem qui E cum non haberet liberos, bona ſua omnia vel partem alij cuicunque donauit, vt natis poſtea liberis donationem in ſolidum reuocare poſſit, quaſi condicione defecta ſub qua tacite intelligitur donaſſe, Si liberos non habuerit, per condictionem ob cauſam, quæ dabitur etiam heredibus eius, *l 3. C. de don. quæ ſub mo.* ergo & liberis ſi ei heredes extiterint iure hereditario, non iure proprio. quia iure proprio immodicam donationem à parente factam non reuocant in ſolidum, ſed pro modo tantum legitimæ portionis, vt docent Conſtitutiones *tit. de inoffic. donat.* ex quo ſequitur patrem cui ſoli competit ſolidæ donationis reuocatio ex cauſa ſuperuenientium liberorum quos

nullos habuit donationis tempore, huius legis beneficio non vti, aut in donando renuntiare posse, quia hoc ei soli lex dat non liberis, & vi tacitæ condicionis quam coniectura pietatis inducit, non fauore liberorum. Lex loquitur de donatore qui non habuit liberos. Quid si habuit? Dico nec ipsum posse reuocare donationem prætextu aliorum liberorum qui postea nati sunt, quia pietatis coniectura cessat in eo quem satis apparet extraneum anteferre liberis, neque liberos ipsos in solidum: sed si donatio sit inofficiosa siue collata sit in extraneum siue in vnum ex liberis, eam liberi quibus fraus facta est rescindunt mortuo non viuo patre per querelam inofficiosæ donationis pro modo legitimæ portionis, siue superstites fuerint tempore donationis, siue postea editi sint *l. si mater, l. si totas C. de inoff. don. l. Titia §. Imp. D. de leg. 2. No. 92.* Ad hęc si quæras, an huic legi etiam locus sit in donatione causa mortis, dicam esse multo facilius. quia reuocatur pœnitentia etiam non susceptis liberis. Quod si non fuerit reuocata à patre, non reuocari à liberis postea susceptis nisi pro ratione Falcidiæ siue ex testamento, siue ab intestato patri successerint, quia & ab intestato Falcidiæ locus est ex Constitutione D. Pij, & in donationibus causa mortis ex Constitutione Seueri. Item si quæras an ei locus sit in donatione facta remunerandi causa vel nomine nuptiarum inter viuos, dicam me ne hanc quidem excipere. quod & Nicolaus Valla Senator doctissimus probare videtur, & narrat ex more quarumdam regionum non inter viuos vlla ex causa donari posse bona quæ à maioribus accepimus. cui similis est lex qua Porphyrio in illum locum Horatij, seu fundi siue domus sit emptor, cautum esse ait, ne quis donet agrum vel domum sibi alicuius testamento donatam.

Cap. VI.

Ad Constitutiones De mor. cau. donat.

VVlgo male explicatur *l. 1. C. de mort. cau. don.* quasi in eius specie non sit fideicommissum sed quasi fideicommissum, id est donatio causa mortis, quæ confertur in superstitem, & non actio fideicommissi, sed vtilis ex testamento, vbi nullum proponitur fuisse factum testamentum, & donatio causa mortis perfecta stipulatione, altero alteri promittente in casum mortis, vt *l. vt heredibus, D. de leg. 2. l. ei cui D. de mor. cau. donat.* quia hoc modo donatio in superstitis personam confertur, non fideicommissum. Citra stipulationem fideicommissum, non donatio. Lex autem de fideicommisso loquitur: ergo non possis fingere stipulationem interuenisse & donationem in personam posterioris. Vera & perspicua interpretatio legis hæc est. Quidam duobus rem donauit mortis causa, ea lege vt altero mortuo eius portio ad superstitem pertineret. mortuo altero, superstes habet aduersus heredem eius fideicommissi petitionem. quia fideicommissum donator alteri ab altero vicissim reliquit in lege donationis, cauendo vt deficientis portio ad superstitem pertineat. Fideicommissum constat relinqui posse ab intestato nuda voluntate quocumque loco, etiam lege aut instrumento donationis & libello & alio quocumque modo, *l. & in epistola C. de fideicom.* & posse relinqui à donatariis causa mortis *l. ab eo C. eod. l. cum pater §. 1. D. de leg. 2.* non à donatariis inter viuos, *l. cum quis §. pater, D. de leg. 3.* qua de causa in *d. l. 1.* additur hic modus. Si mortis causa donatio perficiebatur, id est si duobus illis donabatur mortis causa. nam si inter viuos, non potuit alteri ab altero fideicommissum relinqui. nec potest igitur superstiti esse actio fideicommissi; sed si donator post mortem alterius superstiti directo portionem demortui donatam voluit, ei accommodabitur vtilis repetitio portionis eius, vt *l. 3. C. de don. quæ sub mo.* Non intelligunt etiam glossæ glossarumque comites quæ sit ratio dubitandi in specie *l. 2. eiusdem tit.* quæ pendet ex eo quod in ea mater proponitur intestata decessisse, & ab intestato donationes causa mortis non comparantur legatis, quia nulla sunt legata, quibus comparari possint, *l. si filius, D. de leg. præst.* vnde nec ab intestato videtur in eis locus esse legi Falcidiæ. quia D. Pius in fideicommissis hoc tantum constituit vt ab intestato lege Falcidia minuerentur, *l. filius fam. D. ad leg. Fal.* non in donationibus causa mortis. Vnde apparet quã memini me desiderare nouam Constitutionem 11. ad Africanum, quæ Constitutionem Seueri porrigeret ad causam intestati, eam esse *d. l. 2.* quæ etiam ab intestato in donationibus causa mortis Falcidiam admittit. Non intelligunt etiam *l. 3 eiusdem tit.* quæ explicanda est ex *l. 19. C. de donat.* vt nec donatio inter viuos collata in extraneum, nec donatio causa mortis possit reuocari ab agnatis donatoris puta sorore, quod res donata maiorum fuerit. quo iure vtimur. recte enim Isidorus interpres βασιλικῶν ponit à fratre factam fuisse donationem causa mortis. Vulgo male à sorore in casum mortis fratris, nec posse ab ea reuocari, quod est perspicue falsum, si mors fratris nondum insecuta sit, quam nec insecutam ea lex ponit.

Cap. VII.

De anticategoriis.

QVi est in reatu causam quidem fiscalem pecuniariam deferre potest, *l. pen. D. de accus.* quia is tantum deferre prohibetur fiscalem causam qui damnatus est, *l. deferre §. 1. De iu. fis.* At qui est in reatu, alium publico vel extraordinario crimine accusare non potest, *l. 19. C. qui accus. non pos.* nisi hactenus vt edat subscriptionem & deponat in iudicio, non etiam litem contestetur, & postulet nomen recipi. Dubitabatur an saltem in accusatorem suum crimen referre posset. Crimen scilicet aliud quam quo vel ipse releuetur, vel accusator oneretur. nam si obiiciat accusatori crimen quo ipse releuetur, accusator oneretur, puta calumniosam accusationem esse, verum est eum quandocumque audiri, *l. 1. C. de calum. l. qui cum natu §. si libertus, D. de bon. lib.* idemq; si retorqueat crimẽ in accusatorem, vt si dicat se iure occidisse quod alius ante se iniuria lacessierit & appetierit, *d. §. si libertus,* vel si vxor quam maritus ream fecit adulterij dicat se peccasse lenocinio mariti, quæ obiectio etsi vxorẽ non releuet, tamen maritum onerat & pœnæ subiicit *l. 2. §. si publico, D. ad leg. Iul. de adult.* & alia est ratio extranei quem maritus reum fecit adulterij, qui si postquam in reos relatus est, obiiciat marito lenocinium, non auditur. quia neque opposita exceptione lenocinij releuat se, neque onerat accusatorem, *d. l. 2. §. qui hoc dicit, & §. extraneus.* & varietatis ratio hæc est, quia vxor quę contra marito lenocinium obiicit retorquet in eum crimen, & cuilibet reo quandocumque retorquere crimen licet in accusatorẽ, extraneus obiecto lenocinio non retorquet crimen, quia non ipse lenocinio pellectus est sed mulier. Dixi, Postquam in reos relatus est, vt *l. 5. De pub. iud.* vt Demosthenes *in Spudiam*, ὁ προσῆκεν ὅταν τις φανερῶς ἐξελέγχηται, μεταστρέψαντα τὰς αἰτίας ἐγκαλεῖν καὶ διαβάλλειν, quia initio delati criminis par quale est lenocinium adulterio, cum & pœna & lege vtrumque eadem coërceatur *d. l. 2. §. lenocinij*, aut minus crimen is qui reus agitur

delatori obiicere potest *l. quoniam, C. ad leg. Iul. de adult.* & vt mutua actio hodie statim ab initio obiicienda est apud eundem iudicem ex *Nou. 96. §. vlt.* ita & accusatio mutua sine anticategoria. Dico par aut minus: quoniam hæc existit differentia inter maius crimen & minus vel par, id est simile aut æque magnum, quod ei qui prior aduersarium retulit in reos par aut minus crimen obiici non potest, *l. 19. C. qui ac. non pos.* vt recte Græci interpretes in eam legem adnotarunt. At maius crimen ei obiici potest & causa maioris criminis præfertur minori, quod prius delatum est, *l. 1. C. eod.*

Cap. VIII.

Defenditur vulgata scriptura l. 4. D. ad S. C. Turpil.

QVod Papinianus respondit in *l. 4. D. ad S. C. Turpil.* mulierem quæ desistit à delatione criminis iniuriæ propriæ non teneri S. C. Turpiliano. id ac si verum non esset quidam emendant ex *l. 1. §. accusatorem, eod. tit.* quod in ea dicatur Papinianus respondisse mulierem quæ desistit ab accusatione quam non iure instituit non suarum iniuriarum gratia, non teneri S. C. Turpiliano, quasi scilicet non potuerit Papinianus vtrumque respondere, mulierem quæ non iniurię propriæ vel quę iniuriæ propriæ crimen post interpositam delationem desistens omisit non teneri S. C. Turpiliano. nam & vtrumque verum est, quia mulier quæ suam vel suorum iniuriam persequitur ex S. C. non tenetur subscribere in crimen, & calumniæ cum ea si non obtineat agi non potest *l. 2. C. de calum. l. 12. C. qui accus. non pos.* & consequenter non tenetur S. C. Turpiliano, excepto vno casu si turpiter depacta sit *l. pen. C. ad S. C. Turpil.* quia in S. C. Turpilianum non incidit is eave quo cum de calumnia agi non potest *l. in S. C. §. eos D. eodem.* quod non pugnat, vt vulgo opinantur, cum *l. abolitionem C. Ad leg. Iul. de adult.* quia in eius specie ponendum est cum marito qui vxorem accusauit adulterij iure mariti agi posse de calumnia, quia scilic. euidens erat eum calumniandi animo non bona fide accusationem instituisse. quo casu calumniæ periculum non euitat *l. is cuius §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult. arg. l. 2. C. qui accus non possunt*: nec pater etiam ipse qui iure patris accusauit, *l pater, D. ad leg. Iul. de adult.* Sed si bona fide ad accusationem accesserit, ait demum vinci potest sine pœna calumnię & desistere sine pœna S. C. Turpilliani vel legis Petroniæ.

Cap. IX.

An semper iudici teneatur iniuriarum is qui euentum sententiæ eius venditauit.

NOn quocumque modo quis venditat litigatori sententiam iudicis, iniuriam iudici fecisse videtur, sed si tanquam daturus pecuniam iudici hoc faciat, vt ponitur in *l item apud §. idem ait, D. de iniur.* quia hoc modo venalem profitetur esse iudicem, & facile data pecunia posse corrumpi. Vulgo in *d. §. idem ait*, Velut laturus, quod semper agitur inter ementem & vendentem, vt intercessionis & operæ suæ certum pretium venditor ferat. sed rectius Flor. velut daturus pecuniam, vt in Digestorum Græca metaphrasi, ὡσανεὶ μέλλων παρέχειν τῷ ἄρχοντι χρήματα. quo casu fit iniuria iudici, non alio casu quolibet, quo ex hac causa venditor & emptor extra ordinem coërcentur *l. 10. C. de accus.* in qua commercij nomen satis desinat emptorem & venditorem, non vt Græci posuere, mandatorem promissoremque impunitatis & factorem. Venditorem, inquam, intercessionum, venditorem fumorum, qualem alij plerique notarunt Imp. Alexandrum fumo necari iussisse, conuenientissima pœna, vt fumo pereat qui vanum fumum fecit, vt iure nostro igne consumitur qui incendium fecit.

Cap. X.

Non tantum acturum cum domino noxali iudicio, sed etiam seruum accusaturum criminaliter, agere ad exhibendum.

CErtum est ei qui in dominum noxali iudicio experiri velit, dari actionem ad exhibendum *l. 3. §. si quis noxali, D. ad exhib.* At an etiam ei detur qui seruum criminali iudicio reum postulat, ambigitur. Accursius dari negat, cum tamen non minus hic iustam & probabilem causam habeat propter quam sibi seruum exhiberi desideret, quam is qui acturus est iudicio noxali, vt scilicet seruum componat cum testibus, vt præsentem accuset atque condemnet, qui absens nec damnari, nec accusari posset, sed adnotari tantũ. Et vero aperte *l. 2. Cod. ad exhib.* ait, seruum criminis postulatum per ad exhibendum actionem à domino produci debere, quę verba ad criminale iudicium spectare quo seruus conuenitur licet per se ipsa satis demonstrent, etiam omnino peruincit *l. 2. C. de accus.* quam cum illa esse coniungendam probat inscriptio & subscriptio, quæ in vtraque eadem est. Et vt dominum seruum defendentem *l. 2. C. de accusat.* sistere eoque nomine satisdare iudicio sisti *l. si seruum D. eodem l. 2. D. de cust. reorum.* ita *l. 2. C. ad exhibendum* non defendentem dominum ait exhibere in iudicio seruum debere in quem aliquis edidit libellum inscriptionis vel exposuit querelam apud acta. Et eodem argumento inscriptionis & subscriptionis consimilis dicam *l. 1. C. de iniuriis*, quam vulgo accipiunt actiue & passiue, esse accipiendam actiue, vt si seruus alij fecerit iniuriam, iniuriarum criminaliter reus fieri possit, vt vel extra ordinem scilicet puniatur. quoniam legis Corneliæ pœna in eum non cadit.

Cap. XI.

Ad l. inter, D. de pub. iud.

REcte Acc. in *l. inter, D. de pub. iud.* hæc verba, Cognitione susceptа, sic interpretatur lite contestata, & Bas. μὴ προκατάρξιν, nam ante litem contestatam non accusatur nec damnatur reus qui delatus est si absit per contumaciam, sed adnotatur tantum inter reos delatos, vt requiratur obsignatis bonis, *l. 6. C. de acc. l. vlt. D. de req. nec abs. dam.* & adnotatio edicto promulgatur, vt in eius notitiam venire possit, nec tamen ea adnotatio importat publicationem bonorũ vel condemnationem, licet ab ea appellari possit, *l. 2. C sipen. d. ap. mors int.* Sed adnotationem post annum sequitur bonorum publicatio & infamia *d. l. vlt. C. eod.* non capitalis condemnatio, *l. absentem §. aduersus, D. de pœnis.* At post litem contestatam si absit reus per contumaciam, hoc est vt ait *l. inter*, si per triduum per singulos dies ter citatus reus voce præconis, aut buccina quæ vocis similitudo est, non respondeat, condemnatur, nisi præsto sit qui eius absentiam excuset, & excusatio recipiatur. nam in iudicio criminali excusatorem absentiæ Senatus admittit. Per triduum autem per singulos dies ter citare est quod vulgo dicimus per tres breues dies. nec tamen secundum verba & mentem

tem *l. inter*, tres illi dies sunt nouem dies, vt omnes vulgo interpretantur, ita vt intra IX. dies ter citetur reus inter primam, & secundam, & inter secundam, & tertiam citationem intermisso spatio duorum dierum, quod spatium IX. dierum etiam male Imbertus vocat trinundinum, cum trinundinum constat XXVII. diebus. Triduum etiam nolo accipi pro triduo continuo, sicut nec in lege XII. tabul. de denuntiatione testimonij, tertios dies accipio pro continuis, sed pro trinundino, ita vt singulis tribus nundinis ter reus vel testis citetur nominatim, ad domum vel pleno foro, puta Ille, Ille, Ille, præsentibus vrbanis & rusticis qui nundinis mercatu solemni frequentes in vrbe conuenire solent. hoc est nono quoque die. Cicero *pro domo sua*. Quarta sit accusatio trinum nundinum prodita die quo die iudicium sit futurum. & ita Coriolanum lego apud *Plutarchum*, & *Dionysium libro septimo*, iuberi adesse εἰς τέτταρα ἀγορᾶν, hoc est trinundino, & leges quoque trinundino promulgari & confirmari, apud Ciceronem in *eadem oratione*, & Macrobium *I. cap. XVI. & III. cap. XVII.* vt & leges & denuntiationes quibus rei vel testes euocantur omnibus innotescant. Et ad trinundinũ proxime accedit quod legimus in causis ciuilibus absentem tribus edictis euocari per singula edicta intermisso spatio X. dierum, *l. ad peremptorium & l. seq. D. de iud.* quod etiam fieri μὴ παρατάξιν Græci ad eam legem adnotarunt, & confirmatur arg. *l. contra* §. *1. D. de re iud.* Vt autem in ciuilibus causis, *l. liberto* §. *litem, D. de neg. gest.* ita cũ criminibus absentia rei vel accusatorib⁹ post litem contestatam, accusari per alium potest. Rei, ne vt contumax damnetur eo crimine cuius factus est reus. Accusatoris, ne caluminiæ damnetur, *l. inter*, cuius vtique damnatur si per comtumaciam absit post litem contestatam, id est si tribus edictis vel denuntiationibus ter citatus non responderit nec excusatus fuerit, & reus absoluitur, recte non etiam si citra contumaciam absit. nam hoc casu sententia qua reus condemnatur vel accusator tanquam contumax absoluto reo, ex vna postulatione (vt ait *l. 4. C. de accus.* id est μονομερῶς, cui contrarium est συζήτησιν vel causa cognita) ipso iure nulla est, & ex integro causa agi potest apud eundem vel successorem eius, ad quæ verba *l. 4.* quasi se corrigat suppleri velim, quod magis est, arg. *l. 1. C. de sent. præf. prat.* At si ante litem contestatam post inscriptionem accusator per contumaciam absit, non calumniæ damnatur, sed extra ordinem *l. 3. C. qui accus. non pos.* quasi S. C. Turpiliano vt *l. 2. C. ad S. C. Turpil.* aut grauius quam pœna S. C. Turpiliani, *l. absentem* §. *pen. D. de pœnis*. De reo autem absente ante litem contestatam, initio dixi satis.

Cap. XII.

Emendata l. Domitianus, D. ad S. C. Turpilianum.

VAlde probo quod adnotatum legi in ora *l. Domitianus, D. ad S. C. Turpil.* loco horum verborum, ne iudicium finiatur, alias scribi, donec iudicium finiatur. hanc enim esse veriorem scripturam euidenter probat *l. 2. D. de cust. reor.* in qua Papinianus *libro de adulteriis*, æque ac Paulus in *d. l. Domitianus*, idem scriptum reliquit, Domitianum decreuisse abolitiones ex S. C. factas non pertinere ad seruum coniectum in vincula publica, subiecta ratione huiusmodi, Nam & lex ipsa prohibet eum absolui priusquam de eo iudicetur. vbi lex ipsa proculdubio est lex Iulia publicorum iudiciorum de qua Papinianus egit paulo ante, quæ seruum capitali crimine postulatum si indefensus derelinquatur, iubet in vinculis esse donec iudicium finiatur, aut quod idem est, vinculis solui eum vetat antequam iudicium finiatur. vnde vterque Papinianus & Paulus recte constituunt Domitianum rescripsisse & edixisse abolitiones factas ex S. C. non pertinere ad seruos qui lege Iulia iubentur esse in vinculis, donec iudicium finiatur. & ex S. C. in *d. l. 2.* non est ex S. C. Turpiliano, vt glossa notauit, quæ nec quid in ea sit, Lex ipsa, intellexit, quoniam S. C. Turpilianum non fuit de abolitionibus reorum, sed de accusatorum præuaricationibus & tergiuersationibus. verum ex S. C. intelligere non oportet, vt in *l. si interueniente D. ad S. C. Turp.* pro re nata facto, cum Senatus ob publicam aliquam lætitiam indicit ferias, & soluit reos vinculis eximitque reatu, quæ abolitio vt Domitianus constituit, pertinet tantum ad ciues qui sunt in reatu & in vinculis, non ad seruos. quia & hos lex Iulia iubet esse in vinculis donec de eis pronuntietur. & vero simile est Senatum qui abolitionem publicam concedit reis ob lætitiam aliquam, sentire de ciuibus non de seruis, nec ei curæ esse seruorum lætitiam.

Cap. XIII.

Constitutio Græca De cust. reorum.

NOn satis emendate iam à multis exposita est constitutio Iustiniani Græca de custodia reorum ad Menam P P. nam illo loco quo de seruis agitur carcere liberandis, id est condemnandis vel absoluendis intra XX. diem, pro σωφρονιζομένους καὶ τοῖς δεσπόταις ἀποδιδομένους, non coniunctim sed disiunctim scribendum est, ἢ τοῖς δεσπόταις ἀποδιδομένους, hac sententia, vt intra eum diem serui puniantur si noxij appareant vel si innoxij, absoluti domino si extet restituantur. Deinde alio loco quo agitur de liberis hominibus datis in carcerem, vt statim de eis pronuntietur si seditionis rei sint, quia scilicet seditionis causa moram non recipit *l. 6.* §. *hi autem in fi. D. de iniust. rup. test.* alia autem ex causa detenti vt datis fideiussoribus carcere liberentur, aut si satisdationem implere non possint, statim iudicentur, puta si ex causa ciuili vel criminali leuiore detenti sint, homicidij vero alteriusve criminis capitalis rei iudicentur intra dies XXX. & subiicitur, Si non hi qui sunt in carcere litem trahant sed condicio eius rei qua de agitur talis sit vt non possit finiri statim vel intra XXX. dies, tum detentos ex causa ciuili vel non capitali crimine, committi iuratoriæ cautioni. male ita scriptum est, ἐὰν δὲ μὴ χρεία πλείονος, &c. δοθῶσιν αὐτῷ ἐπὶ ἐξωμοσίᾳ, cum sit scribendum ἐὰν δὲ ἡ χρεία πλείονος, &c. δίδοται αὐτὸν ἐπὶ ἐξωμοσίᾳ. Sequitur in eadem lege reos homicidij factos ex relatione publicarum personarum, quales sunt stationarij, & curiosi, quod traho etiam ad quoscumque reos capitalis criminis carcere incluſos, intra sex menses iudicandos esse, si res non possit expediri intra dies XXX. nec committi fideiussoribus. Et publicas personas pari cum reo fortuna retineri vt *l. 7. C. de accus.* Reos autem factos ex accusatione & inscriptione solemni, quo loco est scribendum, εἰ δέ τις ἐγγεγραμμένος ἄπορος ἐγένετο τῆς ἐποχῆς, vel vt alias legitur, τῆς ἐποχῆς τῶν καταδουμένων, fideiussoribus committi nisi præsumptio contra eos faciat, vel non inuentis fideiussoribus detineri in carcere, iudicium finiri intra annum. Biennium igitur quod præscribitur finiendis causis criminalibus *l. vlt. C. vt intra cer. temp.* dicemus tunc dumtaxat obseruari cum rei non dicunt causam ex carcere & vinculis, quod & *l. vlt. inf. de pœnis* confirmat.

Cap. XIV.

Brevis admotatio ad l. Extrario quoque, D. de quæstion.

RE ɛte Papinianus in *l. XVII. D. de quæst.* Extrario quoque accusante, quasi dicat, lege Iulia marito vel patre adulteram, vel adulterum iure mariti, vel patris (vterque accusare potest iure præcipuo intra LX. dies *l. 6. §. vlt. l. si adulterium §. pen. D. ad leg. Iul. de adult. l. 6.* illo loco, reus vel rea & *l. 7. C. eodem*) seruos contra dominum interrogari posse, vt *l. patre, D. de quæst. l. 3. C. ad l. Iul. de adult. si postulauerit §. haberi, D. eod.* Extrario quoque accusante etsi non lege Iulia ex Constitutionibus, tamen seruos contra dominum torqueri posse, vt seruos mulieris in caput mulieris, seruos adulteri in caput adulteri, nimirum B ex Constitutionibus D. Marci & Seueri & Antonini, vt *l. 1. C. de quæstion.* ac similiter marito vel patre accusante adulteram non iure & priuilegio suo, sed post LX. dies iure extranei. quod *l. 6. §. ad leg. Iul. de adult.* significatur, dum ait ex Constitutione Diuorum principum non minus ad probationem sceleris quæstionem haberi posse de seruis vxoris marito accusante iure extranei, quam si ageret iure mariti. & Constitutionis hanc rationem reddit Papinianus *libro singulari de adulteriis*, quia non facile tale delictum sine ministerio seruorum admitti creditum est. Multa Constitutiones legi Iuliæ subrogarunt. nam & illud Constitutio Adriani subrogauit, vt de seruis patris naturalis & seruis alienis quibuscumque in vsum mulieri datis quæstio haberi possit, & Constitutio Gratiani, Valent. & Theodosij modum omissum lege Iulia in seruis mulieris, vt ij solum torqueantur quos mulier in ministerio & domi suæ habuit.

Cap. XV.

Differentiæ inter adulterum & adulteram.

ADultera constante matrimonio nec dum facto diuortio, à nemine accusari potest, nisi prius lenocinij marit⁹ reus postuletur *l. constante D. ad leg. Iul. de adult. l. XI. C. eod.* Adulter etiam constante matrimonio ab extraneo accusari potest, etiamsi lenocinij prius maritus non postuletur, *l. vim §. 1. D. eod.* quo genere, vt ait *l. 30. C. eod.* matrimonia nondum dirempta sæpe deturpantur. Recte, ab extraneo. nam à marito nec adultera, nec adulter constante matrimonio accusari potest, *l. miles §. volenti, D. eod.* quam vt acciperem de marito mihi Basilica penitus persuaserunt, à quibus abest *d. §. volenti, sicut & d. l. XI.* Vtraque lex eadem ratione, nimirum quia *Nou. 117.* etiam constante matrimonio mulier à marito adulterij accusari potest, non ab extraneo, & consentit omnino cum Nou. Iustiniani *d. l. constante*, quæ ob eam rem nec à Basilicis abest. Hæc vero differentia efficit, vt adultero accusando quinquennium continuum computetur à die admissi criminis, adulteræ vero accusandę sex menses vtiles à die diuortii, *l. mariti §. sex mensium D. ad leg. Iul. de adult. l. 3. C. eod. l. 1. §. accusationem D. ad S. C. Turpil.* & notanda est illa quoque differentia temporum, in adultero quinque anni continui, in adultera sex menses vtiles, ita tamen vt non egrediantur quinquennium continuum, *d. § sex mensium.* Communis est præscriptio quinquennii continui adulteri & adulteræ si sex menses vtiles trahantur in longius tempus. Propria adulteri præscriptio quinquennij continui, & propria adulteræ præscriptio sex mensium vtilium, si sex mensium vtilium breuius sit A spatium quam quinquennij continui. Fauet hac in re lex Iulia adulteræ plusquam adultero, data adulteræ breuiori præscriptione temporis & eius tractu longiore redacto ad finem quinquennij continui. Porro ex illis sex mensibus vtilibus, primi duo, id est sexaginta dies vtiles dantur marito vel patri ad accusandum iure mariti vel patris, reliqui quatuor menses vtiles ad accusandum iure extranei *l. 4. §. 1. D. eod. l. 6. C. eod.* excepto eo quod etiam intra quatuor menses maritus admittitur, licet alias accusare non possit, vt Paulus scribit *lib. sing. de adulteriis*, & dixi *Obs. XVII. c. XXX. sed* satis inemendate, cum post allatam *l. 15. §. lex D. ad leg. Iul de adult.* ita scri-
„ bere debuerim, *Videlicet nisi de suo matrimonio vio-*
„ *lato* querantur. nam de marito tantum accipienda
„ sunt hæc Pauli verba *libro sing. De adulteriis* intra B
„ quatuor menses vtiles expertus (maritus scilicet
„ de quo ante dixerat) licet talis sit qui alias accusare
„ non possit, vt libertus aut minor XXV. an. aut in-
„ famis, tamen ad accusationem admittitur. & quod ait Paulus, vt libertinus, id ex Papiniani & cet. Quod autem est in extremo eius capitis, De præscriptione autem illa IV. mensium, &c. obliterandum est.

Cap. XVI.

Retractatio l. VII. C. ad leg. Iul. de adult.

NOn idem omnino cauetur *l. 7. §. ad leg. Iul. de adult.* quod rescripto Seueri & Antonini de quo C in *l. si vxor §. Diuus & §. pen. D. eod.* nam ex eo rescripto qui postea maritus esse cœpit mulierem ex adulterio siue stupro quod ante commisit iure mariti accusare non potest, nisi sponsus eius fuerit admissi stupri tempore. & quod Paulus *libro singulari de adulteriis* ait, In vxorem adulterium vindicatur iure mariti, non etiam in sponsam, respicit ad legem Iuliam. Quod autem subiicit, Seuerus quoque & Antoninus ita rescripserunt, nimis concisum est, quoniam ambigitur vtrum dicat idem eo rescripto caueri quod lege Iulia, an ex eo rescripto in sponsa quoque adulterium ita vindicari. i. iure mariti. quæ interpretatio melior est. Ex constitutione autem *l. 7. C. eod.* qui postea maritus D esse cœpit nec adulterum siue stupratorem ex adulterio ante commisso iure mariti accusare potest, nisi sponsus puellæ fuerit. & ita eam Constitutionem Thalelæus interpretatus est. Sed addit præterea puellam quoque ipsam agere in stupratorem posse præsentibus curatoribus de stupro sibi illato cum esset virgo, videlicet etiamsi nulla vis adhibita fuerit. Non est necesse vt ponamus quod Basilica faciunt, fuisse virginem tenellam, impuberem, immaturam viro cum imminuta est. nam etiamsi in virginem adultam commissum sit stuprum sine vi, lege Iulia vindicatur, & quæri ea de re atque expostulare cum stupratore puella potest, licet vim nulla passa sit. In deintegratam quæ virum experta est non maritum, id est quæ neque vir- E go neque vidua est, iure ciuili stuprum non committitur, aut impune committitur *l. si ea quæ C. eod. tit.* nam quod ait *fœdissimam eod. tit.* ad pœnam tantum pertinet interdictarum nuptiarum.

Cap. XVII.

Differentia inter incestum & adulterium.

MErito quæri potest, an sicut cum incesto iunctum adulterium est serui torquentur in caput domini, *l. vim §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult. l. si quis*

viduam, *D. de quæst.* qui non torquerentur si de incesto tantum ageretur, torquerentur si de adulterio, ita si incesto iunctum sit adulterium duo simul ab eodem vno tempore vnoque libello accusari possint, qui non possent si de adulterio tantum ageretur, possent si de incesto tantum. Ego vero dicerem posse, quod sumere semper oporteat id quod in altero è duobus criminibus durius iura constituerunt. nam & simili modo si incesto iunctum sit adulterium, dicimus crimen non tolli præscriptione quinquennij vel sex mensium *d. l. vim* §. *præscriptione*, qua adulterium simplex tolleretur, non incestum. Et his consequenter etiamsi iunctum sit incesto iuris ciuilis adulterium, dicerem ignorantiam iuris non excusare mulierem, quæ tamen excusat si de incesto iuris ciuilis tantum agatur, non si de adulterio, quod semper iure naturali damnatur, *l. si adulterium cum incestu*, *D. eodem.* Cur vero incesti commune crimen aduersus duos simul ab eodem intentari possit, vt *l. 7. §. vlt. l. vim* §. *pen. eod.* adulterij non possit, *d. l. vim* §. *duos*, si quis quærat, dicam primum adulterij non posse, quia hoc lex Iulia nominatim vetat, *l. 8. C. eod.* In crimine autem incesti hoc nulla lex vetat, ideoque in eo sequimur ius commune, quo receptum est vt & si non cogatur quis plures simul ex communi crimine reos facere, *l. Diui*, *D. de accus.* possit tamen sua sponte, *l. 1. C. si reus vel accus. mor. fuer.* nam & similiter in crimine adulterij serui torquentur in caput domini, quia hoc lex Iulia permisit nominatim, *l. si postulauerit* §. *haberi*, *D. de adult. coër.* In crimine autem incesti vel stupri non torquentur, *l. 4. & 17. D. de quæst.* quia id in eo nulla lex permisit specialiter, & ideo sequimur in eo ius commune. Cur vero lex Iulia in adulterio noluerit ius commune seruari, hoc est, ambos ab eodem simul deferri, ratio non hæc est, ne traducatur paramantium, cum traduci possit à diuersis, alio scilicet accusante adulterum, alio adulteram, sed vt cohiberetur hac in causa nimium studium vnius accusatoris qui vno reo contentus non est. nec enim ex lege Iulia tam acerba est huius criminis executio quam ceterorum criminum. nam & breuitate temporis constringit crimen, & variis præscriptionibus eludi patitur, & minores XXV. an. qui ad alias accusationes admittuntur ab ista repellit, & iudicium adulterij capitale non facit.

CAP. XVIII.

De pœna adulterij, & sententia l. castitati, C. ad legem Iul. de adult.

LEge Iulia adulterij pœnam capitalem non esse, id est neque mortem esse, neque deportationem facile credo, tum quod, vt paulo ante docui, ex ea lege adulterij non est tam seuera executio quam ceterorum criminum, tum etiam quod Græci interpretes scribunt ad *l. transigere*, *C. de transactionib.* adulterium non esse capitale κατὰ τοὺς παλαιοὺς νόμους καὶ παὶ ἐν τῷ Ερμογενιανῷ καὶ Γρηγοριανῷ διατάξις. Sed dico hoc non necessario efficere caput legis Iuliæ, quo vetamur adulterij damnatam ducere vxorem vel reducere, quia addi potest condicio quæ additur in *l. castitati*, *C. ad leg. Iul. de adult.* Si quocumque modo capitalem pœnam euaserit, gratia scilicet vel legis auxilio, vt *l. denuntiasse* §. *vlt. D. eod.* Exemplis etiam sumptis ex auctoribus si quis vtatur quibus doceat relegatos fuisse plerosque adulteros & adulteras, contra ego proferam & alia, quibus probabo etiam plerosque fuisse morte multatos etiam ab ipso Aug. auctore legis Iuliæ, vt Iul. Antonium & alios quosdam apud Dionem LV. Melius vero id probari posse arbitror ex *l. si quis* A *viduam*, *D. de quæstionib.* qua duplex crimen incesti & adulterij deportatione vindicatur, quoniam argumentum præbet vt dicamus simplex adulterium vindicari minore pœna quæ post deportationem vtique relegatio est, vel datio in opus publicum, vel publicatio dimidiæ partis bonorum. Idem etiam bellissime probari potest ex eo quod lenocinij pœna quæ eadem est quæ adulterij, in milite exauctoratio & deportatio est, *l. 7. §. vlt. D. ad leg. Iul. ma.* quo satis demonstratur in pagano adulterij crimen lenius puniri. ac præterea ex eadem *l. miles* §. *ea quæ*, quod recepta inter reas, absens defendi non possit. quia scilicet vt absens defendatur hoc tantum permissum est in iudiciis B capitalibus, vt ostendam *cap. 20.* Item ex eo quod quæ ratio redditur de accusatione suppositi partus non differenda propter impuberem filium, quia verisimile est matrem ex fide causam suam defensuram cum periculum capitis subeat, *l. 1. C. ad leg. Cor. de fal. l. 1. §. vlt. D. de Carb. edic.* sane eadem de adulterio non redditur, quæ reddi posset si capitale foret, *d. l. miles* §. *defuncto.* Nec tamen ideo nego quandoque adulteros fuisse capite damnatos vel extra ordinem motu principis, vel causam quadam atrociore ad scelus adulterum compellante, vt ipsomet Augusto in Iulio Antonio, qui solebat cum Iulia. Certe Imp. Alexander in *d. l. castitati*, quod suo tempore inciperent exo- C lescere adulterii pœnæ & lex Iulia dormire, vt Satyricus ait, sicut Appianus *in Lybico*, κοιμᾶσθαι οἱ νόμοι τιμέων, ipse ait castitati & disciplinæ suorum temporum conuenire vt lege Iulia damnata in legitimis pœnis perseueret, quod est vt eam sequantur pœnæ, non quas lex Iulia sanxit, sed etiam capitales si res ferat quas ad legem Iuliam nonnulli principes subrogarunt. Satis est pronunciari, Illam in legem Iuliam de pudicitia peccasse videri. Pronuntiationem hanc tacite sequuntur pœnæ legitimæ & vsitatæ *l. si præses*, *D. de pœnis*, *l. vim*, *in prin. D. de adult. coër. l. 1. §. nam si quidam*, *D. ad S. C. Turpil.* Vsitatiores autem significat *l. castitati*, Alexandri tempore aut sane paulo ante Alexandri tempora fuisse capitales & ideo subiungit, D eum qui forte non damnatam capite quæ casu quodam euaserit capitalem pœnam duxerit vel reduxerit tanquam lenonem relinqui pœnis legis Iuliæ quæ mitiores sunt. Et huic constitutioni Alexandri addi velim quod est in extremo *l. 30. eodem tit.* sacrilegos nuptiarum gladio puniri, & quod *l. transigere*, *sup. de transac.* adulterium esse capitale crimen, & quod *l. 4. C. Th. quor. appell. non recip.* sacrilegos nuptiarum tanquam manifestos parricidas esse puniendos, & quod *l. 2. C. Th. de ind. reliq.* vt maiestatem læsam, homicidium, veneficium, raptum, ita adulterium capite esse luendum, & quod auctores multi qui sub Imperatoribus fuerunt, adulterii crimen capitale fecerunt. Arnobius *IV.* Adulteria legibus vindicant & capitalibus adficiunt eos pœnis quos in aliena comprehenderint E fœdera genialis se lectuli expugnatione iecisse. Apuleius *IX.* Ne iuris quidem seueritate lege de adulteriis in discrimen vocabo capitis. Saluianus *VII. de prouid.* Addiderunt ad libidinem comprimendam seueras pudicitiæ leges, decretorum gladio impudicitiam coërcentes, vt puritatem vtriusque sexus & domi connubii seruaret affectus & in publico metus legum. Et sub Valentiniano Ammianus Marcellinus *XXVIII.* Cethegum Senatorem adulterii reum delatum periisse abscissa ceruice, & originis altæ feminas complures. Ergo lege quidem Iulia adulterium non est capitale, sed decretis quorumdam principum in quibusdam, ac tandem generalibus Constitutionibus Theodosiani & Iustiniani Codicis in omnibus factum est capitale.

Cap. XIX.

Explicatio l. De crimine, C. ad legem Iul. de adult.

IMp. Alexander *l. 10. C. ad leg. Iul. de adult.* De crimine, inquit, adulterij paciſci non licet. Non licere id dicitur quod lege aliqua exceptum & vetitum eſt. M. Tullius *pro Balbo.* Si exceptio facit ne liceat, ibi neceſſe eſt licere vbi non eſt exceptum. Non licet igitur, id eſt lex Iulia vetat paciſci vel tranſigere cum reo accuſatorem adulterij. Liceret paciſci ſi lex non excepiſſet, ſicut de alio crimine capitali paciſci licet, *l. tranſigere, C. de tranſ.* quia omnis eſt honeſta ratio tuendæ vitę, *l. 1. D. de his qui ſibi mor. conſ. l. vlt. D. de præs.* At nō licet, quia id lex Iulia excepit, nec ea exceptio Conſtit. abrogata eſt, quæ eius criminis pœnam capitalem fecerunt. Pœnam enim legis non capitalē, mutarunt in capitalem, vt docui ſuperiore capite, exceptionem tamen illam non abrogarunt. hinc fit, vt pleniꝰ docui libro ſuperiore capite penultimo, & *lib. VI. c. XI.* vt & ſi hodie adulterium ſit capitale, non poſſit tamen de eo tranſigi, ſicut nec receptus adulterij reus, hodie abſens defendi poteſt, licet crimen factum ſit capitale, qua de re obiter præcedenti & ſpecialiter ſequenti capite. Merito autem id exceperat lex Iulia ne liceret de adulterio tranſigere, quia ex ea adulterium non eſt capitale, & turpe eſt paciſci de crimine non capitali, *l. ſiquidem, C. de cont ſtipul.* & in criminibus quæ capitalia non ſunt, id eſt quorum pœna mors non eſt, par, vt ait *d. l. 20.* eſt delictum accuſatoris præuaricatoris, id eſt qui ſe vinci patitur cum reo ex compacto habito colludio, & rei fugientis veritatis inquiſitionem. Sic emendaui *VI. c. XI.* & probaui etiam obtrectatoribus. Par autem eſt delictum vtriuſque, quia vterque pari pœna punitur. At hodie adulterio facto capitali nec tamen de eo permiſſa tranſactione, dicemus in aliis criminibus capitalibus, vt Græci vertunt ſtilum *d. l. 10.* non eſſe par delictum accuſatoris præuaricatoris & rei fugientis veritatis inquiſitionem. Præuaricatorem enim puniri. Reum qui tranſegit & ſe pecunia aliave pactione redemit, non puniri. In adulterio autem vtrumque puniri & par eſſe vtriuſque crimen, vt *l. 23. C. eodem.* Sequitur in *d. l. 10.* eum lege Iulia puniri qui pro comperto ſtupro pretium accepit. qua in parte non vt priore de accuſatore loquitur, ſed de eo qui deprehendit adulterum, & dimittit accepta vel promiſſa pecunia, quo caſu non punitur adulter qui ſe redemit ne proderetur vel occideretur, quia iudicium non corrupit, ſed qui accepit pretium is ſolus punitur, *l. mariti §. plectitur, D. eod. l. nec timorem & ſeq. D. de eo quod met, cau.*

Cap. XX.

Etiam receptum inter reos capitales per procuratorem vel alium quemlibet ſuſcipientem cauſæ defenſionem defendi poſſe.

QVod ait *l. 3. C. de accuſ.* reos capitalium criminum abſentes etiam per procuratorem defendi leges permittere publicorū iudiciorū, vulgo accipiunt de abſentia reorum tantum vt poſſint redditis iuſtis cauſis defendi & excuſari, non etiam integra cauſa agi. quæ interpretatio coacta nimis eſt & improbabilis. nec enim ſi de abſentia tantum excuſanda ſenſiſſet, abſolute dixiſſet, Defendi. quo verbo ſignificatur plena defenſio & vero apertiſſime *l. ferunt §. publice, D. de procurat.* publice vtile eſſe ait abſentes à quibuſcumque defendi. nam & in capitalibus iudiciis defenſionem dari. Itaque vbicumque abſens quis damnari poteſt (damnari autem abſens poteſt is quo cum præſente lis conteſtata eſt, *l. inter, D. de pub. iud. l. 4. §. penult.* D. *ad leg. Cornel. de ſic.* quia & inter reos recipi *l. adulteram, C. ad legem Iul. de adult.*) ibi quemuis verba pro eo facientem & innocentiam excuſantem audiri æquum eſſe, & ordinarium admittere, id eſt legitimum, nimirum quia hoc permittunt leges publicorum iudiciorum. & hoc apparere ex reſcripto Imperatoris noſtri, id eſt Alexandri Seueri in *d. l. 3.* Quæ omnia verba tam ampla tamque aperta de innocentia excuſanda, coanguſtare vel conuertere ad abſentiam apte non poſſis, cum eo quod abſentia ex S. C. excuſatur, *l. penul. D. de pub. iud.* non lege publicorum iudiciorum. Sed obſeruandum eſt *d. l. 3. & d. §. publice* loqui tantum de capitalibus iudiciis & de reis capitalium criminum, id eſt de receptis inter reos capitalium criminum lite conteſtata, qui ſoli abſentes damnari poſſunt, vt ante dixi, & dicam ſequenti capitulo. nam recepti inter reos iudicio publico non capitali, veluti adulterij, abſentes defendi non poſſunt *l. miles §. ea quæ D. ad legem Iul. de adulter.* In iudiciis tantum capitalibus publice vtile & æquum eſt admitti quemlibet defenſorem qui eius qui reus factus eſt quique abſens damnari poteſt, nec ſalutis ſuę vllam curam habet commiſereſcat, & pro eo verba faciat, ſicut & pro eo qui ducitur ad ſupplicium cuilibet appellare licet *l. non tantum* D. *de appel.* nam & ita Sthenio Thermitono reo capitalis criminis legimus cognitorem qui quaſi procurator eſt, datum vel adſcriptum apud Ciceronem de iure dicendo *in Verrem.*

Cap. XXI.

Inchoare crimen, reum facere, agere, deferre, petere, poſtulare, referre, vel recipere inter reos, facere requirendos,

CRimen inchoatur litis conteſtatione, vt Græci & Latini tradunt in *l. adulteram, C. ad leg. Iul. de adult.* recte. Perficitur damnatione, *l. 14. inſi. D. de bon. lib. l. 1. C. vbi de crim. agi op.* Et ante litem conteſtatam nemo abſens inter reos recipi poteſt ex Conſtitutionib. iure aut more veteri etiam lite non conteſtata reus abſens poſtulari poterat. quod eſt inter reos recipi, vt *lege vim §. in matrimonio, D. ad leg. Iul. de adult.* & in aliis auctoribus ſępe. quod fit querela depoſita apud acta *l. 8. C. de accuſ.* vel libello accuſationis, delationis, inſcriptionis, *l. mariti §. pen.* D. *ad leg. Iul. de adult*, ſine iudicio. aliud enim eſt poſtulare reum, aliud iudicium exercere *d. l. mariti §. quinquennium*, aliud poſtulatio, aliud accuſatio *l. ſi adulterium §. vlt, eod.* Poſtulationem rei iudicium ſequitur, quod olim ſæpe etiam in abſentem relatum in reos exercebatur & peragebatur. denique licebat etiam abſentis nomen in reos referre, quod & Verres, & pater, & amici eius licere contendebant & fieri ſolere in cauſa Sthenij Thermitani, & ita eſſe argumento eſt lex Memmia apud Valerium Maximum, & lex Iulia de adulteriis quæ excipiunt tantum eum qui Reip. cauſa abeſt *l. ſi maritus §. legis, D. eod.* quod & generaliter exceptum eſt in *l. hos accuſare, D. de accuſat.* eoque iure refert M. T. in Iuriſdict. Sicilienſi, C. Dolabellæ reſciſſam damnationem fuiſſe, quod reus factus eſſet cum ei legatio Roma amà ſuis ciuibus eſſet data. Hodie abſens non refertur inter reos niſi inius vocatus & exhibitus & in iure cum eo lis conteſtata fuerit, quod fit propoſita & fūdata accuſatione & interrogato auditoq; reo & excuſſis præſcriptionibus quę reo competāt

l. ſi maritus §. præſcriptiones, D. ad leg. Iul. de adult. veluti excuſſa præſcriptione temporis intra quod accuſatio proponenda eſt, excuſſo iure accuſatoris, *l. adultery, C. eod.* atque ita inter accuſatorem & reum à iudice cognitione ſuſcepta, *l. inter*, D. *de pub. iud.* quo genere nec alio quoquam niſi extra ordinem etiam accuſator reum accuſare, agere, facere, petere dicitur. Notus eſt omnibus locus ille Aſconij Pediani quo ſcribit reum fieri cum in iure legibus interrogatur, accuſatore obiiciente crimen, & reo vel tacente, quo caſu taciturnitas pro confeſſione habebatur, vel negante, & accuſatore petente diem inquirendi criminis, poſt quam litis conteſtationem, vt idem ait, inſtituebatur accuſatio. vbi inſtituebatur, id eſt inſtruebatur probationibus, vt *l. 2. §. vlt. D. ad leg. Iul. de adult.* accuſationem probationibus inſtituente atque muniente, & *l. ex libero §. vlt.* D. *de quæſtionib.* Cauſam tuam aliis probationibus inſtituere debes. & ſane illo etiam Aſconij loco Budæus legit, inſtruebatur. Neque tamen inſtruebatur ſtatim, ſed eo demum quem quis reum feciſſet lite conteſtata, à iudice relato in reos. Cor. Tacitus 2. *An.* Crimen & accuſationem tanquam aduerſus receptos iam reos inſtruebat. Dico autem eum quo cum lis conteſtata eſt, etiamſi poſtea abeſſe cœperit, referri poſſe inter reos, *d. l. adulteram.* Imo & damnari citatum per triduum, *d. l. inter.* quia vix eſt vt inter reos recipi poſſit qui non & damnari vel abſolui, hoc eſt reus peragi poſſit, nec vllus vnquam fuit receptus inter reos, quin & peractus fuerit perſeuerante accuſatore. Quid igitur fiet illo cum quo lis conteſtata non eſt vel cui denuntiatum nunquam eſt crimen, ſed delatus tantum & poſtulatus eſt *μονομεῶς?* Et hunc non dicam inter reos recipi poſſe, quoniam ſi poſſet inter reos recipi, & damnari poſſet. atquin damnari non poteſt, *l. abſentem, D. de pœnis, l. 1. D. de req. vel abſ. dam.* ergo nec inter reos recipi. Non dicam ergo ſimpliciter hunc recipi inter reos, ſed adnotari requirendum vt *l. 6. C. de accuſ.* adnotari inter reos requirendum, vt *l. vlt. C. de req. reis*, hoc eſt fieri requirendum, vt *l. 1. C. eod.* vtque Græci loquuntur in *d. l. adulteram*, non fieri reum, non accuſari. requiſitum vero & inuentum exhibitumque, tum demum iudicio accepto accuſari & fieri reum & recipi in reos. promiſcue dicimus referre & recipere inter reos & in reos, vt *d. l. hos accuſare, §. hoc beneficio*, quæ eleganter docet etiam in reos receptos, ſi interueniat abolitio publica, non poſſe repeti poſt XXX. diem, ſi intra eum diem Reip. cauſa abeſſe cœperint, atque ita abſens Reip. cauſa nec repeti reus aut inter eos referri poteſt. Ex his vero patet eos tantum fieri requirendos quibus cum lis conteſtata non eſt. & male recipere inter reos in *d. l. adulteram*, Græcos interpretari, facere requirendum, quia non qui reus factus eſt, ſed qui nondum factus eſt reus, fit requirendus. Reus proprie fit litis conteſtatione & relatione inter reos, vt *l. 5. D. de pub. iud. l. 2. §. extraneus*, D. *ad leg. Iul. de adult.* Improprie etiam factus reus dicitur qui tantum poſtulatus eſt oblato libello accuſatorio, vt *l. pen. D. ad S. C. Turpil.* quę diuiſio ſignificationum conciliat *d. l. pen. cum l. ſi interueniente, eod. tit.* hoc modo, vt abolitio publica pertineat ad receptos inter reos, non ad poſtulatos. Eadem eſt ambiguitas in verbo, *Deferre.* nam & delatus dicitur is quo cum lis conteſtata eſt, *l. 2. §. qui hoc dicit D. ad leg Iul. de adult.* & is contra quem oblatus eſt libellus accuſationis.

CAP. XXII.

Etiam adulterij accuſationem hodie eſſe publicam ſoluto matrimonio.

QVod Conſtantinus in *l. XXX. C. ad leg. Iul. de adult.* permittat adulterij accuſationem quinque perſonis tantum, marito, qui ceteris præfertur omnibus, patri, fratri, patruo, auunculo, non ex eo ſtatim inferendum eſt ex lege Conſtantini adulterij iudicium non eſſe publicum. nec enim hoc ita generaliter definit Conſtantinus, ſed id tantum ſpecialiter vt conſtante matrimonio adulter qui olim ab extraneo quolibet accuſari poterat etiam marito prius non poſtulato lenocinij, *l. vim §. 1. D. eod.* atque etiam adultera marito prius poſtulato lenocinij, *l. conſtante, D. eod.* hodie non poſſit accuſari, ne bene conueniens matrimonium temere à quolibet infametur ſed à patre tantum vel fratre vel patruo, vel auunculo, quos verus dolor & familiæ dedecus ad accuſationem impellit, extraneum autem non dolor, ſed vt commune odium delictorum, vt *l. vlt. C. Th. de rap. virg.* vel audaciæ proteruitas. Conſtante igitur matrimonio hi tantum poſt maritum ad accuſationem adulteri vel adulteræ admittuntur, pater mulieris, frater, patruus, auunculus. Maritum etiam Conſtantinus admittit manente matrimonio ſi vxorem ream faciat ex ſuſpicione, quia ſuſpectam in matrimonio retinere non prohibetur, *l. 2. C. eod.* & hunc caſum dumtaxat exprimit Conſtantinus, quia nullus alius exiſtit quo poſſit retentam in matrimonio maritus accuſare adulterij, *l. XI. C. eod.* Vnde ita colligamus, Maritus ſuſpectam adulterij accuſare poteſt, Atquin ſuſpectam tantum adulterij neque deprenſam retinere poteſt. quod quis non iure trahat etiam ad adulterum, vt æque ex ſuſpicione à marito accuſari poſſit, ſuſpecta vxore retenta in matrimonio? Quod igitur ait ea lex, vel eam ſi tantum ſuſpicatur &c. recte dixeris falſam diſiunctionem ſiue *παραδιάζευξιν* eſſe. Diuortio autem facto crimen adulterij etiam hodie inter publica recte referri.

CAP. XXIII.

Adl. Eum qui C. ad leg. Cor. de ſic.

QVod cauetur *Nou. Valentiniani De. hom. ca. fac.* impunitum non relingui homicidium quod quis caſu quodam fecit vel ſuæ vitæ tuendæ cauſa, idem etiam olim obtinuiſſe, nempe vt homicidij caſu facti indulgentia peteretur à principe non ſimplex quidem, ſed cum adnotatione principis, vt *eadem No.* continetur, manifeſto probat *l. eum qui, C. ad leg. Cor. de ſic.* in qua principes Diocletianus & Maximianus eum qui ictu calcis mortis occaſionem ſe præbuiſſe probauit non dolo malo, abſolui iubent, ſecundum id quod noſtra, inquiunt, adnotatione comprehenſum eſt. vbi Accurſius non intelligit quid ſit adnotatio. Sed manifeſtum eſt, adnotationem eſſe indulgentiam admiſſi criminis ſubſcriptam principis manu. Scripta lex eſt ad præſidem prouinciæ, vt inſcriptio demonſtrat quæ in fragmentis Codicis Gregoriani talis eſt, Habe Agatho K. N. quia eam ſalutationem ſolent præmittere principes cum ad iudices ſcribunt, vt docui *Obſ. I. c. XV.* & Agathonem igitur præſidem prouinciæ iubet abſoluere eum qui probauerit ſe ictu calcis occidiſſe non dolo malo, ſecundum id quod noſtra, inquit, adnotatione com-

prehenſum eſt, i d eſt indulgentia quam occiſori conceſſimus, ſine qua homicidium caſu factum non omnino impunitum remanere debet. Homicidium autē factum dolo malo valde placet quod definit ſupradicta Nouella, nec adnotatione principis remitti poſſe. Plures ſunt in Codice leges eorundem Imperatorum ad illum Agathonem ſcriptæ, *l. 15. C. de pœnis, l. 22. C. de prob. l. 31. C. de emēt.* in quibus omnibus inſcriptio eodem modo reſtituenda eſt.

CAP. XXIV.

Vitium interpunctionum in l. 1. §. vlt. D. de Carb. edic.

DEfuncto marito relicta vxore & filio impubere ſi nondum filio impuberi mota quæſtione bonorum paternorum, mater rea poſtuletur ſuppoſiti partus, propter filium impuberem non differtur accuſatio in tempus pubertatis ex reſcripto Seueri & Antonini, *l. 1. C. ad leg. Corn. de fal.* quia, vt ait, veriſimile eſt matrem ex fide cauſam ſuam defenſuram cum periculum capitis ſubeat, quam rationem & Conſtitutionem Vlpianus his verbis expreſſit in *l. 1. §. vlt. D. de Carb. edic.* Cum mater rea poſtulatur, vtique integra fide & maiore conſtantia cauſam defenſura, recenti tempore dubium non eſt cognitionem fieri oportere. Sic enim ea verba diſtinguenda & interpungenda ſunt, vt ſit ſenſus: Cum mater ſubiecti partus rea poſtulatur, quia certe integra fide & maiore conſtantia quam pupillus ſi de ſtatu cum eo principalis quæſtio eſſet, cauſam ſuam defenſura eſt cum de capite eius agatur (eſt enim capitale ſubiecti partus crimen) ideo recenti tempore, id eſt in præſenti, vt ait *l. 2. einſd. tit.* in recenti, *l. ſi diutino, D. de pœnis, l. ſi creditores,* D. *de reb. auct. iud poſſ.* re non dilata in tempus pubertatis de crimine ſubiecti partus cognoſcendum eſſe: quod autem additur in *d. §. vlt.* damnata muliere puerum excludi bonis defuncti, pugnat cum regula iuris, vt res inter alios iudicata aliis non noceat. Sed nihil ea nos mouere debet: nec enim eſt perpetua, *l. ſæpe, D. de re. iudic.* & hoc caſu fallit, quia & ſi lis cum muliere non cum puero fuerit, tamen iudicium mulieris, pueri manifeſtum prę iudicium eſt. quia palam iudicatum eſt, non eſſe eum defuncti filium. quamobrem non poteſt non nocere iudicatum volenti agere de bonis defuncti tanquam patris.

CAP. XXV.

Non ſemper criminalem actionem præferri ciuili.

REgula iuris eſt, ciuili quæſtione in criminalem vel criminali in ciuilem incidente, vel vtramque iudicem vna ſententia terminare, *l. pen. C. de ord. iud.* vel prius iudicare de criminali vt pote maiori quam de ciuili, *l. vlt. C. eod. l. adulterij, C. ad legem Iul. de adult.* Regula eſt, quia ita ſæpe fieri ait *d. l. vlt.* & ex his quę ſæpius fiunt, regulæ iuris conſtituuntur. Semper fieri non dicit, nec indiſtincte. nam regula tantum locum habet cum non ex eadem cauſa ciuilis & criminalis actio naſcitur. Cum enim naſcuntur ex eadem cauſa ſeruatur regula à pleriſque recepta quæ ponitur in *l. 4. D. de pub. iud. l. 1. C. quan. ciu. ac. cr. præiud.* vt altera actio alteri præiudicet, id eſt vt hac vel illa prius agi poſſit, non etiam vt poſtquam vna actum eſt, res iudicata non poſſit altera retractari. Et cum non ex eadem cauſa naſcuntur, etiam verum eſt in criminale iudicium plagij incidente quæſtione proA prietatis, & in crimen adulterij quæſtione ſtatus, prius ciuilem quæſtionem expediendam eſſe, *l. 8. C. ad leg. Fab. de plag. l. quoniam, C. ad leg. Iul. de adult.* Et quamuis olim ſecundum illam regulam obtinuerit concurrente crimine falſi cum ciuili actione inſtituta alia de re quam de falſo, ſuſpendi ciuile iudicium quoad criminale finitum ſit, *l. 2. C. Th. ad leg. Cor. de falſ.* & huius rei argumentum præſtet contrarius ſenſus *l. 20. C. eod.* atque etiam *l. 11. & l. 2. eod.* tamen ex *d. l. 2. C. Th. eod. tit.* prius de quæſtione ciuili iudicandum eſt quam de crimine falſi, vt puta ſi apud iudicem datum actum ſit ex teſtamento, vel chirographo, vel rei vindicatione actore proferente inſtrumentum auctoritatis, & contra obiectum ſit B crimen inſtrumenti falſi, non ideo iudex abſtinere debet cœpta cognitione ciuili de legato, vel pecunia credita, vel dedominio. & hoc Iuſtinianum approbaſſe indicant verba *l. pen. C. eod.* quæ tranſduxit ex *d. l. 2. Tunc quæſtione ciuili per ſententiam terminata.* quæ ſcilicet alia de re erat, exempli gratia de credita pecunia.

CAP. XXVI.

Explicatur locus difficilis de actione furti & legis Fabiæ Conſtitutione in l. 1. C. quan. ciu. act. cr. præiud.

ACcurſius in *l. 1. C. quan. ciu. act. cri. præiud.* quo loco dicitur in eodem genere haberi furti C actionem & legis Fabiæ conſtitutionem, male ſeparat actionem furti à cauſa legis Fabiæ, cum ſicut tota lege confertur actio ciuilis cum criminali, veluti vi bon. raptorum, aut interdictum Vnde vi priuatum ciuileq; iudiciū cū ex crimine lege Iulia de vi, interdictū de tabulis teſtamenti exhibendis, cum crimine legis Corneliæ teſtamētariæ, actio de operis patrono debitis, cum crimine ex lege Viſellia, & actio ciuilis de fide inſtrumenti, cum criminali ex Senatuſconſulto, & oſtenditur alteram altera non conſumi, ita debeat actio furti conferri & committi cum crimine ex lege Fabia. nam ſi ſeparatim accipiatur de furto agi ciuiliter & criminaliter, ſane non eſt verum altero iudicio alterum non conſumi, *l. interdum §. qui furem, D. de furt.* D quia de furto criminaliter agitur extraordinario iudicio non publico, niſi de peculatu, ſacrigegio & repetundis *d. l. 1.* vt Pileus ſentit recte. regula pertinet tantum ad publica iudicia quæ concurrunt cum priuatis ex eodem facto. Verius igitur eſt, conferri actionem furti cum cimine ex lege Fabia de plagiariis, & in *l. 4. D. de pub. iud.* actioni furti reſpondere legem Fabiam, ſicut actioni legis Aquiliæ, vel etiam ciuili internecini, de qua in *l. 14. C. Th. de accuſ.* legem Corneliam de ſicariis, actioni vi bonorum raptorum, & interdicto Vnde vi legem Iuliam de vi, interdicto de tabulis exhibendis legem Corneliam teſtamentariam. At dices, Non poteſt concurrere actio furti cum crimine plagij, quia plagium ſine furto fit, *l. 10. C. de fur. l. pen. D. ad legem Fab.* & melius conferretur E cum eo crimine actio ſerui corrupti, vt *l. 2. D. eod.* vel interdictum de libero homine exhibendo, vt *l. 3. D. de lib. ho. exh.* Contra dicam, cum actione ſerui corrupti concurrere etiam actionem furti vel ratione rerum domini quas fugitiuus pertulit ad plagiarium, vt *l. Neratius §. quamuis, D. de ſer. corr. l. 12. C. ad leg. Fab.* vel quia etiam is qui fugitiuum celat fur eſt, *l. 1. D. de fugit, l. qui ſeruo §. vlt. D de fur.* quod etiam belle confirmat *l. ſi quis vxori §. ſi fugitiuum, eod.* & hac ratione fieri vt actio furti concurrat cum crimine plagij, nec altero iudicio alteri præiudicetur. hoc eſt vt ſiue ciuili ſiue criminali prius actū ſit, nihilominus

nusquod iudicatum erit al tero iudicio retractetur, vt ait *d.l.* 1. quomodo etiam ſu nt accipienda verba *l. inde Neratius §. ſi dolo, D. ad leg. Aquil.* Ambigua enim ſunt. Nam & ita accipi poſſunt, vt alterum quodcumque libuerit, prius experiri & iudicare liceat, ciuile vel criminale, ſicut *l.* 4. *D. de pub. iud.* Sic diuerſo ſignificatu verum erit, priuatum publico non præiudicare & priuatum publico præiudicare. & hoc poſteriore ſenſu certum erat publicum quod ſit maioris momenti priuato præiudicare poſſe non æque erat certum an priuatum publico pręiudicare poſſet. Sed & hoc plerique probauerunt; non tamen omnes, vt ait *d. l.* 1. C. *quan. ciu. ac. & l.* 2. §. 1. *D. vi bon. rap.* videlicet ſi priuatum iudicium ad rem familiarem pertineat, non etiam ſi ad vindictam proinde ac publicum. quia tunc de publico prius agi & iudicari oportet aut qui præfeſtinarit agere priuato, non poteſt poſtea agere publico.

Cap. XXVII.

Species l. 1. C. de cr. exp. hered.

NEque Latini, vt arbitror, neque Græci interpretes tenent rationem & ſpeciem *l.* 1. C. *de cr. exp. hered.* quæ talis eſt. Duo ſunt coheredes & in hereditate arca communis quam poſſidet extraneus quidam, in arca ſunt res quædam mobiles quarum inſpiciendarum copiam poſſeſſor coheredibus fecit, ſed claues arcæ tradidit vni, ex eis non vtrique, id eſt in vnum tantum ex eis arcæ & rerum quæ in ea ſunt poſſeſſionem tranſtulit. Clauium traditio tranſlatio poſſeſſionis eſt, *l. clauibus, D. de cont. emp. l.* 2. *C. de per. & com. rei vend.* Non pono coheredem coheredi arcæ claues tradidiſſe, quia hoc poſito fruſtra quæreretur de crimine expilatæ hereditatis quod non intendit heres poſſeſſor rerum hereditariarum & quia etiam lex non ait coheredem ſe claues tradidiſſe coheredi, ſed claues traditas profiteri. Non pono depoſuiſſe coheredem penes coheredem, ſed extraneum tranſtuliſſe poſſeſſionem in vnum ex coheredibus. Vnde quæritur eo retinente arcam cum rebus omnibus & ſibi habente in ſolidum, an alter cui tradita poſſeſſio non eſt, ei poſſit intendere crimen expilatæ hereditatis. quod lex negat, quia ſocietatis ratio vetat ne coheres coheredi hoc crimen intendat, *l.* 3. C. *fam. erc.* aut furti *l. marito*, D. *pro ſocio*, quæ eadem etiam vetat vxorem hoc crimine accuſari. Societatis inquam, ratio, non quod ſatis ſit coheredi conſultum iudicio familiæ erciſcundæ. quia huic crimini locus eſt etiam ſi ſuppetat alia actio quæ non pœnam, ſed rem perſequatur, veluti ad exhibendum aut petitio hereditatis, *l.* 2. *&* 3. *D. exp. hered.* ergo etiam ſi ſuppetat actio familiæ erciſcundæ. nec enim *d. l.* 3. dum ait crimen expilatæ hereditatis fruſtra intendi coheredi, cum iudicio familiæ erciſcundæ indemnitati proſpiciatur, hoc ſimpliciter ſignificat, ideo fruſtra intendi quod competat actio familiæ erciſcundæ, ſed quod res fuerint communes tanquam inter ſocios conſortes, in quarum diuiſione de qua agitur iudicio familiæ erciſcundæ damni ratio haberi poſſit, vt *l.* 19. C. *eod tit.* Denegato autem crimine expilatæ hereditatis, *d. l.* 1. coheredi ſi eas res à coherede vindicaturus eſt pro ſua portione iudex familiæ erciſcundæ dat actionem ad exhibendum, cui ſi reus opponat compenſationem pretij, puta aliarum rerum hereditariarum quas actori concedat totas in vicem earum quas ipſe habet, vt fit l. Mæuius §. *arbiter D. fam. erciſ. l.* 3. *C. com. diuid.* lex ait non ideo eſſe repellendum actorem, ſed non habita ratione inductæ compenſationis rebus exhibitis familiæ erciſcundæ actionem exerceri poſſe quam vocat directam, id eſt, principalem, cuius veluti præparatio fuerit actio ad exhibendũ, vt *l.* 3. §. *ibid. D. ad exhib.* dicitur oppoſita actioni ad exhibendum exceptione obſcuriori vel quæ habeat altiorem indaginem, veluti compenſatione non liquida, rem eſſe differendam in directum iudicium, id eſt principale iudicium in rem vt *l. ſi quis hominem D. eod.* re interim exhiberi iuſſa.

Cap. XXVIII.

De l. 1. C. de quæſtion. iterum.

IN ſecunda parte *l.* 1. *C. de quæſtion.* proponitur differentia vna inter cauſas criminales & pecuniarias, quæ quodammodo, vt alibi ſæpe in Codice fieri paratitla noſtra monent, nectit initium tituli de quæſtionibus cum extremo tituli antecedentis, *De req. reis*, in cuius *l. vlt.* proponitur alia differentia inter criminales & pecuniarias cauſas, quæ ducta eſt ex *l.* 29. *C. Th. de pet.* & vltro data & ſatis aperta eſt. At illam *l.* 1. obſcuram facit duplex ſcriptura, quandoquidem in ea vulgo etiam Baſilica habent, Nec inopia, Haloandri Codex & alij quidam veteres, ex inopia. Si vulgatam retines, nulla in ea lege differentia proponitur inter criminales & pecuniarias cauſas, ſed idem omnino ius in omnibus cauſis ſtatuitur, vt per inopiam aliarum probationum non interrogentur ſerui aduerſus dominum. nam, vt rem latius exponam, hoc verbo ſignificant, in criminalibus cauſis ſi ſit inopia aliarum probationum, ſeruum non audiri aduerſus dominum & quæ dixerit ea refelli iuſta præſcriptione, ſed ſi ſit copia aliarum probationum, quibus conſtet fides veri, ea præſcriptione vti nihil attinere, nihilve prodeſſe domino quo magis releuetur ſatis conuicto aliis probationibus. In pecuniariis vero cauſis etiam ſi ſit inopia probationum ſeruos aduerſus dominum non audiri. Et tamen Impp. voluiſſe ponere differentiam inter criminales & pecuniarias cauſas apparet ex eo quod cum dixiſſet de criminalibus, ſubiicit, In pecuniariis vero, quaſi aliud ſtatuens in pecuniariis, quam tamen deſtruit ſimul ac nexum extremorum titulorum qui ſcribit, Nec inopia. Itaque non hanc, ſed magis Haloandri ſcripturam probo, quę manifeſto hanc ponit differentiam inter criminales & pecuniarias cauſas, quod in criminalibus nec ſi ſit inopia probationum ſerui audiantur contra dominum, in pecuniariis audiantur ex inopia probationum, quod facile fero, vt ſit propter inopiam, vt illo Salluſtij loco, Ex diuitiis luxuria iuuentutem inuaſit. & ratio differentiæ eſt euidens, non quia in pecuniariis ſeruus interrogetur, non retorqueatur, quod me dixiſſe Seronatus ſomniat (nam & in titulo de quæſtionibus nulla eſt differentia inter interrogare & torquere) ſed quia in pecuniariis cauſis ſeruus non torquetur, & interrogatur in caput domini de quon on agitur vt non poſſit indignum videri maxime deficientibus aliis probationibus ſi in eis cauſis ſeruus audiatur aduerſus dominum. & hoc quoque confirmant, *l. ſerui, D. de teſtibus.* quæ proprie pertinet ad pecuniarias cauſas ſicut totus ille titulus & ait generaliter ſerui reſponſo, proprij igitur vel alieni, tunc credendum eſſe cum alia probatio ad eruendam veritatem non eſt, id eſt ex inopia probationum, & *l.* 12. *C. de quæſtion.* quæ ſi de proprietate ſerui lis ſit inter dominum & extraneum non aliter in ea cauſa quę pecuniaria eſt ſeruum torqueri quam ſi aliis probationibus veritas inluminari non poſſit, id eſt, ex inopia probationum. *&* *l. Diuus, D. eod.* quæ de ſeruis

generaliter loquitur tam propriis quam alienis, & consequenter in fine infert, licere igitur & de seruis alienis habere quæstionem, sicut de propriis scilicet, in pecuniariis causis si aliter veritas inueniri non possit, id est, ex inopia probationum, vt, inquit, & D. Seuerus rescripsit, puta in *d. l. 1.* C. *de quæstionib.* cuius pars citatur etiam in *l. 1. §. item Seuerus, D. eod.* vnde quotiens legimus aut argumento aliquo colligimus in pecuniariis causis seruos non interrogari aduersus dominum, vt *l. 2. 6. 15. C. de quæst.* hoc sic excipere debemus, nisi vrgeat inopia aliarum probationum.

Cap. XXIX.

Deesse negationem in l. XI. C. de quæstion.

DVæ sunt partes *l. XI. C. de quæstion.* Prior est de eminentissimis & perfectissimis eorumque liberis vsque ad tertium gradum, vt non adficiantur pœnis vel quæstionibus plebeiorum, si modo omnes illæsam existimationem suam conseruauerint. nam si vnus ex liberis notatus fuerit infamia, priuilegium illud extinguitur, nec transit ad vlteriores liberos, vt D. Marco placuit. Finge ex auo eminentissimo esse patrem, filium, nepotem. Eminentissimi sunt illustres aut spectabiles aut clarissimi, his inferiores perfectissimi. Posterior pars est de decurionibus & eorum filiis, id est, liberis, vt *l. moris §. pen. D. de pœnis, l. si quis filio §. eius,* D. *de iniusto rup.* forte & vsque ad tertium gradum, exemplo superiorum, in quibus idem priuilegium obseruari ait Vlpianum referre libris Publicarum disputationum. cum tamen idem Vlpianus aliud omnino retulerit *lib. I. Disputationum,* hoc est, *l. 2. §. in auo, D. de decur.* his verbis, In auo quoque Papinianus idem respondit ne patris nota filius macularetur: quorum non potest alius esse sensus quam notato patre filium non notari quantum ad illud priuilegium attinet, nec contagione patris metuere sibi vel honori quem ducit ex auo decurione, puta si ex auo decurione, vel senatore fuerit pater, filius, nepos, notam patris non officere filio vel nepoti quominus aui vel proaui dignitate nixus illo priuilegio vtatur. quod & idem Vlpianus scripsit in *l. emancipatum §. vlt. D. de senat.* indistincte, siue conceptus sit filius ante, siue post iniustam notam patri. Non est igitur verum quod *d. l. XI.* ait idem Vlpianum retulisse libris Disputationum obseruari in liberis Decurionum, quod D. Marcus statuit in liberis eminentissimorum & perfectissimorum. quia longe aliud loco illo Disputationum scripsit, atque etiam altero, vt non dubitem quin sit legendum in *d. l. XI.* In decurionibus autem & filiis eorum hoc non obseruari, quia & verba illa demonstrant Impp. voluisse constituere differentiam inter liberos eminentissimorum vel perfectissimorum & liberos Decurionum, cum de illis vbi dixit, subiicit de his, In Decurionibus autem &c. Verba sunt opponentis differentiam, quam destruit, qui non admittit quam reposui negationem. Sic vero præclare fit vt maior exigatur integritas & constantia in genere eminentissimorum & perfectissimorum, qui vt dignitate & moribus quoque cæteris eminere & præcellere debent, quam in genere Decurionum longe inferiore.

Cap. XXX.

Facillima ratione demonstratur nihil pugnare, l. 1. §. accusationem, cum l. quærebatur, D. ad S. C. Turpil.

PApinianus respondit in *l. quærebatur, D. ad S. C. Turpil.* eum qui ab accusatione adulterij destitit exclusus præscriptione temporis, veluti ab accusatione adulterij exclusus præscriptione quinquenij calumnia non puniri, id est non incidere in S. C. Turpilianum: nam calumniæ nomine generaliter accepto etiam tergiuersatio continetur. non videtur autem tergiuersari qui non vltro desistit ab accusatione, sed ab eo tempore summouetur, quod tardius agere cœperit. Papiniano obiicitur *l. 1. §. accusationem, eod. tit.* in quo Vlp. definit eum qui ab accusatione adulterij quinquennij præscriptione summoueri poterat, si ab ea destiterit sine abolitione, incidere in S. C. Turpilianum. cui obiectioni Accurs. respondit tribus modis, nullo recte aut probabiliter, non cernens quod erat perquam euidens, Papinianum loqui de accusatore quem reus opposita præscriptione tempors excluſit, Vlpianum de accusatore qui excludi quidem poterat præscriptione temporis, sed vel eam reus non oppoſuit, vel oppositę rationem non habuit iudex, atque ita ea præscriptione exclusus non est, & sine vllo impedimento accusationem instituit & aliquandiu persecutus est, post destitit non impetrata abolitione. nam & ita si quis duos simul adulterij reos detulerit marem & fœminam contra interdictum legis Iulię, repelli potest exceptione, Quod lege Iulia non liceat ambos eodem tempore accusare, qua tamen si non fuerit repulsus, & nemine prohibente causam egerit, eam si deserat non impetrata abolitione in vtriusque persona incidit in S. C. Turpilianum perinde ac si in vtrumque iure accusationem instituisset. & hoc quoque Græci interpretes recte supplent ad vtrumque casum in *d. §. accusationem*, & ad primum quidem de præscriptione temporis his verbis, ϰ᾽ ὲϰ αὐτοπεδῆ αὐτῷ ἡ τῆς παρελεύσεως τὸ ϰαιρὸϛ ἐπεγγεγαφὴ, & ad secundum, εἰ ϖροπεδῆ ϰ᾽ μὴ ἐνβλωδῆ.

Cap. XXXI.

Constitutio Græca tituli De pœnis.

VErba ipsa Græca *l. vlt. C.* de pœnis, ne quis amplius requirat, hæc sunt in Basilicis. Ἡ διάταξις ϰελεύϛ τοὺϛ πεμπομένους ἐν ἐξοείᾳ, μὴ διάγειν ἐν τῇ φυλαϰῇ τῆϛ τόπων εἰϛ οὓϛ ἐπέμφθησαν, ἀλλὰ μήτε ἐξοείζεσθαί τινα εἰϛ τὸ ϕρούριον τῆϛ γύϕου, ἢ εἰϛ ἑτέραϛ φυλαϰάϛ, ἀλλ᾽ εἰ μὲν τὸ ἁμάρτημα ἄξιόν ὄϛι θανάτου, ὑποϰεῖσθαι τῇ ποιαύτῃ ϰολάσει, εἰ δ᾽ ἐξοείαϛ ἢ δίωξεῶϛ ἢ ϖροσαίτου, τότε ἐξοείζεσθαι αὐτοὺϛ μὴ ϰελευομένους ἐν ταῖϛ φυλαϰαῖϛ τῆϛ τόπων ἐν οἷϛ πέμπονται ἀποδίδεσθαι, ἀλλὰ πέμπεσθαι εἰϛ ἐπαρχίαν εἰϛ ἣν ἂν ὁ δικάζων ἀείζῃ, χωρὶϛ τῆϛ ὑπεξῃρημένων ϰαθ᾽ὑπερον ἐπαρχιῶν τε ϰ᾽ πόλεων, ἐχόντας αὐτοὺϛ ἐξουσίαν ἐν πάζῃ τῇ ἐπαρχίᾳ εἰϛ ἣν ἐπέμφθησαν διαζίβῃν μὴ δύναμένους ὀξυείαν τῆϛ ἐπαρχίαϛ ἢ μένοντας ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἄτακτόν τι ποιῆσαι. ἐὰν δέ τιϛ ἢ τῆϛ ἐπαρχίαϛ ἐξέλθῃ, ἢ μένων ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἄτακτόν τι ποιήσῃ, ἔϛω ὑπὸ ϟ ἕϰατον ϰίνδυνον ϖυρώμενοϛ ἢ ϖαρὰ τὸ ἄρχοντοϛ τῆϛ ἐπαρχίαϛ ἢ ϖαρὰ τὸ ἄρχοντοϛ ἐϰείνων τῆϛ τόπων εἰϛ οὓϛ ἔφυγε ϰ᾽ ὀιβαλλόμενοι ὑ ἐν δεσμωτηρίῳ ἐν τῇ Βασιλίδι πόλει μὴ μένῃϛαν ὑπὲρ τ χρόνον τ ὀειλόντα ἤδη ἐν τῷ αὐτέρῳ τίτλῳ τῶν ϖερὶ τῆϛ φυλαττομένων. ὁμοίως ὑ ϰ᾽ ἐν ταῖϛ ἐπαρχίαιϛ ζωτομωτέραν χίνεσθαι τὴν ἐξέτασιν τῆϛ ἐγϰλημάτων, ϰ᾽ ἐὰν φανῇ τιϛ ἄξιοϛ ἐξοείαϛ, ἐξοείζεσθαι αὐτὸν μὴ εἰϛ φυλαϰὴν ἀλλ᾽ εἰϛ ἐπαρχίαν

εἰς ἐπαρχίαν, χωρὶς τῶν ἀπορριφθέντων ἐπὶ τῷ πάλιν ὑποκεῖσθαι αὐτοὺς τῇ ἐκείνῃ τιμωρίᾳ, ἢ ἐὰν ἐξέλθωσι τῆς ἐπαρχίας, ἢ ἐκεῖσε διάγοντες ἄτακτόν τι ποιήσωσι, τοὺς δὲ ἄρχοντας Ἀλεξανδρείας καὶ Θηβαΐδος κελεύω μόνους εἰς γύψον καὶ εἰς ὄασιν ἐκπέμπειν αὐτούς, ἢ ἕως ἐξ ἡμισείας ἢ τὸ μέγιστον ἕως ἐνιαυτοῦ. εἰ δὲ διυσκής ἐστιν ἐξοδία, μήτε εἰς γύψον πεμπέτωσαν, μήτε εἰς ὄασιν, μήτε εἰς φυλακὴν ἑτέρας ἐπαρχίας, ἀλλ' ὡς εἴρηται εἰς τελείαν ἐπαρχίαν ἐπὶ τῷ εἴ τι παίσουσιν ἢ παρεξέλθωσι τὰς κελεύσεις, τῶν πεμψάντων αὐτοὺς ἀρχόντων εἰς ἑκατὸν ἡμιωνθῆναι. κελεύω δὲ τοὺς ταξεώτας τοὺς ἐν ἑκάστῳ δικαστηρίῳ ὑπομιμνήσκειν τοὺς ἄρχοντας περὶ τούτου τοῦ νόμου, καὶ μηδὲ κατέχεσθαί τινα ὑπὲρ τὸν χρόνον τῆς ἐξορίας ἑαυτῷ, ἀλλὰ παραχρῆμα ἀφίεσθαι ἀζημίως καὶ ἀδιαστρόφως. τὸν δὲ ἐπιχειρήσοντά τι λαβεῖν τὸ τεσσαρακόσιον ἀποδιδόναι. κεκώλυκα δὲ καὶ τοὺς ἄρχοντας ἐξορίζειν εἰς τὰς ὑποτελαγμένας τῇ διατάξει ἐπαρχίας τε καὶ πόλεις. Constitutionem esse Iustiniani ex eo apparet quod mentionem facit *l. vlt. sup. de cust. reorum.* quæ alia est Iustiniani Constitutio, inclusis carcere præfiniens certa tempora, intra quę vel carcere liberentur vel pronuntietur de re qua de arguuntur, quod etiam hęc Constitutio confirmat, & notaui supra *cap. XIII.* Caput autem Constitutionis huius est, vt in prouinciam, aut ciuitatem, aut regionem aliquam exulare iussus, in ea liber solutusque omni custodia & carcere degat, ne duplicem pœnam sustineat, exilium & carcerem ne carceré, qui pro exilio cedit, vt *l. 23. & 24. C. eod.* & exiliũ. Aut carcerem igitur aut exiliũ: ideoque relegari neminem posse in castellum Gypsi, vel aliam quamcumque munitionem vel custodiam. In Gypsum ipsam vt libere euagetur vel Oasin posse relegari, sed non nisi à iuridico Alexandriæ tamen & Præside Thebaidos, sub quibus illæ insulæ sunt, iuxta *l. 7. §. sicut autem, D. de interd. & releg.* nec in perpetuum, sed in annum dumtaxat, nec deportari igitur. quam ob causam in *l. 1. C. de Nili agg. non rump.* quod erat in C. Th. Oasena, Tribonianus non retinuit. & hoc quidem ne si quis deportetur vel relegetur in perpetuum ea in loca vel in longum tempus, videatur damnatus ad mortem, propter earum insularum, vel quasi insularum pestilentiam & insalubritatem, qua ex re & Oasis Nazienzeno dicitur ἀνθρώπων ἐρημία *in Herone*, ἄνυσις Stephano, ex quo maxime vsurpante Strabonis verba, in Strabone 2. & 17. omnino legendum, ἀνύσεις non αὐάσεις, quia duæ fuerunt aut tres, è quibus maiorem dictam Ibin didici ex *epistola Nestorij apud Euagrium* 1. vnde & in Notitia omnium administrationum sub dispositione ducis Thebaidos, Ala prima Abasgorum Hibe Oaseos maioris. Quod iuridico Alexandrię & Præsidi Thebaidos, ex eo apparet Ægypti insulas esse, aut sane speciem insularum habentes, maxime Oases locis solis & sterilibus vndique cinctæ, vt Strabo ait. Gypsum sane insulam facit *Nou. 22.* cum iungit Proconneso, & ait, τῇ καλουμένῃ Γύψῳ. quod addi velim *Obser. 8. c. 27.* At præterea hac Constitutione irrogatur pœna capitalis ei qui exilio non obtemperauerit qui in eo se gesserit turbulente. Et certæ prouinciæ ac ciuitates excipiuntur, quarum notitia subiecta Constitutioni erat, in quas non liceat iudicibus quenquam relegare. Etiam id quod est *l. 24. eod. tit.* eadem Constitutione continetur, ne quis supra statutum tempus in exilio detineatur, sed statim finito tempore dimittatur nulla accepta pecunia accipienti officio imposita pœna quadrupli. Aliæ vero Constitutiones Græcæ quæ in *libro IX. Codicis* desiderantur, iam à me vel aliis proditæ aut notatæ sunt. Sed ab aliis multo plures quam oporteat. nam neque *tit. 8.* neque 11 *16. 18. 29. 37.* vllæ desiderantur, & quod notant ad *tit. 11. & 29. & 37.* genus pœnæ ostendit esse ex Constitutionibus Imperatorum qui longe post Iustinianum fuerunt. & quæ ad *16.* est *l. 1. C.*

qnan. lic. vnicuique sine iud. & quæ *ad 18. lib. 1. C. de epis. aud.* sicut libro octauo quæ ad tit. *de adoptionibus, l. 7. C. de her. instit.* quę ad *tit. de op. pub.* tertio loco, ea vero est *l. 26. C. de epis. & cl.* quæ autem vltimo loco, nulla prorsus. quæ item in *tit. XI. lib. VII.* Constitutio est Codici detracta secunda editione propter *No. 119.* non Græca vlla quæ in eo titulo desideretur.

Cap. XXXII.

Non esse differendam pœnam eorum qui vltimo supplicio damnati sunt.

Quod cauetur *l. 20. C. de pœnis*, vt pœna eorum quos princeps iussit adfici vltimo supplicio differatur in XXX. diem, speciale est in principe. nam iudices sua sententia dictam capitalem pœnam statim sine mora exequi debent, *l. 18. C. eod. l. pen. C. de cust. reor.* nisi mulier prægnans damnata sit, *l. 3. D. eod.* aut seruus qui actum gessit rerum domini, *l. 1. C. de bon. pros.* Et ratio diuersitatis hæc est, quia princeps solus pœnam sua sententia dictam reuocare potest, & adhibita modica dilatione fit sæpe, vt flectatur princeps eamque commutet, sicut de ipso Theodosio auctore, *l. 20.* scribit Aurelius Victor, quod aliquando ab eo seuere præcepta modica dilatione emolliebantur. & congruit maxime principi, qui quid præcepit seuerius, illud Senecæ in Agamemnone.

Da tempus ac spatium tibi.
Quod ratio nequit, sæpe sanauit mora.

At iudices frustra differunt pœnam sua sententia dictam, quia nec mutare aut reuocare eam vllo modo possunt, *l. 15. C. de pœnis, l. 1. in fi. De quæst.* D. Augustinus *de Fato*, Iudicibus, inquit, statutum est ne liceat in reum datam sententiam reuocare. Nunquid & ipse Imperator sub hac erit lege? nam ipsi soli licet reuocare sententiam, & reum mortis absoluere & ipsi ignoscere. Est & alia ratio quæ iudices vetat differre supplicia, quæ notatur *d. l. 18.* ne sit spatium damnato petendæ veniæ à principe quæ sępe impetratur etiam post damnationem. At non nego iudicem pœnam sua sententia dictam interpretatione lenire posse. quia & pœnam legum *l. pen. D. eod.* vt apud Suetonium *in Iulio*, Consulem non piget sententiam, suam, quia mutare turpe erat, interpretatione mollire: vt hodie videmus iudices quem comburi iusserunt, facile pati vt prius iugulentur, quod plane est interpretatione pœnam lenire. Idem Suetonius Iul. Cæsarem quos suffixuros se cruci ante iurauerat, iugulari prius iussisse, deinde suffigi.

Cap. XXXIII.

Immunitas αὐτηρεσίων Quæstoris.

Tituli præpositi singulis Nouellis Iustiniani vt varij sunt & incerti, ita neque certum neque veterem vllum auctorem habent, quoniam vel eos pro suo ingenio sibi studiosus quisque fecit, vel sumpsit ex Basilicis, ex quibus qui pertinebat ad tres aut plures Nouellas, eum nunquam vni aptauit inepte, vt accidit in hoc titulo, περὶ τάξεως κοιαίστωρος, καὶ τῶν βοηθῶν αὐτοῦ καὶ τῶν αὐτηρεσίων, qui aptatur *Nouellæ LXXX.* ad quam neque pars prima pertinet, neque secunda, sed prima περὶ τάξεως κοιαίστωρος ad titulum Digestorum & Codicis *De officio Quæstoris*, se-

cunda, περὶ βοηθῶν καίσορος, ad *Nou. XXXV.* Quibus tamen partibus in Basilicis sub illo titulo non inficior fuisse subiectam *Nou. LXXX.* tametsi de Quæstore alio sit quam de Quæstore sacri palatij, de quo supradictæ partes sunt, nempe de Quæsitore eorum qui confluunt in vrbem regiam. & ex notitia officialium qui ei obsequuntur, quam Iustinianus ait se Nouellæ subiecisse, æque fateor esse illam tertiam partem περὶ ἀπηχαφέων, qua inter ceteros officiales supradicti Quæstoris, præcipuè scribas siue ἀπηχαφέας Quæstoris hoc donat priuilegio, vt nec post completam istam militiam vllum eis munus vel onus imponatur ne à præfectis quidem prætorio, præfectianis qui consensum præbuerint indicta pœna L. librarum auri. quod in *Eclogis Theodori Hermopolitæ* his verbis est expressum: Τοῖς ἀπηχαφῶσιν ὐδὲ ἐν βάρεσ ἐπιβάλλει, ὐδὲ μὴ τὸ παύσασθαι τοῦ εἶναι ἀπηχαφέας, οὐδὲ εἰ ἔπαρχος πραιτωρίων ἐστὶν ὁ ἐπιβάλλων. εἰ δέ γε εὑρεθείη, ὑλίβας χρυσίου θεσίμου πυρρᾶς ἡ τάξις τῆς πραιτωρίων ἐπάρχου. quod ita connectit interpretatio Theodori cum supradicta *Nou. de officio Quæsitoris*, Διδάξας ὁ νομοθέτης περὶ τῶν κοιαίσορες ἤτοι τῶ ἐρωνήτου καὶ περὶ τῆς δεδομένων αὐτῷ θεσμοθεσίων καὶ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ καὶ ἀπαιτουμένων παρ' αὐτοῦ ἐνεργείας, νῦν διδάσκει καὶ περὶ τῶν δεδομένων θεσμοθεσίων τοῖς ἀπηχαφεῦσιν αὐτῶ, καὶ φησὶ, ὥς οἱ τῶν κοιαίσορες ἀπηχαφεῖς αὐτῷ καὶ μόνῳ ὀφείλουσιν ὑπηρετεῖν καὶ συμποιεῖν, καὶ ἄλλο βάρος τὸ οἱονοῦν μὴ ἐπιγινώσκειν, κἂν παύσωνται εἶναι ἀπηχαφεῖς, καὶ τὸν ἐπιχειρήσοντα ὑπαδικῶ αὐτῷ βάρος, ἀνόητα τὸν ἐπιχειρεῖν διακελεύεται καὶ πλὴν τάξιν αὐτῶ ν'· χρυσίου λιτρῶν εἰσπράξῃ θεσμοῖ, κἂν ὁ ἔπαρχος εἴη τῆς πραιτωρίων ὁ μείζων πάντων τῆς ἀρχόντων. Hæc Theodorus. Ἀπηχαφέα vero recte dixeris scribam, maiorem tamen eo de quo in *Nou. Iustin. XCIV.* & Nou. Constantini Porphyrogennetæ de sportulis scribæ, quem ait αὐτῶν τῆς ἀπηχαφέων ὑποβεβηκέναι, & in *l. vlt. C. de mag. conuen.* Contrascriptorem dixeris etiam recte, vt in hac inscriptione antiqua, *Seruato Caes. N. Ser. Contrascriptori rationis summi choragi.*

CAP. XXXIV.

Constitutio Iustiniani De iure patronatus, & de ordine dandarum bon. possessionum.

QVæ de iure patronatus Iustiniani Constitutio Græca desideratur *lib. VI. Cod. tit. IV.* eam in membranis quibusdam inueni Latine expressam non quidem totam, sed quatenus definit iura patronatus. nec grauabor hoc capite eam cum Latine proponere, vt inueni, tum Græce, vt legi in Basilicis, atque ita quid amplius Græca habeat quam Latina patefacere. Latina hæc est, *Impp. Iust. A Iul.* PP. Veteris iuris altercationes quas super successionib⁹ librorũ antiquitas introduxit, nec non & inextricabiles circuitus legis Papiæ, & numerosam summam C. millium sestertiorum quam prædicta lex in bonis libertorum requirebat à nostra Repub. penitus amputantes, hac edictali lege in perpetuam valitura sancimus, vt si libertus vel liberta minus C. aureis in bonis habuit (sic enim præfatæ legis summam interpretamur pro mille sestertiis vnum aureum computantes) & intestatus nec liberos habens decesserit, in solidum ad eius successionem patronus vocetur. si vero plus C. aureis habens intestatus decesserit relictis liberis cuiuscumque sexus vel gradus, ad eos integram successionem deducimus, patrono scilicet similiter repellendo siue liberos habens testamentum fecerit, in quo ipsos scripserit heredes, siue iniuste eos exheredauerit, tunc enim & ipsi tantum ad hereditatem vocabuntur. sane si iuste fuerint exheredati, patronum ad liberti successionem admittimus, & eius parentelam vsque ad quintum gradum. Si autem filium non habens extraneum scripserit heredem, tertiam partem bonorum patronus liberti consequatur, vel quod deest ei repleatur, si quando minui tertia parte bonorum suorum libertus vel liberta ei reliquerit, sine onere penitus legatorum & fideicommissorum, quod onus ad heredes redundabit. Sed si patronus plusquam in tertiam vel in assem fuerit heres institutus, quatenus heres scriptus est respondebit legatariis & fideicommissariis. Hoc quoq; decernimus obseruandum, vt si eiusdem patroni vel patronæ, duorum seu duarum pluriumve sint liberi, proximior gradus ad successionem admittatur, hereditate in capita non in stirpes diuidenda, ita vt si quispiam patronorum ab hereditate liberti vel libertæ fuerit excluſus, eius portio ad vlteriores transmittatur, eadem obseruando & si gradus aliqua de causa excludatur, vt sequens vocetur ad successionem, adoptiuis filiis siue patronorum siue libertorum à nostra Constitutione penitus excludendis. hos enim etsi filiifam. sint extraneos reputamus. extraneos vero heredes patronorum, à libertorum successione prorsus remouemus. Hoc autem nostræ serenitatis beneficium ob honorem patronalis reuerentiæ, patronis & eorum liberis indulgemus, vt non solum ad bona libertorum admittantur, sed etiam filiorum ipsorum si fuerint in libertate nati & intestati sine cognatione decesserint. Si vero filius patroni à parente suo iuste fuerit exheredatus, nullam habet impugnandi testamentum liberi potestatem. plane decedente liberto ab intestato sine liberis, tam ipse exheredatus quam emancipatus succedunt cum his qui sunt in potestate. Sed & is qui filium emancipauit, liberto ab intestato sine liberis decedente, vel extraneo herede instituto in assem vel in trientem vocetur. & hoc de his qui vere patroni sunt. Ceterum si iureiurando præstito vel ex alia simili causa patronus habeatur, hunc quidem etsi ei reuerentia patronalis à liberto debeatur, ad eius successionem minime reuocamus. Hæc tantum habet latina translatio, concisa & breuis admodum si conferatur cum Græca enarratione βασιλικῶν, vel potius Constitutione ipsa Græca, vt in Basilicis relata est, quæ explicatis prius omnibus modis quibus ius patronatus amittitur, deinde latius declarat ius quod illis casibus siue modis exceptis, deinceps patronus esse vult in bonis paganis liberti vel libertæ Ciuis Romani. Ac primum quidem in computandis bonis liberti vel libertæ immenso sestertiorum numero, quem posuit lex Papia redacto ad minorem numerum aureorum, ita distinguit, vt si minus C. aureis libertus vel liberta in bonis habuerit, habeat liberam testamenti factionem. vt ergo impune etiam extraneo herede instituto patronum præterire possit, & ab intestato, vt non aliter patrona quàm si libertus vel liberta illiberis decesserit. Sin vero ampliorem habuerit rem C. vt ab intestato liberis primum Ciuibus Romanis, & in infinitum excluso patrono, deferatur hereditas tam maribus quam feminis, & tam liberis agnatis quam cognatis, restituta lege XII. tab. quæ nullam facit differentiam sexus vel cognationis & nominis inter liberos liberti vel patroni liberos, sicut nec inter libertum & libertam, *l. 3. §. si municeps, D. de suis & leg. hered.* nec inter patronum & patronam, & abrogato iure prætorio quo vbique fit ab intestato aliqua discretio sexus atque etiam lege Papia, quæ ex lege & conditione demum

feminis & maribus idem ius esse vult, si feminæ liberis aliquot honoratæ sint, vt Vlpianus indicat *lib. Regularum.* Et liberis non tantum suis sed etiam his qui sunt sui iuris, naturalibus non adoptiuis, qua in re discedit à XII. tab. & iure prætorio: & non tantum naturalibus ingenuæ, sed etiam libertinæ stirpis filiis, quibus etiam omnibus indistincte ex hac Constitutione defertur inter se legitima hereditas, vt §. *illud, Instit. de grad. cog.* & vicissim quoque parentibus liberorum, patronis prorsus exclusis, quod ante non obtinuerat, vt docui *Obser. 17. cap. 13.* Post liberos ergo & parentes libertorum vocantur patroni patronæ in assem iure ciuili vel iure prætorio petita bonorum possessione Vnde legitimi, ex hac Constitutione, quia patroni, vt ait, libertis videntur esse cognati, id est agnati vt *l. cum tale*, D. *de cond. & demonstr.* libertus dicitur coniunctus esse patroni liberis qui & ipsi patroni dicuntur, *l. cum patronum*, D. *de iure patron.* ac si plures sint patroni patronæ vel inter se ex æquo hereditatē diuidunt, si hi non sint, vel si excl'usi sint, tunc vocantur liberi eorum cuiuscumque sexus gradu proximiores, puta filij ex æquis partibus, in capita non in stirpes, vt *l. 25. §. penult. & vlt. D. de bon. lib.* deinde nepotes similiter & neptes ex filiis vel filiabus vsque ad quintum gradum: liberi, inquam, naturales sui vel emancipati, vel in adoptionem dati, vt *l. 39.* D. *eod.* non etiam adoptiui. & rursus liberi naturales non tantum nati, sed etiam hi qui in vtero sunt, imo & hi quos patronus iure exheredauit, quod maxime notandum est, vt intelligamus exheredationem non auferre omnia iura liberorum. nam & iure exheredati retinent ius sepulchrorum, & dotem & adsignationem liberti, & casum militiæ, & iura libertorum paternorum ab intestato, non etiam ex testamento, vt *l. 10. §. Iulianus & seq. l. 11. 12. 13. 38. D. de bon. libert.* post hos vocantur parentes patronorum, & post parentes cognati eorum gradu proximiores æque vsque ad quintum gradum, & in assem, non in semissem, contra *Nou. Valentiniani de libertis*, quæ etiam tantum vocat patrem, matrem, fratrem, sororem, hæc etiam quintum gradum. & liberis quidem parentibusque datur bonorum possessio Vnde legitimi ex secunda parte non tantum patronis mortuis superstite liberto, sed etiam omittentibus vel repudiantibus delatam sibi bonorum possessionem Vnde legitimi, quia eadem Constitutio, quod olim non obtinuit, etiam in legitimis hereditatibus successionem admittit, §. *placebat, Instit. de leg. agn. succeff.* sicut & olim in legitimis tutelis successio fuit, *l. 3. §. penult. D. de leg. tut.* vt plane liberis aut parentibus patronorum non sit hodie necessaria vetus bon. possessio Vnde liberi patroni patronæve & parentes eorum, delata sexta parte edicti, de qua velim accipi *l. 1. §. vlt.* D. *de leg. 3.* & si forte patroni omiserint bonorum possessionem Vnde legitimi, qui sibi ipsi succedere poterant ex eadem sexta parte, §. *sexto. Instit. de bon. possess.* non iam vt legitimi sed vt patroni (sicut & illi non legitimi sed vt liberi aut parentes eorum omissa bon. possessione Vnde legitimi. *arg. l. 1. §. sed videndum*, D. *de succeff. ed.*) agnita à liberis vel parentibus bon. possessione Vnde legitimi. quam patroni repudiauerant vel omiserant, non possunt patroni hodie venire ex eadem sexta parte, quia secunda prior potiorque sexta est, sicut omissa etiam secunda parte, existentibus agnatis siue familia patronorum quę vocatur ex quinta, non poterant patroni venire ex sexta, sed deficiente tantum familia patronorum, cui deferebatur ex quinta bon. possessio Tum quem ex familia, vel, vt alij legunt in Institutionibus, Tanquam ex familia. Rectissime enim Vlpianus *II. Institutionum*; Post familiam patroni Prætorem vocare patronum patronam, item liberos & parentes patroni patronæ. & *libro Regularum*, vt in ipso originali legi, quod est penes Iacobum Tilium Senatorem clarissimum & eruditissimum, Intestati bon. possessionem dari quarto gradu familiæ patroni, Quinto patrono patronæ, item liberis patroni patronæve. vbi quartum & quintum gradum vocat quem ante ex Institutionibus Iustiniani dixi quintum & sextum, quia ad casum respicit Vlpianus contractæ fiduciæ, quæ ex hac Constitutione semper contracta intelligitur, §. *vlt. Instit. de leg. agn. succ.* vt in huius Constitutionis Latina synopsi quam ante proposui, recte dicatur filius emancipatus patris qui emancipauit esse libertus, quia libert[illegible]itur exitum, vt ait lex *1. D. si à par. quis man. fit.* neque vero respicit Vlpianus ad casum quo non contracta fiducia extraneus emptor imaginarius ter repetita mancipatione, quam remancipationem vocat supradicto libro Institutionum, manumissor existit, cui tamen cum extabat ex parte tertia vnde X. personę, anteponebantur personæ X. inter quas erat parens qui emancipauerat, *l. si ad patrem, D. de suis & leg. her.* Et hinc liquido apparet quod nondum bene aperuerat quispiam, qua ratione constat ordo vetus edicti de successione intestatorum quoque casu cuique gradui locus fuerit, item cur hodie non sit locus tertio, quinto, sexto, octauo, quod adhuc aperiam sollicitius. non est locus tertio, quia hodie nullus intelligitur esse extraneus manumissor. non est locus quinto, quia sufficit familiæ patroni secundus gradus, patrono qui præcedit nolente aut non petente bon. possessionem ex eodem gradu intra constituta tempora, propterea quod ex hac Constitutione in legitimis heredibus successio est, & in tanquam legitimis, *l. vlt. §. successionis, C. de leg. hered.* eademque ratione non est locus sexto in persona liberorum vel parentum patroni, quia excluso patrono, ex secundo gradu venire possunt, nec in persona patroni, quia omissa ab eo bon. possessione secundi gradus, sequentes qui succedunt legitimi ex secundo, repellunt sextum. Non est etiam locus octauo, vnde cognati manumissoris, qui post virum & vxorem demum vocabantur, quia ex hac Constitutione viro & vxori præferuntur vsque ad quintum gradum, & veniunt ex quarto edicti prætorij gradu Vnde cognati, §. *cumque antea, & §. sequen. Institut. de bon. possess.* Et hæc quidem de causa intestati. Sequitur causa testati. Si idem libertus libertave qui quæve maior centenario est testamentum fecerit, in quo liberos aliqua ex parte fecerit heredes, vel exheredauerit, & instituti adierint aut miscuerint se, vel exheredati resciderint testamentum tanquam inofficiosum, quasi re deducta ad causam intestati, omnimodo repellitur patronus vel patrona. Ceterum exheredatis non obtinentibus in querela inofficiosi testamenti, videlicet cum omnes exheredati sunt, & extranei heredes scripti, nullo modo repellitur patronus qui præteritus est, patronive liberi, sed his datur contra heredes scriptos tertię partis honorum possessio, non vt olim dimidiæ ex edicto Prætoris, *l. 1. §. penult.* D. *Si cui plus quam per legem Falcid. l. 1. 2. 43. De bon. libert.* liberis, inquam, vtriusque sexus sublata differentia, *Nou. Valentiniani De libertis*, quę solis maribus liberis patronorum trientem dabat, feminis impune præteritis, & rursus liberis vsque ad quintum gradum dumtaxat, vt in causa intestati, Cognati vero patronorum ex testamento omnimodo repelluntur. Tertia pars bonorum liberti est portio debita verecundiæ patronali, liberto nullis existentibus liberis aut existentibus, & iure merito-

que exheredatis: quæ si relicta vel repleta patrono fuerit in hereditate vel legato vel alio modo, patrono non datur bonorum possessio contra tabulas, etiam si iniecta sit ei dilatio vel condicio vel onus legati aut fideicommissi. nam dilatio aut condicio circumscribitur, & onus legati vel fideicommissi transfertur in heredem scriptum, salua Falcidia. denique tertiam portionem patronus capit sine dilatione & condicione, vt *l. siue libertus §. 1. & 2. D. de iur. pat.* & sine onere legatorum & fideicommissorum, *l. cum patronus, D. de leg. 2. l. 45. De bon. lib.* quia nec ex hac Constitutione cum institutus est ex debita parte, à se relictum legatum liberti liberis exheredatis præstare cogitur, quod pugnat cum iure veteri, *l. 4. D. de cond & dem. l. 6. §. si patronus, D. Si quis omis. causa test. l. ex asse, D. ad leg. Falcid. l. ita tamen §. si patronus, D. ad S. C. Trebel.* sed si institutus sit supra debitam portionem, in eo quod excedit in solidum onerari potest, vt hęc Constitutio declarat, ex superfluo nulla detracta Falcidia. quod euidenter ostendit iure ciuili duarum Falcidiarum deductionem non esse, vt *l. 1. §. pennlt. D. si cui plus quam per leg. Falcid.* Nulla vero est Constitutio Iustiniani quę tot in causis dissideat à iure veteri. nam & quod olim placebat aliter quam esset receptum in Falcidia debita liberis aut parentibus aut heredibus scriptis, vt debitam patronis libertates non minuerent. quam differentiam etiam Greci interpretes notarunt ad *l. 11. §. 1 D. ad leg. Falc.* his verbis, *αἱ ἐλευθερίαι ὑπεξαιροῦνται ὡς ὁπὶ τῆς De inofficioso, καὶ ὁπὶ τὸ φαλκιδίε, ὁπὶ δὲ τῆς παρόντος, οὐχ ὑπεξαιροῦνται.* hæc Constitutio mutat idem iuris statuens in patronis. Illud quoque nouum est in hac Constitutione, vt iure legitimo patroni soli succedant filiis æque libertorum solis ingenuæ stirpis, puta susceptis post libertatem, vt *l. 11. C. de op lib.* qui sine testamento & sine cognatione decesserint. namque olim non iure legitimo, sed iure prætorio hisce filiis succedebant patroni, patronorumque cognati. Adiicit & patronum cognatosque patroni iure prætorio successisse liberto liberti, quod tacite videtur hæc Constitutio dare soli patrono. At cum iure antiquo congruit quod subiicit, dari hæc iura patronatus veris patronis, id est, qui reuera seruos suos manumiserunt horumque liberis Orcinis, non his qui pro patronis habentur, nec sunt reuera patroni, vt si quis iurauerit se patronum esse, *l. si iurauero, D. de iure pat.* vel si collusionem detexerit, *l. pen. De de collus. det.* Restat hoc tantum modo vt verba ipsa Constitutionis græcæ proponam vt relata est in Basilicis. *Μέλλουσα διδόναι τύπον κανὸν ὁπὶ τοῖς πατρωνικοῖς δικαίοις ἡ διάταξις διηγεῖ) πρότερον τὰ ἀπὸ τῆ δυοκαιδεκαδέλτου, καὶ ἀπὸ τῆ φραίτωρ, καὶ ἀπὸ τῆ παπίου νόμου κρατούντος τὸ παλαιὸν πατρωνικὰ δίκαια καὶ οὕτως ἄρχε) τῆς νομοθεσίας. Καὶ πρῶτον μὲ ἐξαιρεῖται) τοὺ μὴ ὑποκειμένους πατρωνικοῖς δικαίοις. ὅπερ συμβαίνῃ ἤνικα ὁ ἐλεύθερος ἐν ζωῇ ἢ ἐν τελευταίᾳ βουλήσει εἴπῃ συγχωρεῖν τῷ ἀπελευθέρῳ τὸ πατρωνικὸν δίκαιον. τότε γὰρ πρόδηλον ὡς ἔτε αὐτῷ τῷ πάτρωνι, ἔτε τοῖς ἐκ τῆ γένους αὐτῆ πολλῷ ἧ μᾶλλον οὐδὲ ἐξωτικοῖς αὐτῆ κληρονόμοις ἁμάζῃ κατ' αὐτῆ πατρωνικὸν δίκαιον. Καὶ ὅτε ἡ δεσπότης ὁρῶν τ' οἰκέτην αὐτῆ στρατευσάμενον ἢ ἀξίας ὁπτυγχάνοντα μὴ ἀπλέγει, ἀ μόνον ἐλεύθερο γίνε) διὰ τοῦτο ὁ οἰκέτης, ἀλλὰ καὶ ἀπέλακ) παντὸς πατρωνικοῦ δικαίου. εἰ δὲ καί τις τὴν ἑαυτῆ θεράπαιναν προδήσει ὁπὶ τὸ πορνεῖσθαι, πάλιν καὶ αὐτὴ ἡ θεράπαινα ἐλευθερῦται, καὶ ἀποστερεῖται παντὸς πατρωνικοῦ δικαίου ὁ δεσπότης: ὥσπερ ὁ νοσοῦντα τ' οἰκέτην προικῶν, καὶ μηδὲ αὐτὸς ὁπιμελόμενο αὐτῆ μηδὲ εἰς ξενῶνα πέμπων αὐτὸν, μηδὲ τὴν ζωτικὴν χορηγῶν αὐτῷ σίτησιν, παντὸς ἀποστερεῖται δικαίου καὶ τῆς τούτου προικός. Εἰ δὲ καὶ προπαθῶν τῆς θεραπαίνης αὐτῆ καὶ μὴ ἔχων νόμιμον γαμετὴν, παλακὴν αὐτὴν ποιῆ καὶ μείνῃ μέχρι τελευτῆς, ὁπὶ τῆς αὐτῆς προαιρέσεως, μηδὲν ἧττον τῆς τύχης αὐτῆς, ἀ μόνον ἐλευθέρα γίνεται καὶ αὐτὴ καὶ οἱ παῖδες ὃς ἔτεκεν ἐκ τῆ δεσπότου, ἀλλὰ καὶ εἰς ἀγνείαν μὲθ' ἑαυτῆ ἁρπάζονται. περιδύνοντες καὶ τὸ ἴδιον πεκούλιον, καὶ εἰκότως οὐδὲν πατρωνικὸν δίκαιον ἔχουσιν ὁπὶ αὐτῷ οἱ τῆ δεσπότου κληρονόμοι, εἴ τε παῖδες εἰσιν εἴτε ἐξωτικοί. Εἰ δὲ καί τις ὑπ' ἄνδρ τῷ τῆς ἐλευθερίας δίκην ἀγωνισάμενο ἡττηθῇ τῷ δεσπότῃ, καὶ τὸ τίμημα ὑπὲρ τῆς τῆ ὅλου διαπράσεως καταβάλῃ, ἐλευθερῶται μὲν ὁ οἰκέτης ὑπὲρ ὃ τὸ τίμημα δέδοται τῷ δεσπότῃ. οὐκ ἔχει δὲ ἐπ' αὐτῷ πατρωνικὸν δίκαιον ὁ δεσπότης, ὥσπερ οὐδὲ ὁπὶ ἐκείνῳ τῷ κατὰ τοὺ παλαιοὺς νόμους ἰδίοις ἀργείοις ἀφεθέντι. κατὰ τούτου γὰρ καὶ οἱ παλαιοὶ τὰ ἀπὸ τῆ φραίτορ πατρωνικὰ δίκαια ἠρνοῦντο τῷ ἐλευθερώσαντι. Εἰ δὲ καὶ ἀργεία αὐτὴ τὴν ὑπηρεσίαν ἐπεφορτίσει ὁ πάτρων τὸν ἀπελεύθερον ἢ τὴν ἀπελευθέραν ἢ ὀμόσει αὐτοῦ μὴ ἥμαι μηδὲ παιδοποιήσασθαι, καὶ οὕτως πάντων ἐκπίπτῃ τὴν πατρωνικῶν, ἐπιδὴ καὶ τὸ παλαιὸν, καὶ τὴν ἀπὸ τῆ δυοδεκαδέλτου, καὶ τὴν ὑπὸ τῆ φραίτορ πατρωνικῶν δικαίων ἐξέπιπτεν. Εἰ δὲ καὶ ἀναφωνήσαντ' ἀπελευθέρε πρὸς ἀγνείαν συμπαγίᾳ χρησάμε' ὁ πατὴρ συγχωρήσει αὐτὸν ἀγνεῦσαι ἐλεγχομένης τῆς πρὸς τὸν ἀπελεύθερον συμπαγίας, πάντων ἐκπίπτῃ τὴν πατρωνικῶν δικαίων καὶ οὗτος ὁ πάτρων· εἰ δὲ καὶ ὁ πρωθεὶς φιλοχρημοσύνῃ ἐλευθερίαν ἀναμόνως πιεραθεὶς τῷ ὀφείλοντ' ὀπιθεῖναι αὐτῷ τὴν ἐλευθερίαν προσελθὼν τῷ ἄρχοντι τὴν ὑπουσίαν αὐτῆ, ἢ τὸ λαμβάνειν αὐτ' διελέγξῃ καὶ ἁρπάζε) ἀπὸ δογμάτων συγκλήτου εἰς ἐλευθερίαν, καὶ οὐδενὶ πατρωνικῷ δικαίῳ ὑποκῆται. Εἰ δὲ καὶ ὑὸς πατρωνο ἢ κεφαλικὴν κατηγορίαν κατ' τῶ πατρώνε ἀπελευθέρου ἐνήσηται, ἢ πρὸς δουλείαν ἑλκῦσαι πιεραθείη ἀπαλλάπεται καὶ οὗτος, καὶ ἀπελεύθερο παντὸς πατρωνικοῦ δικαίου. ἐπιδὴ καὶ τὸ παλαιὸν τὴν ὁπὶ τῆ φραίτορ πατρωνικῶν δικαίων ἀπηλλάπετο. τούτων τοίνυν ἁπάντων τῆ πατρωνικοῦ δικαίου ἀτέλειαν ἐχόντων νομοθετεῖ λοιπὸν μὴ τὴν τούτων ὑπεξαίρεσιν ποῖα βούλεται εἶ) πατρωνικὰ δίκαια κατ' τὴν ἄλλων ἀπελευθέρων. Καὶ εἰ μὲ ἐλάπονα τὴν ἑκατὸν νομισμάτων χρὴν ὑπουσίαν ἀπελεύθερο ἢ ἀπελεύθερα, ἀ περιγράζεται ταύτῃ τὴν ποσότητα ἡ διάταξις, ἀλλὰ ἐπιβέπῃ αὐτοῖς διατίθεσθαι, καθάπερ ἂν βουληθείησαν, ἀδιαθέτων ἧ καὶ ἀπαίδων τελευτώντων τὴν ἐχόντων τὴν ἐλάττονα τὴν ἑκατὸν νομισμάτων ὑπουσίαν, δίδωσι τοῖς πάτρωσι τὴν ἐξ ἀδιαθέτου διαδοχήν. τὴν ἧ κατ' τὸν ἑκατὸν χρυσίνους καταλιμπάνοντων οὐσίαν, εἰ μὲ εἶησαν παῖδες ἢ ἔγγονοι, ἢ πρωέγγονοι, ἢ ἀπέγγονοι ἄρρενες, ἢ θήλεαι, ἢ ἀρρένων, ἢ διὰ θηλειῶν πρωσώπων καταντες ὅσοι δήποτε εἴτε πρωελευθερωθέντες τὴν γονέων εἴτε ζωνελευθερωθέντες αὐτοῖς, εἴτε καὶ μετ' αὐτοὺς ἐλευθερωθέντες, ἢ καὶ μὴ τὴν ἐλευθερίαν τεχθέντες, αὐτοὺς καλεῖ πρὸς τὴν τὴν ἀπελευθέρων διαδοχήν. Επιδὴ καὶ τῇ φύσει δίκαιόν ὅτι τοὺς παῖδας τὰ τὴν γονέων διαδέχωσ. Καὶ ὁ δυοδεκάδελτο γὰρ ὑπεξουσίους μὲν τὸ ἀπελευθέρου παῖδας οὐδὲν παρεῖχε τοῖς πατρωσιν. ὁ μὴν τοι πραίτωρ καὶ ὑπεξουσίων καὶ αὐτεξουσίων ὑπόντων τῷ ἀπελευθέρῳ παίδων, οὐκ ἐκάλει τὸν πάτρωνα πρὸς τὴν ἐναντίωσιν τῆς διαθήκης. Τούτοις τοίνυν ἀκολουθήσασα καὶ ἡ πρακμήν διάταξις ὅτ' ἂν εὕρη παῖδας τῆ ἀπελευθέρου, ἢ τῆς ἀπελευθέρας οὐδὲ ἓν' δίκαιον τοῖς πατρωσιν ἢ τοῖς παισιν αὐτῶν ἐκτὸς ἐξ ἀδιαθέτου δικαίων χαρίζεται. ἀλλὰ καλεῖ τοὺς τὴν ἀπελευθέρου παῖδας εἰς τὴν αὐτῶν διαδοχήν, εἰ καὶ ἐν δουλείᾳ τεχθέντες ζωνελευθερώθησ. Καὶ τὸ μεῖζον. ἀ τότε μόνον αὐτοὺς καλεῖ ὅτε μόνοι ὕπεισιν οἱ ἐν δουλείᾳ τεχθέντες ζωνελευθερώθησαν. Καὶ τὸ μεῖζον. ἀ τότε μόνον αὐτοὺς καλεῖ ὅτε μόνοι ὕπεισιν οἱ ἐν δουλείᾳ τεχθέντες, καὶ τῷ πατρὶ ἢ καὶ τῇ μητρὶ ζωνελευθερωθέντες, ἀλλ' εἰ καὶ ἑτέρους ἔχοι παῖδας ὁ ἀπελεύθερος ἢ ἡ ἀπελευθέρα μετὰ τὴν ἐλευθερίαν τεχθέντας, ἢ ἐκ τῆ αὐτῶν γάμων ἢ ἐξ ἑτέρου, κοινῶς ἅπαντας καλεῖ. Καὶ τὸ ὅτι τούτου δεδοξώτερον καὶ αὐτοὺς τοὺς παῖδας εἰς τὴν ἀλλήλων κληρονομίαν καλεῖσθαι βούλεται ἡ διάταξις. χαρίζεται δὲ καὶ τῷ ἀπελευθέρῳ καὶ τῇ ἀπελευθέρᾳ, τὴν τῆ ἰδίων παίδων διαδοχήν ὥσπερ ὁπὶ τῆ ἀγνεῶν οἱ πατέρες καὶ αἱ μητέρες καλοῦνται πρὸς τὴν τῶν παίδων κληρονομίαν, καὶ βούλεται ὁπὶ τούτων πρωμάτων τὸ πατρωνικὸν δίκαιον ἀρχεῖν, ὥστε καὶ ἀπελευθέρους καὶ ἀπελευθέρας ὑπὸ τῶν παίδων κληρονομεῖσθαι. Καὶ αὐτοὺς τοὺς παῖδας ὑπ' ἀλλήλων καὶ ὑπὸ τῶν γονέων αὐτῶν, καὶ μηδαμοῦ χώραν ἐᾷ τῇ πατρωνικῇ

διαδοχῇ τῆς τοιούτων προσώπων ὄντων. Ταῦτα δὲ τῆς τελευτώντων ἐκ ἀδιαθέτου νομοθετήσασα μεταβαίνῃ καὶ πρὸς τοὺς διαπεφευγότας ἀπελευθέρους, καὶ προσκεκλέσται εἰ τοὺς ἰδίους παῖδας χάριεν κληρονόμους οἱ ἀπελεύθεροι, ἢ αἱ ἀπελευθέραι, πάντως ἀρχεῖν τῶν παρανικὴν κλῆσιν. εἰ δ' ἀποκληρονόμους ποιήσαιεν τοὺς παῖδας, εἰ μὲ ἀδίκως, ὥστε καὶ ἀναγκάπναι τ διαθήκλω διὰ τ μέμψεως (δίδωσι γὰρ καὶ ταύτλω τοῖς οἷοις δήποτε τῆς ἀπελευθέρου παισὶν ἡ διάταξις) πάλιν ἀρχεῖν βούλεται τ παρανικὴν διαδοχὴν ὡς ἀδιαθέτου τελευτῶντος τ ἀπελευθέρου, καὶ υἱοὶ τῆς παίδων ἐκ ἀδιαθέτου κληρονομουμένου. Εἰδὲ ὀλόγως τοὺς παῖδας ἀποκλήρους ἐποιήσαν τοὺς ἰδίους οἱ ἀπελεύθεροι, καλεῖσθωσαν οἱ πάτρωνες ὡς αὐτῶν μὴ ἐγκότων παῖδας. ἐπειδὴ δ' δονοῦσι συγγενεῖς εἶ τ ἐλευθερουμένων οἱ ἐλευθερωθέντες αὐτὸς, διὰ τοῦτο καὶ καλοῦνται ἐκ τ νομίμου διαδοχῆς. ὥσπερ. ἐπὶ τ ἀγνῶν οἱ κτ βαθμὸν ἐγγύτεροι καλοῦνται, οὕτως καὶ ἐπὶ τ ἀπελευθέρων. ὅθεν εἰ μὲ παῖδας ἔχουσιν οἱ ἀπελεύθεροι, καὶ κληρονομοῦσιν αὐτοῦ ἀποκλείουσι τ πάτρωνα. εἰ δ' μὴ ὄντων παίδων ἢ ἀποκληρονόμων γενομένων, οἱ πάτρωνες ἔλθωσι τ κτ βαθμὸν καλείσθωσαν εἰς τ οὐσίαν τ ἀπελευθέρου, τ κεκτημένων οὐσίαν ὑπερβαίνουσαν τ ποσότητα τ ἑκατὸν νομισμάτων, ἵνα πρῶτοι αὐτοὶ οἱ πάτρωνες καὶ αἱ πατρώνισαι καλοῦνται. Καὶ ἐαν μὶ ὦσι, παῖδες αὐτ ἢ ἔκγονοι αὐτ, ἢ καπόντες ἐκ ἀρρένων ἢ ἀπὸ θηλέων, τοῦτο γὰρ εἴρηται καὶ ἐπὶ τ ἀγνῶν, ὥστε κτ βαθμὸν καλεῖσθαι πάντας τοὺς συγγενεῖς πρὸς τ κληρονομίαν, καὶ τῆς πρώτων ἀπονοώντων τότε τοὺς μτ ταῦτα ἔρχεσθαι καὶ κληρονομεῖν. Εἰ δὲ μηδένας ἔχει καπόντας ὁ πάτρων ἤτοι ἡ πατρόνισσα, τότε καὶ τοὺς ἐκ πλαγίου αὐτῶν καλοῦμεν κτ βαθμὸν, ἵνα οἱ ἐγγύτεροι συγγενεῖς πρωτιμῶνται τῆς ὄντων ἐν μακροτέρῳ βαθμῳ. ἕως δ' πέμπτου βαθμοῦ οἱ ἐκ πλαγίου συγγενεῖς τ πάτρωνος, καὶ οἱ καπόντες αὐτ κληρονομείτωσαν τὸν ἀπελεύθερον. Ταῦτα μὲ πάντα εἴρηται ἐαν οἱ ἀπελεύθεροι παῖδας ἔχωσιν. Εαν δ' παντελῶς ἐκ ἔχωσι παῖδας, ἀλλὰ ποιήσωσι διαθήκλω, καὶ χάψωσιν ἐξωτικοὺς κληρονόμους, ἐδὲ κτ βαθμὸν δουκαιδεκάδελτον λέγομεν ἐπειδὴ γέγονε διαθήκη τοὺς πάτρωνας ἀποκλείουσα παντελῶς. ἐδὲ κτ βαθμὸν δεχόμεθα αὐτοὺς, ἵνα καὶ ἑνὸς παιδὸς χαφέντος κληρονόμου τὸ ἥμισυ λάβωσιν, ἢ δύο παίδων χαφέντων κληρονόμων, τὸ τριτὸν λάβωσιν, ἀλλὰ καλοῦμεν αὐτοὺς, ἵνα μόνον τὸ τέτον τ τῆς ἀπελευθέρου κληρονομίας δωνηθῶσι λαβεῖν, ἐ πάντες οἱ καλέμενοι πρὸς τὴν πατρωνικὴν κληρονομίαν, ἀλλὰ πάτρων καὶ πατρώνισσα, καὶ παῖδες αὐτῆς, καὶ ἔγγονοι καὶ προέγγονοι, καὶ ἀπέγγονοι, τούτεσιν οἱ ἕως πέμπτου βαθμοῦ καπόντες τῆς πατρώνων καὶ μόνοι. Οἱ οὖν σφαιτέρω αὐτῶν καπόντες, ἢ ἐκ πλαγίου, ἐκ ἔχουσι τὴν ἐναντίωσιν τ διαθήκης ἐξωτικῶν χαφομένων κληρονόμων ἐπὶ τὸ λαβεῖν τὸ τέτσον τ οὐσίας. ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τῆς ἀγνῶν τετύγκον ἐν τοῖς χρόνοις τούτου τῆς κώδικος ὡρισμένον ἵν τοῖς δωναμένοις κινῆσαι τὴν κτ τ διαθήκης μέμψιν, ἕτως ἐαν ἀπελεύθερος τελευτήσῃ τετραούγκιον καθαρὸν καὶ ἀπηλλαγμένον λημάτων καὶ φιλοκομμίσων τῶ πάτρωνι καταλείψας ἀποκλείῃ αὐτόν. καὶ γὰρ πασιν ἰδίοις κατελείφθη ὁ ἀπελεύθερος ὑπὸ τ πάτρωνος λημάτων, ἐκ ἔχει καθαρὸν τὸ βίτον. ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τ μέμψεως ζητοῦμεν ἵνα καθαρὸν ᾖ ἐκ πάντων τῆς λημάτων τὸ τετύγκον, οὕτως καὶ ἐνταῦθα ἀπαιτοῦμεν ἵνα καθαρὸν ᾖ ἐκ πάντων τῆς λημάτων τὸ πατρωνικὸν τετραούγκιον. Ελευθερίαις δ' ὑπόκειται καὶ τὸ τετραούγκιον τ πάντων. τὸ γὰρ παλαιὸν παῖδες μὲ κινοῦντες τ κτ τ διαθήκης μέμψιν, ἐδίδοσαν ταῖς ἐλευθερίαις, πάτρωνες δ' κινοῦντες εἰς ἥμισυ τ ἐναντίωσιν τ διαθήκης κτ τ τ ἀπελευθέρου διαθήκης ἐκ ἐπεγίνωσκον ταῖς ἐλευθερίαις. πάντα δ' τὰ λημάτα ὧν ὁ πάτρων ἀπήλλακται, δίδοσαν οἱ κληρονόμοι τ ἀπελευθέρου, δηλονότι πρότερον φαλκιδιοτεχόντις ἑαυτοῖς ἐκ τ οὐσίας τὸν φαλκίδιον τ προλιμπανομένων αὐτοῖς ὀκταουγκίων, ἵνα μηκέτι τετύγκιον, ἀλλὰ μόνον δυέγκιον παραλατόχωσιν. εἴτε οὖν ὁ πάτρων παντελῶς μηδὲν ἔχει, λαμβάνῃ τὸ τετραούγκιον εἴτε ἐχάφη κληρονόμος εἰς ἥπιον τ τετραουγκίου, ἀναπληροῦται καθαρὸν τετραούγκιον, πάσης αἱρέσεως, καὶ πάσης ὑποθέσεως ἀπηλλαγμένον, τουτέστιν ἵνα καὶ χάψῃ αὐτὸν ὁ ἀπελεύθερος κληρονόμον ὑπὸ αἵρεσιν, προσελωμεν τ μνήμην τ αἱρέσεως. εἰ δ' καὶ ἡ αἵρεσις τῆς πάντων ἐξερχομένων ἐστὶν, ὑποθέσιν δ' ἔχει τυχὸν ἐαν φθάσῃ ὁ τῆς καλανδῶν καιρὸς, καὶ τούτῳ τ αἵρεσιν προσαναπληρῶμεν. φυλάττον-

τες αὐτοῖς τοῦ τετραούγκιον, εἴτ' εἷς ἐστὶν εἴτ' πλείονες ἐσὶν. εἰ δ' χαφῶσι κληρονόμοι ὑπὲρ τὸ τετραούγκιον καὶ καρπδῶσι λημάτων, ἐαν αὐτοὶ μόνοι ὦσι κληρονόμοι, περάχωσι τὰ λημάτα, καὶ τὰ φιλοκόμμισα, δηλονότι μὴ βλαπομένου τοῦ τετραουγκίου αὐτῶν. ὁ γὰρ φαλκίδιος ἐπὶ αὐτοῦ τετραουγκίου ἐσὶν. Εαν δ' μὴ εἰς ὁλόκληρον εἰς πλέον μέντοι τοῦ τετραουγκίου, τυχὸν εἰς ἑξ ἢ εἰς ὀκτὼ ὀγκίας ἐχεάφησαν κληρονόμοι καὶ ἐβαρήθησαν λημάτοις, τότ τὸ φειδιὸν ὑπὲρ τὸ τετραούγκιον διδότωσαν τοῖς ληγαταρίοις καὶ φιδιεκομμισαρίοις. τὸ δ' λοιπὸν παρεχέθωσαν οἱ κληρονόμοι, φυλάττοντες ἑαυτοῖς ἐκ τ ἰδίας ἐνσάσεως τὸν φαλκίδιον· ὅσοι δ' ἐαν εἶησαν πάτρωνες κἂν ἐξ ἀνίσων μερῶν ἦσαν δεσπόται τοῦ οἰκέτου μεθογένοντες πάτρωνες ἐξ ἴσου κληρονομοῦσιν. Εαν δ' τελευτήσωσιν οἱ πάτρωνες καὶ ὁ μὲ ἔχει παῖδας, ὁ δ' ἐγγόνους, οἱ ἐγγύτεροι τῶν τὸν βαθμὸν, τουτέστιν οἱ παῖδες τοῦ ἑνὸς πάτρωνος ἀποκλείσουσι τοὺς ἐγγόνους τοῦ ἄλλου πάτρωνος. καὶ γενέσθω ἡ κλῆσις, ἀχὶ κτ σειράν, ἀλλὰ προσωπικῶς, τουτέστιν ἵνα πρὸς τὸν ἀριθμὸν τῆς παίδων τοῦ πάτρωνος, τὸ μέρος διαιρῆται. καὶ τυχὸν ἐαν δύο πάτρωνες τελευτήσωσιν ἐπὶ παισὶν, ὁ μὲ ἐπὶ δύο, ὁ δ' ἐπὶ τέτρασιν, εἰς ἓξ μέρη γίνεται ἡ κληρονομία ἐκ ἐπ εἰς δύο. ἐπειδὴ καὶ δύο πατρώνων παῖδες εἰσίν. Εαν δ' εἷς τῆς δύο πατρώνων τὸ μέρος τὸ ἴδιον προαιτήσηται, τότ τὸ μέρος αὐτοῦ οἱ λοιποὶ πάτρωνες λαμβανέτωσαν. Εἰ δ' καὶ ὁ προλαμβάνων βαθμὸς προαιτήσηται, τότ πάλιν ὁ μτ ταῦτα βαθμὸς καλείσθω. δεχόμεθα γὰρ τὰς κτ συγγενείαν διαδοχὰς ἐπὶ τῆς ἀπελευθέρου, τουτέστιν ἵνα τὸ προτοῦ προαιτουμένου ὁ μτ ταῦτα βαθμὸς ὑποστρέχεται. τοῦτο γὰρ καὶ ἐπὶ τῆς συγενῶν κρατεῖ. ἐπειδὴ καὶ τὸ παλαιὸν ὅτε ἐπὶ τ κληρονομίας οὐκ ἦν ὑποστέλλεσθαι τῆς μτ ταῦτα ἐπὶ τ ὀπτιμοπῆς ἐφυλάττετο. καὶ τὸ προτοῦ τυχὸν καλουμένου ἐξουσατεύοντος ἑαυτὸν, ὁ μτ ταῦτα ἐκαλεῖτο. καλείσθωσαν δ' μὴ μόνον οἱ ἐν φύσει καπόντες τῆς πατρώνων, ἀλλὰ καὶ οἱ κυοφορούμενοι αὐτῆς, καὶ οἱ εἰς θέσιν παφ' αὐτ δεδομένοι. ἡ οὖν παλαιὰ ὑποκρισις καὶ παρατήρησις, ὅτε ἐπλατόμεθα τ δυνατέρα τοῦ πάτρωνος υἱὸν πάτρωνος εἶ, ἀνηρείσθω. σήμερον καὶ αὐτὸ καλεῖται πρὸς τ κληρονομίαν. καὶ καλείσθωσαν μὴ μόνον διαδοχὴ αὐτοῦντες, ἀλλὰ καὶ ὡς νόμιμοι κληρονομοῦντες, καὶ κληρονόμοι δ' γραφόμενοι ὁμολογημένως ἐχέτωσαν τ ἐκ τ διαθήκης βοήθειαν. αἱδὲ λοιπαὶ παζωνικαὶ διακατοχαὶ ἡσυχαζέτωσαν Εαν δ' δετοὺς παῖδας ἔχωσιν οἱ ἐλευθερωθέντες ἢ οἱ πάτρωνες, τούτοις εἰ καὶ ὑπεξουσίους ἔχωσιν, ἐ δεχόμεθα ἐν τάξῃ ὑῶν, ἀλλὰ ἐν τάξῃ ἐξωτικῶν. Εἰ δ' τελευτήσωσιν οἱ πάζωνες ἐπὶ ἐξωτικοῖς κληρονόμοις, ἐ καλοῦνται πρὸς τ τῆς ἀπελευθέρου κληρονομίαν. συγγενικῷ γὰρ δικαίῳ κληρονομοῦνται οἱ ἀπελεύθεροι. Επειδὴ δ' ἡ παλαιὰ διακατοχὴ ἤρμοζε καὶ ὅτε ἐτελεύτησεν υἱὸς ἀπελευθέρου γεννηθεὶς μτ τὴν ἐλευθερίαν, διαθήκης καὶ συγγενείας χωεὶς, καὶ ἐπάλῃ τὸν ἐλευθερώσαντα τὸν πατέρα καὶ τοὺς ἐξ ἀρρενογονίας αὐτῆς συγγενεῖς, εἴτε ἔμειναν συγγενεῖς, εἴτε ἔπαθον καταστάσεως ἐναλλαγήν. ἐκέλευσε δ' ἵνα ἐαν ὁ πάτρων τότε τῆς ἀπελευθέρου καὶ αὐτὸς ἀπελεύθερος ᾖ ἑτέρου τινὸς καὶ ὁ τῆς πάτρωνος πάτρων καὶ ἡ συγγένια αὐτῆς καλεῖται, κελεύῃ ἡ διάταξις ἵνα ἐαν μτ τ ἐλευθερίαν γεννηθέντες τῆς ἀπελευθέρου παῖδες τελευτήσωσιν ἀδιάθετοι καὶ μηδένα παντελῶς ἔχοντες συγγενῆ, καλοῦνται ὁ πάτρων καὶ ἡ πατρώνισσα μόνοι. Ἔσιν οὖν τοῦτο τὸ δίκαιον ἐπὶ μόναν ὑῶν τῆς ἀπελευθέρου ἢ δυνατέρου πάτρωνος, ἢ παζωνίσσης φειόντων, ἵνα δόξωσι μηκέτι κληρονομεῖν ἀπελεύθερον (πῶς γὰρ ἐσὶν ἀπελεύθερος ὁ τεχθεὶς μτ τὴν ἐλευθερίαν) ἀλλ' ἔχει τὸ κέρδος ἀπὸ τούτου τῆς νόμου. Εἰ δ' ὁ πάτρων εὐλόγως ἀποκλήρους ποιήσει τοὺς παῖδας τοὺς ἰδίους, μηδὲ κτ τῆς ἀπελευθέρου ἐχέτωσαν τὸ δίκαιον οἱ παῖδες αὐτῆς, ἐαν διαθέμενοι τελευτήσωσιν, εἰ δ' ἀδιάθετοι, τότε κληρονομοῦσιν αὐτούς. Σωζέσθω δ' τὸ παζωνικὸν δίκαιον καὶ τῆ τὸν υἱὸν ἢ τ δυνατέρα ποιήσαντι αὐτεξουσίους, ὥσε καὶ κτ διαθήκης αὐτῆς ἁρμόζειν τῆ παρεὶ τὸν λόγον τῆς τετραουγκίου. καὶ ἀδιάθετος τελευτήσῃ, καλεῖται ὁ πατὴρ ὡς δοκούσης νεῦσι τ αὐτεξουσιότητος contracta fiducia γενέσθαι, τουτέστιν ὡς δόξαντος τῆς παζὸς κτ τοὺς παλαιοὺς νόμους συμφωνεῖν πρὸς τὸν δοκοῦντα ἀγοράζειν τὸν υἱὸν, ἵνα πάλιν αὐτὸς ὁ πατὴρ ἀγοράσῃ καὶ ἐλευθερώσῃ. Πᾶς δ' μὴ ὑπάρχων μὲ τῇ ἀληθείᾳ πάζων, δοκῶν δ' κτ τοὺς παλαιοὺς νόμους πάζων εἶ), ὡς ὁ ὁμόσας τύχοι ὅτι πάζων ἐστὶν, μὴ ὢν δ' τ ἀληθείας, ἢ ὁ ἐλέγξας τὴν συμπαιγνίαν τῆς πάζωνος καὶ τῆς ἀπελευθέρου. πολλάκις γὰρ ὁ πάζων ἔδοξε κινεῖν κτ τῆς ἀπελευθέ-

ἐγγυητὴς, καὶ συμπείθας αὐτῷ ἵππον δῶναι εὑρέθη δέ τις ὕστερον ὁ τὴν συμπαγίαν τούτου ἐλέγχων. ὅτοι μόνον πρίν ἐχέτωσαν, μὴ μήν τοι κερδαινέτωσαν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ δανείσαντος. Ὅσα δὲ δίκαια ἔχουσιν οἱ τῶν πάρωνος παῖδες, ταῦτα παρέχομεν καὶ τοῖς παισὶ τοῦ ἐν διαθήκαις οἰκείας ἐλευθερωσάντων, καὶ τοῦ ἀπελευθέρου τὰ λειπομένων ὀρφάνων. πάντες γὰρ οἱ ἐν διαθήκῃ ἐλευθερούμενοι, ὀρφανοὶ ἀπελευθέροι καλοῦνται. Qui autem initio huius Constitutionis enumerantur modi amittendi iuris patronatus, partim sunt ex Constitutionibus eiusdem Iustiniani, vt *l. 3. eiusdem tit. l. 6. & 7. C. qui mil. pos. l. 1. §. sed scimus & §. illud etiam, C. de latin. lib. toll. l. 3. C. com. de man.* partim ex iure veteri, vt lege Ælia Sentia, & S. C. Ninniano & S. C. Rubriano & Edicto Prætoris & antiquis Constitutionibus principum.

CAP. XXXV.

Ad l. XLIX. D. de petit. hered.

BOnæ fidei possessori hereditatis, cui mouetur controuersia eiusdem hereditatis, agenti cum debitoribus hereditariis vel cum possessoribus rerum hereditariarum videbatur obstare exceptio, Quod præiudicium hereditati non fiat. & sane obstat, nisi, vt Papinianus exponit *l. 49. de pet. hered.* periculum sit ne inter moras actiones pereant quæ temporales sunt, vel ne debitores fiant non soluendo, vel ne vsucapiantur res hereditariæ quæ ab aliis possidentur. Inter moras ait, vt *l. fructus D. de rei vind. l. non est, ad S. C. Treb. l. si quis tutor §. quid ergo, l. plerique, D. de ritu nupt. l. pro pupillo, D. de adm. tut.* & Quintil. *decl. 306.* Inter moras iudicij, bella idem adolescens fortiter fecit, & *319.* Inter moras iudicij adolescens ambiguis signis crudelitatis & veneni decessit. Loquitur autem Pap. de bonæ fidei possessore. nam prædo nullam actionem habet *l. si quid possessor §. pen. D. eod.* qua de causa posui controuersiam motam bonæ fidei possessori, non litem contestatam cum eo, motus etiam illis verbis, inter moras, i. ante litem contestatam. nam post controuersiam motam, omnes possessores vno tantum casu pares sunt, si desinant possidere, post litem contestatam, quamplurimis, nisi bonæ fidei possessor putet se habere iustam causam litigandi & iuret de calumnia, *l. illud D. eod.* Quod vero possessori, idem etiam petitori Pap. dat in *d. l. 49.* ex causa, vt agere possit in rem si bonæ fidei possessor negligat & periculum idem versetur ne res vsucapiatur, vel si nesciat possessor rem illam esse hereditariam. Petitor dicitur etiam qui controuersiam mouit, qui vocauit in ius, qui exegit cautionem iudicio sisti, licet nondum litem contestatus sit. Et verba illa Papiniani, Quid si nihil iuris habere se sciat, non sunt accipienda de malæ fidei possessore, sed ita vt dixi. Quid si bonæ fidei possessor hereditatis nesciat se quasi heredem in ea re? & ita Græci, Τί δ' εἰ καὶ ἐνόμιζε μηκληρονομεῖον πρᾶγμα τὸ παρ' ἑτέρῳ κατεχόμενον μήτε διαφέρειν αὐτῷ ἢ δικαίως περὶ τοῦ κινεῖν πρὸς in rem. Putem etiam ex causa petitori interim actionem in personam dari *l. Paula §. vlt. De leg. 3.*

CAP. XXXVI.

Sententiæ quam iudex appellationis iustam esse pronuntiauit executionem ad priorem iudicem redire.

IN specie *l. tale §. 1. D. de pact.* iudex appellationis damnat debitorem non tanquam iure condemnatum priori sententia, sed tanquam confessum pacto A transactionis etiamsi iure damnatus priori sententiæ non sit. nam & confessionem semper condemnatio sequi debet *l. 5. D. de confes. l. 5. D. de cust. reor.* vnde nascitur actio iudicati, cuius executio proculdubio pertinebit ad iudicem appellationis qui tanquam confessum debitorem condemnauit, non tanquam iure damnatum à priori iudice. nam & tanquam iure damnatum damnare non potuit qui de ea re non cognouit an iure damnatus esset, sed an pactus tantum & confessus esset. & vero frustra inquireret iudex in principale negotium qui habet reum confitentem, *l. proinde §. 1. D. ad leg. Aquil.* nam etsi debitorem tan- B quam iure damnatum à priori iudice damnaret, non ad eum iudicati executio pertineret, sed ad priorem iudicem, quia æquum est vt sententiæ meæ quam iudex appellationis approbauit executio quam appellatio suspenderat, potius ad me redeat qui iustam sententiam dedi perinde ac si non interposita vel deserta appellatio fuisset, videlicet si mihi sententiæ meę exequendæ ius potestasque sit. nam si sit iudex datus à quo appellatum sit vti oportet ad eum qui dedit, rei iudicatæ à iudice dato & probatę ab eo qui dedit legitimus executor est is qui dedit non iudex datus, *l. à Diuo, D. de re iud.* & similiter ex *Nou. de sanctiss. epis.* si ab episcopi sententia appellatum sit ad præsidem prouinciæ, & præses conseruarit sententiam episcopi, eam ipse præses exequetur, *l. episcopale, C. de episc.* C *aud.* quia suæ sententiæ episcopus executionem non habet, id est iurisdictionem non habet aut forum, sed audientiam & cognitionem tantum sicut iudex delegatus, vt docui in *tit. de epis. aud.* At si prior iudex suâ sententiam suo iure exequi possit, vt si sit magistratus, & ex appellatione maior iudex pronuntiarit eius sententiam esse iustam, appellationem iniustam, eam priori iudici exequendam relinquere debet, non ipse exequi. idque Hostiensis probat. Et quod ait *l. præcipimus §. in his autem, C. de appellat.* officia appellati iudicis iudicatum exequi, de iudicato non intelligitur quo prior sententia confirmatur, sed de eo quo iniusta esse pronuntiatur. quo casu proculdubio executio pertinet ad iudicem appellationis qui nouam sententiam dedit. Sed & in priore casu, eodem iure vtimur, D nimirum maiori iudice ad quem appellatum est, vt fit, commoda executionis præripiente minori, non iure.

CAP. XXXVII.

Differentia quædam magna inter Proconsules & Præsides.

INter cætera quibus distant Proconsules à Præsidibus, id est Legatis Cæsaris, siue Legatis Proprætore, aut vt Dio loquitur, Legatis Propretoribus, hoc maxime interest, quod Proconsules qui omnes sunt ex senatorio ordine, fascibus, infulis, aliisque insignibus imperij & iurisdictione voluntaria vtuntur statim atque egressi sunt vrbem, vel vt Dio ait, pomœrium vrbis *lib. LIII.* Imperium igitur etiam statim habent (alioquin falsa essent insignia) & iurisdictionem contentiosam, nec tamen eo eave vtuntur nisi in prouincia sibi decreta, *l. 1. & 2. D. de off. Proc.* ac similiter redeuntes ex prouincia quoad pomœrium vrbis ingressi sint, imperium habent & iurisdictionem & sex fasces & cetera insignia (nam & fasces numerat Appianus inter insignia in Syriaca, quæ σκεύασμα vocat, Dio ὁπλισμα καὶ κοσμήματα τῆς ἀρχῆς) & vtuntur etiam iurisdictione voluntaria, quidni? perinde in regressu atque in egressu? & hoc est quod ait *l. vlt. D. de off. Procons.* Proconsulem portam Romæ ingressum deponere imperium, vt M. Tullius ad

Atticum VII. qui reuersus ex Cilicia adhuc retinebat imperium nondum ingressus vrbem. Si imperium, inquit, mihi molestum erit, vtar ea porta quam primum videro. & inde in auctoribus sæpe Prætor vel Consul ad portam vel ad vrbem, qui exit in prouinciam vel redit è prouincia. At qui specialiter Præsides dicuntur, id est legati Cæsaris siue sint ex senatoribus, siue ex equitibus Romanis, & siue ex Consularibus siue ex Prætoriis, statim atque cognouerunt venisse successorem, vel excesserunt prouincia, deponunt sex fasces & cætera insignia, & deponunt ius gladij quod præcipuum habent & priuati fiunt, *l. 3. D. de off. Præs. l. 1. D. de off. Præf. Aug.* ac ne iurisdictionem quidem voluntariam habent nec ea quæ neque imperij sunt neque iurisdictionis, sed ad officium ius dicentis pertinent, veluti tutoris dationem, *l. si forte D. de off. præs.* & hoc plane confirmat Dio *eodem libro*, qui cum initio dixisset Proconsules statim insignia assumere atq; pomœrium vrbis egressi sunt, post subiicit de legatis Cæsaris, τὰ δ' ἡγεμονίας κοσμήματα ὅταν ἐς τὴν προτεταγμένην σφίσι χώραν ἐσέλθωσιν ἀπλαμβάνουσι, καὶ ἐπειδὰν διέλθωσιν, οὐδὲν κατατίθενται. nec enim insignia sunt separanda ab imperio. qui negat insignia ante aduentum, & imperium negat. qui iubet deponere statim ab excessu, & imperio abire iubet. nec vlla vnquam fuit insignium & imperij separatio. Male autem vulgo idem esse statuunt in Proconsulibus ex *l. meminisse, D. de off. Proc.* vt scilicet in aduentum tantum successoris imperium habeant, quod ea lex nullo modo dicit, sed etiam circumacto anno (nam Proconsules annui erant magistratus, non quoad Senatui placuisset, præsides quoad Cæsari placuisset) proconsules ius dicere, licet ipso iure finitus sit magistratus, propter publicam vtilitatem vsque in aduentum successoris.

CAP. XXXVIII.

In l. falsi §. ordine, D. ad leg. Cor. de fal.

PAuci aut nulli sunt qui animaduertant in *l. falsi* §. 1. *D. ad leg. Corn. de fals.* notari differentiam inter relegatum ad tempus, & ordine motum ad tempus, cum ordine motum ait post tempus decurionatum recuperare, relegatum aut decurionem recte creari, non decurionatum recuperare. nec enim relegatus post reditum in suum locum redit, sed si quis locus vacet decurio fieri potest. at ordine motus, expleto tempore in suum locum redit statim si in eum interim nemo sublectus fuerit, *l. 2. D. de decur.* proinde hunc recte dices decurionem esse, illum fieri posse. quæ differentia etiam hodie manet incorrecta. nam quod dicitur duriore sententia datum in exilium longius quam lex ferat post tempus inter infames non haberi, *l. 4. C. ex quib. cau. inf. irrog.* non eo pertinet vt si decurio fuerit pristinam dignitatem recipiat statim, sed vt nouam adipisci, id est nouus decurio creari possit, aliter quam ordine motus, qui statim pristinum decurionatum recipit, videlicet si duriorem sententiam passus sit: vt hodie certè malim statuere ob falsum instrumentum recitatum non factum, duriorem esse pœnam relegationis vel remotionis temporariæ. Cæterum causam esse famosam si quis sciens recitet falsum instrumentum. & nihilominus iudice augente pœnam legis, legem minuere suam pœnam, quę scilicet ipso iure irrogatur sine executione iudicis, ex damnatione sola, id est infamiam. De decurionatu autem *d. l. falsi*, loquitur recte. quia ad alios honores decurionatu indepto vel reciperato nemo accedere potest qui A tempus expleuit pœnæ durioris antequam tantum temporis in curia fecerit quanto pœna functus est *l. 15. D. ad municip. l. 2. C. de his qui in exil. dat. vel ord. mot. sunt.* Loquor de duriore pœna secundum ius vetus. nam pœnæ legitimæ aut pœnæ mitioris quam lex permittat licet imposita sit ad tēpus, perpetua & immortalis ignominia est, quę nō beneficio temporis, sed beneficio tantū principis aboletur. & hoc secundum ius vetus. nā ex Edicto Antonini etiam mitiore sententia ordine motus ad tempus, post tempus decurionatum ceteroque honores recipit quos habuit ante *l. 1. C. eod. l. 3. D. de decur.* quod tamen in relegato Edictum non admittit. quæ est alia differentia inter relegatum & remotum ad tempus notanda *d. l. 3.*

CAP. XXXIX.

Coniuncta l. 67. D. de procurat. cum l. 3. §. in eum, D. de adm. rer. ad ciuit. pert.

VT in curatorem Reip. qui administrationis tempore creditoribus Reipub. nouatione facta pecuniam cauit, post depositum officium datur actio, ne creditores in damno versentur qui cum Rep. agere non possunt, quæ liberata est nouatione, *l. 3. §. in eum, D. de adm. rer. ad ciu. pert.* ita in tutorem qui administrationis tempore creditoribus pupilli pecuniam cauit nouatione facta, verissimum est post depositum officium dari creditoribus actionem, *l. 5. D. quan. ex fact.* in qua tamen, vt vulgo scripta est, ponitur nouatio facta post depositum officium, perperam. quia non hoc quæritur post depositum officium qui se obligauit pro pupillo quondam suo, an teneatur, quod erat apertissimum, sed an qui se obligauit tempore administrationis, post depositum officium teneatur, sicuti initio legis de curatore furiosi qui vitio furioso se obligauit, an post mortem furiosi. i. post depositum officium teneatur. itaque in *d. l. 5.* hęc verba, *Post depositum officium*, dico esse traiecta, & sedi suæ reddenda hoc modo, non magis quam in tutorem post depositum officium, si modo nullam ex consensu nouationem factam, &c. quod & §. 1. ostendit, in quo consequenter, ait tutorem qui soluturum se cauit, actionem post finitam tutelam recte recusare, quod accipiendum est de eo qui se soluturum constituit pupilli nomine, non facta nouatione, sicut in curatore Reip. proditum est *d. l. 3. §. in eum*, de constituta pecunia eum non teneri post depositum officium, quia cum creditoribus sit salua prior actio, quæ constituto non nouatur, *l. item illa §. vlt. l. vbi quis, D. de constit. pec. l. si filiusfam. D. de in rem verso*, citra captionem creditorum liberari potest, & vero æquum est vt liberetur auxilio Præsidis data exceptione doli vel in factum, qui inuitus ciuile munus suscepit & gessit. idemque est si quid in publico nomine vendiderit vel locauerit, & emptori vel conductori cauerit, Habere vel frui recte licere. quia deposito officio emptori & conductori integra est actio in Remp. Verum obstat valde *l. 67. D. de procurat.* nisi faciamus differentiam inter procuratorem negotiorum hominis priuati & curatorem Reipub. curatorem furiosi aut adolescentis, tutorem pupilli, quam vtique faciendam esse, ita demonstro. Est ea *l. 67. Papiniani* ex secundo Responsorum in Pand. Florentinis, in Noricis & aliis omnibus ex primo, sicut *d. l. 3. De adm. rer. ad ciu. pert.* quod est verius. Proinde si ea *l. 67.* primo libro Responsorum vindicatur, consequens est eam cohæsisse §. *in eum d. l 3.* atque ita coniunctim Papinianum hoc posuisse discrimen inter curatorem Reip. & procuratorem priuati hominis, cuius etiam

ratio eu dentissima est. hic enim est amicus voluntarius, ille inuitus curator creatur, & tutor ac curator minoris aut furiosi. Æquum autem est non onerari eos qui inuiti munera publica gerunt vltra tempus administrationis suæ. quæ humanitatis ratio cessat in his qui vltro se implicant negotiis priuatorum. & cũ quæritur an quis pro collega statim conueniri possit non excussis collegæ facultatibus, eadem quoque sit distinctio inter curatores ciuitatum aut tutores pupillorum, quibus cum benignius agitur, vt non ante conueniantur quam collega quirem gessit male, conuentus & excussus fuerit, quia inuiti hęc munera susceperunt, & curatores bonorum qui inuiti dari non solent nisi ex magna causa, & cum inuiti dantur, etiam in eis idem est ius quod in curatoribus Reip. & in tutoribus, *l. 2. §. quæritur & §. penult. D. de curat. bon. dan. d. l. 3. in prin.*

Cap. XL.

Emendata l. pen. §. 1. D. de decur.

INitio *l. pen. D. de decurion.* proponitur rescriptum Antonini & Veri quo plebeij in tempus relegati, & finito tempore reuersi prohibentur in ordinem allegi sine permissu & indulgentia principis, quæ scilicet proficiscatur ex iusta causa, cuius mox exemplum subiicitur ex alio rescripto eorumdem Imperatorum in §. 1. si ab exilio reuersus minor sit quam XXV. annorum natu, & quamuis à decurionatu cũ repelleret cum exilij causa quod sustinuit, tum ętatis ratio, princeps tamen motus eius vultu, indole, dignitate, quæ in ætate potissimum efflorescit, hoc ei permiserit, vt decurionatum in patria sua peteret & obtineret, nec habuerit rationem ętatis in virtute præclara, cuius spem faciebat dignitas, id est indoles, quæ eo loco definitur, certa spes eius honoris, certa spes bene gerendi decurionatus, certa spes bonę frugis, vt in glossis Philoxeni etiam indoles definitur καλὴ ἐλπὶς ἐν νεοτέρῳ, & dignitas dicitur etiam in Oratione pro M. Cælio illo loco, Quis non possit huic ætati atque huic dignitati? Dignitas ergo id facit vt quandoque princeps faciat veniam ætatis & minori XXV. annorum decurionatum indulgeat, vt M. Tullius *V. Philipp.* ait ab excellenti eximiaque virtute progressum ętatis expectari non oportere, & Plinius *in epistolis*, ab optima indole non exigi numerum annorum, & Valerianus *apud Vopiscum in Probo.* In eo non expectari ætatem qui & virtutibus fulgeat & moribus polleat: verum sic in *d.* §. 1. arbitror esse legendum, nisi eius ætatis fuerint vt nondum decuriones ,, creari possent, & dignitas, certa spes eius honoris, ,, id faceret vt princeps indulgere possit. nec recedo à P. Flor. nisi quatenus pro spem, scribo, spes, & subdistinguo dignitas, non certa. qua lectione nec quidquam pote melius.

IACOBI CVIACII IC.
OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.
LIBER XXI.

Caput Primvm.

Variæ lectiones quæ in contextum perrepserunt duobus locis Digestorum.

STipvlanti damni infecti promisisti prohibere te ne quod ex ea re damnum stipulator patiatur. Si hoc cures & facias, facis quod promisisti. sin minus teneris in id quod interest. quia iam nõ est integrum tibi prohibere quod contigit. alioquin integra ad faciendum destricte compelli posses. Hæc est sententia Celsi in *l.* 13. *De re iud.* cuius verba emendanda sunt hoc modo. *Si quis promiserit prohibere se ne quod ex ea re damnum stipulator patiatur, & faciat, facit quod promisit*, &c. quę ita vulgo erant proposita. *Si quis promiserit prohibere se vt aliquid stipulator patiatur & faciat.* Nec enim *vt aliquid damnum*, &c. scribendum est, sed, *ne quod ex ea re damnum stipulator patiatur, & faciat, facit*, &c. quod glossema demonstrat in P. Flor. insertum, his verbis, *Ita habeatur, hoc est ita legatur, Ne quod ex ea re, &c.* Cui simile glossema obseruaui apud Arnobium Oratorem *3. contra Nationes. Si tempus*, inquit, *significatur hoc nomine, Græcorum vt interpretes autumant, quod Chronos est, habeatur* χρόνος, *nullum est Saturnium nomen.* Illud, *habeatur* χρόνος, quod ita scriptum legi in manuscripto qui est in Bibliotheca Regis, glossema est, quo emendatur superior scriptura, *Chronos.* Et idem efficit vel significat in veteribus Varronis libris de re rustica sępe quæ inserta est litera t. quę est pro legatur. Etiam obseruaui lectiones varias in contextum inrepsisse eodem modo, nisi quod non etiam admonitio illa, ita legatur, vel, ita habeatur, inserta est in *l.* 5. §. *1. De his qui eff. vel deiec.* Vna lectio hæc est, *Nam & si quis cenacularium exercẽs ipse maximam partem cœnaculi habebat solus tenebitur.* & hęc verissima. Altera, *sed & si hospitaculi habeat, solus tenebitur.* Tertia, *sed si quis cenaculi, ipse solus æque tenebitur.* neutra in Bas. neutra sensu prædita.

Cap. II.

Ad l. 1. C. de her. tut. & §. aliquando, Instit. de perp. & temp. act.

QVod scripsi *12. ex l. 1. C. de her. tut.* non ex quolibet dolo vel lata culpa tutorum, heredes eorum teneri tutelæ actione tutoribus mortuis ante litemcontestatam, sed ex dolo tantum quo spoliis pupilli tutores suas vel aliorum per gratiam auxerunt facultates, verissimum esse adfirmo, ea tamen lege & condicione, vt propter auctoritatem βασιλικῶν forte eo loco non castigatorum, nihil mutetur vel detrahatur *l. 1. C. de her. tut.* nam quod ait heredes tutorum non teneri ex non lata culpa. i, ex leui, etiam verum esse

eſſe confirmat *l. 4. D. de mag. con.* quæ heredem tutoris ait non teneri negligentiæ nomine, quod eſt non eſſe ſuccedaneum culpæ leuis ipſius tutoris. Nec enim de culpa heredis propria ea verba intelligi poſſunt, cum is heres tutoris in ea lege comparetur heredi magiſtratus, qui per fraudem pupillo tutorem dedit, cui quidem magiſtratus heredi nec dicit aut dicere potuit propriam culpam non imputari, quæ nulla in eo exiſtere poteſt, ſed vt heredi magiſtratus dicit culpam ipſius magiſtratus dolo proximam. i. latam culpam imputari, non culpam non latam: ita conſequens huic comparationi, & conſentaneum eſt vt dicat, heredem quoque tutoris ob non latam ipſius tutoris culpam, i. ob leuem tutoris culpam non teneri, ſed ob latam tantum, vt *d. l. 1.* Denique tutorem vel magiſtratum, omne periculum, omnem culpam præſtare, heredem ſuccedere tantum in latam culpam eorum, non in leuem. Et ita de herede magiſtratus aperte ſcriptum eſt in *l. 2. C. de mag. con.* à qua detrahendæ negationis, quia nullum auctorem habemus certum; nec detrahamus igitur, maxime cum quia & quaſi pœnalis ea actio eſt, *l. vlt. D. eod.* iuſtum videatur non dari eam temere in heredem magiſtratus, qui tutorem dedit & omiſit cautionem, *Rem pupilli ſaluam fore*, ſed cauſa cognita, ſicut nec temere datur in heredem magiſtratus qui non curauit poſtulanti caueri damni infecti, ad quam ſpeciē proprie pertinere *l. 6. D. eod.* inſcriptio probat adhibita *l. 4. §. in eum & §. vlt. de dam. inf.* Exēplo igitur heredis magiſtratus, recte ait *d. l. 1.* & heredem tutoris ob culpam non latam. i. ob leuem culpam tutoris non teneri, ſi lis non ſit conteſtata cum tutore. nam poſt litem conteſtatam etiam leuis culpa ad heredem tutoris tranſmittitur. itemque ſi neque ex damno, vt ait, pupilli lucrum captatum aut gratia præſtitum ſit. nam ex dolo vel lata culpa tutoris ſi quid abſit, pupillo proculdubio heres tenetur, licet ad eum nihil peruenerit iuxta regulam *l. ad ea §. vlt. De reg. iu.* Propoſitio dictæ *l. 1.* hæc eſt, *Herede: non teneri ex non lata culpa tutorum.* Exceptio vna, *Niſi ex cauſa non latæ culpæ lis conteſtata cum tutoribus fuerit.* Clauſula vero huic exceptioni ſubiecta his verbis, *Neque ex damno pupilli, &c.* non exceptio, ſed explicatio eſt ſuperioris propoſitionis, quę nō latam culpam oſtendit in ea propoſitione ſic eſſe accipiendam, ſi non ex damno pupilli lucrum captatum vel gratia prętitum ſit. nam lucro captato ſibi vel alij cum detrimento pupilli, heres tutoris tenetur, etiamſi nihil ad eum peruenerit. Lucro non captato & incolumi patrimonio pupilli, heres ad quem nihil peruenit, ex dolo vel lata culpa tutoris non tenetur, puta ſi dolosè verſatus ſit, citra damnum pupilli, ſi dolus ei ſuus malitiaque ſua mala nihil profuerit, *§. aliquando, Inſt. De perp. & temp. act.* nam & cur heredes eius cum quo lis conteſtata non eſt placet non teneri pœnali actione, veluti furti vel iniuriarum, aut mixta quatenus pœnam perſequitur, veluti vi bon. raptorum vel damni iniuria, non pœnali, inquam, etiamſi quid ad eos peruenerit, non mixta niſi quatenus ad eos peruenerit ex dolo defuncti, non excepta actione vi bon. raptorum, quæ etſi edicti verbis non detur de eo quod peruenit, dabitur tamen non inutiliter. cur vero, niſi quia actione pœnali actor non perſequitur rem quæ ſibi abeſt, ſed extra rem pœnam in quam innocentem heredem ſuccedere æquum non eſt. Et ita æquum non eſt actione veniente ex contractu ob dolum malum defuncti heredes teneri, ſi neque ad eos, neque ad defunctum quidquam peruenerit, id eſt ſi ob eam rem nihil ex actoris patrimonio abſit. Regulariter heredes tenentur ob dolum defuncti, quoniam vix dolo dolatur quidquam ſine detrimento alterius. & aliquando tantum non teneri dicuntur *d. §. aliquando*, nempe ſi quando forte dolus aduerſarij A actoris rebus nihil abſtulerit.

CAP. III.

Sententia l. xi. Ad S. C. Turpil.

NOn tantum is qui poſt litem conteſtatam deſerit accuſationem tenetur vt tergiuerſator lege Petronia vel S. C. Turpilliano, aut vt calumniator lege Remmia, ſed etiam is qui reo poſtulato & oblatis libellis accuſatoriis vel denuntiato crimine deſiſtit ante litem conteſtatam *l. vim §. duos, Ad leg. Iul. de adult. l. pen. Ad S. C. Turpil. l. 7. C. qui acc. non poſſ.* ſed ſi poſt rei poſtulationem, præſcriptione legitimi temporis excluſus cauſam adulterij perferre non potuerit, veluti præſcriptione LX. dierum aut ſex menſium vtilium, aut quinquennij continui, quæ omnes præſcriptiones lege Iulia de adulteriis comparatæ ſunt, atque ita reum adulterij perſecutus non fuerit, recte Papin. ait in *l. 10. eod. tit* eum de calumnia non puniri, qui tamen alias ſi deſiſteret aliter quam facta abolitione, in legem Petroniam incideret & in legem Remmiam. nam & tergiuerſator puniri vt calumniator poteſt, ſicut Imperatorem legimus apud Plinium *6. Epiſt.* denuntiaſſe accuſatoribus, ſe de eorū calumnia pronuntiaturū ſi agere deſiſterent. Porro reus poſtulatur prius quam cauſa perferatur. & poſtulatur quidem ſine iudicio cum poſtulatur vt inter reos recipiatur vel querela apud acta depoſita vel dato libello accuſatorio, vt docet *Obſ. XX. c. XXI.* cauſa autem perfertur lite conteſtata, lite & cognitione ſuſcepta, & mox eo cuius nomen delatum eſt relato inter reos. & ita explicanda *d. l. 11.* quam gloſſæ non intelligunt.

CAP. IV.

Ad l. XLIV. de relig. & ſump. fun.

DIgnum obſeruatu eſt quod ait Paulus in *l. 44. De relig. & ſump. fun.* vnam ſepulturam, plura ſepulchra efficere non poſſe, & ideo ſi locis diuerſis ſepulta ſint membra, nō omnia loca eſſe religioſa, ſed eum tantum, vbi quod eſt principale, quod ἡγεμονικὸν, conditum eſt. & principale ſtatuit eſſe caput, vt Cenſorinus ſcribit Hipponem indicaſſe infanti ante omnia caput increſcere in quo eſt principale. Sic legendum. *Cuius*, inquit, *imago ſit; inde cogniſcimur.* nam omnis imago cuiuſcunque materię plerumque caput tantum & humeros repræſentabat ſine reliquo corpore, vt in numiſmatis, quod præter Plinium & alios auctores etiam D. Ambroſ. indicat his verbis, *Sola ære fuſa principū capita & ductos vultus de ære vel marmore adorari*, nec abs re caput tantum & vultus exprimitur, quoniam, vt Paul. ait, inde cognoſcimur. quam rationem & in Problem. reddit Ariſt. διὰ τὶ τῶ προσώπω τὰς εἰκόνας ποιοῦνται; πότερον ἐπ τοῦτο ὅμοιοι ποιοῦ πινες, ἢ ἐπ μάλιστα γινώσκεται.

CAP. V.

De ſtatura legendorum tironum.

VEgetius ſcribit proceritatem tironum ab vrbe condita fuiſſe ſemper exactam ita vt ſenos vel certe quinos pedes & denas vncias habere probarentur. Eandem fere exigunt proceritatem Imp. Valent. & Valens in *l. 3. C. Th. de tiron.* qui delectum haberi iubent in quinque pedibus & ſeptem vnciis vſualibus; quopertinet illud ænigma Sympoſij de milite podagrico.

Bellipotens olim ſæuis metuendus in armis
Quinque pedes habui, quos nunquam nemo negauit:
Nunc mihi vix duo ſunt, inopem me copia fecit.

Et id quoque quod ita legimus ſcriptum inter ſententias Adriani Imperatoris. ἀϊτῶντός τινος, ἵνα στρατεύηται, Ἀδριανὸς εἶπεν, ὡς θέλῃς στρατεύεσθαι; ἐκείνου λέγοντος, εἰς τὸ θερμοπώλιον, Ἀδριανὸς ἐζήτησεν, ποῖον μῆκος ἔχεις; πέντε πόδας καὶ ἡμίσυ. Ἀδριανὸς εἶπεν, ἐν τοσούτῳ εἰς τὴν πολιτικὴν στρατεύῃ, καὶ ἐὰν καλὸς στρατιώτης ἔσῃ, τότε ὀψωνίῳ διωρήσῃ εἰς τὸ θερμοπώλιον μεταβιῶναι. Legitimæ ſtaturæ hominem, id eſt quinque pedum & ſex vnciarum, qui legi optabat inter prętorianos iubet Adrianus expectare tertium ſtipendium, hoc eſt tertium annum, & interim militare inter vrbanas cohortes, quæ ſententia cum eſſet in editione Stephani imperfecta & B deprauata, eam ita reſtitui ex bibliotheca S. Galli apud Heluetios, vbi in calce Grammatices Doſithei Magiſtri ſunt eiuſdem Adriani ſententiæ & epiſtolæ, hoc eſt reſcripta breuia longe emendatiora longeque plura, quæ omnia ad ius noſtrum ciuile pertinent gręce & latine conſcripta, ἐξ ὧν, vt ipſe Doſitheus præfatur, μεῖζον εὐχρηςία ἀκολουθεῖ ἀνθρώποις, ἀπὸ τούτου τὸ ἄφχοντος ἐγένετο καὶ λαλιότης. διὸ ἀναγκαίως εἰσὶν ἀναγνωσία καὶ μνῆμη ἀδιαδοτέα, εἰμοὶ τοὶ θέλομεν ῥωμαΐσι λαλεῖν ἢ ἑλλωισὶ χωεὶς αἰτίας. & adiicit, ἕτως ἀξώμεθα. mox ſequitur ἀπόφασις quam initio propoſui, ἀϊτῶντός τινος.

Cap. VI.

Actio ingrati aduerſus libertos ex lege Ælia Sentia.

LEge Ælia Sentia proditam eſſe accuſationem ingrati aduerſus libertum datamque patrono ſatis conſtat ex *l. 70. De verb. ſig.* itemque ex *l. 30. Qui & à quib. man.* coniuncta cum titulo ſiue inſcriptione ſua. an vero per eam accuſationem libertus reuocaretur in ſeruitutem addubitatur. & verius eſt non reuocari. Et quod additur vulgo in *d. l. 30. §. pen. vt in ſeruitutem redigatur*, gloſſema eſſe nouum additum ex cõſtitutionibus quæ extra ordinem, vt ait *l. 1. C. de lib. & eor. lib. & l. 7. de S. C. Sil.* ex cauſa ingratitudinis poſtulante patrono libertum in ſeruitutem redegerunt. nam iure ordinario nulla eo nomine competebat D actio, vt docui *Obſ. x.* & illud quoque gloſſema non agnoſcunt Flor. nec Baſ. & lege Æl. Sentia patrono querenti de ingratitudine liberti alia ratione ſatisfiebat, veluti liberto damnato in lautumias, quæ pœna legibus & ex aliis cauſis in alios prodita eſt. Id vero conſtat ex Adriani Imperatoris ſententia ita græce relata apud Doſitheum. Διὸ πρωϊσλιδίᾳ ἀϊτῶντός τινος, ἵνα τὸν ἴδιον ἀπελεύθερον ἀπολέσῃ ὃν πρὸ χρόνου κελεύσει ἐπαρχος ζαζοφυλακίου καὶ νόμον ἄιλιον σενλίον εἰς λιθοτομίας βέβληκε, καὶ νῦν τὴν ἐπίδοσιν ἀϊτῶντι, Ἀδριανὸς εἶπεν, τί ζητεῖς ἄνθρωπον ἀπολέσαι, καὶ τ' ἐπίδοσιν ἀφαιρεῖσθαι ἀφ' ὅ ἦν ἐξεδικήθης; ἀναιδὴς εἶ, Qui ea cauſa ingratitudinis libertum paulo ante duxerat in lautumias ſecundum legem Æliam Sentiam, deſiderabat etiam ei auferri E commoda ſiue annonas & panes ciuiles, qui & congiarij nomine ſignificantur, quod libertinorum ciuium Romanorum tribus ferebant de publico ex libertate principis, *l. patronus, De leg. 3.* cui Adrianus reſpondit, improbum eſſe deſiderium eius qui poſtulat ei de quo iam ante vindictam ſumpſit quemque damnauit in lautumias detrahi congiarium, quo tolerat vitam ſuam, quia necare eum velle videtur, vt *l. 4. De lib. agn.* Proponit autem damnatum fuiſſe iuſſu præfecti ærarij, forte quod patronum apud præf. ærarij calumniatus eſſet. alioquin de ingratis libertis notio ſolet eſſe prefecti vrbi.

Cap. VII.

Sequuntur aliæ ſententiæ eiuſdem Imperatoris, & de congiariis ſingularia quædam.

VNa eſt de parentibus alendis non abſimilis illi, *Parentum neceſſitatibus liberos ſuccurrere iuſtum eſt*, vel illi, *Competens iudex à filio te ali iubebit, ſi in ea facultate eſt, vt tibi alimenta præſtare poſſit*: quæ oſtendunt & matrem à liberis & patrem ab emancipatis qui in diuitiis ſunt alendum eſſe, vt & illa, *Iniquiſſimum eſt patrem egere cum filius ſit in facultatibus*, & de filio milite quod etiam de filiof. intelligi poteſt qui diues eſt, *Ab eo exhibendos eſſe parentes, pietatis rationem exiſtimare.* nam & ita cum ſe à filio valetudinarium & egenum negligi neque exhiberi quereretur pater qui in eum omnia bona ſua conſumpſerat, Adrianus iuueni dixit, φύλασε τὸν πατέρα σου (διὰ τοῦτο γὰρ σε ἐγέννησεν) καὶ φρόντισον οὕτω μὴ πάλιν περὶ σοῦ πρός με μέμψηται. nec vnquam hac de re ſeuiores ſententiæ dictæ ſunt inter parentes & liberos. Huc pertinet alia de agnoſcenda & alenda matre ex congiario quo filium donabat Adr. cum ille negaret eam ſibi matrẽ eſſe. *Si tu eam*, inquit, *non agnoſcis matrem, nec ego te ciuem Romanum.* qua ſententia ademit ei congiarium quod donauerat, quia ſoli ciues R. eo donari ſolebant. At de congiario etiam placet vãlde quod inter ſententias eiuſdem Adriani C refertur, dicente muliere ſibi auferri congiarium filij ſui à Titio qui ſe dicebat patrem eius eſſe, & ad ſe cõgiarium pertinere, quaſi ſcil. quęſitum ſibi iure patriæ poteſtatis, & interrogata muliere, an iuſta vxor eius eſſet ac reſpondente ſe ciuem Romanam eſſe (ſic oportet interpretari ῥωμαϊκὴν non latinam) atque adeo capacem iuſtarum nuptiarum & cum eo tab. nuptiales conſcriptas habere, nec dum tamen nuptias contraxiſſe: quia tabulæ nuptias non faciunt, vt *l. donationes, D. de don. l. neque ſine nuptiis, C. de nupt.* & cõſequenter quia iuſtus L. Titio quo de agebatur filius non erat, iuſſiſſe Adrianum quod L. Titius ſibi vindicauerat congiarium filio reddi. Soli enim filij iuſti ſunt in poteſtate patris, & patri adquirunt quæcumque adquirunt, etiam congiaria. quia congiaria non computantur in caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi peculio quæ ex mera liberalitate principis proficiſcũtur aliter quam ſtipendia & donatiua, & ſalaria quæ pro pręmio militię vel dignitatis aut adminiſtrationis & meriti alicuius quaſi debita pręſtantur. Et hoc quidem quod in vtroque exemplari expreſſum eſt deprauatiſſime, meo iudicio partim ex hoc, partim ex illo ita reſtituendum & redintegrandum eſt, detracta verborum alienorum interiectione & propriorum iteratione ſuperflua. λεγούσης τινὸς γυναικὸς τ' ἐπίδοσιν τοῦ ἰδίου υἱοῦ ἀφῃρῆσθαι ὑπό τινος, ὅτις ἔλεγεν πατέρα αὐτὸν εἶναι καὶ πρὸς αὐτὸν αὐτὴν τ' ἐπίδοσιν, ὑπερήσατο ἄλλος, ἀπεκρίθη γυνὴ, Ῥωμαϊκὴν αὐτὴ γενῆσθαι καὶ θέλειν μόνον συνοικεσίαν θαι, γάμους δὲ μὴ γεγονέναι. μὴ δυνηθέντος οὖν αὐτὸν ἀποδεῖξαι ὑὸν ἴδιον εἶναι οὗ ἐπεζήτετο, Ἀδριανὸς τῷ ἀνθρώπῳ εἶπεν, Ὅτι οὖν μὴ εἶπας ὃς υἱὸς ἀναιδέσατε, ἀπόδος τ' ἀλλοτρίαν ἐπίδοσιν. & huic ſententiæ poteſt addi ea de qua in *l. 23. §. vlt. De lib. cau.* Porro hanc ſequitur alia in qua & de congiario nonnihil quod parentes ſi moriebantur tranſmittebant in liberos etiam paruulos. Mater cum quereretur de tutore filij ſui impuberis apud Adrian. & diceret per triennium ceſſaſſe tutorem in præſtatione alimentorum, imo & in recente ei abſtuliſſe congiarium, Adrianus tutorem interrogauit quando tutor datus eſſet, & quid alimentorum nomine pupillo præſtitiſſet, illo reſpondẽte per abſentiam contutoris factum vt ceſſaret aliquamdiu in præſtatione alimentorum quod ſolus ipſe ea præſtare non poſſet, tutori

dixit, *In hoc igitur datus es tutor vt fame pupillum eneces, Pro modo facultatum alimenta ei præsta.* Verba hæc sunt. αὐτέντός τινος χωλικὸς τὸν φεγνησῶ υἱοῦ αὐτῆς ὡς ἐαυτῷ τειπίαν ὁ παρέχηκε Σοφία, καὶ σημεῖον τὴν ἐπίδοσιν αὐτῶ ἀφηρήκει, Ἀδριανὸς τὸ φεγνησίῳ ἐζήτησεν πότε εἴη ἐπίδοτος δεδομένος, καὶ εἴτι παρέχηκε τῷ ὀρφανῷ, ὁ φεγνησὶς εἶπεν, ὅτι ὁ νοννονὸς αὐτῶ ἄπαν εἴη καὶ μὴ δυνήσαιτό ποτε μόνος παρέχειν, Ἀδριανὸς εἶπε τῷ φεγνησῇ, διὰ τοῦτο ἦν ἐδόθης ἵνα λιμῷ πίξῃς τὸν ὀρφανὸν, καὶ δυώδεκα ἔτη τὸ ἐπιτροπείας Σοφεία αὐτῷ παρέχε. Quod pro modo facultatum alimenta præstari iubet, id sæpius inculcatur in *titulo, Vbi pup. ed. deb.* & quod per causam absentiæ contutoris, non admittit præsentis tutoris excusationem, etiam æquissimum est, quia vel ab vno ex pluribus tutoribus ceteris absentibus aut cessantibus prestanda ea esse constat ex re pupilli.

Cap. VIII.

An si is qui rem vsucepit eam postea pro derelicta habeat res redeat ad veterem dominum.

AD quæstionem propositam hoc capite est qui scribit ab eo qui rem quam vsucepit habet pro derelicto, eam rem redire ad veterem dominum, & equius esse eam veteri domino restitui ab eo qui eam occupauit & possidet, quam apud eũ remanere. quia, inquit, sine titulo possidet, vel quod idem est, quia pro possessore possidet. Si hæc ratio esset vera, forte & opinio illa esset vera. Atqui constat eum qui rem habitam pro derelicto possidet, non sine titulo possidere. Legitimus enim est titulus *Pro derelicto*, & proximus titulo, *Pro donato.* nam qui rem derelinquit, genere quodam eam primo occupanti donat, *l. quod seruus, de stip. ser.* & alienat, *l. 5. Quæ in fraud. cred.* Et restitutionis beneficio fateor datis vtilibus actionibus ex causa rem vsucaptam posse ad veterem dominum redire rescissa vsucapione, veluti ex causa edicti Ex quibus causis maior. At in specie proposita nulla subest iusta causa veteri domino restituendi dominij à quo per vsucapionem recessit in perpetuum, sicut & per noxę deditionẽ serui dominium dicitur in §. 1. *Inst de nox. act.* à veteri domino in perpetuũ recedere, nec seruo ei cui noxæ deditus est offerẽte litis æstimationem dominium eius ad veterem dominum redire, sed seruum auxilio prætoris manumitti, quasi absolutum omni dominio, quo in proposita specie absolutus dici non potest qui habet dominum eum qui occupatione serui à priore domino derelicti statim dominiũ adquisiuit, *l. 1. l. 5. §. vlt. Pro derel.* sicut nec qui semel desiit esse domini, damnatione in metallum, etiamsi beneficio principis metalli pœna liberetur, non redit ad priorem dominum, sed fisci seruus efficitur, *l. aut damnum §. vlt. De pœnis, l. generaliter §. si seruus, De fid. lib.* sicut arbor quæ ex vno fundo radicitus eruta coaluit in alio, & hoc genere desiit esse prioris domini, rursus eruta ad priorem dominum etiam non reuertitur, *l. 26. §. arbor, De adq. rer. do.* sicut nec quod ferrumination alienum factum est, id postea inde abruptum redit ad priorem dominum, *l. in rem §. item, De rei vind.* nec item seruus qui captus est ab hostibus & manumissus à bonæf. emptore in ius prioris domini redit, *l. 12. §. manumittendo, De cap. & postl.* sicut quæ semel princeps vel quis alius donauit Reip. nullo casu ad donatorem redire debet, quia vt Symmachus ad Valentinianum ait, quod à principio beneficium fuit, vsu atque ætate fit debitum, sed quod à Rep. proficiscitur quę ex singulis constat, rursus fieri potius debet singulorum proprium, si quando forte donationis causa finita sit, quam ad donatorem redire.

Cap. IX.

De vsuris illicitis & honore equi publici, ex Sententiis eiusdem.

CVm essent feneratores quidam qui exempli gratia creditis mille aureis ex ea summa eodem momento subducerent c. quod factitant etiam hodie plerique, & nihilominus in aureos mille cautione concepta eius summę vsuras legitimas in singulos annos stipularentur. i. cxx. quæ sunt vsurę centesimę, & anno quoque vertente debitam vsuram centesimam in sortem redigerent, ea de re iussit Adrianus præfectum prætorio cognoscere & ad se referre, qua cognita non dubito quin iudicauerit deberi tantum creditori vsuram centesimam eiusdem summæ, quoad vsura æquasset DCCCC. in specie proposita DCCCC. quia re contrahi obligatio non potest nisi quatenus datum, est vt *l. si tibi De pac.* & eo quod illicite adiectum est veluti de vsura anniuersaria in sortem redigenda, non vitiari licitam conuentionem, vt *l. 20. & 29. De vsur.* Restituenda autem ita sunt hac de re verba quæ leguntur *apud Dositheum.* Κωδικίλλιος τὶς πόλε Ἀδριανῷ παρέδωκεν, δι' ὧν ἔφασκεν πλείονας εἶη δανῆσὰς οἳ τινες ἀδίκως τόκως ἐξεπράξαν, ἐν οἷς τινας εἰς δυώδεια χίλια ἐξ αὐτῆς ἡμέρας δηνάεια ἑκατὸν ὑποσέλλειν καὶ παρέκτως ἑκατοσὰς λαμβανὴν καὶ τὸ αὐτὸ πάλιν δανείζειν. Ἀδριανὸς εἶπεν. ὁ ἐξοχώτατος (alias ὑπατικώτατος) αὐτὴρ ἐπαρχός μου τοῦτο τοῦτο τοιοῦτο τοῦτο * ἐκτίνασε καὶ ἀπαγγέλλῃ μοι. Post hanc sequitur alia postulatio atque rescriptio in hęc verba: Δι' ὑπατικιδίκε αἰτέντος τινὸς εἶη αὐτῷ τοῦτο ἱππικῆς ἀξίας, ἀλλ' ὅτε ἵππον δημόσιον ἠτεῖτο τοῦτο ἐξαλελειμμένον αὐτὸν εἶη τοῦ διετίας ὑποφάσει ἐπάρχε ἐνὶ ἐνιαύτῳ πολυδρίῳ ἐκχώρεισαν, ὑπόδικ διαβολὴ παρεισελήλυθεν ὡς δῆλοι τοῦτο ἐξάγυναν, Ἀδριανὸς εἶπεν, ὅσις ἵππον αἰτεῖ δημόσιον διωρισμένος εἶη ὀφείλῃ, τὰ δ' λοιπὰ ζωῆς σὺ δοκιμάσεις. Qui petit equum publicum equestris ordinis fieri desiderat. idcirco recte quod Vlpianus *lib. Reg.* ait, *Constitutionibus principalibus concessum esse mulieri in hoc viro donare, vt is ab imperatore equo publico honoretur.* Gaius: ita *vt equestris ordinis fiat, l. nuper, De don. inter vir. & vx.* nec dubium hodie est in *l. 2. De in ius voc.* his verbis, *qui equo publico in Capitolium transuehitur,* equitem Romanum significari, & eam transuectionem siue pompam quæ Romæ Idibus Iul. fieri solebat ab his, vt Dionysius Alicarnassæus ait, qui habebant equum publicum, id est qui equites Romani erant. *Plin. 33. c. 1. Equitum,* inquit, *nomen subsistebat in turmis equorum publicorum.* quod & hic locus ex Adriani sententiis aperte confirmat, ex quo etiam intelligimus, in eo qui equestrem dignitatem & ordinem affectat duo desiderari, Censũ equestrem qui erat CC CC. M. cris & probitatem morũ. qua de causa qui equum publicum petebat ab Adriano, dicebat se ante biennium fuisse prẹteritum, quod sententia prẹfecti iussus esset ciuitate annum excedere, sed rogare se Adrianum vt animaduerteret id sibi contigisse crimine per calumniam intentato opera seruorum. & huius quidem reatus Adrianus ratione non habita etiam definit sibi satis esse, si is cetera vitæ sue bonis moribus & honestati congruere probauerit.

Cap. X.

Ad easdem quædam de decuriis & auctoritate rerum iudicatarum & vite centuriali.

MVnicipiis, collegiis, corporibus, societatibus iunguntur decuriæ *l. 3. §. à municipibus De bon. pos. l. mortuo De fideiuss. l. si is qui mihi bona §. 1. De adq. her.* & à Tertulliano tribubus & curiis *in Apologetico*

duobus locis, & à Tacito 13. An. quo argumento existimo non eodem modo accipiendas esse in Tertulliano & Tacito decurias quo in supradictis legibus. At decurias in illis esse partes tribuum, ex Dionysij Alicarnassæi *lib. 11.* In supradictis legibus esse collegij genus. nam & ita appellatur *l. 2. C. de decur. vrbis Ro.* scribarum scilicet & librariorum & fiscalium & censualium literatorum hominum, vt aperte demonstrat *l. 1. C. Th. eod. tit.* in qua id est valde notandum quod ait, literaturam omnium virtutum maximam esse, inter studia scilicet liberalia, est enim verissimum, sine hac frustra dari operam ceteris, & cum hac cetera facile percipi, & ex eis literatorem statim eruere quæ in eis illiteratus triuerit ætatem, vix perceperit vnquam, nec vllum maius est argumentum imperitię in homine quam cum literaturam damnat quam scilicet ipse nescit. Verum ad rem. Scribarum decuriæ etiam meminit Suetonius in Claudio & Cassiodorus in formulis. & huiusmodi decuriam opinor fuisse eam quã cum haberet filius f. quasi militiam literatam aut palatinam in quasi castrensi peculio, refertur inter rescripta Adriani fuisse publicatam sententia iudicis simul cum bonis patris omnibus, tanquam & ipsa esset in bonis paternis, & post decennium ea de re quæstum filium f. sibi eam decuriam adseruisse, qui summotus est præscriptione decennij, & Adriano de auctoritate rerum iudicatarum dicente pereleganter. ἐὰν ἀξιώμεθα πράγματα καλῶς ἢ καλῶς κεκριμένα μεταλλεῖν. οὐδὲν τετελεσμένον ἔσται. Integra huius rei narratio hæc est, διὰ βιβλιδίου λέγοντός τινος πατέρα ἴδιον ἀποπεφωνῶσθαι καὶ αὐτῷ δικαιείαν ἀφῃρῆσθαι μὴ ἀπαυτᾶ, καὶ εἴ τινα ἄλλα γεγένηται δίκαια ἀιτοῦντος Ἀδριανὸς ἐζήτησεν, πότε ὁ πατὴρ σε ἀποπεφωνωμένος εἴη; λέγοντος ἐκείνε, πρὸ ἐτῶν δέκα, ἐὰν ἀξιώμεθα πράγματα καλῶς ἢ καλῶς κεκριμένα μεταλλεῖν, οὐδὲν τετελεσμένον ἔσται. αὐτὸς οὕτω ὑστέρησε. Huic addam & aliam de patre cuius filij militiæ nomen dederant. Verebatur pater ne tironibus excideret in militia aliquid contra disciplinam militarem, quod se illis orbum faceret. quamobrem desiderabat se eis custodem & ministrum apponi. Adrianus donatum vite centurionem eum fecit & sub eo filios suos militare iussit. Verba hæc sunt. ἐν τοσούτῳ ὃ ἐνέτυχέν τις Ἀδριανῷ, λέγων, οἱ υἱοῖ μὲ χώρις πραπολογήθησαν. Ἀδριανὸς εἶπεν, ἐν ἀγαθῷ. ἀπεκρίθη, ἀλλὰ ἰδιῶται εἰσὶν καὶ φοβέμαι μήτι παρὰ τὸ καθῆκον ποιήσουσιν καὶ ἔρημόν με καταλείψουσιν, Ἀδριανὸς εἶπεν, μηδὲν ὠλιγώρει, ἐν εἰρήνῃ γὰρ στρατεύονται. ὁ πατὴρ εἶπεν, ἐπίτρεψόν μοι χώρις αὐτοκράτωρ κὰν ὑπηρέτην αὐτῶν ἕνα, ἵνα αὐτοὺς ἐπέχω. Ἀδριανὸς εἶπεν, μὴ ποιήσειαν οἱ θεοὶ ἵνα σε ὠφελον τοῖς τέκνοις σὺ ποιήσω, ἀλλὰ κλῆμα λαβὼν ἑκατονταρχὶς αὐτῶν ἔνευε. Vite cædebantur milites à centurione, quod quauis fuste honestius erat, vnde quæsitum apud Cor. Tacitum centurioni nomen, *Cedo alteram*, sæpius frangenti vitem & poscenti alteram. & vitem qui tenebat centurioni se castigare volenti militiam mutabat vt est proditum *in l. milites §. irreuerens, De re mil.*

Cap. XI.

De fugitiuis & fugitiuariis.

LEge Fabia de plagiariis seruus qui plagium admisit pro quo dominus pœnam pecuniariam intulit sestertiorum quingentorum milium quo sciente seruus plagium admisisset, à domino manumitti prohibetur intra annos X. *l. 12. De manumiss. l. in libello §. sed si in captiuo, De cap. & postl.* atque ita vterque punitur, dominus & seruus, dominus illata pœna legitima, seruus cohibita eius manumissione, si ignorante domino, seruus in metallum datur vt ex Paulo Licinius Rufinus refert tit. de plagiariis. Ad eundem fere modum seruus qui sui ipsius plagium fecit, seruus fugitiuus si fugitiuario eum dominus vendiderit, ex eadem lege, vt opinor, inuito priori domino à fugitiuario nouo domino manumitti intra decem annos non potest, vt Paulus scripsit *1. Sentent. tit. de fugitiuis*, qui tit. est 6. his verbis, *seruus à fugitiuario comparatus intra x. annos manumitti contra prioris domini voluntatem non potest.* Certum est seruum qui est in fuga à domino vendi posse ei cui mandat seruum fugitiuum deprehendendum, id est, fugitiuario, ita scilicet vt deprehensum sibi fugitiuarius habeat, emptionis iure *l. 2. §. pen. D. ad leg. Fab. de plag. l. 6. in fi. C. eod.* quia eo tempore quo eum emptum habet desiit esse in fuga. alioquin venditio non valeret si qua fieret serui fugitiui in fuga constituti ex S. C. facto ad legem Fabiam, quo tam venditori quam emptori inrogatur pœna legis Fabiæ quę fuit sestertiorum quingentorum milium populo vel fisco inferendorum. Sic enim in ea quod ex Vlpiani 8. *de off. procons. tit. ad leg. Fab.* Licinius Rufinus refert legendum est, *Si seruus sciente domino fecerit, dominus eius sestertiis D. milibus eodem capite punitur.* & infra, *iubeturque populo sestertium D. milia dare.* Si legeres L. pro D. leuior esset pœna plagij criminis publici quam ciuilis actionis de albo corrupto. Et confirmat id quoque Paulus eodem loco his verbis, *contra decretum amplissimi ordinis fugitiuum in fuga constitutum nec emere, nec vendere permissum est inrogata pœna in vtrumque sestertiorum D. milium.* Et secundum hæc superior sententia *seruum à fugitiuario*, &c. accipienda est de seruo fugitiuo quem fugitiuarius comparauit non à quolibet sed à domino ita vt emptum eum haberet postquam inuenisset & deprehendisset. Et fugitiuarius quidem quis sit satis superiora ostendunt, & ostendi iamdiu *Obs. v. c. 8.* Sub eodem titulo Paulus posuit duas sententias quæ extant in *l. pen. D. de fugit.* & has quæ sequuntur. *Fugitiui in fundis fiscalibus quæri & comprehendi possunt. fugitiui qui à domino non agnoscuntur per officium præf. vigilum distrahuntur. intra triennium venditionis agniti fugitiui emptor pretium à fisco recipere potest.* Ait, *in fundis fiscalibus.* Vlpian. *l. 3. eod. in fundis Cæsaris.* atque ita sæpe iuris auctores promiscue Cæsaris & fisci appellationibus vtuntur. Recte autem ait fugitiuos à domino non agnitos, distrahi per officiales præf. vigilum. nam & hoc ad officium præf. vigilum spectat, vt fugitiuos conquirat & dominis agnoscentibus reddat *l. 1. §. pen. eod. l. vlt. in fi. De off. præf. vig.* non agnitos autem vendat, in quibus singulare hoc est, vt si à die venditionis intra triennium à dominis agnoscantur, ab iisdem recte vindicentur & euictis seruis emptor aduersus fiscum regressum habeat pretij reciperandi gratia, post triennium vero dominos vindicantes emptor summoueat præscriptione triennij. nam aliis rebus non suis à fisco distractis, non triennij sed quinquennij præscriptio necessaria fuit ex edicto *D. Marci.*

Cap. XII.

Adl. Parentes, De his qui not. inf.

QVod ex Vlpiano in *l. parentes, D. de his qui not. inf.* Tribonianus haud dubie interpolauit & finxit arbitratu suo vel secutus rationem animi sui vel morem sui temporis. nec enim de lugendis parentibus aut liberis aut cognatis Vlpianus aliud quam Paulus scripserat, qui *lib. 1. Sent. tit. vlt. De sepulchris*

& lugendis, parentes scripsit & filios maiores sex annis anno esse lugendos, minores mense, cognatos proximioris gradus octo mensibus, maritum x. & eum qui non eluxisset, id est qui non impleuisset tempus luctus suspraescriptum, quod lege certa finitum fuisse credibile est infamium numero haberi. verba Pauli haec sunt. *Parentes & filij maiores sex annis anno lugeri possunt, minores mense, maritus decemmensibus, & cognati proximioris gradus octo. qui contra fecerit infamium numero habetur. Possunt* dixit pro *debent* vt *lib.* IV. *Nominatim serui testamento manumitti secundum legem Fusiam possunt.* Porro cum haec luctus definitio cum infamiæ pœna in parentibus & liberis cognatis vel Triboniano displiceret, vel ætate eius non obseruaretur in arbitrio & pietate cuiusque posuit modum luctus parentum aut liberorum, aut cognatorum, remissa infamiæ pœna, his qui tempus non expleuissent quod iure veteri finitum erat. Et quia ait, *Liberi vtriusque sexus*, videtur vt ætas & sexus quoque in liberis iure veteri differentiam aliquam constituisse, quia agnati vel cognati, videtur & inter agnatos cognatosque hac in re olim quædam differentia fuisse. In marito lugendo non idem arbitrium mulieri Tribonianus dedit quia tantum abest vt posteriores leges aut mores luctum eius minuerint, vt etiam id produxerint vltra menses x. nempe in annum integrum XII. mensium sub eadem infamiæ pœna, *l. 2. C. de sec. nup.* quod memini me latius exponere, *lib. De temporibus cap. XIII. & Obs. VI. cap. XXXII.* Ratio huius luctus est, nequis de prole dubitet, *l. Consensu §. si vero causam C. de repud.* puta si mulier intra luctus tempora alij nubat prolemque creet, ne eius prolis genus sit incertum, & dubius sanguis; hoc est quod ait *l. liberorum §. 1. De his qui not. inf. propter turbationem sanguinis*, & *l. 52. C. de epis. & cl.* διὰ τὸν τῆς γονῆς ἀδηλίαν. Luctus maritorum impedimento est nuptiis, non parentum aut liberorum aut cognatorum, *d. l. libertorum.*

CAP. XIII.

Aliæ quædam Sententiæ Pauli De sepulchris & lugendis.

SVperiores sententias dedi ex libro vetustissimo Sententiarum Pauli ad me Vesontione perlato, cuius videndi copiam feci studiosis quamplurimis, ex quo sequentibus capitibus & pleraque alias dabo, ac primum quidem reliquas de sepulchris & lugendis & sumptibus funerum quas inueni in extremo libri primi. Ibi primam ita verbo vno amplius rectè scriptam legi, *ob incursum fluminis vel metum ruinæ*, &c. in qua mox, *solemnibus redditis sacrificiis. I.* piaculo facto, vt in antiqua inscriptione, *Reliquiæ traiectæ ex permissu collegij pontificum piaculo facto.* huic subiicitur secunda, *corpus in ciuitatem* &c. & secundæ hæc nondum edita. *Intra muros ciuitatis corpus sepulturæ dari non potest, vel vstrina fieri.* Lex est XII. tab. *in vrbe ne sepelito, neve vrito*: quæ constitutionibus porrecta est ad ciuitates omnes, D. Adriani primum, *l. 3. §. Diuus, De sep. viol.* id est, D. Pij vt Capitolinus scribit, deinde ceterorum. Hanc sequuntur multæ aliæ de piaculo contracto ob violatam sepulchrorum religionem & de pœna extraordinaria eorum qui id admiserunt. Piaculum contrahit qui violat religionem sepulchrorum, *l. pen. C. de sep. viol. l. 2. C. Th. eod.* quod si dolo malo fecerit, sacrificio expiari non potest, sed pœnæ capitali subiicitur. Variis autem modis sepulchrorum religio violatur. *Si quis cadauer nudauerit, & solis radiis exposuerit*, qua de re in hunc modum Paulus scribit. *Qui corpus perpetuæ sepulturæ traditum vel ad tempus alicui loco commendatum nudauerit, & solis radiis ostenderit, piaculum committit, atque ideo si honestior sit in insulam, si humilior in metallum dari solet.* Ait commendatum, id est, depositum eo animo vt in alium locum transferatur, vt *l. 14. §. funeris, l. 40. De rel. & sump.* & in *l. 3 §. non perpetuæ, De sep. viol.* non perpetuæ sepulturæ tradita corpora 1. commendata. vide *Obs. 2. c. 17. & 11. c. 11.* Ait *solis radius*, Forte respiciens ad illud Phocylidis: Μὴ τύμβου φθὶ ἄνων ἀποούξης μηδ' ἀδέατα δείξης ἠελίῳ. Violatur item sepulchrorum religio, *Si quis de sepulchris aliquid abstulerit, & in quemlibet vsum conuerterit*, veluti columnas, saxa, marmora, vel alia m fabricandi materiam, *l. 4. C. de sep. viol.* & in eum quæ sit extra ordinem pœna constituta post ibidem Paulus ita declarat, *qui sepulchrum violauerint, aut de sepulchro aliquid sustulerint, pro personarum qualitate, aut in metallum dantur, aut in insulam deportantur.* Item *Si quis sepulchrum alienum ve mortuum intulerit.* nam & hic sepulchri violati pœna tenetur. *Qui*, inquit, *sepulchrum alienum effregerit, vel aperuerit eoque mortuum suum alienumve intulerit sepulchrum violasse videtur.* Et pœna pecuniaria tenetur actione in factum quæ non est famosa, *l. 2. §. prætor. De rel. & sump. fun. l. 9. De sep. viol.* vel actione sepulchri violati famosa, *l. 1. eod.* Sequitur. *vendito fundo religiosa loca ad emptorem non transeunt nec in his ius inferre mortuum habet.* Emptorem fundi religiosa loca non sequuntur si modo in ea iter publicum transeat, vt plerumque ea fuisse secundum viam publicam scribit Varro, quo prætereuntes admonerent & se fuisse & illos esse mortales, *l. si mercedem §. 1. De act. emp.* & ideo iuxta superiorem sententiam emptor qui in ea suum vel alienum mortuum intulit, sepulchri violati reum esse cum qui sepulchri titulum erasit, vel statuam euertit. *Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam euerterit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem columnamve sustulerit, sepulchrum violasse videtur.* Titulos vocat inscriptiones sepulchrorum monumentorum vt Liuius *XXVI. Adhiberent humatis titulum, Hic siti Acarnanes.* & Tibullus IV. *At tua non titulus capiet sub nomine facta.* & passim in antiquis monumētis T.F.I. Statua affixa vel apposita pars sepulchri est, *l. 2. De sepul. viol.* ideoque sepulchi violati tenetur qui eam euertit. Sequitur. *In eo sarcophago vel solo vbi corpus iam depositum est aliud corpus inferri non potest, & qui intulerit reus sepulchri violati postulari potest.* In amplo sepulchro familiari vel hereditario plures sepelirī posse certissimi iuris est. At non in solo vbi iam corpus impositum est, non in sarcophago qui plerumque fiebat ex Asio lapide, quod eius lapidis vi cito corpus ad ossa redigeretur, Dioscorides, Galenus, Celsus, Plinius, Seneca, scribunt, vnde & is lapidis sarcophagi appellationem obtinuit: & ita sarcophagum accipere oportet in *l. 37. De relig. & sumpt. fun.* Pro, *solo*, videtur legendum, *loco.* Hanc vero sententiam sequebatur illa quæ incipit, *Qui alienum* &c. deinde hæc. *Maritus id quod in funus vxoris impendit, ex dote retitinere potest.* quæ sententia de marito accipienda est qui dotem socero restituere debet, vel alij qui eam dedit & sibi recepit in casum mortis mulieris, vtquod impendit in funus eo minus restituat, *l. 17. De relig. & sumpt. fun.* Sequitur alia. *Neque iuxta monumentum, neque supra monumentum habitandi ius est. Ad tactu enim conuersationis humanæ piaculum admittitur, & qui contra ea fecerit, pro qualitate personæ vel operæ publico vel exilio multatur.* Piaculum etiam committit qui habitat iuxta aut supra sepulchrum, *ad tactu enim*, inquit, *conuersationis humanæ*, &c. vt *l. 12. §. S. C. De rel. & sump. fun.* & ex-

traordinem ex hac causa humilior damnatur in opus publicum perpetuum, honestior relegatur, præter ciuilem & popularem actionem quæ aduersus eum eo nomine edicto prætoris introducta est, *l. 3. De sep. viol.* Hanc sequebatur illa quam exposuimus capite proximo superiore. post illa quæ in excusis incipit, *Qui luget*, auctior verbo purpura, ita scilicet, *qui luget abstinere debet à conuiuiis, ornamentis, purpura & alba veste.* Liuius xxxiv. *In luctu purpuram atque aurum deponunt.* Item Alicarn. *viii.* Deponunt quoque vestem albam & sumunt qui color luctui conuenions est, σωματῶδες γὰρ τὸ μέλαν, vt ait auctor περὶ ἱερῆς τοῦ ζου. *quicquid in funus* &c. Hæc est eius tituli vltima sententia.

Cap. XIV.

Traiecta esse verba quædam in l. 1. §. pen. De stip. ser.

SI seruus fructuarius ex re fructuarij stipuletur proprietario aut fructuario dari, inutilis stipulatio est. quia vtrique ex re fructuarij actionem adquirere potest, fructuario certe omnimodo, proprietario item nominatim stipulando, *l. seruum fructuarium De stip. ser.* & non apparet tamen vtri eorum potius adquisierit. Denique τὸ ἰσόζον vtriusque domini καὶ τὸ ἄδηλον rei ipsius corrumpit stipulationem, *l. 10. 11. 12. 13. eod. tit.* At si seruus fructuarius ex re proprietarij, vel aliunde quam ex re fructuarij stipulatus sit proprietario aut fructuario dari, vtilis stipulatio est, quia euidenter apparet obligationem quæ non potest consistere in persona fructuarij ex re non sua, proprietario adquiri, & adiectum igitur fructuarium esse solutionis duntaxat causa, ac proinde reum fructuario soluendo liberari. & hoc ira rectè proposuit Paulus in *l. qui res §. si seruus, De solut.* & Gaius *in l. si ex re in pr. De stip. ser.* ex Iuliano, hoc est, ex *l. 1. §. pen. eod. tit.* vbi tamen proponitur seruus fructuarius stipulatus fructuario aut proprietario. quæ stipulatio etsi valere possit cum ex re fructuarij facta est, nullo tamen modo valere potest si facta sit ex re proprietarij quia obligatio consistere non potest in persona fructuarij. nec solutio igitur, id est non potest haberi pro adiecto qui inutiliter obligationi applicitus est, *l. 126. §. Chrysogonus, l. 128. De ver. obl. l. 11. 12. 13. De stip. ser.* nec is item qui priore sed qui posteriore loco nominatur. Proprietario quoque ex ea stipulatione actio adquiri non potest, quia posteriore loco nominatus est. non potest etiam ei quasi adiecto solui, quia cum inutilis est obligatio in personam eius in quē collata est, inutilis est etiam adiectio in personam adiecti, *l. vlt. §. vlt. De ver. obl.* Et tamen in *d. §. pen.* ex re proprietarij vel aliunde quam ex re fructuarij, seruo fructuario stipulante fructuario aut proprietario, proprietarius pro creditore habetur, fructuarius pro adiecto solutionis causa. quod est præposterum, nempe vt posteriore loco nominatus sit creditor, priore autē adiectus. Creditor enim semper debet esse prior, adiectus posterior. inde & si mihi aut Titio stipuler, vtilis stipulatio est, si Titio aut mihi inutilis, *l. Gaius, Sol. mat.* Itaque vt vel extrema sententia *d. §. pen.* perspicue demonstrat, in eo §. *pen.* traiecta sunt verba quæ initio ponunt seruum fructuarium stipulatum fructuario aut proprietario. Restituantur igitur hoc modo vel ex *d. l. si ex re & ead. l. qui res §. si seruus, Proprietario aut Fructuario.* Nihil est euidentius.

Cap. XV.

Re empta mancipatione venditorem non obligari euictionis nomine.

QVod ex Varrone ad Africanum docui, nec teneri venditorem emptori ob euictionem duplæ nomine, nec eo nomine, emptori cauere si rem venditam ei mancipauerit, pugnat omnino cum eo quod *lib. 11. Sent.* Pauli vulgo ita scriptum est sub titulo ex empto & vendito, *res empta mancipatione & traditione perfecta si euincatur, auctoritatis venditor duplotenus obligatur.* Et forte in ea sententia Pauli legendum potius est, *nullatenus* quam *duplotenus.* Imo ita plane scriptum est in illo locupletissimo libro sententiarū Pauli, quo vsus sum paulo supra, *nullatenus obligatur.* & verum est, quia præstare hoc tantum & cauere debet qui mancipio dat, *Se dominum esse*, sine fideiussoribus, vt *l. 4. De euict.* vbi malim *mancipio*, quam, *mancipium*, quæ cautio dicitur vel satisdatio, *Secundum mancipium*: qua de causa & qui sciens improbe alienum hominem vendit, testatur se neque mancipio promittere, neque dare, *in Persa. & qui emit nolle se à lenone mancipio accipere cui suum nihil est nisi vna lingua, in Curculione.* Non debet autem omnem euictionis causam præstare, quia rem mancipauit publice & solemniter (est enim mancipatio actus legitimus, *l. actus, De reg. iu.*) qua re ita gesta & domino emptore facto nemine prohibente id agi videbatur olim cum erant in vsu mancipationes per æs & libram, vt quod ad alias causas euictionum attinet, quarum mentio facta non est periculum esset emptoris non venditoris. In eodem libro *sub titulo eodem*, hæc sententia, *Ex die emptionis si pars pretij numerata sit &c.* ita perscripta erat, *Ex die emptionis si pretium numeratum sit, &c.* & rectius vt videtur, quia æquum est vt ne aliter omnes fructus ad emptorem pertineant, quam si & ipse omne pretium venditori persoluerit, sicut re euicta post solutam partem pretij, vt ne emptor totius pretij repetitionem habeat, *l. Iulianus §. offerri De act. emp.*

Cap. XVI.

De S. C. Claudiano complures sententiæ Pauli.

NOn est dubium quin multa scripserint iuris auctores De S. C. Claudiano quod Iustinianus dum vult fauere libertatibus, nec animaduertit se ingenuis mulieribus quæ pleræque omnes etiam hodie seruulis se aut his quos seruulorum loco habemus substernunt dantve in contubernium libentius quam eiusdem condicionis hominibus, eo S. C. sublato laxari viam ad impares maxime & impudicas coniunctiones. Et multa eos scripsisse, multa circa eius S. C. interpretationem vocasse in disquisitionem, vel solæ sententię Pauli idoneæ sunt ad comprobandum, quas in optimo illo libro quem Vesontio dedit ciuitas nobilissima mihique amicissima, inueni sequenti ordine digestas, *lib. xi. tit. xxi. De mulieribus quæ se seruis alienis iunxerint vel ad S. C. Claudianum.* Prima hæc est. *si mulier ingenua ciuisque Romana vel Latina alieno se seruo coniunxerit, si quidem inuito & denuntiante domino in eodem contubernio perseuerauerit, efficitur ancilla.* Non de ea quæ se iunxisset seruo proprio fuit S. C. Claudianum, sed de ea quæ se iunxisset alieno, cuius facti pœna mitior est, illius nempè capitalis ex vtraque parte, huius amissio libertatis & ciuitatis

ex parte mulieris. Fit enim ancilla eius in cuius potestate est seruus, cui se coniunxit eo inuito & denuntiante, & cum capite in eum transfert omnia sua bona. & hoc quoque Vlpianus *lib. Regul.* adfert pro exemplo maximę capitis minutionis. Et serua hoc S. C. teneri Ciues Romanas & Latinas, non etiam eas quæ sunt Dedititiorum numero, non multum ancillis absimiles. & non stuprum eo vel adulterium vindicari, quæ sunt crimina legis Iuliæ, sed contubernium illicitum. Item serua quod ait, quodque iterat infra, *Inuito domino.* nam si volente domino, eius efficiebatur liberta non ancilla vt locus Cor. Taciti *XII. Ann.* perspicue demonstrat, quem feliciter restituit & interpretatus est Iustus Lipsius reiiterariæ perfectissimum columen, quem ego vt admiror, & diligo quoque plurimum. *Et liberta,* vt opinor, Latina arg. *l. 8. C. Th. de S. C. Claud.* eaque distinctione adhibita explicandum esse dico quod Paulus scripsit *IV. tit. de S. C. Orf.* mulierem ex S. C. Claudiano ancillam vel libertam effici. filij autem ex eo contubernio susceptí matri nondum ablata libertate decreto iudicis, quod inferius exigitur, etiam cum matre serui fiunt domini, quo inuito ipsa se eius seruo coniunxit, *l. 6. & 11. C. Th. ad S. C. Claud.* vno casu liberti Latini ex *l. 8. eod.* si mater libera permanserit, vt puta, si non seruo priuati hominis, sed seruo fisci se coniunxerit. Ait, *inuito domino.* Tacitus *ignaro*, ϖῆς διαγνόντι ignari nec denuntiantis qui consentire videtur. Ignarus dissentire. Proinde inuitus est qui nescit, non qui denuntiat, & trina denuntiatio à sciente tantum exigitur. Sequitur: *si seruo pupilli ingenua mulier se coniungat, denuntiatione tutoris efficitur ancilla.* Tutoris denuntiatio sufficit, quia vicem pupilli obtinet vt pupilli ancilla fiat libera mulier quæ se seruo eius coniunxit. nam & ita in distrahendis pignoribus tutoris denuntiatio sufficit, *l. debitoribus, C. de adm. tut.* & in litibus inferendis, *l. 2. C. Si ex plur. tut. vel cur.* & in inhibendo, vt opinor, vicini opere nouo. Subiiciam & alias omnes suo ordine. *Mulier est si tamen ei quæ se seruo iunxerit denuntiando adquirit ancillam.* Videtur quod deest ita debere repleri. *Mulier etsi deferre non possit, tamen &c. Procurator & filiusf. & seruus iussu patris aut domini denuntiando faciunt ancillam.* Faciunt scilicet ancillam patris vel domini, quod in filiof. & seruo certissimum est, in procuratore dubitari poterat, propterea quod per liberam personam nobis adquiri non solet, sed vt domino competit interdictum Quod vi aut clam, si procurator opus nouum facientem prohibuerit, *l. si procurator, De no. op. nunt. l. 3. in pr. Quod vi aut clam, l. 72. De procur.* ita in seruitutem recte petit ingenuam mulierem, quæ non paruit procuratoris sui denuntiationibus. *Si peculiari seruo filif. libera se mulier coniunxerit nulla discretione paterna voluntatis iure solemni deturso adquiret ancillam.* In peruetusto illo libro erat scriptum, *nulla discussione*, pro quo reposui, *nulla discretione.* quia & hoc modo locutus est *lib. IV. tit. VIII. nulla discretione sexus.* Sensus autem hic est, peractis à filio denuntiationibus, siue eas fecerit sciente, siue ignorante patre, eum sibi adquirere ancillam peculiarem: nam & ignorantis patris meliorem facere condicionem potest. *Libera sciente patrono alieni serui secuta contubernium, eius qui denuntiauit efficitur ancilla.* Sciente scilicet & permittente. qua in re patronæ necessaria est tutoris auctoritas, vt Vlp. scribit *lib. Reg. tit. de tutelis. liberta si ignorante patrono seruo se alieno coniunxerit, ancilla patroni efficitur ea condicione ne aliquando ab eo ad ciuitatem romanam perducatur.* Non fit ancilla eius qui denuntiauit vt se abstineret, ne fiat iniuria patrono, erepto iure patronatus. Et nota casum quo seruus à domino ad iustam libertatem perduci non potest, addas his, de quibus, *l. 9. De man. & l. 17. §. pen. De ad. edic. filif. seruo quem ex castrensi peculio habet si se ingenua mulier coniunxerit, eius denuntiatione efficitur ancilla,* quia scilicet filiusf. in castrensi peculio vicem obtinet patrisf. *l. 2. Ad Maced.* nec igitur hoc casu denuntiatio patris exigitur, quæ exigeretur tamen si seruus esset in profectitio vel aduentitio peculio filiif. Sequitur. *Filiaf. si inuito vel ignorante patre seruo alieno se iunxerit, etiam post denuntiationem statum suum retinet, Quia facto filiorum peior conditio parentum fieri non potest.* Cum dabatur olim in patrem actio noxalis filiif. nomine, vt subindicat *l. 5. §. pen. de obl. & act.* & idem Paulus *hoc ipso libro tit. de fur.* indicant & alij plerique loci, fateor in eo per filium deteriorem condicionem patris fieri potuisse, vt domini per seruum, *l. 1. §. quod igitur, De vi & vi ar.* videlicet ex maleficio filiif. quod rem siue patrimonium alterius imminuisset, non ex hac causa: & ideo suum statum retinet quamdiu pater viuit. mortuo patre, si in eodem contubernio perseuerauerit, ancilla efficitur, vt vltima sententia huius tituli docet. Non potest etiam in aliis plerisque causis per filios deterior fieri condicio ignorantium, *l. 3. §. si filius, Quod quisque iur. l. 5. §. si filius, De his quib. vt ind. l. 7. §. vlt. De pac. dot. l. filiusf. De solut.* Per patres filiorum potest, vt subiicit, & per dominos æque seruorum. *filiaf. si iubente patre inuito domino serui alieni contubernium secuta sit, ancilla efficitur, quia parentes deteriorem filiorum condicionem facere possunt.* Hæc est species *l. Lucius, Depos.* Suam quisque & filiorum suorum deteriorem condicionem facere potest, *l. 46. De pac.* & vtique filiorum dum facit deteriorem, & suam quoque. Idem *sup. tit. 18. Qui statum,* inquit, *suum in potestate habet & peiorare eum & meliorem facere potest. Liberta serui patroni contubernium secuta etiam post denuntiationem in eo statu manebit, quia domum patroni videtur deserere noluisse.* Hic est tertius casus quo cessat S. C. Claudianum. & ratio eius, quia non videtur alieni serui contubernium secuta. *Errore qua se putauit ancillam, atque ideo alieni serui contubernium secuta est, postea liberam se sciens, in contubernio eodem perseuerauerit, efficitur ancilla.* Quæ errore comperto statim abstinet à tali contubernio, ancilla non efficitur, vt *l. 38 §. idem Pollioni, & §. seq. Ad leg. Iul. de adult l. 4. C. de inc. nup.* Quæ non abstinet, erasse non videtur, vt paulo post ait, *Nescisse autem &c.* hic vero est quartus casus. Sequitur quintus. *si patrona seruo liberti sui se coniunxerit, etiam denuntiatione conuentam ancillam fieri non placuit.* In causa est reuerentia debita verecundiæ patronali exemplo matris quæ se iunxit seruo filij, de qua similis sententia paulo inferius proponitur. Reuerentiam debitam parentibus & patronis S. C. Claudianum non tollit. *Mulier ingenua quæ se sciens seruo municipum iunxerit, etiam citra denuntiationem ancilla efficitur. non idem si nesciat. nescisse autem videtur quæ comperta condicione contubernio se abstinuit, aut libertum putauit.* Hoc casu denuntiatio remittitur, quia eius serui certus dominus non est. Imo ex Iuliani constitutione & hoc casu cessat S. C. Claudianum, *l. 9. C. Th. ad S. C. Claudianum,* quod tamen ante cessabat tantum, si seruo fisci se iunxisset, vel Cæsaris, non si seruo ciuitatis, *l 8. C. Th. eod. libera mulier contubernium eius secuta qui plures dominos habuit, eius fit ancilla qui prior denuntiauit nisi forte ab omnibus factum sit.* Si simul denuntiauerint, communis ancilla est, sin minus, propria eius qui prior denuntiauit. *si mater seruo filij se iunxerit, non tollit S. C. Claudianum, erubescendam matris etiam in re turpi reuerentiam exemplo eius quæ se seruo liberti sui coniunxerit.* Mater quę se coniunxit seruo filij, denuntiante filio, eius non efficitur ancilla

quis etiam in re turpi matri profunda reuerentia est. A
Idemque de patrona dictum est supra. *Tribus denuntiat ordine conuenta est ex 5. C. falsa iudicatur ancilla, dominus tamen adiudicata extra auctoritatem interpositi per præsidem decreti videtur. ipse enim debet auferre qui iure potest libertatem.* Libera mulier adiudicatione ancillæ fit, eius tamen est seruus cui se inuito & denuntiante eo commiscuit. Adiudicatur autem non ipso iure sed decreto pretoris vel præsidis, quod & Theoph. ostendit in Institutionibus, qui tres denuntiationes etiam solitas fieri docet præsentibus septem testibus ciuibus Romanis, idque confirmat *l. 7. C. Th. ad l. C. Claud. final. mortuus patre filius seruus contubernio patroni auctor. prætorem l. C. Claudian: conuenta efficitur ancilla.* Vnus patris statum suum retinet, vt dictum supra. Et nihil præterea sub eo titulo erat scriptum. B

CAP. XVII.

Certa definitio pœnæ adulterij ex lege Iulia.

IAmdiu scripsi & *lib. VI. & lib. XX.* ex lege Iulia adulterij pœnam esse relegationem, sed nondum perfecpi totum, nam fuit quidem & in adultera, & in adultero relegatio in insulam, sed quod ante hac non fuit mihi compertum, in adultera hoc amplius fuit, publicatio tertiæ partis bonorum, & dotis non totius, sed dimidiæ tantum partis. Tota dos non publicatur damnatæ mulieris, nisi damnata sit quoque legibus propositis *l. 3. De bo. dam.* inter quas non est lex Iulia de adulteriis. Indemnata autem mulieri, sed deprensa & repudiata, non vt hodie tota dos cedit lucro mariti, *l. consensu C. de repud. l. vlt. C. ad leg. Iul. de adult.* & Leonis *Nou. XXXII.* cedebat & fortè iam olim, non, inquam, ita media ætate, sed pro parte tantum retentio marito competebat, puta sextarum, vt Vlp. *in Regulis* scribit, eoque pertinet *l. cum mulier, §. mar. l. Mœv. §. socer, Ad leg. Iul. de adult.* & quod ait *l. Lucius, §. mar.* propter culpam mulieris dotem retinem, cum aperte loquatur de retentione quæ fit ex dote propter mores, vel propter liberos, culpa mulieris diuortio facto, & cum interat culpam mulieris esse mutandam, non retentionem totius dotis intelligit, sed partium legi finitarum. eodemque modo accipi velim *l. 24 C. de in. dot.* nempe dotem penes maritum remanere prout æquius melius est. Adulter autem præter relegationem in insulam etiam dimidia parte bonorum suorum multabatur. & hæc ita plane & diserte scripta legi in illo optimo libro Sententiarum Pauli *lib. II. tit. XXXVII. De adulteris*, vt iam non sit amplius nobis quærenda pœna legis Iuliæ. Pauli verba hæc sunt. *Adulteri conuicti mulieres dimidia parte dotis & tertia parte bonorum ac relegatione in insulam placuit coerceri. adulteris vero viris pari in insulam relegatione dimidiam bonorum partem auferri, commodo in diuersas insulas relegentur.* Hæc vero postrema verba, *commodo in diuersas &c.* tollunt dubitationem quæ circa relegationis pœnam præsumi possit ex verbis legis Iuliæ, quæ sunt in *l. mariti §. quod ait, Ad leg. Iul. de adult.* Ea lege teneri id est, relegari in aliam insulam tanquam adulterum integro tamen manente matrimonio, quod nec deportato dissolui, quæ nubo tamen si impedimento nunquam est. C D E

CAP. XVIII.

Pleraque alia Sententiæ Pauli de adulteriis.

SVb eodem titulo de adulteriis datur hæc sententia. *Capite secundæ legis Iuliæ de adulteriis permittitur patri iam adoptiuo quam naturali adulterum cum filia cuiuscumque dignitatis domi suæ vel generi deprehensum occidere.* Extat hæc sententia apud Licinium Rufinum, sed mutila prioribus verbis, *Capite secundo legis Iuliæ de adulteriis* quæ tamen apud eundem ex eiusdem Pauli libro singulari de adulteriis integra manserunt. Quod item ait, *adulterum cuiuscunque dignitatis*, id eodem libro Paulus confirmat ex Marcelli *XXXI. Dig.* his verbis, vt emendaui. *Auctoritate quoque legis patrem posse interficere consularem virum vel patrem suum si in filia adulterum deprehenderit, eodem libro Marcellus probat.* Recte, consularem; nam consulem non potest, arg. *l 3. §. vlt. De recep. qui arb. rec. l 11. De cæl.* quia nec eum interim dum magistratu fungitur accusare potest, *l. 24. §. 1. Ad leg. Iul. de adult.* Exinde sequitur illa, *filiumfamilias pater &c.* quæ etiam extat apud Licinium Rufinū. & in eo quod ait, *permittitur tamen ei debet vt occidat.* (sic habet Cod. Vesontinus) temperat quod est scriptum *l. 20. D. eod. Cursusque capite quinto legis Iuliæ cauetur vt adulterum deprehensum XX. horis adstrando vicinos retinere liceat*, quod latius explicatur *l. 25. D. eod.* Quæ sequitur, *maritus in adulterio deprehensos &c.* etiam extat apud Licinium Rufinum, & ex ea patet in *l. 24. eod.* excipiendam esse vxorem, quam marito occidere lex Iulia non concedit, vt & Papinianus scribit *lib. sing. De adulteriis. Si tamen eam occiderit*, apud eundem lenius punitur, vt *l. §. §. Impp. D. eod.* Lenius ait, vt *l. cap. §. incendiaria. De pœn. l. pen. Per. amor.* & vt in *l. vlt. De abigeis*, memini me alias emendare, & Nonii quoque in *l. 3. c. vlt. Ad leg. Cor. de fic.* habent, leniorem pœnam, forte & libro singulari eiusdem scribendum, *Leniore pœna.* Cæterum quod in superiori sententia apud Rufinum additur, *Et liberos*, non est in Vesontino, nec nisi ad liberos homines infamia notatos pertinere potest. In sequenti, *occiso adultero &c.* Singulare illud est, vt occiso adultero & statim vti oporteat vxore dimissa. sed maritus impune sibi esse velit, in triduo proxime edat & profiteatur apud eum, cuius notio est, quē occiderit & quo loco. *Idem libro singulari, Debet autem, inquit, profiteri apud eum cuius iurisdictio est, eum locum ubi occidat, & vxorem dimittere. quod si non fecerit, impune non interficit.* Sequitur alia, *inuentam adulteris vxore, &c.* quæ vulgo erat depravata, integra est apud Licinium Rufinum: *si repetitia in eo mariti appellatione circumscribatur, Patri vtrumque occidere permittitur deprehensum domi suæ vel generi. Marito adulterum tantum, & deprehensum domi suæ tantum non socero, l. 24. D. eod.* Quæ sequitur, *Eum qui deprehensam &c.* in omnibus libris integra est. Verum hanc in Vesontino libro sequuntur aliæ complures, & hæc imprimis, *duos uno tempore vxoris adulteros accusari posse secundum est, plures vero non posse.* Valde singularis hæc sententia est, vt ecce qui vno tempore duos reos delatos habet ex aliis criminibus tertium iure mariti suæ iniuriæ persequendæ causa deferre, & accusare possit, *l. 6. §. vlt. D. eod.* non possit tamen plures quam duos nec suæ iniuriæ persequendæ causa accusare iure mariti, iuxta id quod dicitur non posse eos qui eodem tempore duo iudicia aduersus duos reos subscripta habent, *l. 8. De accus. l. 16. C. qui accus. non pos.* Vide *Oss. 6. c. 12 cum his quæ publicis mercibus vel tabernis exercendis procurant adulterium fieri non placuit.* Tabernis cauponis scilicet. Hoc est eum

est ius vetus cui adhibita distinctione derogatur, *l. qua adulterium, C. eod.* & cum illo iure congruit lex Athenienſium, qua Demosthenes κατὰ νεανίσκου refert adulterium non fieri, ἐπὶ ταύταις ὁπόσοι ἂν ἐπ' ἐργασθείσῃ κάπηλῳ ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλοῦσι τι ἀποφασμῶσι. *Qui masculum liberum inuitum stupranerit capite punitur.* Hæc sententia plenior extat apud Licinium Rufinum *tit. De stuprat.* Sequebantur duæ quæ sunt expositæ superiori capite: Tum hæc. *Incesti pœnam quæ in viro in insulam deportatio est, mulieri placuit remitti, hactenus tamen quatenus lege Iulia de adulteriis non apprehenditur.* De incesto loquitur quod iure ciuili committitur: nam quod iure gentium cuius iuris ignara femina esse non potest, id æque punitur in mare & in femina, *l. 38. in pr. & §. 2. illo loco, Quare mulier, D. eod.* nempe deportatione in insulam. Quod vero iure ciuili, in mare tantum punitur, non in femina, nisi adulterio iunctum sit. quia adulterium damnatur iure gentium, cuius iuris ignorantia, vt dixi, in muliere nullam excusationem habet, & propter adulterium etiam simul punitur incestum, *d. §. 1. Exinde, ancillarum sane stuprum nisi deteriores fiant, aut per eas ad dominam affectet, citra noxam habetur.* Stuprum ancillarum lege Iulia non punitur, sed si deteriores factæ sint, vel si ab eis incipiat rem qui dominam captat, extra ordinem punitur præside accommodante cognitionem suam, *l. 6. D. eod. l. vlt. De off. præs.* Huic addi potest sententia quæ extat apud Licinium Rufinum, de seruis mariti & vxoris in causa adulterij quæstioni subiiciendis. & ne quæstioni subducantur intra *lx.* dies ad libertatem minime perducendis, vt *l. prospexit. Qui & à quib. man. l. 3. & vlt. C. ad leg. Iul. de adult.* Addenda quoque postrema. *In causa adulterij dilatio postulata impetrari non potest*, de qua satis in prioribus ad hunc titulum adnotationibus.

Cap. XIX.

Eodem Pauli libro sub titulo De furtis, additæ sententiæ plures.

ETiam eiusdem Pauli titulum de furtis eiusdem exemplaris auxilio fultus, auctiorem reddam hisce sententiis. Vna quæ sequitur illam quę incipit ab his verbis, *Non tantum qui furtum fecerit, &c.* concepta his verbis: *rei hereditariæ antequam abhere-de possideatur furtum fieri non potest.* Ratio est, quia possessionis tantum furtum fit, & res hereditaria à nemine possidetur, *l. 1. §. Scæuola, Si quis test. lib. esse iuss.* Et aliis duabus quæ sequuntur illam quæ incipit ab his verbis, *Quæcumque in caupona &c. Si res vendita ante traditionem subrepta sit, emptor, & venditor furti agere possunt. vtriusque enim interest rem tradi vel tradere.* Optima ratio quia vtriusque interest, *l. 82. §. 1. D. eod.* At obloquitur *l. eum qui, & l. Si vendidero in pr. D. eod.* nisi dicas soli venditori furti actionem duplici iure competere, quia dominus est, & quia eius interest rem tradere emptori, in hoc enim obligatus est, vt rem tradat emptori, vel si sine culpa eius res subrepta sit, ei cedat directam furti actionem. verum & sine cessione tentari potest emptori suo nomine competere vtilem furti actionem, quia eius interest rem tradi, vt in aliis causis plerumque vbi ex cessione est directa, sine cessione competit vtilis. *Si quid in naue rateue perierit, furti actio in exercitorem nauis datur.* Dixi supra de eo quod periit in caupona vel stabulo: nunc de eo quod in naui, de quibus omnibus actio furti, quæ datur in exercitorem, proponitur in *tit. D. furti adu. nau. caup.* Naui adiungit ratem. Licet & lintrem adiungere, vt *l. 1. §. de exercitoribus, Nau. caup. stab* Post hanc dantur tres, *Rem pignori, Pater vel dominus, Si rem quam tibi:* quæ iam sunt editæ. Post illas, hæc, *qui furtum quæsturus est, antequam quærat debet dicere quid quærat, & rem suo nomine & sua specie designare*: Solemnis quæstio rei furtiuæ quam suspicio erat in alienis ædibus concipi posse permittitur si modo is qui quærit prius declaret quid quærat, & rem designet suo nomine & sua specie, vt fit in actione in rem, *l. 6. De rei vind.* nam & eam quærit qui vindicaturus est idemque fit in actione furti, *l. 19. D. eod.* Hanc sequuntur iam editæ tres, quarum initia hęc sunt, *Si cum furtum, Ob indicium, Siue segetes:* post quas cæ dantur. *Si seruum communem quis furatus sit, socio quoque actio furti dabitur.* Rei nostræ propriæ furtum non facimus, maxime si ex eo alter non lædatur. Rei cõmunis furtum facimus quia fieri hoc nõ potest sine damno socij *l. 45. D. eod. qui pro derelicto rem iacentẽ occupauit, furtu non cõmittit, tamen si à domino derelinquendi animo relictam.* quia eius rei nullus est dominus vel possessor, *l. 43. §. qui alienum, D. eod. Si seruus furtum fecerit cum domino, præter rei conditionem furti actio in dominum datur.* Et in solidum ex sua persona, noxalis autem ex persona serui. plane vna pœna actor contentus esse debet, *l. 4. §. cum dominus, De nox. act.* Post adduntur quatuor, quæ sunt in *l. 82. D. eod.* & sequentes, quæ inter illas & vltimam de seruo fugitiuo inseruntur, *Qui seruo fugæ consilium dedit, furti quidem actione non tenetur, sed serui corrupti.* Qui seruo alieno fugam suasit, tenetur serui corrupti vt *lib. 1. tit. 14.* non furti, quia seruum non adtrectauit, *l. 36. D. eod. res subrepta si in domini potestatem reuersa sit, cessat furti actio.* Falsa hæc sententia est, nisi furti actionem vt fit sæpe, accipias pro conditione furtiua, *l. 10. De cond. fur. qui furandi animo conclaue effregit vel aperuit, sed nihil abstulit, furti actione conueniri non potest, iniuriarum potest.* Idem Vlpianus *l. 21. §. qui furti, D. eod. qui rem suam furatur ita demum furti actione non tenetur, si alteri ex hoc non noceatur.* Si alterius non interest retinere possessionem, vt puta, creditoris pigneratitij, vt ante dixit, vel etiam donatarij in specie *legis 53. §. vlt. D. eod.*

Cap. XX.

An libero homine occiso aut vulnerato lex Aquilia locum habeat.

LEge Cornelia tenetur qui hominem occidit, siue liberum, siue seruum, *l. 1. §. 1. Ad leg. Cor. de sic.* Lege Aquilia tenetur qui seruum occidit, non etiam qui liberum, quia liberi hominis nulla æstimatio est. Qui autem liberum hominem vulnerauerit, etiam libero homini non tenetur directa actione legis Aquiliæ, quia sui ipsius nemo dominus esse intelligitur, & hæc actio soli domino competit, sed in factum ad exemplum legis Aquiliæ, in qua non corporis, sed damni æstimatio fiet, *l. liber homo, ad leg. Aquil.* Sed & si quis filiumf. vulnerauerit potest dici patri eum non directa legis Aquiliæ actione teneri, quia nec filiof. subrepto condictio ei competit, *l. 38. De furt.* nec actio furti, vt opinor, quasi iure dominii, si nihil eius amplius interfit, licet ex iure Quiritium filium vindicare possit, *l. 1. §. pen. D. de rei vind.* sed si eius interfit, puta ob lucra adquisitionum, *l. eum qui §. si filiusf. D. de furt.* Non directa, inquam, sed vtili actione legis Aquiliæ, *l. cum duobus §. socium Pro. soc.* in qua veniet æstimatio damni non corporis, *l. 7. in pr. ad leg. Aquil.* sicut & in vtili actione filij

corrupti, *l. 14. §. 1. De ser. cor.* & serua eandem, *l. 7. §. Si quis in colluctatione* loqui de filiof. vulnerato, cuius nomine, si extra stadium, vel palæstram, vel pugilationem, vel in hoc ipso exercitio, postquam is victori cessit, iniuria vulneratus sit, patri competit actio legis Aquiliæ, non de occiso, & loquitur tamen de seruo occiso, quia, vt dixi, liberi hominis nulla æstimatio est. Ex lege Aquilia æstimatio fit corporis, vel damni, vel vtriusque, non ex lege Cornelia de sicariis.

CAP. XXI.

De incendiariis Sententia Pauli quædam.

LIbro *v. Sent. Pauli sub. tit. de iniuriis*, quæ sententiæ desiderantur, extant apud Licinium Rufinum, sed non suo ordine collocatæ. hæcenim præcedere debet. *Incendiary qui quid in oppido prædandi causa faciunt capite puniuntur*, & sequitur, *qui causam aut villam. &c.* Quo plane ostenditur lenius puniri eos qui extra oppidum,, quam qui in oppido incendium faciunt, vt *l. Capitalium §. incendiarij, De pœn. fortuita incendia quæ casu venti ferente, vel incuria ignem supponentis ad vsque vicini agros euadunt, si ex eo seges vel vinea, vel oliua vel fructiferæ arbores concrement datum damnum æstimatione sarciatur. Casu venti ferente.* sic Vesont. rectissime. Casu scilicet maiore venti incendia ferente. Virg. *Ferens incendia ventus.* Vel ea incendia, inquit, inferente incuria eius qui ignem suppossuit. Idem Virg. *Sæpe etiam steriles incendere profuit agros, Atque leuem stipulam crepitantibus vrere flammis*: stipulis puta vel spinosis herbis, vt *l. qui occidit §. pen. Ad leg. Aquil. Si ex eo seges, &c.* Id incendium fundi vocatur, *l. ex conducto § cum quidam, loca. Concrement.* sic quoque Vesont. more loquendi prisco. *Datum damnum*, &c. Significat competere actionem legis Aquiliæ quod est certissimum. posteriore casu si incuria ignem supponentis incendium exortum sit, & priore quoque si ignem die ventoso suppossuerit, *d. l. qui occidit §. pen.* Sequitur, *commissum vero seruorum si domino videatur noxæ deditione sarciatur*, quod & Constitutione quadam Seueri cauetur apud Licinium Rufinum. *Messium sane per dolum incensores &c.* Lege, *per dolum*, ex Vesontino. Quæ subiicitur sententia, *qui noctu frugiferas arbores manu facta caciderint. &c.* respicit ad id quod dixit ante de concrematis frugiferis arboribus, quasi occasionem scribendi etiam de pœna succisarum earum arborum. Quod vero ea sententia vulgo sola extaret sub *tit. de incendiariis*, ideo forte Fridericus 1. eos qui illas arbores succiderent incendiariis adæquauit apud Abbatem Vrspergensem. Nox vero & vis, & arborum natura crimen augent, quarum trium circumstantiarum si qua absit, dicam non suppetere nisi ciuile iudicium, aut leniorem vltionem.

CAP. XXII.

Emendata verba quædam in Sententiis Pauli.

LIbro *III. tit. V.* pro *barbaro habitu*, Vesontinus habet, *laruali habitu.* quod rectissimum est. & *lib. v. tit. XXIII. Qui sacra impia nocturnave vt quem obcantarent, interficerent, obligarent, fecerint &c.* alii codices habent *deficerent.* Vesontinus perspicue *defigerent*, non *interficerent*, quod est proprium sortilegorum verbum. Virg. *Iolchiacis animum defigere votis.* Vetus interpres Horatii. *Ita te*, inquit, *defigam nouis & insolitis maleficiis, vt mentem numquam recipias.* Vnde & in glossis Philoxeni *defixiones necyomantia.* & in legibus Ciceronis, *Quæ augur iniusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit.* Plinius *28. c. 1. Defigi diris deprecationibus nemo non metuit.* & quod confirmat exemplum allatum ab Accursio in *l. 6. C. de malef. & math.* apud Ouidium, *Sagaque Phœnicea defixit nomina cera.* & alibi: *Deuouet absentes simulachraque cerea fingit.* & Horatius, *Quæ mouere cereas imagines vt ipse nostri curiosus.* Item *lib. III.* quo loco de instrumento cauponio legato agit, & ait legato contineri vasa in quibus vinum diffunditur, idem error insidet qui & passim in aliis auctoribus: nec enim legendum est, *diffunditur*, alioquin continerentur amphoræ & cadi, in quibus vinum seruamus, quæ instrumenti cauponii non sunt, sed *defunditur* vt Vesontinus codex scriptum habet, atque ita significatur legato contineri congiaria, sextaria, vrnas & his similia. Addam in fine *tit. XXXIII. lib. v.* hanc sententiam desiderari, *in omnibus pecuniariis causis magis est vt in tertiam partem eius pecuniæ cauentur*, quæ ostendit tertiæ partis extrinsecus periculum facere eum, qui non iuste appellat in pecuniaria causa. Pœna hæc debetur ex conuentione fini lege præstituto, id est, ad tertiam vsque, qua de re *c. 33.*

CAP. XXIII.

Ad l. XLIII. De obl. & act.

AIt Paulus in *l. XLIII. De obl. & act.* quæ est ex *libro LXXII. ad edictum, obligari potest paterf. suæ potestatis, pubes compos mentis*, Ait *Paterf.* sed idemin matref. Duo igitur exigit in obligando patref. aut matref. quæ proculdubio exiguntur etiam in filiof. nam vt iam ante dictum fuit, filiusf. iure ciuili tanquam paterf ex omnibus causis obligatur sine patris auctoritate, *l. 39. De obl. & act. l. 6. §. pen. de act. emp.* Duo inquam, exigit vt sit pubes & vt compos mentis. *Pupillus*, inquit, *sine tutoris auctoritate non obligatur iure ciuili.* Omnis pupillus est paterf. *l. pupillus, de ver. sig.* non etiam omnis impubes. Pupilli nomine non ætas tantum significatur, sed & conditionis status, Impuberis, ætas sola. Et tamen pupillus ex contractibus iure ciuili non obligatur sine tutoris auctoritate, quæ verba ex contrario duplex argumentum præbent. ac primum in obligando patref. pubere nec interdicto scilicet, nullius requiri auctoritatem, vt *l. puberes, De obl. & act.* deinde pupillum iure naturali obligari sine tutoris auctoritate, quod vtique verum est si locupletior factus fuerit, *l. 13. § vlt. & l. seq. De cond. ind.* Furiosum autem constat nec iure naturali obligari, *l. 6. De ver. obl.* At præter hæc duo videtur etiam exigere vt paterf. vel materf. sit suæ potestatis, quasi alius sit paterf. alia ve materf. quam qui quæve suæ potestatis, sui mancipij est, *l. 4. de his qui sunt sui vel al. iu. l. 15. C. de iu. del.* Aut igitur id addidit superfluo, aut vt exciperet patremf. puberem qui est in potestate curatorum, vt ait *l. 1. De cur. fur.* veluti eum cui bonis interdictum est qui nec naturali iure obligatur, *d. l. 6.* Et matremf. puberem quę nec olim iure ciuili sine tutoris auctoritate obligari poterat, auctore Vlp. *libro Reg. tit. 11.* Qui quæve suæ tutelæ non est, nec suæ potestatis est. nam tutela est potestas in capite libero. & ita *l. 2. De pollicit.* quę ait patremf. obligar puberem sui iuris, aut frustra addit, sui iuris, aut eum significat esse sui iuris, qui nec in tutela, nec in curatione est, puta marem & cui bonis interdictum non sit. Videtur etiam Paulus in *l. 20. De nouat.* quę est ex eodem libro, eum qui sui iuris est opponere pupillo. Sequitur in *d. l. 43. seruus autē ex contractib. non obligatur.* Videtur data propositione de patref. migrare ad seruum qui paterf. non est. quod incōcinnū est. Con-

cinnius dixisset. Furiosus autem ex contractibus. nam furiosus quasi ex contractibus iure obligatur, *l. 46. eod. tit. l. 3. §. & si furiosi, de neg. gest.* Et absciſe non obligari, quia nec ciuili nec naturali iure ex contractibus obligatur, *d. l. 6. de ver. obl.* At quoniam ait seruus, repetendum est ἀπὸ κοινοῦ, iure ciuili, nam iure naturali seruus ex contractibus obligatur, *l. 14. De obl. & act. l. 19. in pr. De neg. gest. l. naturaliter. De cond. ind.*

CAP. XXIV.

Edictum de albo corrupto.

VErba edicti de albo corrupto hæc fuisse didicimus ex *l. 7. De iurisd. si quis id quod iurisdictionis perpetuæ causa in albo propositum erit, dolo malo corruperit.* quibus quod additur, *Non quod prout res incidit,* sane glossema est quo his verbis edicti, Iurisdictionis perpetuę causa, significatur excludi quod ex vsu natæ rei temporis causa proponitur, non vt ex eo perpetuo ius dicatur, vt *l. vlt. Vbi pup. ed. deb. l. contumacia, De re ind.* Quod item post illa verba, *in albo,* additur, *vel in charta, vel in alia materia,* ex alio glossemate est, quo quia albi nomine proprie significatur è ligno tabula albata, in qua edictum prætoris, vel quid aliud proscribitur claris litteris, vt de plano recte legi possit, vt Hesychius cum explicat quid sit ἐν λελεύκωμασιν, ait moris esse prædia aut mancipia vænalia proscribere, ἐν σανίσι λελευκαῖς, ἐν πυξίοις κεκηρυμμένοις λελευκῇ γῇ, admonemur nihil tamen referre, quod & verum est, qua in materia edictum prætoris inscriptum fuerit, tabulá in charta vel membrana, sicut in *tit. De bon. pos. sec. tab.* admonemur omnem materiæ figuram siue lignum siue chartam, siue membranam aut corium alicuius animalis, pro tabulis testamenti accipiendam esse, *l. 1. in pr. eod.* Glossemata hæc sunt, sed antiqua, notanda tantum, & discernenda non temere remouenda, sicut in *l. sunt personæ, De relig.* cum Papinianus suo more breuiter & concisè ita scripsisset, *nam propter publicam vtilitatem strictam rationem insuperhabemus,* nec fuisset ei curæ eam publicæ vtilitatis rationem latius explicare, quis non videt eam veterem glossographum suppleuisse, insertis his verbis, *Nam insepulta cadauera iacerent,* his item adiectis in extremo quæ & verbi, insuperhabere, quod Papiniano familiare est notionem explicaret, *Quæ nonnunquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet. nam summam esse rationem quæ pro religione facit.*

CAP. XXV.

Ad l. VIII. De re iud.

SVnt tamen alia quædam glossemata, non ferenda, forte Irnerij, quem Abbas Vrspergensis scribit in Digestis multa de suo interposuisse, vt in *l. VIII. De re iud.* quod est additum, *ex stipulatu.* nam si homo certus ex stipulatu debebatur, non est verum eo defuncto post litem contestatam reum liberari, nec debere hominis æstimationem, cum post moram debitoris homo defunctus sit. non ignoro fieri posse vt debitor iuste ad iudicium prouocet, & litem contestetur, & ideo nec moram facere videatur. verum vt ait *l. 3. de vsur.* non facile euenit vt non præcedente mora perueniatur ad iudicem. dico vel saltem vt non tum moram facere instituat qui litem contestari quam soluere mauult, *l. 82. in fi. De ver. obl.* & longa esset mora referre quot locis in iure nostro mora fieri dicatur, ex die litis contestatæ. At *d. l. 8.* tamen ait post litem contestatam defuncto homine petito, superesse tantum quæstionem fructuum, post litem contestatam perceptorum, qui & ex æquitate in iudicium ex stipulatu veniunt, *l. videamus §. si actionem, De vsur.* hominis scilicet quæstionem esse peremptã, nimirum quia non est de actione in personam, sed de actione in rem, vt & *l. si seruus, ind. sol. & l. vtique, De rei vind.* quæ idem quod illa adstruunt homine mortuo, quod ad ipsum quidem hominem attinet, litem esse mortuam, sed adhuc necessariam esse sententiam, *propter fructus, & hoc amplius propter partus & propter stipulationem de euictione,* addere licet, vel *propter peculium,* vt *l. pen. C. si pend. ap. mors int.* & sunt ambæ de certo homine petito actione in rem, cuius & proprium esse petitionis nomen nemo ignorat. ergo & illa, non de petito ex stipulatu, qui nec peti potest ex stipulatu, sed certi condictione. Et differentia est euidens inter actionem in rem, & actionem ex stipulatu. In actione in rem post litem contestatam sua morte defuncto homine petito periculum hominis non pertinet ad bonæ fidei possessorem, cum quo lis contestata est, ac neque ad prædonem, si is homo æque interiturus erat apud actorem, etsi statim initio litis actori restitutus esset, *l. 15. §. vlt. De rei vind. l. illud, De pet. her.* ac proinde in eius æstimationem damnari non potest, sed fructuum qui percepti sunt aut percipi debuerunt & partuum ratio habenda est. In actione in personam post litem contestatam, atque adeo post moram debitoris periculum omne pertinet ad debitorem. Moram non facit bonæ fidei possessor, qui iusta ratione motus iudicium in rem accipit. Contrà moram facit debitor qui iudicium in personam accipit.

CAP. XXVI.

Cum de indebito soluto vel promisso quæritur, cui incumbat onus probandi, quæstio sub nomine Pauli à Triboniano definita, sua hoc est rudi prolixaque & græca potius quam latina elocutione.

PAulus *lib. III. Quæstionum* scripsit de condictione indebiti, vt patet ex *l. 21. & 60. De cond. ind. & l. 84. De regu. iu.* & inter cetera tractauit, cum agitur condictione indebiti soluti vel promissi cui incumbat onus probandi, actori qui se indebitum soluisse aut promisisse dicit, an reo qui dicit se debitum accepisse, & in *l. 25. De probat* quæ est ex eodem *lib. III.* propositio quidem hæc, *Cum de indebito quæritur quis probare debet,* possit esse Pauli. At cetera Triboniani esse prolixitas arguit & scribendi genus, quod græcum sapit magis quam latinum hominem, vt *cum prudentem & attentum patremf.* vocat *studiosum,* cum pro, *probare,* aut, *docere,* mauult dicere, *ostendere,* cum illo loco, *In omnibus visionibus,* visiones vocat species siue casus ante propositos quibus modo actori, modo reo incumbit onus probandi siue themata, vt Bas. ἐπὶ πάντων τῶν εἰ ἐνυπνίων θεμάτων, quod themata in scholis in conspect. quodammodo collocentur. Verbum visionum inoleuit ætate Iustiniani, vt *l. 2. §. Si quid autem, C. de vet. iu. en.* & vbicumque in Digestis id reperitur, sanè à manu Triboniani est. Item cum iramentum dicit non, vt semper iuris auctores, Iusiurandum. Et cum cautionem concipere indiscrete, id est, non expressa causa debiti, ἀδιακρίτως, ἀζαφῶς, vt *l. Si quis ad decl. §. vbi autem, C. de epis. & cl.* Et cautionem confessionem vt græci ὁμολογίαν. Idem arguit in ea manifesto descripta condicio monachi, vel Dorotheo interprete illo loco, aut vir simplicitate gau-

dens, aut desidiæ deditus, τῆς ἀπλότητος χάριεν ἢ ἀβαθυμίᾳ ἐνδεδόμενον, vt in *l. quidam, C. de decur.* ignauiæ sectatores, id est, monachi, non quod desidia vel ignauia sit sacris literis operam dare, & assiduas ad Deum agitare preces, sed quod sit hæc viuendi ratio procul mota à Rep. fugaxque rerum, ideo videtur esse desidia & simplicitas, quia sibi placent in hominum rerumque humanarum ignoratione. tales erant primi nonni primæque nonnariæ.

CAP. XXVII.

Ad l. XXIV. De lib. & post.

POstuma, inquit, *l. 24. De lib. & post. sub condicione heres instituta, si pendente condicione viuo patre nascatur, rumpit testamentum.* Cur ait postuma? an non idem est in postumo? cur item viuo patre? an non idem est mortuo patre? Sumenda causa est ex veteri differentia inter postumum & postumam, quę obtinuit ante Iustinianum. Postumus exheredandus fuit nominatim. Postuma autem exheredari potuit inter ceteros. Et exheredatio vires non habet ante aditam hereditatem, & multo minus viuo patre qui testamentum fecit. ideoque si eo viuo pendente condicione postuma nascatur rumpit testamentum. At si mortuo patre, interim ante condicionem expletam inuenitur exheredata inter cæteros, & ideo testamentum non rumpit, siue quod tamen postumus sub condicione institutus rūpit, siue viuo siue mortuo patre pēdente cōdicione nascatur. quia nominatim vti oportet, exheredatus non est. Eademque differentia existit inter postumum & postumam, qui quæve nascitur post defectam condicionem.

CAP. XXVIII.

Campagus, Zanca, Destina.

CAmpagus, quod Pollioni & Capitolino & vetusto Iuliani interpreti in *No. 20.* genus est calciamenti crure tenus alti, quo alij quam principi vti non licebat à Corippo in Iustino significatur his versibus.

Purpureo suræ resonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederat quæ tergora fuco,
Lectaque pro sacris tactu mollissima plantis.
Augustis solis hoc cultu competit vti,
Sub quorum est pedibus regum cruor.

Clericis sane eorum calciamentorum vsu interdicitur sine permissu summi pontificis, *c. peruenit ad nos 93. dist.* Zancę vel Tzangæ idem esse videntur apud Pollionem, *Zanchæ de nostris Parthicis*, & veterem interpretem Horatij, qui senatorios calceos Zangas interpretatur, & ita ex vet. legendum in *C. monacho e7. quæst.* non *Zonas* scilicet, sed *Tzangas*, vt in *C. Theod.* tzancas, vt in veteri glossario, *cothurnus*, ἡ Καπλικὴ τζάγγη Apud eundem Corippum placet, quod eum qui prouinciam nouis rebus studentem continet in officio destinam vocat: *Thomam scilicet sub Iustino destinam nutantis Africæ*, vt Arnobius *Atlantem destinam cœli.* Augustinus *11. de anima ad Petrum. Si eam senserit tecto tremere, nutare pariete, labare fundamine, destinas quærit, strues congerit.*

CAP. XXIX.

Remittere & permittere verborum promiscuus vsus.

IN *l. 3. De pub. iud. Morte rei accusatio permittitur*, id est, remittitur, extinguitur, Bas. ἀνα ϛῆ & Dorotheus συγχωρεῖ. Et *l. adigere 5. vlt. De in. pat. Lege Iulia permittitur iusturandum quod liberto in hoc impositum est, ne vxorem duceret*, i. remittitur. Et *l. 38. De pac.* eodem sensu, *Debitori Reip. à curatore permitti pecunias non posse.* Contra remittere & permittere & æqui facere, *l. 22. Ad leg. Iul. de adult. Patri omnem adulterum remissum est occidere.* Et *l. 8, §. pen. de bon. lib.* Remitti ei debet ab eis discedere. Et *l. 3. §. pen. stellion.* Ad tempus relegatio, aut ab ordine remotio remittenda est. vbi glossa male, mitiganda. Et *l. 5. §. inprimis De reb. eor. qui sub. tut.* Quoties desideratur à prætore vt remittat distrahi. Ouidius *xi. Nec res dubitata remittit.* Tacitus. *1. An. Remisit Cæsar adroganti moderatione.*

CAP. XXX.

Interpretatio l. 3. De iurisdictione.

IN *l. 3. de iurisdictione* duo proponuntur imperij genera; merum & mixtum ex Vlp. libro singulari de officio quæstoris, qui magistratus etsi olim non habuit imperium merum, quia nec lictorem aut viatorem, vt ex Varrone & Capitone Gellius refert, tamen non fuit sine imperio mixto. Duo inquam, in ea lege proponuntur imperij genera, duo sunt in ea termini tantum, merum imperium & mixtum imperium; non tres vt plerique opinantur, merum & mixtum imperium, & iurisdictio simplex, quia nulla est iurisdictio simplex vel nuda, nulla sine imperio cuius vi ad effectum perducatur, quod ex hac etiam societate, atque iunctura, iurisdictioni connexum est mixtum appellatur. quamobrem mixtum imperium & iurisdictio, res vna & eadem est. nec quidquam vindicatur imperio mixto quod non possit & debeat etiam vindicari iurisdictioni, & contra. Quæ enim commixta sunt & simul commeant semper. Mero autem imperio quod vindicatur, non potest etiam vindicari iurisdictioni, quia non iurisdictionis aut magistratus iure competit, sed legis speciali beneficio atque permissu, quæ id dedit vel magistratui vel priuato. nam & priuatus ex lege merum imperium habere potest, sicut & cetera quæ legis sunt non iurisdictionis, vt tutoris dationem non tantum magistratus habet, sed & priuatus, vt puta parens qui impuberes habet in potestate, ex *l. xii.* & inde ratio apellationis imperij meri, quia non est iurisdictioni commixtum, sicut ex diuerso imperij mixti, quia cum ex iurisdictionis mixtura consistat, non est merum imperium, *l. vlt. de off. eius cui mand. est. iurisd.* Mixtum imperium nulli competit nisi magistratui. Merum imperium etiam priuato competere potest, si lex id priuato dederit specialiter, vt iudici quęstionis cui ex lege publici iudicij quæstio publica sorte obuenerit, qui priuatus est, non magistratus, vt *l. 1. Ad leg. Cor. de sic.* ostendit in illo loco, *Qui magistratus iudexve quæstionis*, & Vlpianus, *vii. de off. proc Capite*, inquit, *primo legis Cornelia de sicariis cauetur, vt is prætor iudexve quæstionis cui sorte obuenerit quæstio de sicariis, eius quod in vrbe Roma propius millę passus factum sit, &c.* vbi tamen malim & *propius X. millia passuum* ex Liuio *xl.* duobus locis. Inde vero & *l. 32. De pœnis, præses vel iudex.* i. iudex quæstionis, & *l. 1. De off. eius cui mand. est iurisd. is cui obtigerit exercitio.* i. is prętor iudexve quæstionis cui sorte obuenerit quæstio de vi publica, vel priuata. Eadem lex merum imperium lege dari ait. i. populi iussu, vt *l. 2. §. exactis, De or. iu.* Consulē in caput ciuis Romani non posse animaduertere iniussu populi, hoc est iure magistratus grauiorē animaduersionē non habere sine speciali lege, siue imperio nominatim à populo dato, vt Festus ait. Eadē quoq; mixtū imp. iurisdictioni co-

hęrere ait, quia ſcilicet magiſtratui inhæret, merum extrinſecus aduenit, id ei donante lege, vt non magiſtratui ſed vt cuilibet. mixtum imperium eſſe ἀκόλουθον ἐπὶ τῇ ἀρχῇ. Dionyſius x. non merum. Proinde mandata iuriſdictione non trāſire merum imperium quod à iuriſdictione ſeiunctum & ſeparatum eſt, tranſire mixtum quod iuriſdictioni cohæret, vel vt ait *l. 1. C. vbi & apud quem cog. reſt.* cui iuriſdictio adhæret. Definitur autem *d. l. 3.* vtrumque imperium non exacte ſed τυπωδῶς, per exempla, puta merum imperium eſſe habere gladij poteſtatem ad animaduertendum ſceleroſos homines. Animaduertere proprium eſt verbum vltimi ſupplicij, vt *l. 11. §. vlt. & l. ſeq. de pœnis, l. ſi quid erit, De off. proc.* Hęc vero eſt maior animaduerſio, & à maiori parte meri imperij confecta definitio eſt. Maior pars eſt ius gladij, quod & à legibus accipi D. Auguſtinus ſcribit *ep. 61.* Ius ferri Lucano & Papinio, ξίφους ἄδεια Iuſtiniani *edict. 8.* ius gladij frequentius *l. illicitas §. qui vniuerſas, De off. præſ. l. 74. C. Th. de decur.* Lampridius in *Alex. Honores iuris gladij numquam vendi paſſus eſt.* Iulius Firmicus ſæpe. *Faciet ſæpe iudices habentes ius gladij:* Capitolinus *in Gordianis. Gordiano proc. Africæ filius à Senatu datus eſt legatus cum gladij poteſtate.* Seuerus Sulpitius in *Martino. Illa cura præcipua ne tribuni cum iure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur.* & in antiqua inſcriptione Neapolitana, *M. Mæcio præf. annonæ vrbis ſacræ cum iure gladij.* & eleganter *l. 1. C. Th. ne ſine iuſ. pr. cer. ind. conf. lic.* Præſides in illos gladij ſui ius & ſeueritatis exerceant, in quo ſtatim deſtringi fertum iura præcipiunt. Et ius ſiue poteſtas gladij dicitur, quoniam hæc ſola eripiendæ vitæ ratio plerumque lege permittitur ei, cui datur merum imperium, *l. aut damnum §. 1. De pœnis.* Addit Vlpianus in *d. l. 3.* ius gladij etiam poteſtatem ſimpliciter appellari, per eminentiam ſcilicet. nam & mixtum imperium poteſtas dicitur, *l. poteſtatis, de ver. ſig. l. pen. Ne vis fiat ei qui in poſ. l. 1. Si ven. no. mul. in poſſ.* Per eminentiam gladij poteſtas, ſumma pars meri imperij. nam & omnem aliam facinorum grauiorem coërcitionem, veluti damnationem in metallum, deportationem, publicationem bonorum, & iudicij publici exercitionem lege delegatam merum imperium complectitur, *l. ſolet, De off. proc. l. 1. De off. eius cui mand. l. aliud, in fi. De ver. ſig.* & in ſumma, merum imperium quod Zonaras in *Baſilio Porphyrogenneta* ἄκρατον ἐξουσίαν, eſt coërcendorum facinorum poteſtas lege data atque finita, *l. 1. C. qui non poſ. ad lib. per.* Mixtum eſt poteſtas quę iure proprio magiſtratus cōpetit *l. 1. De off. eius cui mand.* vel cui iuriſdictio cohæret, adhæret, ineſt: Cuius *d. l. 3.* duo proponuntur exempla. vnum quod conſiſtit in danda bonorum poſſeſſione honorariis ſucceſſoribus. namque hi tantum dare poſſunt bon. poſ. ſecundum tab. vel contra tab. vel Vnde legitimi, vel quam aliam, qui imperium mixtum habent. Dare bon. poſſeſſionem eſt imperij mixti, & iuriſdictionis igitur, vel Harmenopulo auctore 1. *Ep. tit.* 4. Alterum conſiſtit in dando iudice. nam & iudicis dandi licentia imperij eſt iuriſdictioni permixti, & iuriſdictionis igitur, vel contra; ſi iuriſdictionis, & imperij mixti igitur, *l. cum prætor §. item hi quibus, De iudic.* Et hoc eſt quod ait Vlp. *d. l. 3.* quæ nobis in manu eſt, *Iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia.* nam illud, *etiam*, vim habet ἀναφορικῶς, ac ſi diceret, ſicut bon. poſſeſſionis, ita iudicis datio, mixti imperij & iuriſdictionis partes ſunt. Sunt & aliæ pleræque, veluti cognitio certarum cauſarum extra ordinem, executio ſententiarum dictarum à iudicibus datis vel Centumuiris, Decretum quo cautionem cauere magiſtratus iubet, vel poſſidere, vel quo mittit in poſſeſſionem, vel quo reſtituit in integrum, itemque multæ dictio vel quæ alia modica coërcitio, ſine qua iuriſdictio explicari nulla poteſt. Vlp. in *d. l. 3.* duas notaſſe ſatis habuit, Bonorum poſſeſſorem facere, qui ſit heredis vice, & iudicium iudiceſque vel reciperatores dare ac iubere iudicare. nec enim hoc iubere poteſt niſi qui magiſtratus eſt *l. 13. eod. tit.*

CAP. XXXI.

Selecti iudices. Decuriæ iudicum vel equitum.

VAriæ fuerunt leges iudiciales, quarum alię iudicandi munus quod initio fuit penes Senatum transferebant ad equites, aliæ id Senatui reſtituebant, aliæ rurſus id Senatui eripiebant, & transferebant ad equites, aliæ quæ id iubebant eſſe commune Senatorum & equitum, & qui ex plebe erant Tribunorum ærarii, aliæ quæ ab hoc munere tribunos ærarii remouebant, & rurſus alię quæ omnem iudiciorum poteſtatem ad equeſtrem ordinem transferebant, quæ ad extremum obtinuerunt conſtitutis ex ordine equeſtri tribus Decuriis iudicum prima, ſecunda, tertia decuria, vnde in antiquis inſcriptionibus Hiſpaniæ, *iudices primæ decuriæ.* & ex his decuriis Senatoriis olim & poſtea equeſtribus ſorte ducebantur ad numerum lege iudiciali finitum plures qui prætori maxime quęrenti de criminibus in conſilio eſſent, & ad eius tribunal conſidentes cum eo iudicarent etiam inuiti, niſi beneficio principis aut liberorum vacationem obtinuiſſent, vt Suetonius oſtendit in *Auguſto & Claudio*, aut ſi quæ alia interueniret iuſta excuſationis cauſa, *l. pen. De vac. mun.* & hoc maxime diſtat iudicium ordinarium ab arbitrio, quod inuiti non recipiunt. Eſt enim iudicandi neceſſitas publicum munus, *l. vlt. §. iudicandi, De mun. & hon.* & hi quidem ſelecti iudices appellabantur, vt Aſconius ſcribit. Et inde ſelecti iudices pro equitibus. Ouidius *1. Am. Non bene ſelecti iudicis arca patet.* & *2. Triſt. Nec mea decreto damnaſti facta ſenatus, Nec mea ſelecto iudice iuſſa fuga eſt.* Selecti enim erant ex decuriis equitum ſiue iudicum quorum ſingulis eſſet cenſus cccc. millium. Pertinebat autem earum decuriarum ordinatio ad Cenſores, vt Tacitus 3. ſignificat, vel ad principes, vt Plinius & Suetonius, quaſi cenſoria poteſtate pręditos. qui & ad has illas decurias Auguſtum referunt addixiſſe quartam, & Gaium quintam, vt alleuaret laborem ceterorum, quæ & poſtea illis cauſa poſtulandi à Galba ſextam. nam per vices quęque decurię immunes erant. De his *Quint. 4. Iudicem*, inquit, *rura plerumque in decurias mittunt.* Tacitus 13. *An. Decurias equitum egregium iudicandi munus expleturas.* Ex his quoque, vt opinor, quibus de cauſis prętor ipſe neque iudicabat, neque iudicaturis præerat iudicem ſpecialem dabat, vnde & ſelectum Heſychius interpretatur eſſe κριθησόμενον, Iudicem, inquam, vnum ſpecialem plerumque ex conſenſu litigatorum *l. 80. De indic. l. 57. de re iud. l. 23. De appel.* vel etiam plures, vt *l. cum prætor, l. proponebatur, De indic. l. duo, De re iud.* & hoc ſi de facto quęrebatur, ſi de iure, plerumque res agebatur apud centumuiros quos non fuiſſe ex turba ſelectorum Seneca oſtendit *3. de Benef. c. 7.* Illud ex legibus iudiciariis adnotandum quod fuit proprium Pompeię legis, vt etſi iudicia permitteret tribus ordinibus, Senatoribus puta & equitibus & Tribunis ærarii, ſicut aliæ nonnullę antea, non tamen ex decuriis neque ex cenſu equeſtri ſelectos ſumi voluerit, ſed ex centuriis, vt Aſconius ſcribit *in Piſonem*, & ex ampliſſimo cenſu, puta, ex ſenatorio, qui duplo fuit maior cenſu equeſtri, vt Suetonius indicat in *Auguſto cap. 41.* aut pluſquam Senatorio, vnde forte Nongentorum appellatio apud Plinium, ſicut Du-

cenariorum quartæ decuriæ, quam tribus Augustus addixit, quorum census equestri duplo minor erat. Quod autem & ex censu Senator legeretur, ideo Vlpianus *libro* 11. *de Censibus*, de Senatoribus scripsit *l. vlt. De Senat.*

Cap. XXXII.

Ad l. Cum lege, De recep. qui arb. rec.

LEgibus fuisse finitam certam ætatem capessendis honoribus vel illud Ouidij ostendit 3. *Fast.-finitaque certis*

Legibus est etas vnde petatur honos!

Et Latinus Pacatus in laudatione Theodosij. *Non in amplissimis*, inquit, *magistratibus sed in præturis quoque & ædilitatibus capessendis ætas spectata est petitorum, nec quisquam annos comitiali lege præscriptos festinatis honoribus occupauit.* Hi fuerunt xxx. anni vt Dionysius docet 3. his verbis: ἀπὸ πάντα (de ætate loquitur xxx. an.) ὁι νόμοι καλοῦσι τὴν ἡλικίαν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τῆς ἀρχῆς ἐν ᾗ μεγίστην βιαιομένους τὸ κοινόν. quod ius obtinuit etiam in prouinciis, vt indicat *epistola Plinij ad Traianum*, de magistratibus prouincialium. At postea lege Iulia iudiciaria finita huic rei est ætas xxv. annorum, *l. 2. De minor. l. ad Remp. De mun. & hon.* quæ lex in eadem epistola Plinij videtur appellari edictum D. Augusti, vt Macrobius *l. 1. Saturnalium c.* 10. legem iudiciariam qua initio Saturnalibus scribit fuisse addictas trium dierum ferias, post edictum Augusti vocat: ideoque in ea epistola forte pro 11. & xx. legendum v. & xx. nam & Tacitus 111. An. *Facta etatis gratia Neronem quinquennio maturius quam per leges liceret quæsturam petiisse*. i. vicesimo anno. Alia autem hac in re fuit ratio eorum qui magistratus siue honores peterent, alia eorum qui allegerentur in album & decurias iudicum selectorum, nam hi allegi olim non poterant nisi ab ætatis anno xxv. Augustus tamen allegit à vicesimo ætatis anno. i. quinquennio maturius quam solebant. Sic forte legendum apud Suetonium in *Aug.* c. xxii. *vicesimo* pro *tricesimo*. nam & *l. cum lege De rec. qui arb. rec.* significat lege iudiciaria eum qui minor non sit xx. an. iudicandi necessitate obstringi. Sunt in omnibus auctoribus plurimum deprauatæ numerorum notæ.

Cap. XXXIII.

Intercessio, & Prouocatio, & iniustæ prouocationis pœna.

NOn est confundenda intercessio cum prouocatione. Duo sunt quodammodo appellationis genera. Reus capite damnatus appellat in auxilium collegam eius à quo damnatus est, vt intercedat & se eximat morti. Prouocat autem ad populum vel principem, vel ad maiorem iudicem vt rescissa damnatione ipse eius rei arbitrium & disceptationem suscipiat. Tit. Liuius 3. *In populo*, inquit, *nihil erat præsidij, sublata prouocatione, intercessionem quoque consensu sustulerant, cum priores Decemuiri appellatione collegæ corrigi reddita ab se iura tulissent.* Denique intercedit damnationi maioris iudicis, etiam qui pari vel qui minori imperio est. Non tamen prouocat reus ad parem vel minorem, sed ad maiorem iudicem tantum *l. 1. §. si quis ergo, de appell.* Ab ordine decurionum ad præsidem *l. 1. Quan ap sit.* A præsidibus certarũ prouinciarum ad præf. prætorio, *l. 29. C. de appell. l. 27. C. Th. eod.* certarum ad præf. vrbi, *l. cum appellatio, C. de appel.* Cassiodorus *de præf. vrbi. Tu ex designatis lege prouinciis ab appellatione cognoscis.* Senatus curiæ Carthaginensi apud Vopiscum *in Floriano.* Omnis prouocatio præf. vrbi erit quæ tamen à proconsulibus & ab ordinariis iudicibus emerserit. Vnde Papinius *de Gallico præf. vrbi. Legesque vrbesque vbicunque togatæ Quæ tua longinquis implorant iura querelis.* Item à prætore ad præf. vrbi, & à præf. vrbi ad principem *l. Æmilius de minor.* Ad principem quoque à Consule, à quo & Capitolinus factis appellationibus D. Marcum Senatum iudicem dedisse, & à proconsulibus *l. vlt. De cond. & dem. l. 1. & 19. C. de appella.* & à præfecto annonæ *l. vlt. Quod cum eo, &c.* & à Senatu quoque olim vt aperte ostendit *l. 1. Aquib. app. non lic.* quæ Oratione D. Hadriani, atque adeo S. C. eodem auctore facto primum effectum esse ait, ne à Senatu princeps appellaretur. At præterea intercessio vel appellatio ad eos quibus ius intercedendi erat semper pœna soluta fuit. Fuit & olim vt Cor. Tacitus scribit 14. à *iudicibus prouocare vacuum solutumque omni pœna.* At postea, vt Paulus scribit *v. Sent.* ne cuique solutum & liberum esset arbitrium retractandarum & reuocandarum sententiarum, certæ pœnę legibus constitutæ sunt aduersus eos qui appellassent, quarum periculum facerent, si contra eos pronuntiatum esset, & indemnitati victoris consuleretur. Hæ vel in stipulationem deducebantur ex die acceptorum apostolorum intra diem quintam, datis fideiussoribus, vel in iure deponebantur, aut aliquid pro eis; qua ex re fiebat plerumque, vt pauperibus non esset appellandi facultas, *l. si procuratorem §. si ignorantes. Mand.* nec enim aliter qui prouocaret audiebatur, quam si de pœna cauisset inferenda victori, si pronuntiatum esset, iuste appellatum videri. Et in pecuniariis ac liberalibus causis ex eodem Paulo didicimus, idque attigimus c. xx. eius pœnæ modum fuisse tertiam litis partem, & ex eodem Taciti loco ampliorem eam fuisse, si à priuatis iudicibus, puta, à iudicibus datis ad principem appellatum esset, & auctore Nerone etiamsi ad Senatum, ad quem etiam Nero auctore Suetonio vice sua omnes appellationes fieri voluit, quod & de Probo Vopiscus scribit, atque ita tantum eos qui non iure appellassent perdere voluit quantum si ad ipsum appellassent. At etsi rescripserint Seuerus & Antoninus appellationes quę recto ad principem factæ sunt eis omissis ad quos fieri debuerunt, ad eos remitti debere *l. Impp. De appel.* tamen id antea raro fuit obseruatum, passim receptis à quocunque iudice ad principem recta factis appellationibus, sicut & iure pontificio recta ad summum Pontificem appellare licet, *c. si duobus de appell.* & lege Regia hodie apud nos in capitalibus causis etiam recto ad Senatum. Illa autem pœna iniustæ appellationis longe diuersa est ab ea quæ Symmacho & Imperatoribus *l. 50. & 95. C. Th. eod.* dicitur multa prejudicialis. hæc ex lege debetur, illa ex conuentione: illa irrogatur ei, qui à sententia definitiua appellauit, nec causam tenuit, hæc ei qui frustra cum iure non liceret à præiudicio sine interlocutione ante sententiam appellauit, quod docui *Obs.* 12. c. 6.

Cap. XXXIV.

Non de omnibus fideicommissis in vrbe apud Prætorem fideicommissarium agi potuisse.

VLpianus *libro singulari Regularum* recte scribit, de fideicommissis cognitionem fuisse in prouinciis præsidum prouinciarum, in vrbe consulum aut prætoris fideicommissarii, quod tamen ita distinguendum est, vt de maioris pecuniæ fideicommissis fuerit

consulum, de ceteris prætoris fideicommissarii, ex Quintil. 3. *Instit.* vbi, *Non debes*, inquit, *apud prætorem petere fideicommissum, sed apud Cos. Maior enim prætoria iurisdictione summa est.* Et ex Vlpiano ipso, qui ob eam rem libro VI fideicommissorum, quoties quæritur de quantitate ad iurisdictionem pertinente, puta, de quantitate fideicommissi, semper quantum petatur esse quærendum ait, non quantum debeatur, *l. pen. §. vlt. De iurisd.* Initium etiam eius legis aptari debet ad causam fideicommissorum, ita scilicet vt si à puella herede instituta prius quam nuberet petitum sit fideicommissum apud iudicem competentem puta apud præsidem eius prouinciæ vnde ipsa orta fuit, vel in qua domicilium habuit, *l. si fideic. §. pen. De iud. l. tutores §. heres, De adm. tut.* & apud eum vero etiam ipsa iudicium acceperit, vel quod idem est, litem, susceperit, præses autem cognitionem, quo genere expletur litis contestatio, *l. inter, De pub. iud.* & secuta condemnatione vel etiam pendente cognitione L. Titio nupserit, homini alterius prouinciæ, non ideo minus peragenda sit lis apud priorem iudicem, vel sententiam quam is tulerit non ideo minus ad finem perducendam esse quod puella per matrimonium alterius præsidis iurisdictioni subiecta esse cœperit.

CAP. XXXV.

Luci claro redditum Papiniani responsum quod interpretes obscurauerant.

PApinianus in *l. Tutores §. ab eo, De adm. tut. ab eo*, inquit, *qui restitutionis auxilio non iuuatur quæstio culpæ tutorum conuentione remitti potest, nec donatum, sed transactum videtur.* Ducant se ab hoc responso glossarum vel Doctorum qui vocantur, ingenia turbida, & ita dicamus. Adolescens qui impetrauit veniam ætatis non iuuatur auxilio restitutionis in integrum *l. 3. in pr. De minor. l. 1. C. de his qui ven. ætat. imp.* Nec igitur ab eo tutoribus suis postea remissa quæstio culpæ admissæ in tutelæ administratione per restitutionem in integrum restaurari potest. quia non tutoribus donasse, sed cum eis transegisse videtur. Et adolescentibus scilic. etiamsi veniam ætatis impetrauerint donantibus succurritur *quidam, l. De donat. l. vlt. C. si maior fac. rat. al.* licet decretum prætoris aut præsidis interuenerit, nisi forte donauerint ex iusta & honesta causa, vt dotem sorori, quæ aliter nubere non potest *l. 12. §. pen. De adm. tut.* Transigentibus non succurritur si non deminuendi, siue donandi, sed decidendi causa cum tutoribus suis, vel cum aliis de re dubia transegerint, vt si tutoribus suis quæstionem culpæ remiserint, hæc remissio transactio est non donatio, vt remissio pensionis ob sterilitatem transactio dicitur, non donatio *l. 15. §. Pap. Loca.* & vtraque rata est, si fiat ab adolescente, qui meruerit veniam ætatis, quia ad negotiorum aut bonorum suorum administrationem pertinet, quam vtique princeps data venia ætatis ei permisit. Olim permissa etiam fuit venditio prædiorum, & pigneratio absque decreto, post à Constantino vetita venditio *l. 2. C. de his qui ven. æt. imp.* & à Iustiniano pigneratio *l. 3. C. eod.*

CAP. XXXVI.

Deesse vsucapionis vocem in l. 3. De reb. eor. qui sub tut. vel cu. sunt.

ILlo loco *l. 3. De reb. eor. qui sub tut. vel. cu. sunt, Vt procedat inberi etiam possideri poterit*, quoniam Bas. habent ἐπὶ τῷ κατόσαι. pro *vt procedat*, deest vox, *Vsucapio. Vt procedat vsucapio inberi, &c.* quod confirmat *l. 5. in pr. l. his qui, l. damni §. pen. l. cum postulassem §. 1. De dam. inf. l. 3 §. vlt. De adq. poss.* Prætor enim vt heredem, ita dominum facere non potest, *l. qui vsumfr. Si vsusfr. pet. §. quos, Instit. de bo. pos.* sed possessorem tantum iure dominii, Vsucapio quæ à lege est dominum facit. Denique secundum decretum prætoris possessorem facit iure dominii, non dominum *l. 7. De vsufr. l. si finita §. illud quæri, de dam. inf.* Et in *d. l. si finita §. Iulianus, & §. seq. & l. 1. De fun. dot.* Dominus. i. possessor iure dominij, & alienatio, alienatio possessionis non proprietatis. Et in *l. 5. com. diuid.* si iussi simus à prętore eas ædes possidere, & ex hoc dominium earum nanciscerēmur. Ex hoc. i. si ex possessione nobis à prætore data eaque continuata tempore legitimo iure vsucapionis dominium earum nanciscerēmur. Male etiam Ioannes, Bulgarus, & Pyleus ex *l. 2. Si ex nox. cau. ag.* prætorem dominum facere, quia non prętoris iussum sed noxæ deditio & ductio serui, quę est à lege XII. vt vsucapio, dominum facit eum qui seruum indefensum ducit, vel qui deditum accipit *l. electio §. vlt. De nox. act. l. 5. & 6. de Pub. in rem act.* Ductio pro noxæ deditione est. Nos Iacobi sententiam tuemur Azonis collegę.

CAP. XXXVII.

Donatam gratisve concessam habitationem finiri morte domini.

SCęuolę responsum est in *l. Lucius, De donat.* quo ostenditur donatam habitationem gratuitam superioribus diætis quamdiu vellet donatarius, finiri morte domini ædium qui donauit, & heredes eius donatarium habitatione prohibere posse. In causa hoc est, quia donationes strictius accipiuntur, & illa nimirum ita, vt hospitio illo vtatur se viuo, non etiam se mortuo, inuitis heredibus. qua ratione & in *l. Aquilius, eod. tit.* heredes Reguli Nicostrato faciebant habitationis controuersiam. Et Papinianus quoque Nicostrato respondit non iure meræ donationis eum post mortem Reguli habitatione vti posse, sed remunerationis, & quasi solutionis, vt *l. 10. §. si rem, De in rem ver.* quandoquidem per epistolam Regulus scripserat Nicostrato rhetori, qui fuit eadem ætate qua Papinianus, vt ex Suda intelligere licet, se ei donare & permittere habitationem, vsumve cœnaculi, quod eius eloquentia & diligentia melior factus esset. qua ratione recte dicitur etiam *l. si vnquam C. de reu. don.* non pertinere ad remunerationes. Quod enim vt donatio diu consistere non potest, consistit tamen vt remuneratio in perpetuum. Denique in specie *d. l. Aquilius*, non fuit mera donatio sed ἀντίδωρον, & quasi merces doctrinę, quam vtique non oportet accipi restricte, ita vt non teneat heredem donatoris quamdiu vixerit donatarius: quia & ad eam legis Cinciæ modus non pertinet. Licet enim magistro donare in infinitum, arg. *l. pen. §. vlt. eod. tit.* Quamobrem recte Papinianus ait Nicostrato expulso habitatione ab heredibus Reguli, dandum esse quasi possessori vtile interdictum Vti possidetis, vel Vnde vi, ad exemplum eius quod fructuario, vel vsuario datur possessione deiecto, *l. vlt. vti poss. l. 3. §. vnde vi, & §. item si non, l. si plures §. deiectum, D. de vi & vi ar.* nam & habitatio & vsus cenaculi pene idem est, *l. 32 De vsufr. l. 10. D. de vsu, & habit.* Ait Pap. *Cum de ea re mecum contulisset*, vt Plin. 4. *Epist. Contuli cum prudentibus, cum peritis iuris*,

A his verbis, centum milliones.

Cap. XXXVIII.

Ad l. 20. De in ius voc.

CVm ex Paulo fuisset propositũ in *l. 19. & 20. De in ius voc.* inuitum quidem domo sua vi aut fraude introita à creditore ex ea in ius vocari neminem posse, at recte vocari eum qui vltro in eam creditori vel aduersario patefecit aditum, non etiam inde abripi. Item recte vocari eum qui ex publico conspiciatur è fenestra scilicet domus suæ in qua consistit, è conspectu, additur ex Gaio *l. 20.* Sed etiam à vinea, quod cur de vinea dicatur potius quam de alio quocumque genere agri, non video, nec vinea, vel qui aliusmodi ager quid faciat ad domum video. Itaque Bas. malim sequi, quæ habent ἀπὸ πυλῶν &. i. à ianua siue ianea, vt veteres loquebantur, hoc sensu, vt quemadmodum è fenestra, ita & è ianua domus suæ in qua consistit in ius vocari quilibet possit. Et sequitur quod est extra domus causam, etiam è medio cœtu plurium vna lauantium, vel spectantium in ius vocari posse, puta è balineo publico atque theatro.

Cap. XXXIX.

Difficilem condicionem multum differre ab impossibili.

IMpossibilis condicio vel quæ pro impossibili habetur, veluti turpis aut illicita condicio expleri non potest. Difficilis expleri potest. Non est igitur impossibilis, sed est pene impossibilis, *l. 55. Fam. her. l. 4. §. 1. De statul.* Impossibilis ipso iure remittitur. Difficilis, neque ipso iure remittitur, neque decreto prætoris. De condicionibus loquor, quæ heredum institutionibus, vel legatis, aut fideicommissis, vel libertatibus adscribuntur, & sunt in potestate heredis, vel legatarij, vel serui sub condicione manumissi. Explendæ igitur sunt, siquidem heres hereditatem, legatarius legatum, seruus libertatem consequi velit. verum alterius gratia veluti fideicommissarij cui heres rogatus est restituere hereditatem sub condicione difficili, aperte iniquum est heredem cogi eam explere *l. pacta §. si sub condicione, Ad Treb.* verum additur in eodem §. *Sed & remitti eam ab initio visum est*, vbi pro, *ab initio*, sequentia verba ostendunt esse legendum, *absurdum*, quandoquidem si per fideicommissarium impleri possit, à fideicommissario implenda est, vt *l. sicui §. vlt. eod. d. l. facta §. si in danda*, sed si non nisi per heredem, vt condicio certi nominis ferendi, nec velit heres nomen illud ferre quantumuis licet bonum sit & honestum (liber homo inuitus non mutat nomen) hoc sane casu remittenda est decreto prætoris. Condicio alias edicto remittitur, vt condicio iurisiurandi, aut quæ repugnat publicæ vtilitati, alias decreto prætoris. Difficilis autem condicionis exemplum vnum extat in *d. l. 4. §. 1.* Si seruo testamento ita data sit libertas, Liber esto si heredi millies dederit: quam ita male Bas. interpretantur, *Si heredi centũ myriadas nummum dederit*, & peius Dorotheus, *Si chiliadas.* nam chiliades sunt inferiores myriadibus, & illa, *Si centum myriadas*, non est adeo difficilis, quippe cum centum myriades efficiant dumtaxat decies centena millia, sicut ducentæ vicies centena millia, & trecentæ in Constitutione græca Iustin. De confirmatione Digestorum, tricies centena millia, id est, vt vulgus loquitur, tres milliones, & retro igitur ducentæ duos milliones, centum vero vnum. At millies efficiunt myria myriadum, siue decem millia myriadum, quæ vulgus his notis exprimit 10000000 0, &

Cap. XL.

De noxalibus actionibus.

SI seruus album prætoris corruperit, in dominum non est actio noxalis, sed si à domino non defendatur, in ipsum seruum agitur extra ordinem, vt in corpore luat pœnam, *l. 7. De iurisd.* Cur vero ex hac causa non est in dominum noxalis actio? an quia de albo corrupto popularis actio est non priuata, & priuatis tantum actionibus quæ ex priuatis delictis oriuntur adiici posse videtur clausula noxæ deditionis? Certe publicis iudiciis non adiicitur. an & ne popularibus quidem? Minime. nam actio ex edicto de deiectis vel effusis quæ est popularis, si seruus insciente domino fecisse dicatur, noxalis actio est, *l. 1, § 1. l. 5. § prætor De his qui deiec. vel eff.* Si, inquam, seruus ex cenaculo in quo dominus habitabat deiecerit vel effuderit aliquid insciente domino quod alij nocuerit, vel si quid ibi posuerit, aut suspensum habuerit cuius casus periculosus sit, non etiam si seorsum à domino habitauerit, & ex habitatione eius alius deiecerit vel effuderit, non seruus ipse, quia cum serui nulla sit noxia, nullum factum, non potest de eo in dominum noxalis actio esse, sed quia culpa serui in ea re quædam interuenit quod eos in habitationem suam receperit qui id fecerunt, culpæ nomine extra ordinem officio iudicis coërcetur, *d. l. 1. §. cum seruus.* Verum alia est actio popularis de sepulchro violato, quæ tamen si seruus in sepulchro alieno habitauerit, vel ædificauerit habitandi causa iuxta vel supra sepulchrum, in dominum non est noxalis, sed quasi ex maiore delicto in ipsum seruum datur, *l. 3. §. pen. de sep. viol.* extra ordinem scilicet, vt ibi græci interpretes adnotant, ὥστε σωφρονίζεσθαι αὐτὸν ἕνεκα τῆς δίκης, vt in specie *d. §. cum seruus.* Cum seruo ordinaria nulla actio est. Extraordinaria potest esse non tam in seruũ quam in seruile corpus, quo sensu etiam actiones quędam quę sunt priuatę non populares, in seruum & in familiam dari dicuntur, veluti de damno in turba dato, *l. 4. §. pen. vi bon. rapt.* Et de damno dato ex incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata, *l. 1. §. 1. De inc. rui. & nauf.* Vno tamen casu actio sepulchri violati est noxalis quasi ex minore delicto qui proponitur in *d. l. 3. §. pen.* Si in sepulchro seruus neque habitat, neque ædificauit, sed domunculam, vt ait, quamquam domiculam potius dicendum videatur, ibi habeat neque inhabitet tamen. aliud est ædificium, aliud domuncula, ædificium, ἀποτέλεσμα, domuncula, ἔργον. *Etsi domunculam*, inquit, *ibi habeat, si modo, habere posse videatur.* placet valde exceptio illa siue παρέδοσις, *Si modo habere posse videatur.* quia ipso iure nihil sane seruus habere potest, sed habere tamen nonnunquam videtur veluti somno connitentibus oculis domini, *l. 4. De manumiss.* cum & permittente domino quasi testamentum faciat apud *Plin. 7. Ep.* Porro ex ea *l. 3. §. pen.* intelligimus actionem sepulchri violati, quæ est popularis regulariter non esse noxalem, & illo vno casu esse noxalem. Nunc videamus cur actiones populares alię sint noxales, aliæ non item, sed in corpora tantum seruorum, in terga, in scapulas exerceantur, vt De albo corrupto regulariter, De sepulchro violato. Cur item ex priuatis delictis nascuntur, quę plerumque solent esse noxales, quædam non sint noxales, sed æque in corpora seruorum exerceantur, vt De turba & De incendio, ruina, naufragio. Et mihi quidem videtur ratio varietatis pendere ex edictis quibus actiones proditæ sunt.

ſunt. Pro qualitate & magnitudine delicti, ſiue noxiæ, prætoribus viſum eſt alias facere noxales, alias non item, nec alia varietatis ratio quærenda eſt. non ſit noxalis actio temere interpretationibus noſtris, ſed A edicto aut lege opus eſt, quo, quave nominatim fiat noxalis. alioquin in ſeruum extra ordinem agitur non in dominum.

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XXII.

CAPVT PRIMVM.

Si fideicommiſſum adimatur quod à legatario relictum eſt cur ad legatarium non pertineat.

ADIMITVR legatum non verbis tantum, quibus declaret teſtator ſe mutaſſe voluntatem, nec velle rem legatam legatario præſtari, ſed etſi eam rem alij per fideicommiſſum reliquerit, rogato legatario, vt eam alij reſtitueret exemplo mortis cauſa capionis: vt ſi ſtatuliber L. Titio certam pecuniam numerare iuſſus ſit, adimitur ea L. Titio per fideicommiſſum ſi alij eandem pecuniam L. Titius reſtituere rogetur, *l. quidam §. vlt. De leg. 1.* eadem adimendi ratio cur non valeat etiam in legato? puta vt ſi fundum quem tibi legaui te rogauero Sempronio reſtituere, per fideicommiſſum tibi legatum ademiſſe videar. vnde neceſſario efficitur, rurſus Sempronio adempto fideicommiſſo, legatum non recurrere ad legatarium, quod ei ademptum eſt ſemel. quia quod ademptum eſt, in perpetuum ademptum eſt nec datum intelligitur, *l. 14. De leg. 1.* quamobrem in ea ſpecie recte Scęuola reſpondit *l. pen. §. 1. De adim. leg.* nihil proponi cur legatum ad legatarium pertineat. i. peti ab eo legatum non poſſe quod per fideicommiſſum ſemel ademptum eſt, tametſi poſtea & fideicommiſſum fuerit ademptum, vt *ſuperiore libro c. 8.* multis exemplis oſtendimus, amiſſum ſemel rei cuiuſque dominium, & alij quæſitum non ideo ad priorem dominum reuerti, quod poſterior dominio eius exciderit. nec quemquã turbet S. C. factum ad legem Iuliam & Papiam, quod proponitur in *l. Iul. De leg. 2.* quia de fideicommiſſo loquitur quod deficit fideicommiſſario defuncto antequam dies fideicommiſſi cederet, vt & *l. 17. eod.* & *l. pater §. fidei, De leg. 3.* Scæuola autem de adempto fideicommiſſo loquitur. Ad hoc genus fideicommiſſi non pertinuit lex Iulia, & Papia, quod nec vnquam fuiſſe relictum intelligitur, id eſt fiſco neque ceſſit, neque cedere poſſe viſum eſt. Ad illud vero pertineret niſi ſpecialiter S. C. id excepiſſet, & ad legatarium potius quam ad heredes remanere cenſuiſſet, qui quæ apud heredem tantum remanſura ſunt ſi deficiant ex legibus capit, non quæ apud legatarium. Senatus vocando legatariũ fiſcum excluſit, leges caducarias coartauit. Verum tentari poteſt & adempti à teſtatore fideicommiſſi legatarium habere retentionẽ, ſicut & eius quod pro nõ ſcripto habetur *l. pen. §. Scæuola, De leg. 2.* & petitionem tantum ei Scæuolam denegare cum negat ad eum legatum pertinere, non retentionem. Pertinere enim dicitur id tantum quod peti poteſt *l. 45. §. 1. De leg. 1. l. 14. De lib. & poſt.* & hac diſtinctione adhibita inter petitionem & retentionem non excidit mihi alio B loco conciliaſſe me *l. ſiquis quos, De leg 2.* cum *l. ſi quis eum, De cond. & dem.*

CAP. II.

Differentia inter malepetere vel agere, & nihil agere.

STipulatio certæ pecuniæ dotis conſtituendæ cauſa pure interpoſita, ſtatim ab initio hanc in ſe tacitam condicionem habere videtur, ſi nuptiæ ſequantur, & ideo ante nuptias atque adeo ante quam condicio extiterit eleganter Paulus ait in *l. 4. §. pen. De pac.* eam pecuniam male peti, qua ex cauſa petitor incidit C in periculum plus petitionis, quia præmaturius petit, vt loquitur *l. liber 2. §. pen. De ver. obl. & §. plus, Inſt. de act.* Poſt repudium autem quia idem Paulus ait ipſo iure euaneſcere ſtipulationem, propterea quod illa pactio ſiue condicio tacita ineſt ex parte rei, vt *l. rogaſti §. 1. & l. lecta, De rebus cred. & d. l. 4. §. vlt.* recte dices petitorem nihil agere, quia ex obligatione agit quæ nulla eſt nec vllum plus petitionis periculum adit. Ille vero qui agit ante repudium non ex nulla, ſed ex cõdicionali obligatione agit quę ſtatim ab initio vires accepit, *l. vſusfr. De ſtip. ſer.* itaque non nihil agit, ſed non recte, & agit quidem, ſed perperam, & ideo plus petitionis periculum ſubit, ſicut & cui debetur pars, ſi totum petat, male petit, quia re plus petit, *l. 4. De D compenſ.* Et ità qui legatum fundi relictum in diem certum petit poſt mortem teſtatoris ante diem, quia obligatio eius iam cœpit à morte teſtatoris, non nihil ſed male agit, quia plus tempore petit. Qui vero legatum vſusfructus relictum in diem certum poſt mortem teſtatoris petit ante diem, nihil agit, quia antequam dies venerit, & adita hereditas fuerit, vt *l. 2. quan. dies, leg. ced.* nulla obligatio eſt. & ita explicanda eſt *l. vnica §. vlt. quan. dies vſusfr. leg. ced.*

CAP. III.

In rem vel ad exhibendum actionem non dari de peculio ſed in perſonam tantum, & quando hæc iudicia reddantur in inuitum.

PAter filij nomine de peculio actionem pati compellitur, ſicut etiam quamuis perſonalem actionẽ, qua ſuo nomine conueniatur, vt Vlp. ait in *l. ſumma §. vlt. De pecul.* & recte *perſonalem.* nam actio perſonalis redditur in inuitum, *l. inter §. 1. De ver. obl.* vbi *iudicium* i. iudicium ex ſtipulatu. actionem vero in rem nemo pati compellitur, quia conuento licet dicere ſe non poſſidere, *l. vlt. De rei vind.* atque ita euitare actionem quæ non niſi ex præſenti poſſeſſione eſt, *l. 24. §. vlt. De ind.* Omnis autem actio de peculio eſt in perſonam. Quæ in rem eſt vel ad exhibendum, ea pater vel domi-

nus si eo sciente filiusf. aut seruus rem alienam possideat suo nomine tenetur in solidum, non filij aut serui nomine dumtaxat de peculio. itemque filiusf. eadem actione tenetur, non seruus *l. de eo §. 1. l. cum seruus, Ad exhib. l. si à domino, De pet. her. l. si filiof. De mor. cau. don. l. 18. §. vlt. De cast. pec.* vbi dum quærit si filiusf. rem alienam bona fide possideat ex causa castrensis peculij, an pater eius in rem vel ad exhibendum actionem pati debeat, vt ceterorum nomine, satis indicat ceterorum bonorum quæ sunt extra causam castrensis peculij, patrem actionem in rem vel ad exhibendum suscipere compelli, qui scil. non negat se rei restituendæ facultatem habere. At male illo loco, *Vt ceterorum nomine*, Pand. Flor. antiquis librarius addidit, *filiorum*. qui error & alios omnes peruasit libros. Non est addendum, *filiorum*, sed subaudiendum, *bonorum*, vt & sequentia verba demonstrant, *Sed verius est cum hoc peculium à patris bonis separetur.* Quia vero de peculio dumtaxat actio in patrem non competit, cum quis rē suam esse petit quam filiusf. tenet, sed cum quis intendit filiumf. sibi dare oportere, ideo fuit aliquando dubitatum, an commodati & depositi de peculio agi posset. quia qui his actionibus experitur rē suam petit. Sed placet & his actionibus de peculio dumtaxat agi posse *l. 3. §. si filiof. Commod. l. depositi, in pr. De pecul.* quia actor agendo depositi vel cōmodati rem quidem petit suam, sed non esse suam. eadē vero ratione etiam dubitabatur, an depositi vel commodati fideiussor accipi posset. quia siue rei, siue actionis fideiussor sit, obligationibus tantum accedit ex quibus nascuntur personales actiones, non causis ex quibus oriuntur actiones in rem, quales esse videntur actio commodati & depositi, quia per eas actor rem suam persequitur. Verum non in rem sunt tamen, sed in personam ex contractu. ideoque & commodati & depositi fideiussor accipi potest, vt monet *l. 2. De fideiuss.* ne quem supradicta ratione turbaret. Ad hęc addi velim patrem quidem compelli de peculio vel de in rem verso ex contractibus filij extra causam peculij castrensis actionē pati, sed non etiam in solidum compelli suscipere defensionem filij *l. 20. De pac. d. l. 18. §. vlt.* Defensionem filij suscipit & qui de peculio vel de in rem verso iudicium accipit *l. 21. § nos autem, De pac.* sed non in solidum.

Cap. IV.

De obligatione quæ nominibus fit per mensæ scripturam.

OBligatio nominibus contrahitur per scripturam mensæ argentariæ sine stipulatione. quamobrem duo argentarij quorum nomina simul eunt id est vt Bas. interpretantur ἅμα συγγεγλάμμοι, qui duo sunt rei debendi vel credendi, recte separantur à duobus reis promittēdi vel stipulandi *l. si plures, l. idem, l. si vnus in pr. De pac. l. si duo, De recep. qui arb. rec.* Recte ité stipulatio à nominibus *l. 1. De ann. leg.* vel ab scriptura illo loco Regularum Vlpiani, *Manumissus inter amicos omnia tanquam seruus adquirebat manumissori, vel si stipulabatur, vel si per scripturam acceperat.* i. per scripturam mensæ, factis nominibus vt apud Donatum in Phor. *per scripturam mensæ pecuniam dari vel reddi*, & *l. qui tab. §. vlt. De fur.* Si quis cum alias probationes, mensæque scripturam haberet, & ita *l. 9. §. pen. De eden.* pecuniarum acceptarum & erogatarum probationem scriptura & codicibus nummulariorum contineri. i. scriptura mensæ, & *l. 2. De obl. & act.* obligationes quæ consensu fiunt neque verborum neque scripturæ vllam proprietatem desiderare, *verborum* dicit vt eas remoueat ab obligationibus quæ verbis fiunt, *scriptura* vt ab his quæ nominibus fiunt ad mensam argentarij vel nummularij citra stipulationem, quæ & literis fieri dicuntur *l. 6. C. Th. De denun. resc.* quamquam vt ait *l. 38 De obl. & act.* quæ proculdubio respicit ad nomina argentariorum, non figura litterarum contrahantur, sed oratione potius & sensu quem exprimunt literæ, *quatenus* i. quia placet non minus valere quod scriptura mensæ continetur, quam quod lingua figuratis solemnibus stipulationis verbis.

Cap. V.

An is qui plures ex eadem causa obligatos habet, & quando, cogatur diuidere actionem.

EX epistola D. Adriani creditor inter fideiussores vel mandatores, vel reos constitutæ pecuniæ cogitur diuidere actionem, si omnes sint præsentes, vel si procuratores habeant, & soluendo sint litis contestandæ tempore. At non cōgitur etiam diuidere actionem inter reum principalem & fideiussorem *l. si plures §. 1. De fideiuss.* puta partem crediti petere à reo, partem à fideiussore nisi hoc maluerit *l. 3. §. 1. De duo. reis, l. grege §. etiam, De pign. l. reos, C. de fideiuss. l. 1. C. de fid. tut.* Sed in arbitrio eius est vel à reo vel à fideiussore solidum exigere. Et recte *l. 11. De duo. reis*, si duo rei promittendi inuicem fideiusserint, stipulatorem si velit diuidere actionem posse, conuento vno ex reis actione creditæ pecunię pro parte, vt reo principali pro parte actione ex stipulatu vt fideiussore conrei. *Si velit*, inquit, nec enim diuidere cogendus est. Et addit idem esse dicendum in duobus reis debendi, vt creditor si velit diuisis actionibus possit partem ab vno petere, partem ab altero, vt *d. l. 3. §. 1. l. inter eos §. 1. de fideiuss.* non etiam cogatur, quia beneficium epistolę D. Adriani non pertinet ad reos debendi nec pertinuit vnquam ante Nouellam Iustiniani. qua de causa nec ante Iustinianum vnus ex reis soluendo partem, liberabatur reliquo, etiamsi conreus soluendo foret, *l. si ex duobus §. 1. De leg. 1.*

Cap. VI.

Etiam vnum ex reis credendi nouare veterem obligationem posse.

PAulus scribit *l. 27. in pr. De pac.* vnum ex reis credendi neque paciscendo de non petenda pecunia obesse alteri, neque per stipulationem nouare veterem obligationem posse illo loco, *nam nec nouare alium posse quamuis ei recte soluatur.* alium scilicet reum stipulandi vel alium argentarium, vt in *l. 25. eod.* personale pactum ad alium non pertinere, puta ad alium argentarium, vel alium reum promittendi. quem illius loci sensum etiam Bas. adprobarunt, quæ & de vno argentario reo credendi, & de vno reo stipulandi ita præcidunt, nouari ab eo obligationem non posse, ὁ ἐξ ἧς δύο ἀργυραπτῶν καὶ ἧς δύο ἐνοχῶν ἐπερωτῶντος αὐτοῦ μόνος ἀ δύναται. non excidit mihi vt olim eum locum acceperim, nunc non possim aliter quam dixi modo. At Paulo Venuleius aduersatur in *l. si rem §. si duo, De nouat.* Paulus hac sola ratione nititur, quod tantum constitutum sit, vt alter ex reis credendi solidum petere, exigere in iudicium deducere, & solutū accipere possit. adde, & solidum acceptum ferre, quoniam & hoc fere inter omnes conuenire Venul. ait in *d. §. si duo*, vt qui solidum accipere potest, & id pro accepto habere & acceptum facere possit: nam & acceptilatio imago est solutionis. Et quia illud tantum constitutum est, non etiam vt & alter nouare possit, ideo nec nouare alterum posse. Ius hoc totum pendere ex Constitution. ac similis est ratio *l. 10. De solut.* adiecto

solutionis gratia solui tantum posse, & ideo nec petere nec nouare, nec acceptum facere eum posse. At etsi nominatim id constitutum non sit vt & alter ex reis credendi nouare obligationem possit, tamen quia neq; id etiam prohibitum est nominatim, tentat Venuleius in dicto §. *si duo*, posse dici, paulatim adaucto iure duorum reorum credendi, vt paulatim increbrescere & inualescere sententias iuris ait *l.* 11. §. *si rem De leg.* 3. etiam alterum nouare veterem obligationē posse in quo approbando quia Venuleius in *d.* §. *si duo*, magnum studium ponit, eo satis indicat non idem visum fuisse omnibus, & esse verum igitur quod Paulus ait in *d. l. si vnus*, non idem videri Proculianis, Labeoni, Proculo, Neratio, Atilicino, à quibus tamen diuersus Venuleius seorsum sentit, ac ne temere à tot tantisque viris dissentire videatur, magna cum cura & molimine opinionem suam adstruit esse veriorem. & primum ponit quod fere constabat inter omnes, vni ex reis stipulandi recte solui, vnum recte solidum iudicio petere, quæ nouatio est necessaria, & exigere, & vniusacceptilatione perimi vtriusque obligationē vt *l.* 2. & 16 *De duob. reis*, *l.* 13. §. *vlt. De accept.* vnde colligit, vnumquemque perinde sibi adquirere obligationem atque si solus stipulatus esset. quod tamen non esse per omnia verum confitetur. nam si quis re vera solus stipulatus sit, non potest alterius extranei factum, veluti acceptilatio, vel exactio, ei auferre debitorem .i. liberare debitorem eius. at exactio vel acceptilatio vnius ex reis stipulandi, conreo aufert debitorem. ergo non per omnia vnusquisque pro eo habetur atque si solus stipulatus esset. eo tamen excepto quod ad cetera attinet perinde esse atque si reuera solus stipulatus esset. ergo vt exigere & acceptum ferre, ita & nouare vnumquemque obligationem posse interposita stipulatione, quæ nouatio est voluntaria, vt puta, quod communis debitor debet id stipulando à L. Titio expromissore quem communis debitor vice sua reum dedit nouandi causa: quo genere debitor cōmunis liberabitur ab vtroque stipulatore, & hoc est quod ait Venuleius in *d.* §. *si duo, secundum quæ si vnus ab aliquo stipuletur nouatione quoque liberare eum ab altero poterit, cum id specialiter agit*, quæ postrema verba Tribuniani sunt ex Constitutione Iustin. Idemque confirmat Venuleius hac ratione, quia & nouatio, vt acceptilatio similis solutioni est. Et his adnectit amplius species certas quibus manifestum faciat, quam sit absurdum & inelegans non admittere nouationem factam ab vno ex reis stipulandi. Facito vnum ex reis stipulandi communem debitorem delegare Titio suo creditori, & Titium ab eo stipulari. an dices debitorem qui se Titio obstrinxit in solidum non liberari ab vtroque? an dices & Titio eum esse obligatum in solidum, & alteri stipulatori qui eum nō delegauit? quod quis ferat? Rursus facito mulierem vnam esse ex reis stipulandi & iubere debitorem communem doti dicere ei cui nuptura est fundum quem debet sibi & alteri conreo stipulandi. an non liberabitur ab vtroque? Imo vero, ne bis eandem rem soluere cogatur. Vel finge eandem mulierem cum nuptura esset communi debitori, ei doti dixisse fundum quem debuit. an & hoc casu non liberabitur debitor ab vtroque stipulatore? & quod vtrique debuit ex causa crediti, non debere incipi & mulieri ex causa dotis in casum diuortij vel mortis suæ. & ita sensim & veluti per gradus quosdam efficit Venuleius, contra quam Proculiani sentiant, etiam vnum ex reis stipulandi nouare veterem obligationem posse. Non est qui hæc vlterius porrexerit ad pacta, vt & vnus ex reis stipulandi paciscendo debitorem communem ab vtroque liberare posset. quia nec pactio solutioni per omnia similis est, nec legitimus est modus tollendę obligationis. Itaque in pactis sequemur Proculianos, non in nouationibus, quia tot rationes Venulcij nos in suas partes ire compellunt.

CAP. VII.

Non maiorem esse vim iurisiurandi, quam pacti.

QVod Theologi dicunt Deum non facere discrimen inter iusiurandum & sermonem nudum, quodque in Euagora Isocrates laudat quod seruaret ὁμοίως τὰς ἐν τοῖς λόγοις ὁμολογίας ὥσπερ τὰς ἐν τοῖς ὅρκοις, id in iure ciuili pop. Romani etiam locum habere videtur. nam & iusiurandum pro pacto cedit, *l.* 2. *l. tutor* §. 1. *l. sed & si seruus, De iureiur.* & vt ex pacto vel pollicitatione inter ciues Romanos actio non nascitur nisi sit pactum legitimum, ita nec ex iureiurando, puta si quis etiam roganti iurauerit se aliquid daturum facturumve, nisi eque iusiurandum fuerit legitimum, vt ex lege Iulia & Papia si libertus iurauerit patrono se donum, munus, vel operas officiales daturum, *l.* 7 *l.* 8. *in fin. De op. lib. l.* 13. *in pr. De accept. l.* 6. §. *si quis absente, De confess. l. vlt. De lib. cau.* quo genere etiam contrahi verborum obligationem Gaius scribit *in Institutionibus.* At si is qui libertus non est idem iurauerit, nulla nascitur obligatio, neque naturalis, neque ciuilis, *l.* 56. *in pr. De fideius* quia iusiurandū inutile, nec cedit pro pacto, vt pariat naturalem obligationem, sicut nec stipulatio inutilis, *l.* 1 §. *si quis ita interroget, De verb. obl.* Et in aliis causis eadem vis est pacti, & iurisiurandi, certe non maior iurisiurandi, quam pacti *l. si Stichum* §. *naturalis, De solut. l. non solum* §. 1. *l.* 5. §. *hac lege, De iniur. l.* 7. §. *& generaliter, De pac. l.* 1. §. *pen C. de nat. lib.* imo nec vel centies iurati aut iterati pacti, nam & ex hoc non nascitur actio, neque vt nascatur ex pacto iureiurando confirmato constituitur in *l. si quis maior, C. de transact.* sed pœna dumtaxat in periurum. At videtur maior tamen esse vis iurisiurandi, quam pacti in specie *l. in duobus in pr. De iureiur.* eo quod ab vno ex reis stipulandi debitori communi delatum iusiurandum, si is iurauerit se dare non oportere, puta se soluisse, nocet alteri, siue socius fuerit, siue non, & tamen pactum ab vno factum non nocet alteri, *l. si vnus in pr. De pac.* Sed hoc ideo quia delato iureiurando debitor iurat se soluisse, pacto interposito nihil dicit tale, sed quod inter eum & stipulatorem dari oportere in confesso est, id stipulator remittit, quæ eius liberalitas alteri obesse nō debet. de suo enim quēque largiri oportet non de alieno. Eademque ratione si fideiussor iurauerit se dare non oportere, non quia non fideiussit, sed quia soluit, reo principali proficit, perinde atque si fideiussor soluisset, *d. l. in duobus* §. 1. *l. vlt.* §. *pen. eod.* & tamen pactum fideiussoris reo non proficit *l.* 23 *De pac.* quia & nullam ponit solutionem interueniisse. Item si vnus ex reis promittendi eodem modo iurauerit, eadem ratione alteri proficit, etiamsi socius nō sit, *d. l. in duobus* §. *ex duobus*, non etiam si pepigerit aliter quam si eiusdem rei vel obligationis socius fuerit, *l.* 25. *De pac. l.* 1. & 14. *Rem rat. hab. l. eandem* §. 1. *De duob. reis l. qui hominem* § *vlt. De solut.* Idemque dici potest de patre qui iurauit filiumf. dare non oportere, vt exceptio iurisiurandi filio proficiat *l. qui iurasse* §. 1. *De iureiur.* cui tamen non proficit exceptio pacti, *l.* 21. §. *nos autem, De pac.*

CAP. VIII.

De doli mali exceptione.

EXceptio doli mali ex æquo & bono accommodatur *l.* 2. §. *pen. Si quis caut.* non tantum ne cui dolus

ſuus proſit, ſed & ne dolus ſocij *l. ſi duo, eod.* Magna eſt vis huius exceptionis. nam & naturalem æquitatem tuetur, & moderatur aſperitatem iuris ciuilis *l. 1. De dol. exc. l. vlt. C. de Vſuc. pro emp.* vt cũ ceſſante exceptione pacti per occaſionem regularum iuris ciuilis, accommodatur exceptio doli, *l. 7. §. pen. l 10. §. vlt. l. 21. §. 1. & §. Iulianus, l. 25. §. vlt. De pac.* Et rem temperat, *l. qui cccc. ad leg. Fal.* & emẽdat, *l. in duobus § ſi ei qui, De iureiur.* & ineffi cacem faciat actionem *l. 14. De iu. dot.* Et recte à Cyrillo in *l. inter §. pen. De pac. dot.* dicitur hæc exceptio eſſe φυσικώτερ. καὶ ὁ πάνυ πῃ ἀκριβῆ ἐξετάζουσα. ac præterea ſunt alij eius effectus plures. nam & impenſæ neceſſariæ & vtiles etiam mala fide factæ in rem alienam, per eam retinentur, & omne iudicium ea exceptio bonæ fidei facit, atque eam ob rem omnibus negotiis accommodatur. quia vt de bonæ fidei nomine Scæuola dixit, ita verum eſt quod ei aduerſatur. doli mali nomen manare latiſſime, *l. 4, §. pen. l. qui æquitate, De do. exc.* & per eam quoque exceptionem inducitur retractatio rei iudicatę, & quaſi quędam appellationis ſpecies, *l. non diſtinguemus §. cum quidam, De rec. qui arb. rec. l. diuerſo §. vlt. Sol. mat.*

A ipſo iure ex Conſtitutione ſupradicta. Non probo etiam quod Acc. tentat, ideo dominum cui defenſor exiſtit ante litem conteſtatam volentem iudicium accipere cauſa cognita eſſe audiendum, quia fieri poteſt vt defenſori aliquid ob eam rem abſit, quod antequã dominus ei ſoluerit æquum non ſit dominum audiri poſtulantem ſuo nomine iudicium ſuſcipere, quoniã retentione is tantum vti poteſt aduerſus dominum ſiue procurator ſiue defenſor qui lite conteſtata dominus litis effectus eſt, *l. 25 in fi. l. 30. eod. tit.* nam ante litem inchoatam quæ poteſt ex ea retentio fieri? Et regula ait, *ante litem conteſtatam à defenſore dominum deſiderantem litem conteſtari ſuo nomine, cauſa cognita audiri.* vbi verba illa, *Cauſa cognita*, abundare videntur. nam cauſæ cognitio poſt litem conteſtatam dumtaxat exigitur domino volente in ſe iudicium transferre, vel alium defenſorem dare, *l. 17. eod.* non ante litem conteſtatam eo volente iudicium accipere vel quod idem eſt litem conteſtari remoto defenſore *l. 16 eod. c. 2. eod. in 6.* Aut ſane illo loco. *Cauſa cognita*, id eſt eo cognito litem nondum conteſtatam eſſe, vt in *l. 45. §. qui ita eod. Cauſa cognita.* i. eo cognito rem ad eos pertinere.

Cap. IX.

Abundare priore loco videri vocem, Noxalis, in l. De illo, De nox. act.

ADuerſus eum qui dolo malo fecit quo minus ſeruum de quo noxalis actio eſt in poteſtate haberet, vel qui mentitur ſe eum non habere in poteſtate, ſi actor contentus non ſit iureiurando, quo is deieret ſeruum in ſua poteſtate non eſſe, neque dolo malo feciſſe quo minus eſſet, locum habet actio in ſolidum ſine noxæ deditione, *l. 2. §. vlt. Si ex nox. cau. ag. l. ſi heres De nox. act. l. ſi ſeruus non ſit, De int. in iu. fac.* quæ prętoria vel honoraria dicitur & ſeparatur à noxali, *l. electio §. item ſi ex pluribus, & §. ſi is quem, l. ſi plurium, De nox. act.* Quod ergo quęritur in *l. de illo De nox. act.* an aduerſus eum tantum actio locum habeat noxalis, ſi ex dolo eius acciderit vt ceſſet noxalis actio, inepte quęritur. quia aduerſus eum locum non habet noxalis actio, quam & aperte ceſſare ſcribit. nam nec vtilis actio noxalis dici poteſt ea cui non adiicitur noxæ deditio, & quę non ſerui, ſed ſuo nomine in dominum datur in ſolidum. Itaque vox, *Noxalis*, in *d. l. de illo*, priore loco abundare videtur, & aut nulla alia vice eius reponi debere, aut hæc, *Prætoria*, vel *Honoraria*. Noxalis eſt ciuilis & directa ſi ſeruus furtum fecerit damnumve dederit, non Prætoria. Item prætoria non datur heredi vel in heredem, *d. l. electio §. neque.* Noxalis datur *l. pen. §. vlt. eod. tit. l. 1. §. vlt. Si quadr. paup fec. dic.* & illa non perpetuo, hæc perpetuo in dominum datur *d. §. neque & d. l. pen. §. vlt.*

Cap. X.

Ad l. LXIIII. De procur. & defenſ.

REgula quæ ex Modeſtino proponitur in *l. lxiiij. De procur. & def.* de defenſore loquitur, non de procuratore facto ad agendum, & de defenſore in rẽ alienam, non in rem ſuam. itaque nihil ad eam explicandam faciunt quæ de procuratore dato ad agendum in rem ſuam vel in rem alienam Accurſ. adfert. non potuit etiam reſpicere Modeſtinus ad Conſtitutionem *l. quicumque, C. eod.* quaſi propter eam ſcilic. Modeſtinus adiecerit, *Cauſa cognita*, ac præterea etiamſi dominus cui defenſor exiſtit ex numero ſit eorum qui excipiuntur ſupradicta Conſtitutione, non decreto prætoris cauſa cognita, per ſe litigare prohibetur, ſed

Cap. XI.

Congrua ſpecies apponitur ad hæc verba, Vel in operis noui nuntiatione l. XXXVI. eod. tit.

PRocurator eum cuius nomine agit videtur recte defendere, vt Vlp. ſcribit *l. xxxv. §. vlt. De procur.* etiamſi cum ab eo viciſſim deſideraretur cautio damni infecti vel legatorum quæ poterat deſiderari à domino, ea non præſtita paſſus ſit aduerſarium venire in poſſeſſionem, cum id domino magis expediret, idemque dominus facturus erat. huic caſui ſimilem adiecit Paulus *l. ſeq.* Si procurator cum inuicem aduerſarius ageret noxali iudicio quod habuit contra dominum, omiſſa defenſione ſerui, eum prętoris iuſſu duci paſſus ſit, cum id domino magis expediret. nam & hic dominum recte defendere videtur. verum his duobus caſibus proculdubio defenſor qui hæc patitur cauere debet de rato, ne reuerſus dominus oblata cautione miſſum in poſſeſſionem expellat, vel oblata defenſione ſeruum reducat, vt *l. 2. §. vlt. Si ex nox. cau. agat.* Idẽ Paulus adiecit tertium caſum his verbis, *Vel in operis noui nuntiatione*, quę ſunt valde obſcura, vel eo maxime quod & hoc caſu à defenſore Paulus exigat cautionem de rato, dum ait, *In his omnibus*, quia duos caſus non dicimus, *Omnes*, ſed minimum tres, quæ tamen cautio non videtur exigi in cauſa nuntiationis noui operis, *l. 45. §. vlt. eod. tit. l. 5. §. vlt. & l. ſeq. De no. op. nunt.* At ſane exigitur in ſpecie propria illius loci, quæ eſt eiuſmodi. Procuratori, qui alieno nomine agebat, is quo cum agebat nuntiauit nouum opus, procurator defendere dominum videtur, etiamſi non ſatisfdet vel repromittat ex noui operis nuntiatione, videlicet de opere reſtituendo, quamuis hoc genere nũtiator ex non poſſeſſore fiat poſſeſſor iuris ſui, quaſi ex ceſſione aduerſarij, ſi modo caueat de rato, propterea quod reuerſus poſtea dominus poteſt oblata cautione de opere reſtituendo reſtitui ad operis noui executionem, perinde ac ſi remiſſa nuntiatio eſſet. Cautio pro remiſſione eſt, *l. 5. §. ſi is cui, De no. op. nunt.* Nõ potes ad *d. l. 36.* exemplum apponere ex *l. 13. §. vlt. eod. tit.* quia qui remiſſionem petit defenſoris partes obtinet, *d. l. 5. §. pen.* procurator autem qui interuenit ex parte eius qui nouum opus nuntiauit, actoris, & ideo tanquam actor cauere debet de rato. quia reuerſus dominus poteſt agere interdicto reſtitutorio, ne ei ſua abſentia noceat, cum ſit indignum quolibet interueniente beneficium nuntiationis amitti.

Cap. XII.

Ad l. XLV. §. qui ita, eod. tit.

HÆc verba *l. xlv. §. qui ita, De procur. & postea alius agens exceptione repelletur*, glossæ excipiunt male de exceptione rei iudicatæ; nam, *postea*, non tantum est post rem iudicatam, sed & post rem iudicatam, & ipsum qui egit siue cum eodem agat, siue cum alio, & alium quemcumque repelli constat exceptione rei iudicatæ, vel doli mali, *l. 3. De pop. act. l. 6. De sep. viol.* ne sæpius de eiusdem hominis admisso quæratur, *l. pen. §. vlt. Nau. caup. stab. l. 3. l. 4. De his qui deiec. vel effud. l. 3. Vi bon. rap.* Post litem vero contestatam non nisi vel exceptione iurisiurandi, *l. eum qui §. pen. De iureiur.* vel exceptione doli, vt & Bas. in illo §. *qui ita*, perspicue scriptum habent, ᾧ κινῶν ἕτερον μὴ πᾶσα ἐκβάλλει δόλου παραχωρῇ. quod confirmat & *l. 3. §. si is cuius De sep. viol.* quæ ostendit non nisi ante litem ab alio contestatam alium admitti, nec si ad eum res pertineat ad actionem sepulchri violati, quæ popularis actio est. post litem ergo contestatam alium non admitti. Denique præuentione vnius ex populo, ceteri excluduntur, sicut in criminalibus causis iudiciorum publicorum præuentione vnius accusatoris cæteri excluduntur, *l. 9. C. de accus.* sicut pluribus simul factis procuratoribus ad actionem vnam in solidum, præuentio vnius ceteros excludit, *l. 32. De procur.*

Cap. XIII.

An qui alterius defensionem suscepit omnimodo per prætorem iudicium accipere cogatur, nec sufficiat committi stipulationem Iudicatum solui.

QVi absentis nomine vt procurator agit, ex edicto prętoris & absentem defendere cogitur, id est, id facere quod dñs, in litem faceret, & satisdare iudicatum solui, & præter satisdationem etiam omnimodo cogitur iudicium accipere, nec sufficit ob rem non defensam stipulationem siue satisdationem committi, nisi & ex iusta causa absentis nomine agere recuset, vel æque ex iusta causa mutetur & remoueatur, *l. 35. §. pen. De procur.* idemque dici potest de procuratore dato ad defendendum, pro quo consentiente dominus cauit iudicatum solui, vt omnimodo per prætorem iudicium accipere cogatur, nec sufficiat aduersus dominum stipulationem committi, nisi recusandi iudicij iustam causam habeat, *l. 8. §. vlt. l. 14. eod.* Qui vero absentis nomine non agit, inuitus non cogitur suscipere defensionem absentis, *l. inuitus, C. eod. l. 156. De reg. iu.* Sed si iudicatum solui satisdederit defendendi absentis, an omnimodo cogatur iudicium accipere, magna est controuersia inter Labeonem & Sabinum, à quibus fere cœperunt diuersæ secari viæ in iure interpretando. nam Labeo existimat post satisdationem omnimodo esse cogendum, nisi iustam causam habeat recusandi iudicij, *l. 43. §. vlt. De procur.* Contra Sabinus sufficere arbitratur ob rem non defensam stipulationem committi, ex qua si agatur, in eo iudicio æstimetur iustam nec ne habuerit ille causam recusandi iudicium accipere, vt si iustam habuerit, absoluatur, quia non simpliciter rem defendere promisit, sed arbitratu boni viri, & viri boni arbitrio congruit ne iudicium suscipere cogatur qui id recusandi iustam causam habet, *l. vir bonus, Iud. solui*, sin vero iustam causam non habuerit, A condemnetur quanti ea res est etiam destricte iudicium accipere cogatur, *l. 45. in pr. eod. tit.* & hæc sententia obtinuisse videtur.

Cap. XIV.

Actiones quæ in bonum & æquum concipiuntur & naturalem præstationem habere intelliguntur, adl. VIII. & IX. De cap. min.

B ISqui à patre naturali in adoptionem datur, vel qui emancipatur, non habet obligationes vel actiones quas capitis deminutione amittat vllas, quia quas adquisiuit quamdiu fuit in potestate patris naturalis, eas statim patri naturali quæsiuit iure patriæ potestatis, exceptis his quæ naturalem præstationem habere intelliguntur, quæ patri per omnia non adquiruntur. Non naturales obligationes dico, quæ scilicet naturales tantum sunt, non ciuiles, quas constat non parere actionem, sed obligationes ciuiles, quæ actionem pariunt, quæque naturalem præstationem habent, vt ait *l. 8. De cap. min.* id est vt Græci interpretantur, quæ ex bono & æquo consistunt, recte, quibus scilicet quod prętatur ex naturali potissimum C ratione venit, & ex bono & æquo, vel vt dicam explicatius, in quibus non tam subtile ius obseruatur quam bonum & æquum, ac proinde quia natura communis est etiam in filiorumf. personam cadunt eosque sequuntur quandoque postea emancipatos, nec patri omnimodo adquiruntur. Iure subtili, iure summo, patri omnimodo adquiruntur, ex æquo & bono, quæ uis adquisitæ sint patri iure potestatis, etiam filio capite minuto accommodantur, quasi non prorsus adquisitæ patri. Nec rursus dico actiones bonæ fidei, quamuis & in his ex æquo & bono condemnatio & restitutio fiat, §. *in bonaf. Inst. de act.* Sed exempli gratia actionem de dote siue rei vxoriæ quę ad dotem repetendã morte viri aut diuortio dirempto matrimonio, siue dos fuerit profectitia siue aduentitia patri competit in cuius potestate mulier est, quasi per illam ei quæsita iure potestatis, non tamen soli, sed D adiuncta mulieris, id est filiæ voluntate, vt aperte definit Vlp. *lib. sing. Reg. tit. De dotibus.* vel si pater absit aut suspectæ vitæ sit, ipsi filiæ non adiuncta persona patris, quasi nec patri omnimodo quæsita, *l. 8. §. sed & filiof. De procur.* Cur ita? non quia hæc actio est bonæ fidei, cum & idem admittatur in strictis actionibus quibusdam, sed quia vt ait *d. l. 8.* actio de dote concipitur in bonum & æquum, id est, propriam habet formulam conceptam in bonum & æquum, quæ non aptatur ceteris iudiciis bonæf. & proprie concipitur his verbis, *quod æquius melius sit præstari*, vt *l. si cum Cornelius in fi. De solut. l. pen. in fi. Sol. mat.* Et E ideo etiam post emancipationem filiæ quæ subsecuta est diuortium, viuo patre filiæ heredive eius competit actio de dote potius quam patri, quia æquius melius est dotem filiæ emancipatæ præstari, vt habeat vnde alii nubere possit, nec dotis commodo defraudetur, quasi nec quæsita ea actio patri fuerit, tametsi reapse sit quæsita patri, subtili iure vt *l. 2. §. 1. l. si cum dotem §. eo autem tempore, l. filia sol. mat.* Hoc efficit ratio naturalis quæ in actione de dote spectatur potius, quã subtilitas iuris, & quæ per ciuilem rationem, id est capitis minutionem corrumpi non potest, *d. l. 8. §. vlt. Inst. de leg. agn. tut.* ius enim naturale immutabile & incorruptibile est. Et hæc eadem æquitas siue ratio & humanitas naturalis efficit, vt & matrif. passæ mediam capitis deminutionem, puta deportatæ in insulam, diuortio postea facto, aut marito mortuo de

tu r actio de dote, non fiſco ad quem bona eius perue-
ne runt, *l.* 5. *in fi. De bon. dam.* Itemque multo qui-
de m magis vt filiæ ſui iuris effectæ ſine capitis demi-
nu tione, veluti patre deportato, ipſa manente in ciui-
tate, de dote actio detur, non fiſco, quaſi ſucceſſori
patris, quæ nec patri daretur diſſoluta patria poteſta-
te, *l. in inſulam, ſol. mat.* & ſimiliter mortuo patre, vt
filiæ detur potius quam heredi patris, aut ſi pater for-
te viuus ea actione egerit & vicerit, actio iudicati filiæ
potius quam heredi patris, *l. Si marito* §. *Si voluntate, eod.* quia & parte dotis ſoluta patri, reliquę partis
mortuo patre repetitio filiæ potius datur, quam here-
di patris, quamuis ipſo iure actio fuerit quæſita patri,
l. pen. §. *filiaſ. eod.* Et hoc quidem quod ait *l.* 8. *&* 9. B
De cap. min. de actione de dote iam ſatis perſpicuum
eſſe arbitror. Sed quia propoſitio *l.* 8. eſt generalior,
quam vt vnum tantum genus actionis complectatur,
ait enim, *Eas obligationes, &c.* deſidero adhuc mihi a-
lias ſpecies actionum dari, quæ naturalem præſtatio-
nem habeant, & in bonum & æquum concipiantur,
atque ideo quamuis ſint adquiſitæ patri competant e-
tiam filiis filiabuſve familiarum, nec interuertantur
emancipatione. Et eiuſdem profecto generis eſt actio
iniuriarum, quæ quamuis ſit ſtricti iudicij, tamen ex
æquo & bono eſſe dicitur, *l. non ſolum* §. 1. *de iniuriis*,
nempe quaſi concepta quanti ob eam rem æquum iu-
dici videbitur, *l.* 17. §. *ſeruus, eod. l. qui ſeruum, De obl.*
& act. atque adeo æquitas in ea potiſſimum naturalis
valeat, atque dominetur, vt *d. l. non ſolum* ſignificat
his verbis, *Aequitas actionis omnem metum eius abolere*
videtur, vbicumque quis contra aquum venit. Et ideo ſi
filiof. facta ſit iniuria, & filij nomine patri quęſita ſit
actio iniuriarum, filio tamen poſtea emancipato ſuo
nomine ea dabitur actio potius, quam patri nomine
filij, aut heredi patris, *l. Sed ſi vnius* §. *ſed & ſi pater, &*
§. *vlt. de iniur.* ſicut & manenti in poteſtate ſi pater
non ſit præſens vel ſi filij nomine agere nolit, *d. l. Sed ſi*
vnius §. *idem Iul. l.* 4. §. 1. *De procur.* hoc enim eius iu-
dicij æquitas ſuadere videtur. Eadem ratione puto ſi
quid ex cenaculo tuo, exempli gratia, deiectum vel
effuſum ſit quod filiof. nocuerit, & ideo per filium
quæſita ſit patri actio in factum ex edicto de deiectis
& effuſis, filio tamen poſtea emancipato eam actio-
nem eſſe dandam potius, quam patri, quia & hæc a-
ctio naturalem præſtationem habere intelligitur, &
ex æquo & bono eſſe dicitur, quamuis ſit ſtricta, *l.* 5.
§. *hæc autem in fi. de his qui deiec. vel effu.* Actio au-
tem ſepulchri violati, vt & actio de dote in *d. l.* 8. in
bonum & æquum concepta dicitur, *l. pen. De ſep. viol.*
puta, vt eſt in edicto de ſepulchro violato, quanti ob
eam æquum iudici videbitur, quæ tamen ſtricta eſt,
& ſic in *edicto de deiectis & effuſis, quantum ob eam*
rem aequum iudici videbitur.

CAP. XV.

Aliquando rem iudicatam ipſo iure actionem perimere.

EGi tecum actione ſi certum petetur de certa pe-
cunia credita, tu mihi falſo perſuaſiſti te eam ſol-
uiſſe ſeruo vel procuratori meo, & ob id iudicio te ab-
ſolui paſſus ſum, non eſt mihi eo nomine aduerſus te
actio de dolo, quoniam ex integro poſſum agere de
credita pecunia, & te obiicientem exceptionem rei
iudicatæ repellere, poſita replicatione doli mali, *l.* 25.
De dolo, Sed hoc ideo quia ſub ſpecie ſolutionis á te
factæ te abſolui paſſus ſum, & vt apocha non aliter
liberat debitorem quam ſi re vera pecunia ſoluta ſit,
A *l.* 19. *De accept. l. ſi obligatum, C. de ſolut.* ita nec res
iudicata liberat, quæ elicita & emiſſa eſt ſub ſpecie
ſolutionis, niſi & re vera ſolutio facta fuerit. At in
ſpecie *l.* 20. §. *vlt. & l. ſeq.* atque etiam *l.* 7. §. *pen.*
& l. 14. *De dolo*, res iudicata omnimodo liberat debi-
torem, quia non quaſi ſoluerit abſolutus eſt. ſed qua-
ſi debitor non fuerit, falſo perſuaſo petitore, qui age-
bat pro ſocio, eum defuncti ſocium non fuiſſe, vel e-
tiam non debuiſſe ex ea cauſa ex qua debuiſſe dice-
batur. qua ſpecie lata ſententia ipſo iure perimit o-
bligationē. pronuntiatur enim reus numquam quid-
quam debuiſſe petitori, & ideo in eum qui abſolutus
eſt, decepto petitori nulla alia actio ſupereſt, quam a-
B ctio de dolo: niſi vltro paratus ſit ex integro idem iu-
dicium ſubire qua abſolutus eſt, *d.* §. *pen.* vbi verba
illa plane demonſtrant inuitum non pati priſtinam
actionem, vt & ſimilia in *l.* 1. §. *vlt. De alien. iud. mut.*
Et ſicut multum intereſt iurauerit quis ſe dare non
oportere quia ſoluerit, an quia ſe non obligauerit, *l.*
in duobus §. *ſi ei qui debitorem, De iureiur.* ita multum
refert abſoluatur quis quia ſoluerit, an quia nunquā
debuerit, nunquam cum actore, vel cum eo cui actor
heres extitit contraxerit. In hunc enim actori cui ille
falſo perſuaſit ſe non contraxiſſe, ſe nihil debuiſſe,
eſt actio de dolo, in illum actio priſtina, cui oppoſita
exceptio rei iudicatæ replicatione doli emendabitur.

CAP. XVI.

C *Procuratorem ad adminiſtrandum etiam pupillum fieri poſſe, procuratorem ad agendum vel defendendum etiam minorem XXV. an.*

MInorem xxv. an. certiſſimum eſt ad admini-
ſtrandum procuratorem fieri poſſe, *l. cum man-*
datu, De minor. nec mirum cum & pupillus poſſit, *l.*
3. §. *vlt. eod.* cumque etiam ad lites minor xxv. an.
procurator fieri poſſit, *l. minor, De procur.* quæ ne ca-
uillemur, innuit aperte minorem iuſtum eſſe procu-
ratorem ad lites, cum dicit ex ea cauſa minorem in
integrum reſtitui poſſe, qui abſentem in iudicio de-
fendit, nimirum quia interceſſit recte, & ſe obligauit
D cautione iudicatum ſolui. alioquin non fuiſſet ad-
miſſus ad defenſionem abſentis. Minor ergo
xxv. an. poteſt eſſe procurator ad lites, modo tamen
non ſit minor xvii. an. §. *iuſtæ, Inſt. qui & quib. ex*
cauſ. man. non poſ. qui omnino eſt accipiendus de
procuratore ad lites, non de procuratore ad negotia,
quia de ſeruo manumittendo loquitur in hoc, vt pro-
curator fiat. & ſeruum vtique non eſt neceſſe ma-
numitti vt procurator fiat ad adminiſtrandum. ſed
vt ad agendum tantum vel defendendum, ſi modo
& maior fuerit xvii. an. nam hanc ætatem quæ ple-
na pubertas dicitur maiores noſtri moderatam eſſe ra-
ti ſunt ad procedendum in publicum, *l.* 1. §. *initium*
De poſtul. §. *vlt. Inſt. qui & quib. ex cau. man.* qua æ-
tate etiam adoleſcentes Romæ ſumebant virilem to-
E gam & referebantur in viros atque in forum deduce-
bantur. & Auguſtus etiam protinus liberis Senato-
rum latum clauum induere, & curię intereſſe permi-
ſit. Ergo cum & ſeruus & impubes negotiorum pro-
curator eſſe poſſit, de procuratore litium, non negó-
tiorum accipiendum eſt quod exigit §. *iuſtæ*, ne pro-
curator quive manumittitur ſeruus procuratoris ha-
bendi cauſa minor ſit xvii. an. id vero eſt vt ſit maior
xvii. nempe vt compleuerit xvii. attigerit xviii. at-
que ita accipiendum quod Vlpianus exigit in *l.* 13.
De man. vind. ſicut Flor. & Baſ. ſcriptum habent ne
ſit minor xviii. an. id eſt vt attigerit xviii. annum.
nec enim ea in re quidquam diſſidet *d. l.* 13. *à* §. *iuſtæ*

nec quidquam in hoc vel illo loco mutandum est, sed vno loco non minor dicitur ratione completi anni XVII. altero ratione inchoati anni XVIII. Et faceſſat longe error Doctorum tametsi Pontificij decreti auctoritate donatus in *C. 5. De procur. lib. VI.* sicut & alij pleriq; eorum hominum errores quibus non fuit notum ius ciuile Pop. Romani, cum & eius iuris sermo fuerit incognitus, transierunt in decreta vel mores, & instituta regionum : faceſſant, inquam, quicumque hanc differentiam esse statuunt inter procuratorem negotiorum, & procuratorem litium, quasi procuratorem negotiorum maiorem esse oporteat XVII. an. cum & pupillus possit procurator esse negotiorum, quidni ? si quis ei stultus sua negotia committat, sicut & institor, *l. 7. §. vlt De inst. act.* & quasi procuratorem scilicet litium maiorem esse oporteat XXV. an. cum in eo sufficiat plena pubertas, id est inchoatus annus XVIII. quaætate etiam quis aduocatus esse potest, cuius muneris certe maior dignatio est quàm procuratoris ad litem, quandoquidem corpus aduocatorum dicitur esse seminarium dignitatum, *No. Valentiniani, De postulando.* His consequens est vt in *l. exigendi, C. de procur.* legitimam ætatem accipiamus pro ætate XVII. annorum completorum & XVIII. inchoatorum.

CAP. XVII.

Ad l. VIII. De Vsurp. & Vsucap.

PAulus *lib. XII. ad edictum* inter cetera tractauit de edicto generali ex quo maiores XXV. an. variis ex causis in integrum restituuntur, & ad id meo quidem iudicio, ex eodem libro proprie accommodanda est *l. 8. De vsurp. & vsuc.* nempe hoc modo. Non vt aduersus absentes Reip. causa vel qua alia iusta causa & aduersus eos qui in vinculis fuerunt quive secum agendi potestatem non fecerunt, si quid alienum vsuceperunt cum non defenderentur, ita aduersus eos qui in hostium potestate fuerunt si quid vsuceperint, dicimus dari restitutionem in integrum ex edicto *Ex quib. cau. maior.* nec enim captiui quidquam vsucapere possunt, imo iam ante cœpta vsucapio captiuitate interrumpitur, *l. 19. l. 23. §. is autem, eod. tit.* Quin & serui captiuorum in ciuitate relicti, nihil eorum nomine vsucapere possunt. & hoc est quod ait *d. l. 8. Eum qui suo nomine nihil vsucapere potest,* veluti captiuum, *nec per seruum quidem posse possidentem suo nomine.* At peculiari nomine, vt eadem lex ostendit, puta ex re aut causa peculiari, seruum eius qui est apud hostes, iure singulari receptum est vsucapere posse etiam ignorante domino, vt *l. si is qui pro emptore, De vsur. & vsuc. l. peregre § quæsitum, De adq. poss.* & ideo reuersus dominus ab hostibus, rem quam interim seruus eius nactus est ex causa peculiari & vsucepit, per seruum vsucepisse intelligitur, & aduersus vsucapionem si quamdiu fuit apud hostes nullus ei in ciuitate defensor fuerit, atque adeo aduersus eum qui fuit apud hostes posteaquam postliminio rediit intra annum vtilem his qui in ciuitate manserunt dari potest restitutio, *d. l. 23. §. hi planè.*

CAP. XVIII.

Explicantur postrema verba l. 30. Ex quib. cau. ma- XXV. an.

CVm docuisset Paulus in *l.* 30. §. *vlt. Ex quib. cau. ma* restitutionem in integrum quę aduersus absentes Reip. causa, qui cum non defenderentur A rem alienam vsuceperunt, præsentibus maioribus XXV. an. datur, dari quandoque in rem, sicut & eam qua minores in integrum restituuntur, *l. 13. §. vlt. & l. 14. De minor.* vt puta si post vsucapionem eam alienauerint: dari scilicet aduersus possessorem rei saluo regressu aduersus auctorem suum adiecit, *item ex reliquis omnibus causis restitutio facienda erit, veluti si aduersus eum pronuntiatum sit,* quorum in verborum excipienda sententia plurimum laborant interpretes nostri, mihi hæc esse videtur: Non tantum si quid alienum absens Reip. causa vsuceperit; qua de causa restitutionis Paulus dixerat ante, sed etiam si per absentiam eius vsumfructum aut seruitutem alter non B vtendo amiserit, vel si dies actionis quę aduersus absentem competebat exierit cum non defenderetur, quæ causæ sunt expressæ in edicto, aduersus ea quæ absens gessit restitutionem faciendam esse, non in personam tantum, sed & quandoque in rem: veluti si restitutione petita aduersus absentem condemnatus fuerit & soluendo non sit, vel etiam si dubitetur an soluendo sit aduersus emptorem siue possessorem rei restitutionem esse faciendam. idque multo esse tutius actori, quam si cum eo experiatur & agat in personam qui rem non possidet, quia minus est actionem habere quam rem, vt & Pomponius XXVIII. ad Q. Mutium scripsit tractans de restitutione danda in C rem potius quam in personam. quod etiam confirmat *l. 6. Quod fal. tut. auct.*

CAP. XIX.

Ad l. X. Quod fal. tut. auct.

ACtionem restitutoriam quæ in id quod interest datur maioribus XXV. an. qui contraxerunt vel iudicio experti sunt cum pupillo falso tutore auctore, cum ignorarent eum esse falsum, & ob eam rem in captionem inciderunt, datur aduersus falsum tutorem, qui dolo malo pupillo contrahente aut litigante D auctoritatem suam accommodauit, *l. 7. & 11. Quod fal. tut. auct.* Quod Acc. ait etiam iisdem actionem dari aduersus pupillum, non est verum. Dolus enim tantum falsi tutoris punitur. Et *l. 10. eod. tit.* qua potissimum nititur Accursius, longe alium sensum habet, quam is comminiscatur, nempe si quis maior XXV. an. egerit in rem vel in personam cum pupillo falso tutore quem credebat esse verum, dolo malo auctoritatem suam accommodante & pendente iudicio, dies actionis quæ ei aduersus pupillum competebat exierit, aut res eius vsucapta sit, falsum tutorem perinde sustinere omnia incommoda ac si illo tempore actor vero tutore auctore egisset. Incommodorum aut incommoditatum appellatione significatur id quod actoris interest, vt *l. 3. §. pen. De alien. iud. mut. caus. fac.* siue quanti ea res, vel actio est quam amisit, E quantumque impendit in litem institutam falso tutore, *l. 7. §. Pomp. Quod fal. tut. auct.* quod quidem consecutus fuisset si illo tempore vero tutore auctore egisset. nam etsi vsucapio non interrumpatur litis contestatione, ei tamen, qui antequam ea impleretur egit, vtique possessor rem restituere debet, vt *l. 18. & 21. De rei vind. l. sicuti §. sed si quæratur, Si ser. vind.* quia verum est litis contestatæ tempore rem actoris fuisse. Quod igitur consecutus fuisset si illo tempore egisset vero tutore auctore, id à falso tutore consequetur, quo auctore cum pupillo egit frustra & inutiliter, atque ideo interim actionem suam vel rem tempore vel vsucapione amisit, non aliter quam si tacuisset, & nullo modo cum pupillo egisset. & ita perspicue Bas. πλασὴν ἐπίσχεσιν, κατοχὴν τὸ ἀζήμιον τῷ ἐνά-

γενητ ὅσῳ ἤμελλεν ἔχειν ἀληθὴς ὄντι ἐπιτρόπῳ, loco illorum verborum, *Omnia incommoda perinde sustinere debet, ac si illo tempore vero tutore auctore egisset.* Omnia igitur incommoda actoris falsus tutor sustinere debet, hoc est, id omne actori præstare quod consecutus fuisset si vero tutore auctore egisset.

CAP. XX.

Ad l. XI. eiusdem tituli.

EDicto quod falso tutore auctore dabatur restitutio in integrum ignoranti, non tantum ei qui cum pupillo contraxisset vel egisset falso tutore auctore, sed etiam ei qui cum femina pubere. nam & feminas puberes in tutela fuisse Vlpianus *lib. Regul.* & plerique alij auctores ostendunt, propter sexus infirmitatem, & propter forensium rerum ignorantiam. & huius rei argumentum præbet idem Vlp. in *l. xi. eod. tit.* cum scribit eum etiam illo edicto teneri qui filiæf. quasi matrif. aut ancillæ quasi liberæ auctor factus est ad contrahendum, qui plane falsus est tutor, quia ancilla vel filiaf. quod caput liberum non est, id est sui iuris, in tutela esse non potest, quinimo mulieris quæ sui iuris est, tutela finitur conuentione in manum, & adrogatione, & seruitute. Cur enim vero id Vlpianus scriberet de filiaf. potius vel ancilla, quam de filiof. aut seruo nisi respiceret ad perpetuam tutelam, in qua feminæ etiam puberes olim esse solebant? Qua de causa & quod subiicit in *d. l. xi. quia aliter cum impubere contracturus non fuisset,* id putem eum latius perscripsisse, nempe hoc modo, *cum impubere vel femina pubere,* & initio quoque eiusdem legis non scripsisse, *minori* XII. vel XIV. *an.* quia nec ætas tum XII. annorum feminam tutela liberabat, nec dum in mare definitum erat, an pubertas æstimaretur ex annis XIV. sed scripsisse hoc modo, *falsus tutor qui in contrahendo auctor impuberi aut femina puberi fuerit &c.*

CAP. XXI.

Ad l. XXVIII. De obl. & act.

QVid faciunt hæc verba in *l. 28. De obl. & act. Rei persequendæ gratia?* an non vt rei, ita & pœnæ persecutionem dicimus rectè, *l. 33. eod. l. si pignore, §. cum furti, De fur.* Animaduertendum est sumptam eam *l. 28.* esse ex *lib. 1. Papiniani definitionum,* quocum forte Papinianus proposuisset veterem illam Regulam iuris, *Qua de re actio, petitio, persecutio aduersus defunctum fuerit & aduersus heredem eius esse, aut bonorum possessorem,* eam interpretatur esse accipiendam de actione, petitione, persecutione, quæ rem persequitur, non pœnam. nam pœnalis actio quæve pœnæ nomine concipitur non descendit ad heredem. Quæ rei persecutionem continet, descendit ad heredem, nisi ex delicto dari videatur, quo casu in heredem eatenus tantum competit quatenus ad eum peruenit dolove malo eius factum est quominus peruenire sicut & illa quæ pœnalis est aut pœnæ nomine concipitur. Itaque ea iuris definitio pertinet tantum ad actiones aut persecutiones in personam, quæ dantur rei restituendæ gratia nec ex delicto oriuntur: Cæterę persecutiones extraordinariæ non descendunt ad heredem.

CAP. XXII.

An legatus Prouincialis Romam missus ibi quamdiu legationefungitur suas actiones mouere & instituere possit.

CVm S. C. quo satis constat ex *l. 8. §. vlt. & l. 9. 10. 15. De legation.* legatum prouincialem Romam missum quamdiu ibi demoratur legationis causa nihil in rem suam agere posse, nisi suam iniuriam, vel damnum persequatur actione iniuriarum, vel furti, vel legis Aquiliæ, non ergo ex contractu, vel quasi ex contractu ibi agere posse quod rem suam agere non possit sine fraude publicæ rei, quam agendam aut defendendam suscepit, pugnat omnino *l. 32. §. illud in prima, D. de recep. qui arb. rec.* illo loco: *Sed hoc tale erit quale si actionem velit dictare quod facere ei licet.* Et totus quidem ille locus videtur non improbabiliter hanc interpretationem recipere posse, vt dicat legatum de ea re de qua ante legationem Romę compromisit si velit arbitrum sententiam dicere, audiendum esse. nam si & in legatione actionem quamcumque suo nomine intendere & dictare potest, vt significare videtur *l. 2. §. sed & si agant, De iudic.* qui tamen reuera non pertinet ad legatos, vt infra dicam, cur non liceat etiam ei postulare vt arbiter sententiam dicat? *Hoc,* inquit, *quod postulat vt arbiter sententiam dicat, tale est quale si actionem dictare velit quod ei facere licet.* vnde sequemur & hac in re exemplum ordinariæ actionis, nempe vt quemadmodum si legatus Romæ actionem aliquam instituat, & ipse ibi cogitur omnium actiones pati, quod vt dixi tentari potest ex *d. §. Sed & si agant, & l. qui non cogitur, eod. tit.* ita si Romæ arbitrum sumptum ante legationem sententiam dicere postulet, ipse ibi aduersus omnes se defendere, id est, omnium excipere debeat actiones. Hæc interpretatio vt non est aliena à verbis, ita probabilis videtur, sed est captiosa sane, & à vero longe remota. nam *d. §. Sed & si agant,* non est de legatis, sicut nec *§. item si extra,* qui præcedit, & *d. l. qui non cogitur,* æque non est de legatis, sed de ceteris qui ius habent suum reuocandi forum, nec Romæ vel alio loco iudicium accipere coguntur si ibi conueniantur, nisi & ipsi priores ibi actiones suas intendant. Ceteri actiones suas Romæ intendere possunt. At legati quibus mandauit sua ciuitas vel prouincia publicum negotium, non item, vt initio præmuniui, vnde manifestum est illo loco addita negatione sic esse legendum, *Sed hoc tale erit quale si actionem velit dictare quod facere ei non licet,* vt sit secunda ratio propter quã Paulus statuit non esse arbitrum, qui sumptus est ante legationem, cogendum sententiam dicere si hoc legatus postulet, Prima hæc est, quia iniquum videtur vt id sit in eius potestate. Secunda autem hæc, quia si hoc postulans audiretur, tale esset ac si actionem ei dictare permitteretur. quod facere ei non licet. & est ibi particula, *sed,* coniunctiua, pro, *sed &,* non discretiua. At mox quæ sequitur, *sed compromissum* &c. profecto discretiua est & integra eius loci sententia hæc, vt in ea quæstione vtamur distinctione eiusmodi: Aut legatus est actor, aut reus. Si est actor, & velit dictare actionem ordinariam antequam legationem peregerit, hoc ei facere non licet. Si est reus & velit excipere actionem & se defendere, hoc ei facere licet. & exemplo ordinariæ actionis, idem est dicendum in compromisso, nempe vt si sit petitor, non audiatur si arbitrũ postulet sententiã dicere ex compromisso facto ante legationem, si sit defensor, audiatur. *Et vt,* quæ verba sunt Pauli, *non aliter audiatur desi-*

derans

derans vt arbiter sententiam dicat quam si se defendat. Quod ait, *non alias*, plane indicat supra negate esse legendum, *quod ei facere non licet.* quod & Græci interpretes comprobant, qui adnotant legatum hoc postulantem audiri si se defendat non si agat, *δικαζόμενον οὐχὶ δικάζοντα.* ac præterea quod prior interpretatio refert, legatos qui agunt, & vicissim aduersus omnes se defendere debere, nec posse vti suo priuilegio, præterquam quod eos posse agere falsum est, id nihil attinebat adnotari ad quæstionem illo loco propositam.

Cap. XXIII.

Differentia inter pupillum & impuberem.

PVpillus est impubes qui exiit potestate patris. Impubes etiam is qui in potestate patris, si modo mas non excesserit XIV. aut femina XII. annum. Pupilli appellatio ad tutorem refertur, non etiam impuberis, ideoque seruus impubes, quidem dicitur recte, sed non etiam pupillus, *l.* 1. §. *ceterum*, *De adq. pos.* Pupillus sine tutoris auctoritate non aliter obligatur ex contractibus naturaliter quam si locupletior factus sit, id est, quatenus ex ea re locupletius patrimonium eius factum est, tutore auctore etiam ciuiliter obligatur. Impubes qui est in patris potestate ne patre quidem auctore ciuiliter aut naturaliter obligatur, *l vlt.* §. 1. *De ver. obl.* §. *Pupillus, in fi. Instit. de inut. stip.* quia & frustra obligaretur patre auctore, cum nulla ei possit in patrem actio competere. Sed & si peculium eius locupletius factum sit, ciuiliter non obligatur, sed naturaliter tantum. naturaliter, inquã: alioquin pater non teneretur actione de peculio, *l.* 1. §. *Si cum impubere*, *De pecul.* sin vero locupletius factum peculium non sit, ne quidem iure naturali obligatur, ac neque de peculio datur actio. Impuberis latior est appellatio quam pupilli, nec tamen nego & improprie nonnumquam generali significatione pupilli nomen vsurpari.

Cap. XXIIII.

An valeat sententia arbitri compromissarij iubentis arbitrio alterius fundum tradi, vel satisdari.

NOn quamlibet sententiam arbiter compromissarius dicere potest, sed de quibusdam eorum sententiis variatum esse Paulus scribit initio §. *quæsitum*, *l.* 32. *De rec. qui arb. rec.* nempe aliis existimantibus eas valere, aliis non valere. Sane si iusserit fundum tradi arbitrio L. Titij, vel satisdari probatis fideiussoribus arbitrio L. Titij, in hoc genere sententiæ variatum est. nam Iulianus dicebat sententiam valere, vt in *d.* §. *quæsitum* significatur his verbis. *Quodsi hoc modo dixit.* (sic recte Flor. male vulg. *Sed nec si hoc modo*) *vt arbitrio P. Mæuij fundus tradatur, aut satisdatio detur parendum esse sententiæ*, vbi ex superiore clausula repetendum est, *Iulianus ait.* Sextus autem Pædius dicebat sententiam non valere. Dices, imo idem Pædius quod Iulianus probat. quoniam subiicit, *Idem Pædius probat*: nec enim verũ est quod Acc. ait Piscanos Pandectas qui nunc sunt Florentini habere, *Pædius negat.* Sed dico Pædium probare id tantum quod superiori clausula ex Iuliano refertur, non valere sententiam arbitri, quia arbitriũ in alium transfertur, non etiam probare quod ex eodem posterior clausula refert valere sententiam qua quis iubetur fundum tradere, vel satisdare arbitrio P. Mæuij, imo improbare hoc argumento, quia satisdandi aut tradendi modus pars arbitrij est, & idem debet esse iuris in parte quod in toto, id est, vt quemadmodum totum arbitrium censet Iulianus in alium transferri non posse, ita dicamus nec partem arbitrij in alium transferri posse ne lites arbitrio propagentur aut protelentur qui hisce quam primum finiendis sumitur, nisi scilicet id ei in compromisso permissum sit. & sane verior est opinio Pædij, secundum quam & ita Bas. definiunt, *οὐ δυνατὸν λέγειν τὸν διαιτητὴν τὰ ἀρχεῖα γενέσθαι δοκιμασίας πόσου ἢ τὰ ἐγγυὰ δοθῆναι.*

Cap. XXV.

An valeat, iudicis vel arbitri sententia iubentis nomina testium edi aduersario quo cum agitur, quive reus criminis postulatur.

NOn valere sententiam arbitri si quem iubeat aduersario suo edere nomina testium quibus sua causa communita est, nec pœnam compromissi committi si huic sententiæ non pareatur, aperte proditum est in *l.* 39. *De rec. qui arb. rec.* & recte. quia etiamsi quis testium nomina aduersario edere detrectet forte dum timet ne aduersarius eos corrũpat aut perterrefaciat quo minus apud arbitrum verum dicant, non tamen ideo operam arbitro præbere refugit, sed aduersario potius quam arbitro. Operam dat iudex vel arbiter vt *l. si longius De iudic. l. pen.. De vac. mun.* & apud Ciceronem sæpe. Operam præbet litigator arbitro non iudici vt *d. l.* 39. *& l.* 21. §. *pen. eod.* quoniam ipse arbitrum facit non iudicem, & ab arbitro vel pœna soluta recedere potest, à iudice nulla pecunia id emereri potest. Porro quæ ratio est in compromissis non edendi aduersario nomina testium etiamsi id iubeat arbiter, eadem est in iudiciis ordinariis, ne eorum nominibus cognitis aduersarius qui forte valet opibus & gratia eos dimoueat à vero, aut quod sæpe fit hoc æuo in iudiciis criminalibus, ne quos maxime abhorret & vitat eos immissis sicariis vita priuari curet. quæ ratio cum effecerit iam vt in crimine hæreseos reo potenti diuitiis & honoribus & gratia non edantur nomina testium, quorum vitæ si prodantur ab eo periculum imminet, *c.* 20. *De hæret. lib.* 6. cur cum eadem ratio locum etiam habeat in ceteris criminibus, idem non statuamus in ceteris? nec nos mouere debet quod in *c.* 24. *extr. De accus.* episcopo reo criminis postulato edi iubentur nomina testium, quia hoc datur maiestati & sanctitati episcoporum, quos verosimilius est procul abesse ab omni probro, nec similiter indulgetur omnibus reis cuiuscunq; condicionis. & multo sane melius esset restituere iudicia publica, & nulla quæstione ante facta si ex sola delatione accusatoris subiicientis se pari pœnæ periculo & subscribentis in crimen, reo postulato manus iniiceretur, & vno contextu postea testes aduersus eum producerentur, & cum eo componerentur, etiam ei testes interrogandi, ac vel mox vel ex modico interuallo quodam excipiendi data potestate, quod in more fuit veterum Romanorum.

Cap. XXVI.

De cautione iudicio sisti.

CAutio iudicio sisti aut est voluntaria siue conuentionalis, quæ scilicet ex conuentione litigantium diem recipit certum in quem sisti oporteat, vel si inter se de die cõuenire non possint, arbitrio stipulatoris, *l.* 8. *in pr. Qui satisd. cog.* ita tamen vt stipulatore diem apponente si angustior videatur, ei iudex modum adhibeat, vt subiicit *d. l.* 8. his verbis, *moderato spatio de hoc à iudice statuendo*, quæ verba Tribunia-

ni sunt. & obseruandum est in ea parte legis, Bas. quę hæc verba, *Si non conueniat*, sic interpretantur, *εἰ διχοῦσιν*, si dissentiant inter se litigatores valde cõfirmare sententiam Irnerij, qui eam dixit esse de concipienda stipulatione Iudicio sisti, non de iam concepta sine adiectione diei. aut est necessaria veluti ex edicto prætoris dato fideiussore locuplete ab eo qui vocatur in ius ne trahatur inuitus, *l. 1. In ius voc. vt eant*, vel prætore ipso statuente diem in quem reus iudicio sisti satisdato promittat, *l. 2. §. Sed si dubitatur, De iudic.* Et multum interest voluntaria an necessaria fuerit hæc vel alia quæcumque satisdatio: nam vt Vlpianus docet *l. 7. §. 1. Qui satisd. cog.* si necessaria fuerit, & facile reus eam præstare non possit vbi conuenitur, si iusta causa videatur, & ante omnia iuret de calumnia, vt *l. 8. §. tutor & §. iubetur, & §. vlt. eod.* potest audiri si se in alium locum remitti postulet, vbi dicat sibi esse facilius inuenire fideiussores. atque ita in eum locum aduersarium euocabit satis accipiendi causa. At si fuerit voluntaria, in aliũ locũ non remittitur, neq; enim id meretur qui ipse sibi vbi conuenitur necessitatem satisdationis imposuit. Hæc est ratio Vlpiani, cui similis est hæc in alia specie *l. interdum §. vlt. De iudic.* quia ipse sibi sua sponte obligationem contraxit. In hac quæstione memini pugnare videri *d. l. 8. §. Plane si missio*, cum *l. si pecuniæ §. vlt. vt in pos. leg.* nec rem liquido diluere glossas. sed nihil apertius. Vt legatarius discedat de possessione in quam missus est cum per heredem staret quo minus caueret legatorũ nomine, heres satisdare eo nomine debet vbi conuenitur, *d. l. si pecuniæ §. vltimo*. Sed si dicat se alio loco paratum satisdare, id non impetrabit, vt legatarius possessione discedat, vel vt legatarius eat in alium locum satis accipiendi causa.

CAP. XXVII.

Ratio l. 12. De inter. in iure fac.

FIlium qui patri suus heres extitit, beneficio prætoris si abstinuerit se hereditate paterna, & postea interrogatus apud prætorem an patri defuncto heres esset, responderit se heredem esse, Paulus ait in *l. 12. De inter. in iu. fac.* ex suo mendacio teneri in solidum perinde atque si pro herede gessisset non abstinuisset se. Non dicit eum qui semel abstinuit se, postea pro herede gerere, quę variatio etiam non admittitur, sed eum qui post abstentionem apud prætorem respondit se heredem esse, perinde teneri ac si se non abstinuisset, sed pro herede gessisset. teneri ex sua responsione ex suo mendacio. Mendacium est, quia etsi iure ciuili heres maneat qui abstinet se, *l. cum quasi §. sed & si suus, De fid. lib. l. 6. §. sifilius, De bon. lib. l. 2. §. sed si sint sui, Ad Tertyl.* tamen heres & sine re, & prætor eum non habet heredis loco cui permisit vt se bonis abstineret. denique prætori non est heres. Qui igitur apud prætorem post abstentionem dixit se heredem esse, prætori mentitus est, quia prætori non est heres. An idem dicemus si interrogatus apud prætorem an heres esset tacuerit, vt scilicet teneatur in solidum? quod videtur, quia in ea causa est vt negasse videatur, *l. 11. §. qui tacuit & §. nihil, De inter. in iu. fac. l. 5. §. si autem negent, Quibus ex cau. in pos. eat.* Gaius 2. *Inst.* apud Boetium. *Cessio*, inquit, *in iure fit hoc modo. Apud magistratum pop. Romani is cui res in iure cedituri tenens ita vindicat, hunc hominem ex iure, Quiritum meum esse aio, deinde postquam hic vindicauerit* Prætor interrogat eum cui cedit, an contra vindicet, quo negante vel tacente tunc ei qui vindicauerit, *eam rem addicit*. Tacentem Gaius neganti comparat & eodem modo filius qui se abstinet hereditate paterna & interrogatus an heres sit, tacet, negasse videtur se heredem esse. quod quia falsum est, iure enim ciuili heres manet etiam qui abstinuit se, ideo in solidum teneri videtur. At recte Paulus ait, ei succurrendum esse ne teneatur, quia etsi taciturnitas eius pro negatione habeatur, verum est apud prætorem eum heredem non esse. Prætori itaque non mentitur qui apud eum interrogatus posteaquam se abstinuit an heres sit, tacet, quod est, tacendo negat. At idem qui se abstinuit si apud prætorem adfirmet se heredem esse, sane prætori mentitur, & ideo hic tenetur in solidum, ille non item.

CAP. XXVIII.

Iusta causæ deferendi vel exigendi iurisiurandi.

TVtor qui tutelam gerit non etiam honorarius tutor in causa pupillari iusiurandum deferens audiendus est, si modo iurisiurandi deferendi iustã causam habuit, ac si quidem eo deferente reus iurauerit se dare non oportere, postea quandoeumquę agenti pupillo denegatur actio, *l. 17. §. 1. l. 35. in pr. De iure. iur.* & denegatur ex his verbis edicti, *actionem non dabo, l. 7. l. 9. in pr. eod.* Iusta autem est causa tutori deferendi iurisiurandi, cum omnes eum probationes deficiunt, *d. l. 35.* vt vel metu diuini numinis extorqueat veritatem ab aduersario, qui alioquin in eo est vt absoluatur, iuxta id quod dicitur, Actore non probante reum absolui, etiamsi nihil ipse præstet, *l. 4. C. de eden.* etiamsi non probet exceptionem quam contestatus est, *l. si quidem, C. de excep.* Idem vero licere arbitror cuilibet agenti suo nomine, vt si præter opinionem suam deficiatur omnibus probationibus, rem permittat religioni aduersarij & audiatur postulans ne ante reus absoluatur quam iurauerit se dare non oportere vt *No. lxxiii. §. pen. Vbi enim*, inquit Donatus in Hæcyra, *argumenta & testimonia deficiunt, ibi iureiurando opus est.* Excipiendus tantum est casus *l. 22. in fi. De nox act.* quo actor qui optionem habuit ex prætoris edicto domino deferendi iurisiurandi vel agendi directo iudicio ob noxam serui, si iudicio illo agere maluerit, & in eo defectus fuerit probationibus, merito non auditur, si velit postea regredi ad conditionẽ iurisiurandi semel omissam, sed protinus causa cadit, *arg. l. xi. C. de reb. cred.* Et hæc de actore qui suo vel alieno nomine agit & aduersario iusiurandum defert. at iudex quoque in omnibus iudiciis hoc obseruare debet, ne temere exigat iusiurandum ab vno ex litigatorib. sed causa cognita, *l. 3 C. de reb. cred.* ac neque deficientibus omnibus probationibus, sed ex inopia probationum tantum, *d. l. 3.* sicut in *l. 1. C. de quæst.* dicitur in pecuniariis causis ex inopia probationum seruos contra dominum interrogari posse. Aliud est inopia, aliud defectus probationum. Defectus est, si nullæ suppetant probationes. ac tum iudex omnimodo reum absoluere debet. Inopia est si quædam suppetant, sed ancipites aut parum idoneæ, ac tum iudex ab vno litigatore iusiurandum exigere potest, quasi dubia causa, vt ait *l. 31. De iureiur.* aut dubia probatione argumentorum & testium forte qui ex vtraque parte producuntur, vel ipse iurare sibi non liquere.

CAP. XXIX.

An eiusdem rei nomine agi possit tam in eum qui eam rem dolo malo desiit possidere quam in nouum possessorem.

EDicto prætoris defertur & iniungitur electio ei cui seruus alienus furtum fecit vel damnum dedit, vt vel agat prætoria actione in veterem dominum sine

noxę deditione, in solidum, qui eum seruum dolo malo alienauit ne secum ageretur noxali iudicio, vel in nouum dominum ciuili & noxali. Ceterum altero electo & soluente alter liberatur, beneficio exceptionis doli mali, vel ipso iure ex furti causa quasi tacita pactione decisum sit, *l. 24. & 26. De nox. act. l. si seruus nauem, in fi. De fur.* Hanc vero electionem prætor in his causis introduxit ne eluderetur actor si vel daretur tantum actio ei in veterem vel si in nouum dominum tantum & hic vel ille soluendo non esset, non vt lucrum faceret bis agendo de eiusdem hominis admisso. At cum de rei proprietate agitur, eadem electio non datur actori, *l. Stichum* §. *dolo, De solut. l. etiam* § *pen. De pet. her.* nec igitur altero electo alter liberatur, puta electo veteri possessore qui rem vel hereditatem dolo malo desiit possidere, nouus possessor non liberatur, quia cum electio non sit iniuncta actori, integrum ei est experiri cum vtroque: & ab eo quidem qui dolo desiit possidere quanti ea res est quasi pœnam exigere, ab altero rem, & vel prius quidem veterem possessorem ex dolo præterito, deinde nouum ex præsenti possessione, vel retro prius nouum, deinde veterem, nisi ab initio cum eligeretur vetus possessor, nouus interueniat, qui paratum se esse dicat iudicium pati, & rem defendere, quia tunc vetus possessor non videtur dolo desiisse possidere, & ideo non tenetur, *d. l. etiam* §. *pen.* quod & eodem modo seruatur in causis noxalibus, puta vt is qui dolo fecit ne seruum haberet in potestate, de quo noxalis actio erat, non teneatur prætoria actione, aut ea actione conuentus se tueri possit exceptione doli mali, si nouus possessor paratus sit iudicium pati. quia vt recte notant Græci ad *d. l. 24. De nox. act.* dolo carere prior possessor videtur, aut certe ea res fraudi non esse actori, cum totius rei siue litis idoneus defensor aliquis existit. hoc enim maxime exigitur vt defensor sit idoneus, id est, cum satisdatione iudicatum solui, *l. si plurium* §. *vlt. eod. tit.*

A B C

Cap. XXX.

Ad l. XX. Depositi.

Depositario sine dolo amittente rem apud se depositam etiamsi qua culpa eius argui possit, Paulus ait *l. 20. Depos.* eum non teneri actione depositi, nimirum quia dolus solus in depositum venit non culpa. & multo ergo minus depositi tenetur si sine dolo & culpa sua rem depositam amiserit, vt si seruus depositus qui custodiri non solebat, fugerit. Adeo autem depositi non tenetur depositarius qui sine dolo malo rem sibi depositam amisit, vt nec cauere debeat de reddenda ea re, si eam iterum nactus fuerit, multo minus de ea re persequenda, quia nec actionem vllam habet qua eam persequatur, sed si ad eum iterum peruenerit, depositi tenetur. Cur cauere non debeat, si quæratur, ne dicas, quia cautionis præstatio molesta & onerosa est, & bene merenti depositario benignitas sua sit oneri. nam hoc genus cautionis rem reddi si eam iterum deprehenderit nuda repromissio est, non cautio cum fideiussore, *l. si pecuniam* §. *item si quis, De cond. ob cau.* Cautio cum fideiussore onerosa est, quia fideiussor inuentu difficilis, Nuda repromissio non item. quid enim promittere lædit? Verum dicas hanc esse rationem non prestandæ cautionis de restitutione rei depositę si ad depositarium iterum peruenerit, quia superuacuo præstaretur, cum si res ad eum iterum peruenerit, quacumque ex causa peruenerit, promptum & procliue sit cum eo agere actione depositi. & hoc est speciale in causa depositi, sicut & alia multa, vt etiamsi deposita re amissa, deinde reciperata denuo repetitum eiusdem rei depositum non sit, censeatur in pristinam causam rediisse, atque adeo ex pristina causa agi possit, quasi tacito intellectu renouato depositio. Ex ceteris causis re semel amissa sine dolo & culpa rei ante litem contestatam, non potest denuo in eundem agi ex pristina causa quę finita iam & extincta est, quamuis res ad eum redierit, ideoque cautione opus est. exempli gratia: Mandaui tibi vt mihi seruum emeres. emisti, deinde prius quā eum mihi restitueres & traderes, seruus fugit sine dolo & culpa tua, non teneris mihi mandati, nisi in hoc tantum vt caueas te mihi seruum restituturū si quandoque in tuam potestatem venerit. Cautionem hanc interponi necesse est, quia etiamsi seruum postea deprehenderis ex pristina causa, mandati actio non est, *l. si procuratorem* §. *vlt. Mand.* Idemque dicendum est si tibi x. dederim vt Stichum emeres & manumitteres, qui contractus est Do vt facias, & emeris nec dum manumiseris: nam si is fugerit sine dolo & culpa tua, cum iam amplius nollem eum seruum manumitti, non teneris mihi condictione ob rem dati, nisi in hoc tantum vt caueas decem restituiri, si seruus in tuam potestatem redierit. Cautione opus est, quia agi non potest ex pristina causa quæ semel finita est serui potestate amissa sine dolo & culpa, *l si pecuniam* §. *item si quis, De cond. ob cau.* & obseruatu dignum est in *tit. depositi* quasi coniuncta scriptura ex eodem auctore duo proponi specialia in causa depositi *d. l. 20. & 21.* Vnum vt quamuis seruus ex ceteris contractibus non obligetur ciuiliter, nec possit conueniri depositi si post manumissionem rem teneat, & quidem ipse solus, non etiam dominus de peculio annali actione. hæc enim actio in dominum ex edicto prætoris non datur nisi cum in manumissum agi non potest. Alterum speciale est id de quo tractamus, vt depositi teneatur, qui rem depositam sine dolo malo amisit, si eam postea reciperauerit, atque adeo vt interim cesset obligatio depositi potius quam extinguatur, vt *l. qui res* §. *aream, De solut.* quod tamen non est omittendum ita procedere si rem depositarius amiserit ante litem contestatam: nam si post litem contestatam etiamsi sine dolo malo eam amiserit, omne periculum ad eum pertinet *l. 12. §. vlt. Depos.* excepto duntaxat naturali interitu rei qui & re actori statim restituta, contigisset, *l. 14. §. vlt. eod.* Et hac in re quatenus distet actio depositi ab actione in rem demonstrare iuuat ex *l. 21. §. vlt. De rei vind.* Si post litem contestatam iudicio in rem seruus de quo actum erat cum bonæ fidei possessore fugerit sine dolo & culpa eius, bonæ fidei possessor non tenetur actori, nisi ad hoc solum vt caueat de eo restituendo si eum deprehenderit: nec enim præstat omne periculum propter bonam fidem, At depositarius prestat omne periculum propter malam fidem, quia iudicij accipiendi tempore vt debuit, bona fide non reddidit quod reddere potuit. Quod si bonæ fidei possessor ante litem contestatam rem amiserit sine culpa sua, proculdubio non est in eum actio in rem, *l. 27. §. 1. De rei vind.* quia actio in rem ex prę senti possessione est, & ille rem non possidet, neque dolo desiit possidere. Ceterum esse potest ex noua possessione, *l. si rem meam, De excep. rei iud.* sicut actio noxalis, *l. 23. De nox. act.* quod exemplo actionis in rem locum habet etiam in actione ad exhibendum. quæ propter actionem in rem inducta est, nempe vt nonnisi si post litem contestatam reus sine dolo malo rei exhibendę & restituendæ facultatem habere desierit, ad hoc teneatur vt caueat se rem exhibiturum, si rursus in suam potestatem venerit, non etiam si ante litem contestatam eam rem amiserit quam bona fide possidebat. & ita est accipienda *l. Celsus* §. *vlt. Ad exhib.* Ceterum ex noua causa. i. si postearci exhibendæ facultatem habere cœperit, agi cum eo possit ad

D E F

exhibendum, *l. si quis ad exh. De exc. rei ind.*

Cap. XXXI.

Quæ sit differentia inter ἀσυνόμους & ἀγορανόμους.

Ἀσυνόμοι de quibus librum singularem Papinianus scripsit, sunt curatores viarum & ædificiorum publicorum priuatorumque, qui & curatores Reip. & patres ciuitatum, aut patres simpliciter sæpe dicuntur in iure, magistratus minores, qui tamen & adsessores habent & multæ dictionem vt idem Papinianus ait. Ab his diuersi sunt ędiles siue ἀγορανόμοι, ad quos proprie pertinebat cura rerum vænaliũ. Theophrastus *de legibus* δυοῖν ὀπτμελεῖσθαι δεῖν τοὺς ἀγορανόμους· τῆς τ' ἐν τῇ ἀγορᾷ εὐκοσμίας καὶ τοῦ ἀνθρώπους μὴ μόνον τοὺς πωλοῦντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὠνουμένους. Plautus *Capt. Edictiones ædilitias hic habet, mirumque adeo est ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum.* Ad ἀσυνόμους, vero pertinebat cura viarum & ædificiorum, & hanc differentiam inter eos statuit Plato VI. *De legib.* & similiter Vlpianus *in Demosthenem contra Timocr.* his verbis, ὅτι ὁ ἀγορανόμος ὁ ἐπόπτης τῆς ὠνίων τῆς ἀγορᾶς. ἀσυνόμους δ' ὅτι τοὺς ἐπὶ τοῦ καθαρὸν τὴν πόλιν ἀχλύμενον ὁ παρ' ἡμῖν πατήρ. Denique vt Papinianus supradicto libro scribit, astynomis curæ est, vt mundæ sint viæ publicæ, vtque repurgentur sumptibus eorum qui proximas ædes possident pro regione singularum ædium, ita vt si iure conductionis eas ædes teneant, eum sumptum locatoribus imputent in pensionem, vt cursus aquæ cœlestis non lædat ædificia, vt construantur ponticuli vbi res exegerit, qua populo iter sit & ne parietes ædificiorum procumbant, vitiumve aut ventrem faciant in viam publicam, vt fulciantur sufflaminibus & tibicinibus, & ne quid omnino in via publica fiat quo populo iter deterius sit, vt dent operam è via publica κόπρον ἐκβάλλειν morticina & exuuias cæsorum animalium tolli, vnde & Sudas iisdem fuisse curam περὶ τὴν κοπρολόγων, & Plutarchus *in præc. polit.* περὶ τοὺς στενόπους ἐκβολῆς κοπρίων καὶ ῥαμμάτων ἀποτροπῆς, cum de telarchis agit quorum apud Thebanos idem erat munus quod ἀσυνόμων apud alios. & ex his est facile intelligere quantum distent ἀγορανόμοι ἀπὸ τῆς ἀσυνόμων. Non nego vt vni quandoque duo aut plura munera ciuilia deferuntur, ita fieri posse & vero sæpius factũ esse vt vnus idemque esset agoranomus siue ædilis & astynomus siue curator viarum aut pater ciuitatis. Suetonius *in Vespasiano*: *Vespasianum ædilem Cæsar succensens propter curam verrendis viis non adhibitam, luto iussit oppleri*, quod ipsum referens Dio. LVIII. sic ait, πλοῦτον πολλῷ ἐν στενωπῷ τινι ἰδὼν, ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐς τὸ τῆς οὐεσπασιανοῦ ἱμάτιον ἀγορανομοῦντος τότε καὶ τοὺς στενωποὺς καθαιρόντος καὶ ὀχυμελκμένους ἐμβλητοῦναι, planè demonstrans Vespasianum duobus muneribus functum, ædilis & curatoris viarum siue viocuri.

Cap. XXXII.

Traiecta videri verba l. 5. §. si id quod, De his qui eff. vel. deiec.

IN *l. 5. §. si id quod, De his qui eff. vel deiec.* seruaui traiectionem quæ insidet ita esse corrigendam, *si id quod positum erat deciderit & nocuerit, in eum competit actio qui habitauerit non in eum qui posuit quasi hac actio non sufficiat, &c.* vt sit hæc species: Vnus habitat ædes, in quibus alter qui eas non habitat posuit aut suspendit aliquid quod decidit & transeunti nocuit. Vtrum in hunc dabitur actio ex posteriore parte edicti in aureos x. an in illum in duplum ex priore de deiectis & effusis. & verius est in habitatorem ex priori parte A competere actionem in duplum, quia id pro deiecto habetur, *l. 1. §. quod cum, eod. tit.* non ex posteriore parte in eum qui posuit in aureos x. quia ex posteriore edicti parte is tantum tenetur qui positum habet, & positum habere non videtur qui posuit, nisi dominus sit ædium vel inhabitator, vt ait, id est inquilinus siue conductor. Qui positum habet tenetur ex posteriori edicti parte, siue nocuerit id quod positum erat siue non, vt in eadem lege proxime scriptum est ante *d. §. si id quod.* Qui posuit tantum ex eadem parte non tenetur, nisi inquit, dominus fuit ædium vel inhabitaB tor, vbi *inhabitator*, id est inquilinus siue ἔνοικος vt in *Bas. & l. 27. Loca. l 59. De rei vind.* habitator, id est, inquilinus: nec enim vt inhabitet exigitur qui positum habet & ex illa parte conuenitur, satis est si conduxerit ædes *d. l. 5. §. ait prætor.* In specie autem proposita qui posuit, neque dominus est ædium, neque inquilinus. ergo positum non habet, & consequenter ex illa parte non tenetur. & hoc est quod ait hanc actionem in eum non sufficere, hoc est deficere, vt contra in *l. 11. De cap. & post. sufficit lex Cornelia*, id est, non deficit,

Cap. XXXIII.

De refutatoriis libellis.

C REfutatorios libellos in *l. à proconsulibus & l. vlt. §. In refutatoriis, C. de appellat. & l. vlt. §. in his, C. de temp. app.* Græci ἀναπληρωματικοὺς vocant, non male. nam & supplementa partium Latine dicuntur & sępe in epistolis Symmachi. *Præsto*, inquit, *sunt monumenta gestorum, partium quoque supplementa non desunt. Omnium gestorum fida documenta supplementis partium relationi ex mora sociata sunt. Si relatio ad fortunam negotii pertineret, & supplementa vel refutatorios iurgãtes dedissent.* Actis scilicet relationive aut opinioni iudicum trasmissæ ad principem vel ad maiorem magistratum adiungi solebant supplementa, siue refutationes quæ & refutatoriæ partium preces, *l. 1. C. de relation.* Sed & apud eum iudicem qui prior de negotio aliquo aditus esset, priusquam sententiam ferret, moris erat vltima cognitione (sic vocatur, *l. vlt. C. de presc. 30. an.* & à Iuliano *Nou. 60.* vtramque partem fiD nem imponere & renuntiare allegationibus & refutationibus suis, quo facto non erat illis integrum ante gestis addere quidquam, admoneri tantum poterat iudex vt si quæ omissæ essent exceptiones, earum nihilominus ex officio rationem haberet, quotiens iudicium erat bonæ fidei aut arbitrarium. in quo omissæ exceptiones vel pacti, vel doli, vel quæ aliæ tacitè insunt iudicij potestate & suppleri possunt officio iudicis, quod & *l. plane & l. vlt. De pet. her.* ostendit, & aliæ complures. & inde Græci ad id quod *d. l. plane* ait In petitione hereditatis omissa exceptione doli mali officio iudicis contineri, vt in omnibus possessoribus E ratio habeatur necessariarum & vtilium impensarum, adnotant recte, καὶ ἀπιτάξαντα τὰ μέρη τῆς διηγιολογίας αὐτῆς οὕτως, ὥστε μὴ τοὺς λεγομένους ἀναπληρωτικοὺς λιβέλλους δικαίως λοιπόν τινα αὐτῶν ἐπιδίδοναι, καὶ οὕτω δικαίως ὁ δικαστὴς ἀπομιμήσεται περὶ τῆς τοιούτων δαπάνων τὸν διακαθαρμόν.

Cap. XXXIV.

Ad §. fiscus l. Cum quidam, De vsuris.

IN fisco hoc est valde singulare vt mora ei fiat re ipsa. i. ex solo tempore tardę solutionis sine interpellatione, sicut minori XXV. an. & vt ex suis contractib. vsuras non det, sed ipse accipiat ex mora, quod priuilegiũ refertur à Paulo in *l. Cum quidã §. fiscus, De vs.* & ponit exemplũ in publicanis qui tardius illatorũ

fisco vectigalium vsuras pendunt, & in foricariis qui pecuniam fisco tardius inferunt, vbi male Bas. foricarios interpretantur esse exceptores τῆς φόρου. eos enim fuisse foricarum publicarum vilissimos conductores Iuuenalis *Sat.* 3. demonstrat. Male etiam Cornutus qui foricas, id est cloacas purgandas cõducunt. quoniam hi accipiunt à fisco, non fisco pecuniam inferunt. Rectius, qui loca publica quę foricas & culinas appellabant certo pretio à fisco cõducunt, vt inde ferant minuta æra à singulis; quos in foro subita exonerandi se necessitas deprehendit, vt in historia ecclesiastica legimus hac necessitate compulsum Arium ad publicum declinasse post forum Constantini. Certe in glossis veterum inuenio foricam esse latrinam, secessum, secutinam, sellam, sellam nimirum quam Varro familiaricam appellat. & in martyrologio Iudicem Symphorianum his verbis affatum, *Nisi Deæ matris simulachrum adoraueris, adorare te foricas faciam.*

CAP. XXXV.

De itineris, actus, viæ, discrimine.

QVi iter habet non tantum ire aut transire pedibus, sed etiam ambulare, id est spaciari valetudinis causa, aut equo, vel per seruos suos sella, aut lectica vehi potest *l.* 1. 7. & 12. *De ser. rust. prad.* non etiam iumentum agere & plaustrum aut vehiculum ducere. Qui vero actum habet, & ea omnia potest quæ qui iter habet, & hoc amplius iumentum agere & vehiculum ducere. Trahere autem tignum vel lapidem neuter potest nec hastam quoque rectam ferre, sed supinam, denique hastam demittere potest, non erigere, quia hastæ elatio nihil pertinet ad causam itineris vel actus, hasta recta nihil facit ad iter vel actum conficiendum, *d. l.* 17. ac præterea si eam rectam ferre liceret, possent eo modo decuti fructus arborum iunctarum actui vel itineri, quod videntur vetuisse XII. tab. puta ne quis alienas arbores cæderet aut feriret cædendi causa, ne cingeret *l. cædere*, *Arbor. fur. cæs.* forte & ne quis quatefaceret & fructus decuteret. At qui viam habet etiam trahere tignum & lapidem & hastam rectam ferre potest, quia cum via sit latior, vt finita est lege XII. tab. quam actus, cuius finitio arbitraria est, id vtique facturus videtur sine læsione arborum, & fructuum, cuius tamen rei si quis iustus metus existat, forte via ex conuentione angustiore facta & ab hastæ rectę gestamine, & à tractu lapidis aut tigni qui viam habet, abstinere debet, *d. l.* 7. ita enim seruitutibus quę nobis competunt vti debemus vt ne quid fiat extra causam earum & vtilitatem prædij nostri, quod vicinis damno esse possit, videlicet si nihil laturi sumus nisi vt vicinis officiamus. Denique plus est actus quam iter, & rursum plus via quam actus. ac præterea viâ propalam in se cõtinet & iter & actum, idemque prorsus est cedere viam, & cedere iter & actum, *l. si eo loco* §. 1. *Si ser. vind. l.* 2. *Quemad. ser. amit. l.* 13. §. 1. *De accept.* vnde & in edicto *De itinere actuque*, his verbis etiam via significatur *l.* 1. §. 2. & §. *is cuius, eod. tit.* Actui vero non propalam, sed tacite & per consequentias iter inest, ad agendum scilicet & ducendum, vel saltem ad agẽdum. est enim actus qua iumenta vel pecora agi possunt, etiamsi ea vehiculum duci non possit. via non est nisi & qua vehiculum duci potest *l.* 13. *De seruit. l.* 23. *in pr. De ser. rust. prad.* idque ratio nominis satis demonstrat. via enim dicitur quasi veha, actus ab eo quod vt Ouidius ait, non veniant pecudes, sed agantur. Porro quamuis actui tacite inter iter ad agendum, is tamen qui actum habet, non tantum ire agendi vel ducendi causa potest, sed etiam quod minus est, per se, sine iumento aut vehiculo ire, vel ambulare, vt est aperte & sine vitio scriptum in *l.* 1. *De ser. rust. prad. & in Institutionibus*, & in *l.* 2. *Quemad. ser. amit.* sicut is qui habet iter non tantum ire pedibus aut equo vehi, aut lectica vel sella portari, ferri, vnde fertorium Cęlio Aureliano Chronion 1. & sella portatoria, sed etiam deambulare potest, quamuis ius deambulandi per se non sit seruitus aut ius prædij *l.* 8. *De seruit.* sed hominis ius, quod hominis respicit voluptatem aut sanitatem, non prædij vtilitatem: vnde in *d. l.* 1. *& in Institutionib. Iter*, inquit, *est ius eundi, ambulandi hominis.* sed cui licet quod plus est, ei non debet non licere quod minus est. cui licet ire pedibus vel equo, sella, lectica, cur non licebit etiam spaciari & ambulare. cui hoc amplius licet agere iumentum aut plaustrum ducere, cur item non licebit etiam ire per se aut ambulare. Ex his intelligimus actum esse non posse sine itinere saltem ad agendum, vt *l.* 1. *De adim. leg.* & actum tamen esse sine itinere: nam & hoc & illud æque verum est: actui iter inesse tacite, actui iter non inesse nominatim, viæ inesse nominatim. proinde eum qui viam habet, quia & iter & actum habet principaliter & nominatim sibi concessum, vel iter, vel actum separatim, vel vtrumque simul iter & actum, vel vno verbo viam vindicare posse. eum vero qui actum habet, actum qui cessus est duntaxat vindicare posse, non iter quod habet ex consequentia quadam magis quam iure: actus, inquam, vindicari potest non iter, quia ita contracta est seruitus, vt loquitur *l. certo, De ser. rust.* & actionem sequi oportet formam contractus, quo cessus est actus non iter, aut si etiam iter nominatim, iam via est quæ cessa est, non actus. Quod dixi de itinere ipso & de eo quod actui inest, idem trahere ausim ad id quod haustui inest, vt *l.* 3. §. *qui habet, De ser. rust.* nempe vt cui tacite iter concessum intelligitur ad hauriendam aquam, & per se ire aut ambulare possit citra huiusmodi causam. quidni? & similiter vt is cui iter venditum & cessum est ad sepulchrum vt *l. si quis sepulchrum, De religios.* etiam eo itinere per se vti possit suę valetudinis causa, non sepulchri adeundi gratia, non minus scilicet si ad aquæ haustum, vel si ad sepulchrum quam si ad agrum suum.

CAP. XXXVI.

Ad l. XVII. §. *Si plures, De nox. act.*

PAulus in *l.* 17. §. *si plures, De nox. act.* proponit initio plures eiusem serui nomine egisse cum domino noxali actione, vel vnum pluribus noxalibus actionibus ex noxis pluribus, nec tamen eam rem persequitur, sed quasi eius propositionis oblitus de proprietario tractat conuento noxali actione quemadmodum ei prospiciatur, vt fructuarius pro rata vsusfructus huius actionis exitum perferat, nihil de illa propositione. Labes & quasi lacuna manifesta est. Verum in *l.* 19. idem illam propositionem resumit, nec rursus eam tamen ad plenum exequitur: quia in ea *l.* 19. loqnitur tantum de pluribus quorum fuit communis res, in qua seruus alienus damnum dedit, quique eo nomine cum domino agunt noxali actione, nihil autem de pluribus quibus separatim in re cuique sua propria seruus alienus damnum dedit. Et illos quidem recte ait simul agere cum domino noxali actione legis Aquiliæ, ne singulis agentibus separatim damnatus dominus, in solidum singulis noxæ dedere cogatur, quod etiam fieri nequit, nempe vt duo fiant do-

mini eiusdem hominis in solidum, sed vt noxæ dedat simul vtrisque, vel si hoc malit, vtrisque sufferat æstimationem litis, quia in ea re pro vno habentur, atque adeo vni damnum datum videtur, & vna obligatio esse contracta. Sed & si alterutri eorum in solidum noxæ dedat seruum, absoluitur ab vtroque, verum is cui noxæ deditus est, tenetur alteri actione Communi diuidundo, vt eum seruum communicet, quoniam ad eum ob rem communem peruenit, vt *l. 3. Com. diuid.* Potest vni noxæ dedi in solidum non pro parte, quia noxæ deditio diuisionem non recipit *l. 8. De nox. act.* At litis æstimatio potest cuique præstari pro parte, & hoc etiam modo satisfieri vtrique, *l. si seruus seruum* §. *item si seruus, Ad leg. Aquil.* M. Tullius *pro Roscio Comœdo* scribens de eadem specie. *Lite contestata*, inquit, *iudicio damni iniuriæ constituto de seruo communi interfecto, vnum ex dominis sine altero recte cum reo decidisse, suam quemque partem iuris possidere & persequi posse.* & hæc de specie *d. l. xix.* nimirum de damno pluribus dato in re communi. De eo quod datum est pluribus in re cuique sua propria, nihil habemus ex Paulo, sed ex Vlpiano in *l. 14. eod. tit.* quia non possit singulis in solidum seruus noxę dedi, non ideo dominum necesse habere litis æstimationem offerre his quibus dedere non potest, sed noxæ dedere in solidum debere noxium seruum ei qui prior causam tenere & sententiam pro se consequi occupauerit, quo facto; ab alio dominus absoluitur, adeo vt nec si alius postea vicerit, iudicati in eum, licet prior egerit, agere & litis æstimationem ab eo petere possit, possit tamen si noxa ei facta vetustior fuerit, quia noxa caput sequitur, cum eo cui seruus ex recentiore noxa, noxæ deditus est, agere noxali actione *l. 2. in pr. Si ex nox. cau. ag.* At quid si ei qui prior vicerit, maluerit dominus litis æstimationem offerre, an alij deinde agenti ex alio maleficio nihilominus tenetur? Sic videtur, quia seruum noxæ dedere potest *l. 20. De nox. act.* Eadem hæc seruantur si, (quę propositionis §. *si plures* pars altera est) vnus ex pluribus delictis egerit eiusdem serui nomine. nam si ei ex vno delicto seruus noxæ deditus sit, nullam amplius habet actionem aduersus priorem dominum ex aliis delictis, quia actio noxalis caput sequitur, id est, quia noxæ deditione serui dominio quęsito ipse in ea causa cœpit esse vt eius serui nomine noxales actiones si quæ exoriantur excipere & pati debeat. ergo iam non potest agere noxali actione *l. sed si vnius* §. *si seruus De iniur. l. vt tantum* §. *si seruus, De ser. cor. l. pen. C. de fur.* quia noxæ deditione semel dominus effectus, alia noxæ deditione amplius dominus fieri non potest. Sed si ex vno delicto tulerit litis æstimationem, non prohibetur ex alio agere noxali, quia serui dedendi dominus facultatem habet, *d. l. 14. & l. 29.* Hoc cognito quo manca videtur esse scriptura §. *si plures*, de reliquo videamus. Finge, serui qui alij dānum dedit proprietas est mea, vsusfructus tuus. ego teneor noxali actione non tu, *l. 18. eod.* quia imo tu haberes noxalem actionem aduersus me si is seruus tibi nocuisset *l. 14.* §. *si is in quo, De ser. cor.* ergo non teneris noxali actione. Qui tenetur noxali, non potest agere noxali, & contra qui potest agere noxali, non tenetur noxali *l. pen. C. de fur.* Denique ego teneor noxali non tu, & teneor vtique etiamsi à te conduxero operas serui quę in fructu sunt *l. 19.* §. *1. eod.* nam conductione operarum non desino esse dominus. Conducimus etiam rei nostræ fructum & vsum, aut possessionem. Verum si conueniar noxali actione, officio iudicis incumbit vt si malim seruum noxæ dedere, eius plenum dominium transferam in actorem non detracto vsufructu. alioquin non liberabor. at qua ratione id efficere possum qui nudum dominium habeo, non plenum? Et Paulus docet in *d.* §. *si plures*, extra ordinem me postulante prætorem te compellere vt vsufructu cedas, si vtilius sit seruum noxæ dedi, quam litis æstimationem sufferre, quę lōge exuperat pretium serui, vel si vtilius sit litis æstimationem sufferre quod seruus sit maioris pretij, vt tu ex seruo omne emolumentum capis ad litis æstimationem conferas pro æstimatione vsusfructus. alioquin prętor tibi denegabit vsusfructus persecutionem *l. 27. eod.* nisi me cessante & recusante noxale iudicium accipere, tu id suscipere paratus sis & seruum defendere ne ducatur iussu prætoris. Defensio enim tibi permittenda est. sed si damnatus seruum noxæ dedideris, postea quandoque finito vsufructu aduersus stipulationem fructuariam si ex ea experiar, tueri te poteris exceptione doli vel in factum, si non is seruus noxæ deditus sit te cessante in eius defensione.

Cap. XXXVII.

Seruitutes precario concessæ.

CErtum est precarij rogationem etiam in seruitutibus prædiorum consistere, vt si me precario rogaueris iter aut viam per fundum meum, vel vt in tectum aut aream, aut cloacam meam stillicidium proiectum vel tignum immissum haberes *l. 3. l. 15.* § *precario, De precar.* & ita Vlpianus in *l. si quis sepulchrum De religios.* iter ad sepulchrum peti precario & concedi solere. Siculus Flaccus *De cond. agr. Per agros alienos iter præstari, quæ etiam*, inquit, *conueniunt precario vti seruitutem præstent his agris ad quos necesse habent transmittere peruium.* Liuius 34. *Precario ab se iter per eum ipsum agrum, tanquam haud dubie Carthaginensium iuris, petisse.* Sed ne fallam, de transitu est ille locus Liuij, non de seruitute itineris. Seruitus autem precario concessa non est proprie seruitus, quia perpetua eius causa non est, sed pendet ex arbitrio & voluntate eius qui concessit, sicut nec proprie seruitus est quę ita constituitur, *Quamdiu volam, l. 4. De seruit.* & quandoque libuerit liberum est ei qui concessit agere interdicto precario, *l. pen. Com. præd.*

Cap. XXXVIII.

Ad l. 4. §. qui communem, Fin. reg.

NOn satis mihi liquet quemadmodum accipienda sint hæc verba *l. 4.* § *qui communem, Fin. reg. qui communem fundum habent inter se non condemnantur, neque enim inter ipsos accipi videtur iudicium.* quia hunc ea sensum referre vt non possit in vno eodemque fundo communi pro indiuiso inter socios accipi iudicium finium regundorum, vt credam, grauitas Pauli non patitur. est enim graui Iurisconsulto alienum id scribere quod vulgus omne videt, vbi nulli sunt fines, iudicium de finibus esse non posse. Quod si eorum verborum sensus hic non est, est igitur is qui sequitur, quia tertius adhiberi non potest, quique statim proponitur in §. *si communem.* Verba illa, *Qui communem, &c.* sunt Sabini, quibus subiicitur interpretatio ex libris Pomponij ad Sabinum statim in §. *si communem*, nempe hęc, *si ego & tu communem fundum habeamus, & ego solus proprium vicinum de finibus regundis fundi communis.* & fundi proprij neque directum, neque vtile reddi posse, quia quod ad hanc actionem attinet in fundo communi qui vnus est, & nos vnius loco habemur. non potest autem iurgium vel lis esse intra vnum, non potest esse nisi inter duos. ego igitur & tu in hac actione aduersarij esse non pos-

sumus, quia vnius loco habemur. Itaque si velim regi fines fundi communis, & fundi mei proprij, vel debeo partem quam habeo in fundo communi vendere, vel fundum proprium. Si vendidero partem fundi cõmunis, agam cum emptore, & socio eius de finibus regundis. Si fundum proprium, ego & socius meus cum emptore agemus finium regundorum, & hoc Paulus ex Pomponio tradit in §. *si communem*. Et recte ait Pomponius, *In hac actione*. nam in actione quę de prędiorum seruitutibus competit, aliud dicendum est. Si enim ego & tu prædium commune habeamus, & vicinum prædium ego solus, & ex prædio communi in meum proprium opere à te facto aliquid non iure immissum sit, inter nos accipere possumus de seruitute iudicium, me negante ius esse in meum immittendi, *l. sed si inter me, De ser. vrb. l. si cum meus* §. 1. *Si ser. vind.* Aliud quoque dicendum est in actione aquæ pluuiæ arcendæ. nam si communi fundo meo & tuo ex fundo tuo proprio decurrens aqua pluuia noceat, vel contra si fundo tuo proprio ex fundo communi, inter nos possumus accipere iudicium aquę pluuiæ arcendę vt pars damni præstetur, *l. 6. §. inde quæritur, l.* 11 *§. pen. De aqua & aq. plu. arc.* Videamus cur non & idem admittatur in actione finium regundorum. Ratio differentiæ mihi hæc esse videtur: quia seruitutes diutino vsu & longo tempore adquiri possunt, *l. si quis diuturno, Si ser. vind.* atque etiam vsucapi cum prædiis *l.* 10. §. 1. *De vsurp. & vsuc.* Finium autem qui q[illegible] pedibus circumscribuntur ex *l. 12. tab. & lege Mamilia*, neque vsucapio est, neque prescriptio longi temporis *l. pen. C. Fin. reg.* vnde si fines fundi communis inter me & te, & fundi mei proprij confusi & perturbati manserint diutino tempore, nihil damni facimus, quia latitudo & causa finium tempore non perimitur. Sed si ex prædio communi quid immissum sit in proprium, vel si paries communis incumbat in prædium meum, aut vice versa si quid ex prædio meo me faciẽte immittatur vel incumbat in commune, vel si ex communi aqua noceat in eo, vel contra, periculũ est ne vsucapione vel longi tẽporis præscriptione ius nostrum minuatur, & rem perdamus quæ ad nos pertinet. itaque vtilitas exigit vt inter nos de seruitute vel de aqua nobis agere liceat, quod *d. l. sed si inter me*, significat his verbis, *aut rem perdere*. At in causa finium, perdundæ rei nullum periculum est. Et hæc quidem de seruitutum vindicationibus relata sunt ex Pomponij xxxiii. ad Sabinum in *d. l. sed si nihil, & d. l. si cum meus*. quare facile adducor vt credam & quæ Paulus ex Pomponio tradit in *d.* §. *si communem*, de action finium regun dorum sumpta esse ex illo Pomponij libro, ex eodem repetitis etiam his Sabini verbis, *Qui communem*, &c. & mox subiecta interpretatione Pomponij; *Si communem*, &c.

Cap. XXXIX.

An in actionibus mixtis de finibus regundis diuidundisve rebus communibus adiudicatio eiusdem rei pluribus fieri possit.

SI vicini fundi tres sint domini qui certent de fine vel de loco cum duobus dominis alterius fundi, his vel illis licet plures sint, potest iudex adiudicare locum de quo quęritur re ęstimata iusto pretio. Pluribus ergo in iudicio finium regundorum eiusdem rei adiudicatio fieri potest pro indiuiso *l.* 4. §. *si alter, Fin. reg.* Et tamen in iudiciis familię erciscundæ & communi diuidundo adiudicatio eiusdem rei pluribus fieri non potest pro indiuiso, ne qui iudex sumptus est tollendæ communionis, iudex diuisionis, ipse communionem inducat; quæ ratio etiam efficit ne alij fundo, alii vsufructu adiudicato vsusfr. communicetur *l.* 16. § 1. *Fam. erc.* sed debent singulis res singulæ adiudicari in solidum, vel vnius rei certa cuiq; pars, vel si fundus sit diuisus regionibus, sua cuique regio, vt §. *si familiæ, Inst. de off. iud.* & vno tantum casu vt pluribus eiusdem rei adiudicatio fiat pro indiuiso, necessitas facit, videlicet si pluribus vnius rei prędceptio testamento relicta sit, *l.* 22. §. 1. *Fam. erc.* Cur tamen in iudicio finium regundorum pluribus eadem res pro indiuiso adiudicari possit, ratio hæc est, quia iudicium finium regundorum inter fundos communes potius accipitur quam inter iurgantium personas, *d. l.* 4. §. *non solum*, ac proinde adiudicatio fit fundo potius cõmuni plurium, vel parti fundi quam personis. & fundus vnus est parsve fundi vna cui ex altero fundo vicini locus aut fines adiudicantur. quo fit vt & plures domini vnius fundi pro indiuiso, in hoc iudicio vnius loco habeantur, *d. l.* 4. §. *si communem*, & quemadmodum Paulus ait in §. *si alter*, vt quam quisque partem habet in fundo, fac habere diuersas & inæquales, vnum dimidiam, alterum quartam, alterum sextam, eam quoque habeat in loco adiudicato, qui si adiudicaretur personis, adiudicari intelligeretur ex æquis partibus. Vbi enim non adscribuntur partes, semper æquæ intelliguntur, *l.* 29. *in pr. Pro soc. l.* 19. §. *vlt. De leg.* 1.

Cap. XL.

Ad l. XXV. §. si testator, Fam. erc.

VVlgo §. *si testator l. xxv. Fam. erc.* existimatur esse difficilis, & sane si vt Ioannes fecit, vnum tantum in eo ponas casum, nihil eo difficilius aut inexplicabilius erit. sed si ponas tres, vt disiunctim concepta in eo oratio suadet, vtque Accursius fecit & Azo, & aliter tamen explices secundum & tertium casum quam fecerint illi, nihil eo facilius, nihil elegantius videbitur. vnus casus hic est, Si testator rem communem cum extraneo habuit, quo casu ad officiũ iudicis familię erciscundæ pertinet vt partem quæ testatoris fuit totam adiudicet siue iubeat tradi alicui ex heredibus vt fiat communis inter eum & extraneum, ne extraneo plures iungantur socij ea parte diuisa inter coheredes, & ad hunc casum proprie pertinent extrema verba *d.* §. *vt eam partem quæ testatoris fuit alicui iubeat tradi.* Sed eadem ratio seruanda est in aliis duobus casibus, si testator rei suæ propriæ in solidum partem alicui legauerit. nam alteram partem quę mãsit in hereditate, non inter heredes partiri, ne plures legatario adiungat socios, ne tollendo communionem vnam, nouam communionem pariat, sed vni ex heredibus iudex totam adiudicare debet. Item si vnus ex heredibus ante acceptum iudicium familiæ erciscundæ partem suam alienauerit quam habuit in re aliqua hereditaria pro indiuiso, partem alteram iudex totam vni ex heredibus adiudicare debet, ne plures emptori adiungantur socij, quod plerumque molestum est, ne partium tot minutiæ fiant, ne qui iudex est diuisionis, difficultatem communionis augeat vel inducat nouam inter heredes & emptorem, quod haudquaquam decet aut congruit iudici diuisionis, nimirum vt eadem opera tollat & inducat communionem. Denique totum debet Iudex fam. erc. diuidere in partes, nisi adiudicationibus rem dirimere vtilius aut commodius sit, non partem aut partes rursus in alias partes. & similiter res totas ęstimare & adiudicare non partes rerum, *l.* 52. §. *vlt. eod. tit.*

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XXIII.

CAPVT PRIMVM.

Sententiam iudicis in partem valere, in partem non valere posse.

VOD est receptum sententiam priorís iudicis remedio appellationis partim infirmari, partim confirmari posse, argumentum præbet satis idoneũ posse eandem sententiam partim iustam, partim iniustam esse, partim valere, partim non valere, vt in specie *l. quædam mulier, Fam. erc.* diuisio quam fecit iudex fam. erciscundæ pro parte valet, pro parte non valet, diuisio scilicet libertorum nulla est, diuisio ceterarum rerum valet. Nec huic sententiæ obloquitur *l. 27. eod. tit.* male hactenus ab omnibus accepta. Primum non de rebus ea lex est, sed de præstationibus personalibus. Ex vtrisque constat iudicium familiæ erciscundæ. Si esset de rebus, ita esset scripta, In hoc iudicio adiudicationes & condemnationes vt *l. 36. eod. tit. l. 2. Fin. reg.* nam adiudicationes prçcedunt, condemnationes sequuntur. At quia est de personalibus præstationibus, ita scripta est, *In hoc iudicio condemnationes & absolutiones.* quia harum inter se nullus ordo est. & omissa adiudicationum mentio, satis indicat non de rebus quia eæ adiudicantur, sed de personalibus tantum prçstationibus eam legem esse, puta si quid coheres in hereditate dolo aut culpa commiserit, vt id coheredi vel coheredibus pro parte eorum prçstet, vel eo nomine caueat, si quid impenderit in hereditatem solus, vt id ei coheredes pro suis partibus præstent, si quid ei prælegatum sit, vt çque id ei coheredes pro suis partibus prçstent, si quis solus fructus fundi hereditarij perceperit, vt eorum τῷ ἀναλογίαν coheredibus præstet, quibus ex causis (incidunt tales præstationes innumeræ) si mutuæ petitiones sint inter coheredes in iudicio familiæ erciscundç, iudex debet de omnibus vna sententia pronuntiare vel condemnato eo à quo petitur vel absoluto, quia, vt Paulus ait in *d. l. 27. non potest ex vno iudicio res iudicata in partem valere, in partem non valere.* quod ita exaudiendum est, vnum iudicium non posse scindi in partes, ita vt de ea re quç in iudicium venit partim iudicetur, partim non iudicetur, non posse rem in iudicium deductam iudicari pro parte, nec rem iudicatam valere posse in partem tantum de qua pronuntiatum est, in partem autem omissam non valere, sed quç tota causa in iudicium deducta est, & totam sententia iudicis dirimi oportere. Denique plenam esse debere sententiam iudicis vt *l. 19. §. 1. De rec. qui arb. rec. l. 2. & 3. C. Theod. de sent. ex per. rec.* Semiplenam non valere. D. Augustin. breviculi cum Donatistis *col. 3. Legibus*, inquit, *iudex prohibetur semiplenam proferre sententiam.* Quod Paul. ait, *Res iudicata*, belle conuenit cum eo quod dixerat initio, *(condemnationes & absolutiones*: quia res iudicata ex his vel illis constat, *l. 1. De re iud. l. 3. C. de sent. & interl. Et ea*, inquit, *in omnium persona qui inter se acceperunt iudicium fam. erciscundæ faciendæ sunt, & ideo si in alicuius persona omissa sit condemnatio, in ceterorum quoque persona quod fecit iudex non valebit*: secundum quæ verba & id quod subiicit, quia non potest ex vno iudicio res iudicata in partem valere, in partem non valere, interpretari debemus, nempe in iudicis sententia non posse partem omitti, partem iudicari, imo propter partem quæ omissa est & partem de qua iudicatum est pro non iudicata haberi. & vel totiens illo loco repetita personarum mentio satis demonstrat ibi agi de personalibus præstationibus. Si igitur, vt hoc exemplo fiat manifestius, quatuor sint heredes, Primus, Secundus, Tertius, Quartus, qui inter se agant fam. erciscundæ, & Primo qui impensas vtiles necessariasque in hereditatem fecit, Secundus & Tertius eo nomine pro suis partibus impensas sarcire damnati sunt, Quarti damnatio omissa sit, sententia non valet, quia non est plena. Plena est si in omnium persona eius rei siue præstationis nomine condemnatio vel absolutio facta sit, etiamsi non de omnibus præstationibus personalibus, quæ in iudicium venerunt quasque à se inuicem coheredes petierunt iudicatum sit, quia & de capite vno litis lata sententia, plena sententia est, *l. pen. C. de sent. & interl.* quæ Græca Iustin. Constitutio est à nobis restituta *Obs. 12. c. 11.* sicut etsi quædam res indiuisa aut inadiudicata relicta sit, non ideo minus plena aut rata est ceterarum rerum diuisio, distributio, adiudicatio, *l. 20. §. familiæ, Fam. erc. l. 4. §. hoc iudicium, Com. diuid.* Plena & quæ pro parte tantum valet vt *d. l. quædam.* Plena quæ fertur inter duos qui omissis ceteris coheredibus aut sociis inter se acceperunt iudicium fam. erciscundæ vel Communi diuidundo *l. 2. §. Dubitandum, Fam. erc. l. coheredibus, C. eod. l. 8. in pr. Com. diuid.*

CAP. II.

Quæ sint prædia meritoria & fullonica.

INter prædia meritoria ab Vlpiano fullonicæ siue fullonica numerantur *l. 13. §. vlt. De vsufr.* quia instituí solent circa fontem riuumve priuatum, vt *l. 2. in pr. De aqua & aq. pl. arc.* aut circa flumen publicũ, & locari fullonibus aut lanariis mercede certa quotiens vsus est eluere vestes aut pannos alienos, vt quidam ait eius rei causa pedibus argutari, qua ex re & Orus Apollo ait Ægyptios fullonem significare pictis in aqua hominis duobus pedibus. quod tamen etiam fit vi aquæ subinde commota lignea machina quæ idẽ præstet quod homo pedibus. Eiusdem generis sunt balnea, meritoria scil. prædia, & hæc atque illa modo priuatorum, modo Reip. propria, nec male his illa cõiunxit Frontinus *lib. De aquæductibus. Hæc ipsa*, inquit, *aqua non in alium vsum quam in balnearum aut fullonicarum dabatur.* & infra. *Ipsam splendore & rigore gratissimam balneis ac fullonicis & relatu quoque fœdis ministeriis deprehendimus seruientem.* Putem vero actiones propositas in tit. *Nau. caup. stab.* in exercitorem meritorij

meritorij ſtabuli diuerſoriive etiampertinere ad exercitorem balnei aut fullonicæ, ſicut & ad exercitorem non nauis tantum, ſed & ratis aut lintris. A

Cap. III.

Ad l. VI. C. De Epiſ. aud.

ARchigerontes & diœcetas de quibus in *l. 6. C. de epiſ. aud.* fuiſſe primates plebis Alexandrinæ conſtat ex *tit. de Alex. pleb. prim.* ſub quo ea lex poſita eſt in *C. Theodoſiano*, quæ vult vt primates hi ſiue tribuni & defenſores plebis ergaſiotanorum, id eſt artificum & operariorum numero, qui quidem in ea vrbe fuit innumerus, deligantur, cura & diligentia præfecti Ægypti, ad quem ea lex ſcripta eſt, nimirum quia Alexandria Ægypti caput. Quos autem Græce ἐργασιώτας, latina terminatione Ergaſitanos dicit, vt quos illi μαυείτας, nos mauritanos. Eoſdem corporatos vocat ciuitatis Alexandrinæ *l. 1. C. de Alex. prim. lib. 10.* quod cuiuſque generis eorum certum eſſet corpus atque collegium, vt & in vrbe Roma, veluti corpus piſtorum, corpus linifariorum, corpus ſaccariorum, & pleraq; alia ſuis diſtincta generibus. Adiecit autem legi Tribunianus hunc modum, vt ex eo ergaſiotanorum ſiue corporatorum numero non niſi Chriſtiani archigerontes & diœcetæ deligantur, conſequenter aliis Conſtitutionibus quæ etiam aliarum ciuitatum defenſores, itemque aduocatos milites non niſi Chriſtianos orthodoxos legi volunt, paganos & hęreticos excludunt *l. 15. 19. 20. C. eod* Prima eſt Leonis, Secunda Anaſtaſij, Tertia Iuſt. cuius etiã meminit Anaſtaſ. bibliothecarius ſiue Procopius in hanc ſententiam, *Tertio interea imperij ſui anno Iuſtin. Imp. promulgauit legem ne militarent pagani aut hæretici, ſed ſoli Chriſtiani orthodoxi datis illis induciis vſque ad menſes tres ad conuerſionem.* Quod autem eſt in ſubſcriptione illius *l. 6. ſiue l. 1. C. Th. de Alex. pl. pr.* propoſitam eam fuiſſe Alexandriæ Eutycheo non intellexiſſem niſi me docuiſſet Franc. Pithœus virorum emendatiſſimus & eruditiſſimus, Eutycheum eſſe prætorium præf. Auguſtalis ex hoc Syneſij loco in *epiſtola 79.* εὐδρέπης ὁ εὐτυχὴς τὴν ὑπάρχων οἰκίας. B C

Cap. IV.

De ambitu ædium ex XII. tab.

IAmpridem, ab ipſo nempe libri primi initio non longe oſtendi in *l. Impp. De ſer. vrb. præd.* legitimum ſpatium quod inter vicinas inſulas intercedere oportet eſſe duorum pedum & ſemis. hoc vero eſſe ex XII. tab. Voluſius Mætianus docuit, in quibus ſpatium illud ſeſtertius pes appellatur à Plinio 17. c. 11. quinus ſemipes. & ſeſtertium quidem pedem lex dicit pro duobus pedibus & ſemipede, vt bes alterum Vitruuius *initio libri 3.* pro pedem & beſſem, & alij auctores apud Feſtum trientem tertium pondo, pro duo pondo & trientem, itemque quadrantem quartum aſſis pro tribus aſſibus & quadrante. Atticos autem & Iones teſte Didymo Latini imitati ſunt cum ſeſtertium dixerunt pro duobus & ſemiſſe. nam & illi dicunt ἥμισυ τείτων, vel ἡμιτέιτων, pro δύο ἥμισυ. Iidem etiam contraria ratione dicebant τείτων ἥμισυ pro eodem, vt etiam Germani hodie *Treithalben*, & ſic Herodotus ἕβδομον ἥμισυ pro ſex & ſemis, πίπαρτον ἥμισυ pro tria & ſemis. & ita in ſpecie *l. 6. De fid. lib.* vbi x. legata proponuntur, pro quadrante dicam ſeſtertium, pro dodrante octauum ſemiſſem. D

Cap. V.

Modum vim habere fideicommiſſi.

QVod modus vt haberet vim fideicommiſſi, primum conſtituiſſe Gordianum oſtendi *Obſ. 14. Cap. 25.* id forte ex Modeſtini ſententia fuit qui eius Imperatoris ætate vixit, vt conſtat ex *l. 5. C. ad exhib.* quique in *l. legatum, De vſufr. leg.* modum adſcriptum legato Reip. relicto vt quotannis memoria defuncti celebraretur edito certo genere ſpectaculi & in eam rem expenſa quantitate certa quæ ſumeretur ex reditibus prædiorum legatorum, fideicommiſſum vocat quod ſcilicet à Rep. heredibus debetur, quorum intereſt memoriam defuncti conſeruari, quam & ipſi perpetuo colere & obſeruare debent, ſicut intereſt quoque eorum pietatem & prouidentiam defuncti tueri *l. Titio C. in pr. De cond. & dem.* adeo vt niſi Reſp. aliqua ratione adhibitis heredibus celebrarit memoriam defuncti, neceſſe ſit eam quantitatem Remp. heredibus præſtare, vt ipſi eam celebrent *l. liberti §. vlt. De adim. leg.* illo loco, *neque ad heredes acceſſerit.*

Cap. VI.

De diſiunctim aut coniunctim eidem legato fundo & vſufructu eius.

SI quis Titio fundum & eiuſdem fundi vſumfruct. legauerit, non poteſt Titius & fundum. i. plenam proprietatem & vſumfr. i. ſeruitutem vſusfr. vindicare, quia nemini ſuus fundus ſeruire poteſt. Fruſtra etiam vel ridicule potius vindicauerit vſumfr. quaſi partem proprietatis qui iam plenum fundum habet. Quid ergo? Inaniſne erit hominis ſani voluntas? inaniſne adiectio legati vſusfructus? non vtique ſi ſtatuamus quod magis eſt, quamuis coniunctiuo modo legauerit fundum & eiuſdem fundi vſumfr. perinde id accipiendum eſſe ac ſi diſiunctiuo modo legaſſet fundum vel vſumfr. eius, vt & ſæpe alias in teſtamentis & in ſtipulationibus oratio coniuncta, accipitur pro diſiuncta, rerum expediendarum, voluntatum vltimarum exequendarum gratia. Quod ſi diſiunctiuo modo ita legaſſet, Titio fundum vel eiuſdem fundi vſumfr. in arbitrio eſſet Titij vel fundum plenum, vel vſumfr. ſolum. i. ſeruitutem vindicare *l. plane §. pen. De leg. 1. l. 23. De leg. 2.* Ergo & idem arbitrium Titio erit quod & *l. 10. De vſufr. leg.* ait, ſi coniunctim fundum & vſumfr. eius legauerit: & fundo electo, vſufructu repudiato, neceſſario plenam proprietatem habebit, quia fundi legatum in partes ſcindi non poteſt. contra vſufructu electo & proprietate repudiata, ſolam vſusfr. ſeruitutem habebit. Et retro ſicut coniunctim legato fundo & vſufructu eius, duo videntur eſſe legata, ita diſiunctim legato fundo aut vſufr. eius, quãuis alias vnum tantum ſit legatum quod diſiunctim relinquitur *l. 27. De leg. 2. l. 8. §. vlt. De leg. 1.* hoc tamen caſu duo intelliguntur eſſe legata, *d. l. plane §. pen.* quia nihil refert diſiunctim an coniunctim legauerit, neque vero aliter voluntas defuncti qui vel vſumfr. tametſi pars ſit fundi, tamen eligi & à proprietate ſeparari voluit, id eſt, qui fundi legatum ſcindi voluit ſi hoc legatarius mallet ad effectum perduci poteſt quã ſi ſtatuamus duo eum legata feciſſe. nam ſi vnum dixerimus eſſe legatum, non poterit legatarius vſumf. vindicare & proprietatem repellere, quia videretur fũdi legatum ſcindere in partes quod fieri non poteſt *l. legatarius in pr. De leg. 1. l. 4. & 6. & l. cum filius §. variis, De leg. 2. l. qui duobus, De cond. & dem.* ſicut fundo tan- E

tum legato non potest legatarius vsumfr. vindicare qui pars est fundi, & proprietatem repudiare *l. 23. De leg. 2.* hoc enim esset scindere legatum & honorem vltro sibi à testatore delatum fastidire superbe & inconstanter. quod non est honestum, nec si non fastidio id fiat sed heredis gratia, tolerari debet, quia heredi longe alia honestiore ratione cognito integro legato gratificari licet. eademque ratione fundo legato aut pecunia certa, fundo aut Sticho, quia vnum legatum est in alterutra causa, vel vsumfr. fundi dumtaxat vindicare vel partem fundi & partem pecuniæ legatarius non potest *d. l. 8. §. vlt.* Sed vna re contentus esse debet eaque indiuisa: nec enim eligendo pecuniam vel Stichum scindit legatum fundi. At si vsumfr. eligat is cui fundus vel eiusdem fundi vsusfructus legatus est, scindere videtur fundum, nisi dicamus duo esse legata, vnum fundi, alterum vsusfructus, quod & necesse est, vt exitum habeat voluntas defuncti, quia duobus legatis relictis proculdubio vnum legatarius velle, alterum nolle potest *l. 5. De leg. 2.* quia nec electio vnius, deintegratio alterius est.

A

B

CAP. VII.

Certamen Chrysanthianum in l. pen. De annuis leg.

CVm quidam legasset ciuitati Sardianorum quæ regia fuit Lydiæ, pecuniam certam per quadriennium certaminis Chrysanthiani, quod Impp. Seuerus & Antonin. rescripserunt, videri perpetuam pensitationem legatam in quadriennium quodque, nō in primum quadriennium *l. pen. De an. leg.* hanc solam rationem habet, quod respexisse videatur testator ad solemnitatem certaminis, quod quarto quoque anno celebrari solebat, nempe vt ea pecunia proficeret ad præmia certantium vel ad instruendum omnem eius certaminis apparatum, vt *l. 10. De pol...* in qua & fit mentio similis certaminis πραεπειας. Putem vero id certamen Chrysanthianum de quo in *d. l. pen.* institutum fuisse à Chrysanthio Sardiano summo Pontifice totius Lydiæ, sub nomine suo vt solebant *l. liberto §. Lucius, eod. tit.* de quo legenda sunt quæ discipulus eius Eunapius æque Sardianus scripsit *in libro De vitis Sophistarum.* Quę vero est ratio illius rescripti, eadem est alterius eorundem quod proponitur in *l. cum quidam, eod. tit.* quia tunc temporis diem natalem quisque suum & ab eo heredes sui quotannis celebrare solebant, & diuisiones illo loco sunt sportulę quæ in viros distribuuntur vt diuisiones mensuræ clericorum apud Cyprianum, & in antiqua inscriptione: *vt quotannis natali suo sportulæ viritim diuidantur.* eadem quoque ratio *l. annua §. vlt. eod. tit.* nam & dies ille nundinarum in quem pecunia relicta est, quotannis recurrebat.

C

D

CAP. VIII.

Alia & lucidior interpretatio §. 1. l. XXXII. De vsufr. leg.

MVlier filios quos habuit ex vno marito & filiam quam habuit ex alio, heredes instituit æquis portionibus, & matri suæ reliquit bonorum suorum vsumfr. quoad viueret (quæ adiectio vim repetitionis habet *l. 3. § 1. quib. mo. vsusf. amit.*) ita vt post mortem eius pertineret ad liberos suos vel ad eum qui ex his tunc viueret, quod fideicommiss. nullum & inutile est *l. 25 De vsufr. leg.* Filij post aditam hereditatem vita decesserunt superstite sorore & auia. post auia mortua est superstite filia. quęritur vtrum sola filia sit habitura vsumfr. omnium bonorum, quia moriente auia sola ex liberis superuixit, an pro sua tantum portione hereditaria. Et respondet Scæuola in *l. 32. §. 1. eod. tit.* ad eos redire vsumfr. apud quos proprietas esset, ergo non ad filiam solam, sed & ad heredes filiorum, quandoquidem filij post aditam hereditatem defuncti portiones suas hereditarias ad heredes suos transmiserunt. igitur & ad eos quoque vsumfr. redire pro portionibus hereditariis iure suo, iure consolidationis non iure fideicommissi quod nullum est, *d. l. 25.* & huius quidem responsi explanandi causa, Claudius notat Scæu. qui ita respondit, *ad eos redire vsumfr. apud quos proprietas esset, non credidisse ipsum vsumfr. portionum hereditariarum post mortem auiæ inuicem inter ipsos.* i. vice mutua datum per fideicommissum, puta vt qui prior quive priores morerentur restituerēt post mortem auiæ pro portionibus suis hereditariis vsumfr. superstiti, vt *l. Titia Seio §. Seia, De leg. 2. l. codicillis, De vsufr. leg.* quamuis dixerit testator, *vel ad eum qui ex his vinet.* quod sic intelligi debet ceteris mortuis ante aditam hereditatem, ideoque solam filiam non habituram vsumfr. sed & cum ea concurrere heredes fratrū, maxime quia liberi omnes proponuntur instituti ex æquis portionibus, vt quas portiones habēt in proprietate, habeant & in vsufructu ipsi heredesve eorum ad quos hereditatis maternæ portiones transmissæ fuerint, morte auiæ ad proprietatem recurrente vsufr. Et ita ordinari verba Claudij debent, vt dixi, & illud, *inuicem*, scribi vno ductu quasi aduerbium.

E

CAP. IX.

Generale caput in initio eiusdem legis.

GEnerale caput initio *l. 32. De vsuf. leg.* non est heredis institutio, vt Doctores nullius ęris arbitrantur, quod dicatur esse veluti caput aut solum & quasi fundamentum totius testamenti, sed hæc vulgaris & vsitata clausula quæ plerumque in omnibus testamentis scribi solebat, *quisquis mihi ex suprascriptis heres heredesve erunt de omnibus, damnas sunto præstare quod cuique infra legauero, præstari fierive iussero.* quod aperte demonstrat *l. Titia 1. §. pen. De leg. 2. & l. post emancipationem §. vlt. De leg. 3.* eoque genere legata & fideicommissa plerumque ab omnibus heredibus relinquebantur, aut breuius hoc modo βέλομαι παντα τα ὑποτεταγμένα χύρια εἶ, vt *l. cum quis §. codicillis, eod. tit.* Eadem vero forma Seruius generale caput vocat quod in omnium fere veterum orationibus præponi solebat, *Iouem ego opt. maximum*, in illum Virgilij locum,

Præfatus Dinos solio rex infit ab alto.

CAP. X.

Cur etsi tam legatum relictum in annos singulos quam legatum vsusfructus morte legatarij finiatur, tamen dies huius ex quo adita est hereditas cedat dies illius ex mortis testatoris tempore.

VSusfructus legatum nemo est qui nesciat extingui morte legatarij, itemque legatum relictum in annos alimentorum vice, *l. Firmio in fi. Quand. dies leg. ced.* Sed & quod non alimentorum vice in annos singulos relinquitur, morte legatarij finiri omnium optime probat *l. Gaius, De an. leg.* in cuius specie ex prædiis Potitianis certum pondus arundinis & salicis in annos singulos relictum est prædiis Lutatianis, quod sane alimentorum nomine relictum non est. & tamen finiri dicitur morte eius ad quem prædia Potitiana pertinent, cui & annua illa videntur legata. Et

sane mortali qui legat annua respexisse tantum videtur ad annos vitæ non ad posteritatem eius. Cum ergo hoc stet nobis tam hoc quam illud legatum morte intercidere, cur qua ratione dicitur vsusfructus legati diem cedere non à morte testatoris, sed ab adita hereditate, quia cum ad heredem non transferatur, frustra est si ante quis diem eius cedere dixerit *l. 3. Quan. dies leg. ced.* eadem non dicimus legati annui diem non cedere ante aditam hereditatem? Cur legatum annuum potius ex die mortis quam legatum vsusfructus? *l. nec semel* §. 1. *Quand dies leg. ced.* An quia vt ait *l. 1. §. dies, Quan. dies vsusfr. leg. ced.* vsusfructus tunc constituitur cum quis iam vti frui potest? Non potest autem legatarius vti frui antequam heres ei cesserit vsumfr. puta tradiderit fundum *l. 32. §. pen. De vsufr. leg.* vel induxerit eum in fundum fruendi causa, *l. 29. eod. l. 3. De vsufr.* quod heres non possit ante aditam hereditatem. Et sicut quod condicionis implendæ causa heredi datur, dies eius non cedit antequam existat heres in cuius persona impleri condicio possit, *l. si in diem, De cond. & dem.* id est antequam existat quem oporteat accipere, ita nec vsusfructus legati dies cedit antequam existat heres qui possit vsumfr. dare. Et hoc quidem recte dicitur vsufr. relicto per damnationem. Vsufructu autem relicto per vindicationem, idem dici non potest, quia ipso iure constituitur vt Paulus ait 3. *Sentent.* nec legato relicto in annos singulos per condemnationem, aliud dici potest quam in vsufr. legato eodem modo. An igitur quia annua legata ex die mortis testatoris relinqui solent, vt *l. 16. l. 18. l. 19. De an. leg.* imo etsi hoc expressum non sit, hæc mens fuisse testatoris videtur vt annus numeretur à die mortis suæ, quæ præsumptio non potest induci vsufr. legato nisi & is legatus sit in annos singulos, vel vt in *l. 6. De vsufr. leg.* ad certos annos à morte testatoris. Igitur si simpliciter vsufr. legatus sit, & post multos annos adeatur hereditas omnium annorum, vsusfructus legatario non debetur, sed ex die tantum aditę hereditatis, vel ex die quo moram fecit heres, vt *l. 36. §. vlt. & l. seq. De vsuf.* At si legatum relictum sit in annos singulos, & forte post multos annos adeatur hereditas omnium præteritorum annorum pensationes legatario debentur, *d. l. nec semel.*

Cap. XI.

Postrema verba l. 3. De ser. leg.

Hæc postrema verba *l. 3. De ser. leg. quia alterius legatarij persona impedimento esset, quo minus solidus fundus cum via vindicaretur*, mihi videntur referenda esse ad principium illius legis, quia & intermedia si recte legantur obiter interposita videntur, ac si coniuncta scriptura scripsisset in hunc modum: *Si fundum Mæuio & ad eum viam per alium fundum, & eundem fundum sine via Titio legasset, si vterque fundum vindicasset, sine via legato fundum cessurum, quia alterius legatarij persona impedimento esset, quo minus solidus fundus cum via vindicaretur.* Titij scil. persona impedimento est quo minus Mæuius solidum fundum cum via vindicet. Concursus enim Titij facit vt Mæuius cui ab initio solidus fundus per vindicationem legatus est, non ferat nisi partem fundi, viam autem nullo modo, quia neque adquiri per partem seruitus possit. Vulgo illa verba ad postremum casum supradictæ legis referuntur, quo vni ex sociis proponitur legata via pure, alteri sub condicione, quo etiam casu legatum extinguitur si pendente cõdicione legati puri dies cessisset, vt docui *Obs. 1. c. 23.* his verbis, *quia alterius legatarij, &c.* Sic exceptis, quasi alterius legatarij persona cuius legatum pendet ex condicione impedimento sit, ne die puri legati cedente, præter viam & solidus fundus quodammodo vindicetur, impedimento enim illo sublato is cui via pure legata est, adita hereditate, vindicaret viam solidam. solido fundo .i. non sibi tantum sed & socio. Solidum quidem fundum communem non vindicaret sine via, sed cum via tantummodo, quia viam solidam vindicaret solidi fundi nomine potius quam solidum fundum. sed vix vlla vsquam inuenietur syllepsis adeo dura.

Cap. XII.

Sententia Scæuolæ à Tribuniano suffulta in l. LVI. §. quod dicitur, De in. dot.

Si fundus sit in dotem aut fundi, per impensas necessarias prædia ipsa corporaliter non minuuntur, non extenuantur vel absumuntur, ita vt ex parte vel in totum desinant esse dotalia, sed minor fit vniuersitas dotis, & vt ait *l. 1. §. impensæ, De do. præl.* singula corpora dotalia corporaliter non minuuntur, sed vniuersitas minuitur, id est, quantitas quę ex vniuersa rerum dotalium æstimatione conficitur. Quantitas dicitur *l. 2. eod. & §. sed nec ob impensas, C. de rei vx. act.* Id vero idē est ac si diceret singula corpora non minui corporaliter, realiter, naturaliter, sed minui vniuersaliter pro rata. Absurdum enim, id est incongruum, ἀνόμητον vel alienum à ratione communi est corporaliter deminui singula corpora propter impensam pecuniariam *l. 5. De imp. in res dot. fac.* nec propter eam igitur desinunt esse dotalia, sed tanquam dotalia in totum vel pro parte indiuisa retinentur donec impensæ soluantur, quæ ipso iure dotis quantitatem minuerunt. At si præter fundum pecunia sit in dotem, tunc non est absurdum pecuniam ipso iure deminui propter pecuniam, puta expensis C. si pecunia dotalis fuerit mille aureorum. C. in dotem esse desinere & xc. tantum doti superesse, vel si mille necessario expensa sint in corpora dotalia, totidem doti decedere & à marito tanquam sua retineri. nam & deminutio quæ fit ipso iure, retentio est *l. seruus quem, De act. emp. §. item si de dote, Inst. de act.* & longe alia est retentio quæ fit ob impensas vtiles non ipso iure sed opposita exceptione doli mali: hęc est facti, illa iuris. hanc si habētes per errorem soluerimus, certi condictionem nō habemus, *l. ex quibus l. si in area De cond. ind.* illam habentes si soluerimus, de indebito soluto certi condictionem habemus *l. 5. §. pen. De imp. in res dot. d. l. seruus quem.* ex his sequitur muliere satisfaciente impensis necessariis factis in prædia aut mancipia dotalia (nec enim fiunt in pecuniam dotalem) pecuniam quæ simul data erat in dotem quæ ipso iure per impensas necessarias imminuta erat, auctā fuisse videri tanto quanto prius imminuta fuerat. Pecunia res est mutabilis, quæ facile augetur & minuitur. & vt Leo pontifex ait *epist 93. quam mutatur quod minuitur, tam mutatur etiam quod augetur.* Fūdi autem corpus facile non mutatur. Vnde si impensas necessarias marito heredive eius soluerit mulier, vbi fundus est in dotem, non dicam, fundum maiorem factum quē impensæ necessariæ minorem non fecerunt, non dicā fundum rediisse in causam dotis, qui non desiit esse dotalis. alioquin interim nondum solutis impensis posset alienari. & alienatus sane non posset rursus fieri dotalis solutis impensis, nec pecunia quoque impensarum nomine soluta posset fieri dotalis iam soluto matrimonio. Hoc igitur tantum dicam solutis impensis necessariis suppleri vniuersitatem dotis, vt de peculio. i. de peculij vniuersitate dicitur *l. 4. §. pen. De pecul.* cuius etiam singula corpora per æs alienum dominicum non minuuntur corporaliter sed vniuersali-

ter tantum. alioquin desinerẽt esse peculiaria vel pars eorum. Et ita accipiendum est quod ait *l. 6. & 8. De pec. leg.* singula corpora peculiaria minui. Et his rationibus motus Paulus *l. 56. §. quod dicitur, De iu. dot.* Scęuolę magistri sui sententiam non probauit qui ex parte quidem dicebat fundum non desinere esse dotalem si in eum minus impensum sit quam sit in fundi pretio, quod & omnes probant, sed fundum tamen totum desinere esse dotalem, si tantum in fundum impensum sit per partes, vt fit, vix vnquam vna fusione, quanti fundus est, facilius totum quam partem, & rursus solutis impensis fundum reuerti in causam dotis. Verum hanc Scæuolæ sententiam tamen Tribun. probauit, additis quibusdam adminiculis. primum vt non aliter fundus desinat esse dotalis quam si annum integrum cessarit mulier in solutione impensarum, deinde post annum solutis impensis, vt tum fundus reuertatur in causam dotis, sed interim alienari non possit. Vtrumque esse Tribun. siue Iust. dico non Scæuolę. nec enim potuit Iurisc. huic rei finire annum. Temporum finitio ad leges pertinet aut Constitut. non ad Iurisc. Non potuit etiam Iurisconsl. constituere interim fundum qui non esset dotalis non posse alienari. quia lex Iulia quæ dotalem alienari vetat, non dotalem alienari sane permittit. Opus fuit Constit. qua de causa & hæc verba postrema *d. §. quod dicitur, Et magis est vt ager ad causam dotis reuertatur, sed interim alienatio fúdi inhibeatur,* Tribuniani esse dico, & illa quoque, *Nisi mulier sponte marito intra annum impensas obtulerit*, quibus Tribunianus Scæuolæ sententiam adminiculatus sit.

Cap. XIII.

Explicatur §. à me l. Mœuio, De leg. 2.

SI maritus vxori ita dotem legauerit, A te heres peto quidquid ad te vxoris meę dotis peruenit, vt tãtum ei des, videtur remisisse vxori impensas vtiles quas fecit in res dotales. ergo totam dotem quæ ad se peruenit non deductis impensis vtilibus heres vxori præstabit, nec enim vtiles impensæ ipso iure dotem minuunt sed deducuntur *l. 7. & 8. De imp. in res dot. fac.* Ceterum in hac specie non deducuntur. hic enim vt ait *l. Mœuio in fi. De leg. 2.* id est in testamento viri qui dotem vxori legauit hæc verba, *Quidquid ad te peruenit*, taxationis loco habentur. i. pro eo res habetur atque si quantitatem expressisset dotis quæ ad heredem suum peruenisset, puta M. quia & mille vtique peruenisse intelliguntur etiamsi quædam impensæ vtiles forte ad C. factæ sint in res dotales. quia impensæ vtiles dotem ipso iure non minuunt. & alia est ratio necessariarum impensarum quæ dotem ipso iure minorem efficiunt: nec enim ad heredem mariti videtur peruenisse id quo deminuta dos est per impensas necessarias. itaque residuum dumtaxat quod in causã dotis manst vxori iure legati debetur, aliter quam si cum testator in dotem accepisset mille, vxori nominatim mille legauerit. nam integra mille debentur vxori etiamsi impensæ necessariæ ex dote ipso iure reciderint C. quia & illa C. vxori legauit *l. 2. §. 1. De do. præl.* Et quod ait *l. 5. eod. tit.* dote relegata vtiles impensas remissas videri, non etiam necessarias, quia quanti sunt impensæ necessariæ, tanto minus videtur esse in dote quæ legatur. legatur denique non dos quæ olim fuit sed quæ nunc est, imminuta sc. per impensas necessarias, hoc plane consonat *d. § à me*, qui de impensis est vtilibus, nõ, vt Doctores autumant, de necessariis, quia de deductione impensarum loquitur, & necessariæ nõ deducuntur, sed ipso iure dotem minuunt. nec placet distinctio Bartoli. nam siue dotem legauerit si-

A ue Quidquid ad te peruenit, remissæ videntur impensæ vtiles, non etiam necessariæ quæ iam dotem in minuerunt. & in *d. l. 5.* dote relegata, non est simpliciter sed quocumque modo dote legata, vel simpliciter vel quanta pecunia, aut Quidquid peruenit, aut specialiter rebus dotalibus legatis. Verum elegans est distinctio quam facit *d. §. à me*, inter maritum & extraneum: nam si extraneus ab herede suo vxori eius legauerit, quidquid ad heredem suum dotis nomine ab vxore vel propter vxorem peruenerit, non videtur remisisse vxori impensas vtiles quæ nec ei debentur. nec enim ipse eas fecit sed maritus. & idcirco maritus dotem legando pure vel præsenti die, eas remisisse videtur. Itaque legato extranei id tantũ continetur quod B mulier iudicio dotis consecutura esset, quodque nihilominus à marito heredeve eius consequetur diuortio facto aut morte viri soluto matrimonio, quia ex testamento extranei consequitur æstimationem tantũ. Iudicio autem dotis consequeretur deductis impensis vtilibus id tantum quod supereresset. & hoc est quod ait in *fi. d. l. Mœuio*. Illic autẽ id videtur legare, extraneus scil. quod in iudicio dotis mulier consecutura fuerit. namque illo loco verba hæc, *vbi vir vxori legat*, sunt traiecta & reponenda post illa quæ præcedunt, *Hic enim*. Sic ex oppositione illius articuli, *Illic*, satis per se patet vulgo legi recte, *& hic*. i. in testamento viri, qui casus proxime proponitur. *Illic*, in testamento extra- C nei qui anterior casus est. Ceterum de impensis necessariis etiam ille perperam illum §. accipit

Cap. XIV.

Differentia inter optionem serui & seruum generaliter legatum.

OPtiõnis legatum est condicionale, & fuit semper ante Iustinianum, quasi singulis rebus quarum optio data est, legatis sub condicione, si elegerit legatarius *l. 3. qui & à quib. man. §. optionis, Inst. de leg. 1.* Hoc & *l. 13. De opt. leg.* docet, quę optione serui data, si tota familia ad vnum reciderit viuo testatore, vt iam optioni nullus sit locus, illum vnum ad quem familia recidit quasi pure legatũ à legatario percipi ait simul D atque legatum ei sine libertate relictũ, quod alioquin inutile foret, si electioni fuisset locus & aliũ legatarius elegisset. idemque de viriolarum duarum è quatuor optione data, cum duæ tantum relictæ essent, vel ab initio duę solæ fuissent, est proditum *l. 8. §. 1. eod. t.* neque nouum hoc, vt legatum condicionale, purum intelligatur *l. aliquando, De cond. & dem.* quod euenit in specie *d. l. 8. §. 1. & d. l. 13. Quasi*, inquit, *pure legato*, qui scilicet ab initio sub condicione legatus erat, data vnius serui optione vel duorum aut plurium, vel ἀοριστως seruorum, quo genere trium dumtaxat seruorum optio data videtur, & familia redacta ad vnum. Idemque probat *l. 9. §. vlt. eod.* coniuncta *l. si fundum §. pen. De leg. 1.* quæ nihil referre docent, statuliber sub condicione legatus sit, an optio serui & Sticho data sta- E stulibertas. nam & hic ipse Stichus legato optionis cõtinetur quasi sub condicione & ipse legatus. Longe alia est condicio serui generaliter legati. Purum enim est legatum, & singuli quidem homines qui sunt in hereditate legato continentur *l. Mœnius §. duobus, De leg. 2.* sed pure, non vt in optionis legato condicionaliter. Et purum esse legatum certissimum argumentum præbet *l. nec semel §. pen. Quan. dies leg. ced.* quæ id transmitti probat ad heredem legatarij qui vita demigrauit antequam eligeret, quod non ita fit optione serui legata & mortuo legatario ante optionem. Idemque *l. 10. De opt. leg.* quæ & similiter seruo alieno generatim seruo legato, & post diem legati

cedentem antequam dominus eligeret seruus legatus est, electionem manumissori competere ait, non manumisso. Eadem est ratio legata transmittendi ad heredes, & ea dominis adquirendi, *l. 18. De reg. iu.* Nec vero abs re *d. l. 10.* loquitur tantum de seruo generaliter legato. Optione enim serui legata, quia condicionale legatum est, si antequam elegerit dominus, seruum cui optio serui data, manumiserit, omnimodo electio pertinet ad manumissum non ad manumissorem. Sunt & aliæ differentiæ inter hoc & illud genus legati. Optio datur expressim, Electio tacite, puta homine generaliter legato. Optio est actus legitimus & solemnis. Electio quæ inest legato serui indistincte relicto, actus minus solemnis. ac præterea Rogerio vallentior scribenti optione serui data, etiam optimum à legatario eligi posse. nam & M. Tullius *2. de Inuent.* significat, eum cui optio data est vasorum agenteorum pondo C. vasa magnifica & pretiose celata vindicare posse: & Rogerio nihil obstat *l. vlt. §. Sed & si quis, C. com. de leg.* quæ non est de optione serui nominatim legatario data, sed de seruo Titio legato quem Gaius eligeret,, & electi one in legatarium translata ex ea Constitutione Gaio non eligente intra annum. hoc casu, inquit, ipsi legatario videtur data electio, ita tamen vt non eligat optimum, quem scilicet eligeret si ei data esset à testatore electio nominatim. Et legato quoque seruo generaliter, constat optimum eligi non posse, *l. legato, De leg.* 1. Maior est vis expressim quam tacite datæ electionis, vt & in plerisque aliis articulis iuris maior est vis expressi quam taciti.

CAP. XV.

Perfectam emptionem venditionem vter prior implere debeat, emptor an venditor.

EMptio venditio sine vlla condicione perficitur nudo consensu, impletur traditione rei & numeratione pretii, *l. si quis alienam, De act. emp.* sicut stipulatio perficitur verbis, impletur numeratione, *l. 7. De nouat. l. 6. Ad Maced.* Nuptiæ perficiuntur nudo consensu, explentur concubitu. quamquam & quæ implentur etiam recte perfici dicuntur, vt *l. contractus, C. De fide instr.* & quidem multo magis. hæc enim est summa perfectio quæ consummat negotium. Denique quæ implentur, ea etiam perficiuntur. neque tamen contra idem semper dici potest. At nudo consensu perfecta emptione venditione si quæratur vter prior contractum implere debeat, dicam eius esse implere contractum, qui prior agit, veluti emptoris offerre & [illegible]re pretium si agat ex empto, *l. Iulianus §. offerri [illegible]t. emp. Ineptum enim esse*, vt Tertullianus ait *lib. [illegible]enitentia, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere.* Et vero ex empto agenti emptori nec offerenti pretium obstare exceptionem: Si non ea res petatur pro qua pretium solutum non est, sicut agenti venditori, Si non pretium eius rei petatur, quæ veniit neque tradita est, *l. qui pendentem, De act. emp. l. pure §. si seruus, De do. exc.* Idemque seruari si emptor agat redhibitoria. ordo enim hic est ædilitij edicti vt ante venditori emptor præstet mercem quam pretium consequatur, *l. 25. §. vlt. De ædil. ed.* quem tamen ordinem vt in iudicio redhibitorio seruari non semper æquum est, *l. 26. eod.* ita nec in iudicio ex empto, vel in iudicio ex vendito, maxime suspecta fide aut suspectis facultatibus eius quo cum agitur. quo casu ex vtraque parte securitas alia via parari potest, vel interpositis satisdationibus *d. l. 26.* vel deposita merce & pecunia apud aliquem ea lege vt emptori mercem, venditori pecuniam reddat, vt *l. si soluturus, De solut.* Et hęc quidem ita se habent nisi ab initio conueniat, vt prius venditori satisfiat in pretium, vel contra vt prius emptori res tradatur, qua de re & in eo contractu conuenire nominatim melius est.

CAP. XVI.

Quæ sit verior ratio continuandi tituli De neg. gest. cum titulo De calumniatoribus.

TItulum *de calumniatoribus*, ita latius in edicti perpetui ordinatione conceptum fuisse constat ex *l. pen. De calum.* De his qui pecuniam vt negotium facerent aut non facerent accepisse dicentur. nec alia est ratio huius tituli proxime iungendi titulo, *De negotiis gestis*, quam ea quæ ducitur ex Negotij verbo communi, licet non eadem in vtroque titulo eius verbi significatio sit. quæ ratio etiam fecit siue communitas nominis, vt titulo De receptis qui arbitrium receperunt, iungeretur titulus *Nautæ, caupones, stabularii vt recepta restituant*, licet non vtroque idem omnino significet recipiendi verbum. In vno receptum est specialis contractus, in altero compromissum. & sic in illorum vno negotium lis aut res, in altero lis vel accusatio calumniosa vel quæ alia vexatio iniusta.

CAP. XVII.

Ad §. Cassius l. XI. De aq. & aq. pl. arc.

CAssius ait, *siue ex communi fundo siue communi fundo aqua pluuia noceat.* vbi *siue* coniunctio est non disiunctio, vt Albericus sentit, recte, & quæ sequuntur exigunt. Coniunctio, inquam, vel subdisiunctio, aut ὑποδιάζευξις, vt loquitur *lex pen. C. de ver. sig.* Sic igitur ponenda est species: Ex communi fundo plurium aquam pluuiam nocere fundo proximo, qui & ipse est æque communis inter duos aut plures. Et vel vnum ex sociis quorum fundo communi noceatur aquæ pluuiæ arcendæ agere posse cum vno ex sociis & dominis communis fundi, in quo opus factum est, vel vnum separatim cum singulis, vel separatim singulos cum vno, vel singulos cum singulis, quæ diuisio plusquam manifesto ostendit ita vt dixi speciem esse ponendam. Et si quidem vnus ex sociis quorum fundo communi aqua pluuia nocet egerit aquæ pluuiæ arcendæ cum vno, & restitutio operis facta fuerit, in totum scilicet, quia indiuidua est, & litis quoque æstimatio, id est, æstimatio damni dati post litem contestatam facta & præstita fuerit, pro parte scilicet, quia diuidua est, vt §. *quod si is fundus, inf.* qui cum hac sententia Cassij coniungendus est, & *l. 6. §. 1. sup.* hæc actio in ceterorum sociorum persona euanescit, quia nec de opere restituendo, qua de re principaliter hoc iudicium instituitur, quod iam restitutum est, hoc iudicio agere possunt, neque de damno quod contigit post litē cum illo contestatam quod ceteris sociis est damnum præteritum, & de damno præterito hoc iudicio non agitur, sed interdicto *Quod vi aut clam*, quo etiam pro rata portionum suarum integrum erit eis experiri, *l. 14. § in hoc, inf. l. 6. §. officium, sup.* Sequitur, *Sed si cum &c.* Si cum vno ex sociis habentibus communem fundum in quo opus factum est, non separatim cum singulis actum sit aquæ pluuiæ arcendæ, & is opus restituerit, & damnum quod post litem contestatam contigit pro sua parte præstiterit, ceteros socios liberari recte Cassius ait, quia totum opus restitutū est, & de damno præterito hoc iudicio non tenentur, sed quod is impenderit in restitutione operis, quia propter indiuiduitatem

restituendi operis necesse habuit totum sua impensa restituere, id pro parte sociorum ab eis recipiet actione pro socio, vel Communi diuidundo, aut familiæ erciscundæ. quod si etiam æstimationem damni dati post litem contestatam, vel non restituto opere æstimationem quanti actoris interest in solidum præstiterit, quia necesse ei non fuit eam præstare in solidum, sed satis ei fuit pro sua parte præstare, vt *inf.* §. *quod si is fundus, l. 6. §. 1. sup.* tum id quod sociorum nomine dederit non recipiet iudicio communi diuidundo, sed actione negotiorum gestorum, *l. 6. §. siue autem & § si damni, Communi diuidundo, l. si communes, De neg. gest. l. 3. C. eod.* quæ omnia Accursius intellexit probe. Quod autem est in extremo huius §. *Et ex sociis non vtique, &c.* hoc intellexisse non videtur. Cum enim in id adducat *l. 4. §. vlt. & l. 5. sup.* ea verba accepisse videtur de non domino qui opus fecerit, cum quo certum est etsi eo nomine possit agi interdicto Quod vi aut clam, non tamen posse agi actione aquæ pluuiæ arcendæ. quæ res etiam effecit vt mutatis interpunctionibus, mutatoq; articulo *ex*, in, *à*, vulgo ita legeretur, *Cõmuni diuidũdo reciperari posse à sociis.* additopuncto. Tũ sequeretur, *Non vtiq;* &c. At certe cũ ita scribat, *Et ex sociis*, initiũ hoc est alteri⁹ clausulę & de dominis, non de non dominis nec etiam de non dominis dicere quidquam hoc loco attinebat. Si de sociis, inquam, ergo de dominis. quod cum ita sit, perspicue igitur falsum est quod ait, *Ex sociis*, quorum scilicet in fundo communi opus factum est, non vtique cum eo agendum aquæ pluuiæ arcendæ qui opus fecerit. Imo enim vtique sine dubio cum eo agendum est qui opus fecerit & non patientiam tantum sed & impensam præstet tollendi operis, vt §. *seq.* & vero cum subiiciat, *nec minus eum quoque damnum restituere debere qui auctor operis fuerit*, quibus verbis adfirmat eum quoque qui opus fecerit, damnum debere præstare datum post litem contestatam. necessario igitur & ante adfirmauit, non negauit, cum eo agendum esse qui opus fecerit. & illud *nec minus* &c. significat non tantum opus eum restituere debere conuentum actione aquæ pluuiæ arcendæ, sed etiam damnum datum post litem contestatam. quod & glossæ & doctores intelligentes hæc ita ferruminare coacti sunt. Non vtique tantum cum vno ex sociis qui opus fecerit solus in fundo communi aquæ pluuiæ arcendæ agendum esse, vt patientiam & impensam præstet restituendi operis, sed etiam cum eo qui opus non fecerit, vt scilicet patientiam prẹstet, non etiam impensam, quod est quidem verum, sed non his verbis expressum. Facessat itaque illa negatio.

CAP. XVIII.

De dote promissa post nuptias locus explicatus in l. 2. §. creditum, De reb. cred.

CReditum fieri interdum vt Paulus ostenderet etiam nulla re nullove facto interueniente, hoc vsus est exemplo in *l. 2. De reb. cred.* veluti si post nuptias dos promittatur. quę verba omnes interpretes tam Græci quam Latini accipiunt de stipulatione. & alij de dote vxori stipulanti promissa post diuortium quæ nullam dotem attulerat ex *l. si diuortio, De ver. obl.* alij de dote marito stipulanti promissa post nuptias contractas & manentes adhuc. & illorum quidem interpretatio sustineri nullo modo potest. nec enim post nuptias Latini vnquam dixerunt, pro eo quod est post diuortium. Paulus, post nuptias dotem dari posse, *lib. 1. Sent.* id est post nuptias contractas, quia scilicet dotis datio mera donatio non est. & Iauolenus, *l. 1.* idemque Paulus *l. 12. De pac. dot.* Post nuptias pacisci licere, id est post nuptias contractas, nedum ante nuptias, *l. si pater dotem §. 1. eod.* Et in specie quoque *d. l. si diuortio*, dos non promittitur, quæ nulla fuit, sed C. & adiectio, *D tis nomine*, falsa & superuacua est, *l. 1. §. si vir vxori, De do præl.* quæ nec in datione vel stipulatione dotis necessaria esset, *l. quæ autem, De iu. dot.* Aliorum interpretatio probabilior videtur quasi scilicet ante nuptias viro facta promissio dotis non aliter valeat quam si nuptię sequantur, *l. dotis, eod.* Post nuptias facta valeat etiamsi nihil aliud consequatur, nec ea quoque retroducatur promissio ad tempus nuptiarum quæ præcesserunt, *l. si pater filiæ §. 1. eod.* Sed hæc si admittatur interpretatio, superuacuo iterum Paulus in fine legis, *creditum etiam fieri interposita stipulatione.* Veritas est, Paulum hoc loco non scripsisse *promittatur*, sed *dicatur*. Verum vt alibi passim, ita hoc loco quod ratio dicendæ dotis in vsu esse desiisset, Tribunianus pro *dicatur*, substituit *promittatur*, non animaduertens sic fieri, vt quod est extremo legis de stipulatione, frustra iteretur. Dos aut dabatur olim aut promittebatur aut dicebatur. Consule Vlpianum *lib. sing. Reg. Tit. De dotibus.*

CAP. XIX.

Actio legitima de tigno iuncto.

TIgnum tuum quod meis ædibus vineæve iunctum est eximi & separari non potest, non quia id natura non ferat, sed quia id lex XII. tab. nominatim vetat, ne ędificia diruantur aut vinearum cultura turbetur. quamobrem neque id vindicare potes, neque de eo ad exhibendum agere, nisi vt ait *l. in rem §. pen. De rei vind.* aduersus eum qui sciens id suis iunxit ædibus vineæve suæ, id est aduersus furem: nam in furem est actio ad exhibendum, non quidem vt tignũ eximat & præstet, sed quia dolo malo fecit quo minus id posset, vt damnetur in id quod interest, *l. 1. in fi. De tig. iunc.* nec enim iunctum domi suæ tignum possidet, *l. qui vniuersas, De adq. pos.* eademque ratione in eum iudicio in rem agi potest, *l. 2. De tig. iunc.* Est etiam in eum actio in duplum ex XII. tab. quæ meram dupli pœnam continet extra rem, *d. l. 2.* Eandem in duplum actionem ex XII. tab. dari etiam in non furem, id est in eum qui ignorans alienum tignum quod erat furtiuum suo ædificio iunxit, Paulus ostendit in *d. l. in rem §. pen.* Ratio hæc est, quia tignum furtiuum apud eum conceptum est, qui tamen mox habiturus est regressum aduersus eum qui id ei obtulit per actionem furti oblati §. *conceptum, Inst. de obl quæ ex del.* Actio furti concepti per lancem & licium ex XII. tab. in id omne erat quod actio furti manifesti, vt Gellius tradit. Verum actio furti alia ratione concepti, puta non quæsiti, sed cogniti tantũ tigni in alieno ædificio ex eadem lege erat in duplum tantum, & in non furem mixta, in furem tota pœnalis, sicut actio in factum de calumniatoribus modo est mixta, modo tota pœnalis. Et placet magis hodie mihi quod & placuit olim, in lege 12. tab. De tigno iuncto quæ his verbis in authentico schedarum Festi præscripta est, *tignum iunctum ædibus vineæve & concapit ne soluito*, pro *& concapit*, legere, *& concapitum*, id est conceptum cognitumque, vt glossæ veterum *Concapito*, interpretantur *concipito*, & alio loco XII. *encapito antestari*, id est incipito. Conquirebantur res furtiuæ quę latebant lance & licio, & cognoscebantur. Quæ erant in propatulo vt tigna iuncta ædificio aut vineæ cognoscebantur. Sic loquor vt Liuius 38. *Si quid ablatum est, id conquirendi, cognoscendi, repetendique ius esto.* & 35.

Potestas dominis res suas cognoscendi facta. Et hæc de tigno furtiuo. Quod si furtiuum tignum non sit, non competit actio legitima in duplum, quoniam ea tantum est de tigno furtiuo, *l. De eo, De aon. inter vir. & vx.* quod & tituli *De tigno iuncto* vicinitas cum titulo *De furtis*, indicat, sed actio in factum prætoria pretij nomine, *l. qui res §. vlt. De solut.* Et hoc quidem quamdiu tignum cohæret ædificio: nam diruto ædificio, id dominus vindicare & de eo exhibendo agere potest, si duplum aut si tigni pretium iam consecutus non sit, *l in rem §. vlt. l. quæ religiosis, De rei vind. § cum in suo, Inst. de rer. diuis.*

Cap. XX.

An qui deponit ædificium, facere videatur contra seruitutem, Ne luminibus officiatur.

NOn videtur facere contra seruitutem Ne luminibus officiatur qui ædificium cui imposita ea seruitus est deprimit aut deponit, quia immo plus facit quam debeat, *l. 17. De ser. vrb.* quæ ratio etiam valet in specie *l. 7. De aq. pl. arcend. & l. 10. Com. diuid. & l. 15. De an. leg.* At subiicitur in *l. 17.* interdum tamen eum quoque qui tollit vel deprimit ædificium, contra impositam seruitutem facere, si forte κτ' ἀνταναάκλασιν, vel pressura quadam lumen in ædes dominantes deuoluantur. pressura quadam, id est, κτ' ζωθλιψιν, per collisionem quandam. Κατ' ἀνταναάκλασιν, κτ' ἀνταύγιαν, per reluminationem, per reflexionem, repercussionem, reciprocationem luminis, puta, sole primum ferieute ædes seruientes, inde postea tendente ad ædes dominantes. Sed Priscianus *XII. & XVII.* κτ' ἀνταναάκλασμον quem & αὐτοπάθειαν & ἰδιοπάθειαν vocat, id est, reciprocam passionem, pronomina in sese agi & refringere, quę figura pronominum ab Apollonio dicitur composita, cui respondet simplex tum ex alia persona transeunt in aliam, idemque compositam ἀνταναακλώμενον vocari ὑπὸ μεταφορᾶς ἀφ' εἰς αὐτὰ ἀνταναακλωμένων σωμάτων, vel αὐτοπαθὲς, vt contra simplex ἀλλοπαθὲς, *lib. 2. c. 25.* Porro Vlpianus in *d. l. 17.* etiam contra supradictam seruitutem fieri ait si sol ædibus vicinis auferatur eo loco quo fuit maxime necessarius, velut heliocamino vel solario. Solem aufert qui officit luminibus solis, quibus ædes dominantes illustrantur. Imo & qui aufert calorem solis cuius excipiendi causa in superiore parte ædium heliocaminus, vel quod idem est solarium sine tecto ædificatum est, vterque contra seruitutem facit, quia omnem quæ ex sole venit vtilitatem sibi cauere & adquirere voluit, qui illam vicinis ædibus seruitutem imposuit.

Cap. XXI.

Differentiæ duæ inter commodatum & precarium.

NOta omnibus hęc est differentia inter commodatum & precarium, quod ex commodato nascitur obligatio vltro citroque, ex precario non item, sed totum hoc ex liberalitate descendit eius qui precario concessit, adeo vt & id quandoque ei libuerit importune, intempestiue reuocare possit, quod non potest qui commodauit. quare fit etiam, vt in commodato veniat dolus & culpa omnis, in precario dolus dumtaxat. Non animaduertunt vero magistri nostri, hanc quoque differentiam hęc duo negotia intercedere sane maximam, quod si pupillus sine tutoris auctoritate commodatum acceperit non tenetur actione commodati, exceptis duobus casibus si ex ea re locupletior factus fuerit, *l. 3. in pr. Comm.* si doli iam & culpæ capaci, veluti pubertati proximo, res commodata fuerit, & in commodato dolum aut culpam admiserit: qui casus & in deposito sunt excepti, *l. 1. §. an in pupillum, Depos. l. 2. De fideius.* & hic posterior satis significatur in *l. 1. §. vlt. Commod.* Cum enim statuit non teneri pupillum commodati actione etiamsi pubes factus dolum aut culpam admiserit quod ab initio commodatum sine tutoris auctoritate iure non constiterit, ex diuerso innuit, eum teneri, si ante pubertatem dolum vel culpam admiserit cum ei iam doli potenti res commodata esset. At interdicto de precario pupillum teneri indistincte omni casu si rem habeat etiãsi precario rogauerit sine tutoris auctoritate aperte docet *l. vlt. §. vlt. De prec.* Et ratio varietatis pẽdet ex varietate formularum, quam & *d §. vlt.* suggerit satis. Actionis commodati formula hæc est, *quod te mihi ex causa commodati dare facere oportet ex fide bona*, id est quod mihi eo nomine obligatus es. quæ formula non cadit in pupillum qui obligari non potest sine tutoris auctoritate. Formula autem interdicti De precario hæc est: *quod precario habes, d. §. vlt. l. pen. Com. præd.* ex edicto quod ita conceptum legitur *l 2. De prec. quod precario ab illo habes.* (Formulę actionum sumuntur ab edictis, *l. ædilis 2. §. vendendi, De ad. edic.*) & ideo hac formula hocve interdicto pupillus officio iudicis qui formulam solam spectat tenetur, si rem habeat quam precario rogauit, si non habeat, non tenetur. Denique in hoc interdicto non spectat aut quęrit an pupillus sit obligatus, sed an rem habeat. Ex hac quoque varietate formularum nascitur alia differentia. Heres commodatarij tenetur commodati actione ex dolo vel culpa defuncti, etiamsi nihil ad eum peruenerit, sicut heres depositarij, *l. ex depositi De obl. & act. l. 7. §. 1. Depos.* Heres autem eius qui precario rogauit non tenetur interdicto de precario, nisi quatenus ad eum peruenerit, id est, quatenus habet iuxta formulam interdicti, *l. 8. §. vlt. De precar.*

Cap. XXII.

An mutatione rei pignoratæ, pignus finiatur.

MVtatione rei pignoratæ pignus finiri ex *l. 18. §. pen. De pig. act.* non immerito quis dixerit, quę silua vel materia pignori obligata nauem ex ea materia factam pignori esse negat. Contra item pignus non finiri ex *l. si fundus §. si res, De pignor.* quæ si ex domo pignerata factus sit hortus, vel area pignerata, domus aut vinea, pignus non interire ait. Verum distinguenda sunt mutationis genera. Mutatio quæ parit nouam speciem & priorem perimit quæ pignori nexa erat, pignus perimit, & hæc mutatio fit cum ex materia, ex cupresso vel pinu fit nauis vel arca, *l. sed si ex meis, De adq. rer. do.* Cupressus igitur vel pinus pignori esse desinit. Idem si ex silua fiat nouale, idem si ex lana pignerata fiat vestimentum, idem si ex marmore pignerato fiat statua. Mutatio quæ rem auget, vt si loco puro imponatur ædificium, aut vinea, ex arbore fiat arbustum vineis adsitis, vel mutatio quæ rem minuit, vt si ex domo fiat hortus, vel si domus ad aream redigatur, pignus non perimit, quia nec res quæ pignori nexa est eiusve portio maxima perimitur, *l. 21. De pig. act. l. Paulus §. domus, De pignor.* nempe solum quod maxima pars est domus, *l. qui res §. vlt. De solut.* diruto ædificio aut solum imposito ędificio non perimitur. Quæ mutationis distinctio etiam seruatur in legatis. nam si ex lana legata vestimentum non debetur, *l. lana, De leg. 3.* nisi legatarius probet duraſſe voluntatem testatoris, *l. Ser-*

unum §. *si pocula*, *De leg. 1.* & similiter materia legata nauis ex ea facta non debetur, *d. l. lana*, *l. Seruius eod.* marmore legato, statua ex eo facta non debetur, *l. quæsitum* §. *illud De leg. 3.* At si areæ legatæ domus imposita sit, domus debetur *l. si areæ*, *De leg. 2.* forte & domus legata si ad aream reciderit ex voluntate testatoris area debebitur. Quin & massa argenti legata, possint scyphi ex ea facti deberi, *d. l. lana.* Itemque ære legato possit statua ex eo facta deberi, quod & de scyphis factis & massa pignori obligata, vel de statua facta ex ere pignori obligato dici possit propria & speciali ratione quadam vt est in *d.* §. *illud*, ea quæ talis naturę sunt, vt sæpius in sua possint redigi initia, ea materię potentia victa numquam vires eius effugiunt. in his scilicet rebus materia prędalet. huiusmodi sunt vasa argentea, aut statuæ æneæ. quæ ratio etiam ex contrario efficere possit vt quæ redigi possunt ad priorem formam, ea quoque eius formæ vires retineant, veluti vasa legata aut pignerata si conflata sint & in massam vel laminam redacta, vt massa quoq; sit in legati aut pignoris causa. Verum hæ mutationum distinctiones vix seruantur in vsufructu quem facile quælibet mutatio rei in qua vsusfructus constitutus est, extinguit nisi sit permodica, veluti ex solo in vineam vel contra. Quælibet alia mutatio honesta ratio est vsusfructus consolidandi cum proprietate. nullumque eius fragilius vsusfructus iure. quia & sui natura ad proprietatem suam vnde exiit tendit & currit. quo verbo & in hac re vtuntur auctores. Sic fit vt massę vsusfructus finiatur, si ex ea fiant vasa, & contra, item vt siluæ si ex ea fiat nouale vel si ex materia eius fiant naues, arcæ, armaria, tigna, trabes, vt domus quoque si solo adæquetur, *l. quid tamen*, *De vsufr.* Hactenus duas tantum attigi mutationis speciės. Vnam quę fit ex non subiecto in subiectum, vt si ex arbore fiat nauis. fit enim ex non naui nauis. Alteram quæ fit ex subiecto in subiectum, vt si ex domo fiat hortus, vel si ex area fiat vinea. Est & tertia species quæ fit ex subiecto in non subiectum, vt si nauis dissoluatur. quæ omnium summa mutatio est, mors nempe interituque subiecti, vt cum ex homine puluis. ideoque hoc genus mutationis non tantum vsumfructum sed etiam pignus & legatum extinguit. Ex non subiecto in non subiectum mutatio non est, vt doctor sapientum docuit,

CAP. XXII.

Quod debetur in diem, creditor inuitus non accipit ante diem.

DEbitor qui soluit ante diem, liberatur, quia & plus soluit quam debeat, *l. 15. De an. leg.* nec tamen quod plus tempore soluerit indebiti condictionem habet, *l. in diem*, *De cond. ind. l. qui res* §. *mihi dare*, *De solut.* quia & donasse quodammodo videtur, *l. pen. De col. bon.* & quia præsens obligatio fuit, petitio sola in diem, *l. 14. l. interdum*, *l. insulam*, *De verb. obl. l. certi* §. 1. *De reb. cred. l. qui res* §. *vlt.* *De solut. l. 44.* §. 1. *De obl. & act. l. 6. De compens. l. 186. De reg. iu.* Liberatur, inquam, si soluerit ante diem, non etiam si obtulerit, etiamsi oblata pecunia postea sine dolo culpave eius perierit, imo nec si pecuniam obsignauerit & deposuerit, quia moram non facit creditor qui ante diem accipere recusat, *l. item illa*, *De const. pec.* & importunum atque incommodum forte creditori est alio die accipere quam quo dari conuenit. Oblatio debet fieri congruo loco & tempore, *l. si soluturus De solut.* Quamobrem apud T. Liuium *xxxv.* Carthaginensibus populo Rom. offerentibus præsentem pecuniam quam pluribus pensionibus in multos annos debebant, recte responsum est, nullam se pecuniam ante diem accepturos. & quod benigne receptum esse dicitur, *l. 3. quod si seruus De statulib.* vt statuliber ad diem dare iussus, ante diem oblata pecunia perueniat ad libertatem, eo satis ostenditur idem non esse recipiendum in aliis causis. Vnde & interpretes nostri autumant dominum recte recusare ante diem ab emphyteuticario vectigal oblatum. Post diem vero si non interfit creditoris sua die potius quam illa oblatam sibi pecuniam esse, mora quam facit in accipiendo ei nocet vsque ad litem contestatam, sed si eius interest, *l. 17. & l. seq. De const. pec.* Quod si creditor oblatam sortem post diem acceperit, proculdubio debitor liberatur, licet minus soluerit tempore.

CAP. XXIV.

Quod constituitur l. 2. C. de resc. vend. id iam olim obtinuisse.

SI heres ignorans rem apud defunctum depositam vendiderit & nondum pretium exegerit, vel si minoris quam debuit eam rem vendiderit, conuentus actione depositi, absoluitur actori cedendo actiones suas, *l. 2. Depos.* puta si nondum pretium exegerit, cedendo actionem ex vendito, Si vero minoris quam debuit vendiderit, quam actionem cedet? an vlla competit actio rescindendæ venditionis ob id solum quod minore pretio res vænierit? Minime: nisi vt est expressum Constitutione Diocletiani & Maximiani, *l. 2. C. de resc. vend.* pretium quod datum est minus sit dimidia portione veri & iusti pretii: nam si vel dimidiam iusti pretij æquauerit, vt si res digna x. vænierit v. rata venditio est, nec vllo iudicio agi potest de ea rescindenda. Itaque in *l. 2. Depos.* necessario ponere debemus heredem imprudentem cum ignoraret rem esse apud defunctum depositam eam minore pretio vendidisse, quam quod efficeret dimidiam iusti pretij, veluti IV. aut III. rem dignam X. quo nomine recte Accursius in supradicta Constitutione censuit venditori competere actionem ex vendito intra quadriennium, neque enim nouum est vt ex vendito vel ex empto agatur ad rescindendam venditionem, *l. 4. De lege com. l. ex empto* §. *is qui vina*, *De act. emp.* quāquam & ipso iure ob eam fraudem venditionem esse rescissam summa cum ratione quis contendere & vincere possit ex *l. 3.* §. *vlt. Pro soc.* nec iudicem interuenire nisi vt rem venditori redhiberi cogat. Et hinc vero apparet quod illa Constitutione continetur non esse nouum, sed iam olim obtinuisse, nempe vt si res dimidio minoris vænierit, venditori liceat agere de rescindenda venditione, nisi emptor offerat quod iusto pretio deest. Habeo & huiusce rei aliud & quidē maximum argumentum, quod in Digestis sit relata species rei venditæ ad finem dimidiæ iusti pretij, vt *l. 47. De euict.* serui valentis X. & venditi V. quę venditio rata & firma; est nusquam vero inuenitur species rei venditæ dimidio minoris & ratæ venditionis. imo irritam eam fieri actione ex vendito satis euidenter probat *d. l. 2. Depos.*

CAP. XXV.

Vetus differentia inter fideiussores & mandatores qua semper obtinuit ante Iustinianum.

ANte Constitutionem Iustiniani quę est vltima in *titulo De fideiussoribus*, hęc erat differentia inter

ter fideiussores & mandatores, quod vno ex mandatoribus electo lite cum eo contestata, ceteri non liberabantur, *l. amissi §. vlt. De fideiuss. l. reos, C. eod.* Vno autem ex pluribus fideiussoribus electo ceteri liberabantur. & similiter quod electo reo mandator non liberabatur, *l. 14. De fideiuss. d. l. reos.* At reo electo fideiussor liberabatur. Paulus, 2. *Sent. tit. 17. in fi. Electo*, inquit, *reo principali fideiussor vel heres eius liberatur. Non idem in mandatoribus obseruatur.* Cur vero tam varie? Forte quia fideiussor cum rei locum obtineat, *l. 4. De fideiuss.* eum locum obtinere desinit electo reo. Mandator non loco rei est, sed alius quidem reus auctor credendi, & ex duobus reis non vnius electio sed exactio alterum liberat, *l. 8. § 1. De leg. 1. l. si vt certo, in fi. Commod.* Fideiussor alieno nomine obligatur, *l. 1. §. verbis, De ob. & act.* Mandator suo nomine, *l. Pap. Mand.* Quia vero vt dixi sola electione rei principalis fideiussor non liberatur, hinc appareret quare & quam sit vtile creditori si vt opponitur in *l. 22. §. interdum, Mand.* quod ibi Accur. non intellexit, creditor eligat reum principalem mandatu fideiussoris. quoniam hoc genere etiam electo reo principali creditori integra est in fideiussorem actio mandati, si suum à reo principali seruare non possit, & non tam electione rei principalis, quam nouatione prior stipulationis causa qua fideiussor tenebatur obstrictus, sublata esse intelligitur, *l. 45. §. vlt. Mand.* Quod si mandatum fideiussoris non interueniisset, electione rei principalis fideiussor vel heres eius omnino liberatus fuisset. *Vel heres eius*, inquit Paulus. quia exemplo rei principalis cuius locum fideiussor obtinet, fideiussor heredem suum obligatum relinquit. Mandator non item, qui vt alij pecunia credatur interuenit, quo ex rogatu solus ipse creditori obligatur, non heres eius. quod & in Neustria audio in fideiussore seruari, contra rationem iuris nostri.

CAP. XXVI.

Longæ & necessariæ peregrinationis causæ.

QVod generaliter Paulus scripsit 2. *Sent. tit. de mandatis*, necessariam peregrinationem esse iustam causam re adhuc integra renuntiandi negotio mandati, idem specialiter iisdem verbis Gaius scripsit in *l. 9. De procurat.* de mandato litis suscipiendæ, quod & ante in extremo *l. 8.* traditum erat ex Vlpiano, his verbis, *Vel Reip. causa abfuturus sit.* nec enim necessaria peregrinatio aliud est quam absentia Reip. causa, quæ constituendi aut mutandi procuratoris iusta causa est, *l. 23. eod. §. 1. Inst. de his per quos ag. pos.* itemque renuntiandæ societatis etiam intempestiuè, *l. 16. Pro socio, Si*, inquit, *Socius renuntiauerit societati qui Reip. causa diu & inuitus abfuturus sit.* His verbis, *Diu & inuitus*, significatur longa & necessaria peregrinatio. Male autem Acc. in *d. l. 9.* peregrinationem necessariam modo accipit pro peregrinitate quæ per deportationem contingit. aliud enim est peregrinitas, longe aliud peregrinatio. peregrinantur etiam ciues. In peregrinitatem verò redacti non sunt ciues: modo peregrinationem accipit pro ea quæ instituitur religionis causa, quę nec necessaria est, nec de ea vnquam cogitauit Gaius de qua extat pulcherrima homilia Gregorij Nysseni περὶ τῆς ἀπόντων εἰς Ιερουσόλυμα, inque ea elegans verbum τοῦ θεσπεσίσμου τοπικὴ μετάστασις οὐ καταργάζεται.

CAP. XXVII.

Coniungitur l. 16. De reb. cred. cum l. 67. §. 1. Pro soc.

DE re communi ab vno ex sociis vendita consensu sociorum Paulus scribit initio *l. 67. Pro soc.* & recte consensu sociorum. quia citra eorum consensum ante dictatum iudicium Communi diuidundo plus parte sua alienare non potest, *l. 68. eod. l. 3. C. De com. rer. al. l. 1. C. Com. diuid.* nec distinguit socij fuerint omnium bonorum an non. De pecunia autem communi credita scribit in §. 1. facta distinctione inter omnium bonorum & non omnium bonorum socios, cui quidem §. coniungi velim quod ex eodem libro Pauli est relatum in *l. 16. De reb. cred.* vt intelligamus pecuniam communem etiam ab vno ex sociis creditam fieri non posse sine sociorum consensu nisi pro parte sua, vt *l. 13. §. vlt. eod. tit.* Propriam autem omnimodo creditam fieri posse, licet socii dissenserint. quæ mentio propriæ pecuniæ simul & coniunctio illius §. satis demonstrat, eam legem de his accipiendam esse qui non omnium bonorum socii sunt. nec enim propriam pecuniam socius omnium bonorum habere potest, quam non statim adquisierit ex iusta & honesta causa forte legatam sibi in commune redigere debeat, & id quoque ad eam legem Nicæus notauit his verbis: ἐπὶ τὸ εἰπεῖν ἴδια παρέσησεν ὁ νομοθέτης, ὅτι οὐκ ἦσαν πάντων τῶν πραγμάτων κοινωνοί. τοιοῦτος γὰρ ὑποπεπτωκὼς θέματος ὁ δεύτερος λέγειν τινὰ τῶν κοινωνῶν ἔχειν ἴδια. πάντα γὰρ τότε κοινὰ τυγχάνουσι. Et ita quod in *d. §. 1.* communi pecunia ab vno ex sociis consensu ceterorum fœnerata societatis nomine, vsuras inter socios partiendas esse, si suo nomine ad ipsum solum pertinere, non aliter habet locum, quam si non omnium bonorum socij fuerint, quia si fuerint socij omnium bonorum, vsurarum emolumentum commune est, etiamsi vnus ex his eã pecuniam suo nomine fœnori occupauerit. nec igitur aliter sibi vsuras retinere potest, quam si non omnium bonorum socius fuerit & rectius etiam Græci illo loco, τὸ δὲν ἴσου οὐκ εἰ σύγχησιν, hoc est eum qui pecuniam communem fœnerat etiamsi suo nomine scilicet, non videri eam conuertere in suos vsus, quia rem sui periculi facit, tantoque alleuat societatem. proinde quod suo nomine vnus ex sociis pecuniam communem fœnerauerit, non præstat vsuras quas præstare tenetur qui pecuniam communem in vsus suos conuertit.

CAP. XXVIII.

Explicatur quod Pædius dixit, alienam rem dantem nullam contrahere permutationem.

IN permutatione non apparet quid sit merx, quid pretium, & vtrumque potius merx esse videtur, vt Paulus significat in *l. 1. De cont. emp.* illo loco, *nec vltra merx vtrumque, sed alterum pretium vocatur.* & consequenter vterque contrahentium tenetur euictionis nomine dumtaxat, non omnino vt rem faciat accipientis. quamobrem si euicta sit res quam quis eorum dedit vel accepit permutationis gratia vt idem ait *l. 1. De rer. per.* quanti interest in factum. i. præscriptis verbis actionem dandam esse respondetur, vt *l. si permutationis, C. De euict.* & respondetur scilicet ab omnibus Iurisperitis. nec refragatur quod in eadem lege idem refert illo loco, *Ideoque Pædius*, ex Pædij sententia alienam rem dantem nullam contrahere permutationem. quoniam id ita distinguendum & discingẽdum est, vt qui alienam rem dedit vt aliam acciperet non agat præscriptis verbis quæ ex permutatione nascitur vt sibi vicissim alia res detur, vel præstetur quanti interest eam rem accepisse; quia ex parte sua conuentionem non videtur impleuisse qui alteri rẽ alienã dedit quæ auocari ei à domino & auferri potest. sed habeat tantùm datæ rei condictionem siue repetitionem, quæ non ex permutatione sed ex bono & æquo venit, *l. in summa §. quod ob rem, De cond. indeb.* vt scilicet ea res sibi contra reddat (sic Flor. re-

ctiſſime, vt contra præſtare, *l. ab emptione in fin. De pac.* quaſi re non ſecuta, id eſt quaſi eo quoque cui eam rem dedit pro ſua parte non implente conuentionem. quod propoſita ſententia Pædij vel potius ex eadem ipſa ſententia Pædij ſtatim infertur in *d. l.* 1. his verbis, *Igitur ex altera parte traditione facta*, rei alienæ ſcilicet, *ſi alter rem nolit tradere, non in hoc agemus vt quod intereſt noſtra illam rem accepiſſe de qua conuenit, ſoluatur*, ſcilicet nobis, *ſed vt res contra nobis reddatur*, &c. quæ verba Accurſius male accipit ἐλλιπῶς. At vero vt is qui ab illo rem alienam accepit ſi pro ſua parte impleuerit conuentionem, id eſt ſi ſuam rem ei dederit euicta re quam accepit cum illo agere poſſit præſcriptis verbis quaſi ex contractu permutationis. Denique vt ex parte eius qui rem alienam dedit non ſit actio præſcriptis verbis quæ ex permutatione naſcitur, ergo nec permutatio, ſed condictio tantum ob rem dati re non ſecuta, ex parte autem eius qui rem alienam accepit & vice mutua ſuam rem dedit, ſit actio quæ ex permutatione naſcitur euictionis nomine, & permutatio igitur, vel etiam ſi hanc malit condictio rei quam dedit, vt *l. 1. C. de rer. per.* Proinde vt re aliena ab alterutro data claudeat permutatio, quod ſæpe euenit & in aliis negotiis vt μονομλινέως ſcilicet & ab vna dumtaxat parte conſiſtant, *l. poteſt, Mand. l. Iulianus* §. *ſi quis à pupillo*, *De act. emp.* At cum vnus rem ſuam dedit & fecit accipientis, ſi alter ei quoque viciſſim rem ſuam de qua conuenit nolit dare, tum ſane liberum eſt ei qui rem ſuam dare occupauit vel agere præſcriptis verbis quaſi ex permutatione quanti intereſt rem de qua conuenit accipere quæ extat, quæve periit culpa rei, vel ſi rem ſuam recipere malit, aut ſi nihil eius interſit aliam rem accipere, condictione ob rem dati re non ſecuta *l. naturalis* §. *1. De praſ. ver. l. 4. C. De rer per.* Quod autem ait Paulus *d. l. 1. Ideoque Padius*, &c. id ex eo infert quod ante dixerat permutationem ex re tradita, à domino ſcilicet, initium obligationi præbere.

Cap. XXIX.

Explicatur l. vlt. De cond. cau. da.

SI tibi pecuniam dedi vt mihi Stichum dares, Celſus ait *l. vlt. De cond. cau. da.* hunc contractum non eſſe pro portione emptionis venditionis, id eſt, non eſſe emptionem venditionem, non eſſe portionem ſiue ſpeciem emptionis venditionis, ſed eſſe permutationem, vt additur in Baſilicis, οὐκ ὅτι πρᾶσις ἀλλὰ ἀλλαγή, quia ſcilicet pecuniam non dedi quaſi pretium Stichi emendi animo, ſed quaſi rem aut corpus, vt *l. 7. De præſ. ver.* & nulla fere alia inde obligatio tamen ſiue actio eſt, quam condictio ob rem dati re non ſecuta. At cur non eſt emptio venditio vt *l. naturalis* §. 1. *eod. tit.* dicitur ſi pecuniam dem vt rem accipiam, emptionem venditionem eſſe? nempe quia, vt iam diximus, pecuniam non dedi pro pretio. item quia eam dedi vt mihi Stichum dares, id eſt, vt Stichum faceres meum, quod verba illa Celſi indicant, *quia hominem accipientis non feceris*, & ex natura emptionis venditionis non eſt, vt venditor rem faciat accipientis, ſed vt vacuam tantum rei poſſeſſionem tradat, præſtetque & caueat eam ſine interpellatione habere & obtinere licere dolumque malum abeſſe abfuturumque eſſe, *l.* 1. *De rer. per. l. ex empto* §. 1. *l. Iulianus* §. *ſi Titius*, *l ſer. quem* §. *vlt. De act. emp. l. ſi quis iurauerit, De iureiur. l.* 25. 1. *De cont. emp. l. 3. C. De euict.* itaque re non euicta nihil bonæ fidei venditor debet emptori, *d. l. 1. l. 3. C. De euict.* & tamen in ſpecie propoſita ſi mortuus ſit Stichus antequam eum mihi dares, petit is mihi quidem, nec poſſum agere præſcriptis verbis quanti intereſt Stichum mihi dari, *d. l. naturalis* §. 1. Sed pecunia quam dedi mihi non periit, quia eam condicere poſſum. quod fit exemplo emptionis, *l. ſi fundus, Loca.* cui permutatio ſimiliter adſimilatur, *l.* 2. *De rer. per.* Item ſi alienum Stichum mihi tradideris, nec feceris igitur meum, nec dum is euictus ſit mihi, quia verum eſt te mihi Stichũ non dediſſe vti conuenerat, mihi competit condictio pecuniæ non præſcriptis verbis quaſi ex permutatione, quamdiu non euincitur, quod etiam comparatum eſt exemplo emptionis. Ac præterea ſi tuum Stichum mihi dediſti, nec velis mihi cauere pro eius euictione, nulla alia mihi in te actio competit, quam condictio pecuniæ, non præſcriptis verbis, quia quem mihi dediſti Stichum, is mihi euictus non eſt. At euicto Sticho etiam præſcriptis verbis mihi ſuppetit actio, *l. 1. De rer. per. l. 1. C. eod. l. 29. C. De euict.* quia pecuniam meam dedi. Res eſt facillima.

Cap. XXX.

Sententia l. 8. Loc. cond.

EGo tibi alienam inſulam locaui L. tuque eandem Titio locaſti LX. & dominus Titium à conductione expulit, Titium prohibuit habitare atque adeo etiam te prohibuit conductione perfrui. Paulus dicebat *l. 7. Loc. cond.* te actione ex conducto à me non L. quanti ego locaſſem, ſed LX. quanti tu locaſſes cõſequi poſſe, quoniam in LX. Titio teneris nempe Titio teneris reddere LX. ſi ea tibi prorogauerit, vel remittere ſi non prorogauerit, quia neque ei neque tibi frui habitatione per dominum licet. Longe explicatius Tryphoninus *l.* 8. *eod.* ait, neque L. neque LX. me tibi præſtare debere, ſed quanti tua intereſt conductione perfrui, vt *l. qui inſulam, eod.* illis verbis, *quanti conductoris intereſſet habitatores ne migrarent*, quæ opponit illis *quanti dominus prædiorum locaſſet.* Quod autem tua intereſt conductione perfrui in hac ſpecie, id reapſe redigitur ad x. tantum, quia ſi tibi conductione frui licuiſſet, ſupra mercedem quam mihi præbes. i. ſupra L. ex poſteriori conductione X. lucri feciſſes: & in actione ex conducto lucri quod ex conductione conductor facturus erat vtique ratio habetur ſemper, *l.* 18 *l. 24.* §. *colonus, l. 33. eod.* quod emolumentum conductionis Tryphoninus vocat in *d. l.* 8. In æſtimationem igitur veniunt x. quæ nunc vltra quinquaginta Titio conductori tuo reddere aut remittere debes. nam etſi lx. quæ Titio præſtare debes æquum videatur vt à me conſequaris, tamen ego tibi reputare poſſum L. quæ à te percepiſſem, & ideo nunc non percipio quod tibi conductione frui non liceat, ita ſcilicet horum L. habita reputatione vt non bis L. conſequaris ſed ſemel tantum ob id quod tibi frui non liceat, & hoc amplius x. ob id quod conductori tuo frui non liceat cui vltra L. præſtare x. debes. Vberior cariorve locatio tua auget obligationem meam. & hæc mihi videtur eſſe Tryphonini ſententia à nemine quod ſciam adhuc explicata dilucidè.

Cap. XXXI.

Legem venditionis ſemper dici à venditore.

VT in *l. 5. De euict.* in emptione venditione ſerui venditor dicit peculium acceſſurum, & in *l. 61. De cont. emp. & l. 14. Qui pot. in pig. hab.* in venditione domus locatæ venditor dicit penſiones acceſſuras, & in *l. ſi quis cum & ſeq. De act. emp. & l. 60. De cont. emp.* venditor dicit dolia acceſſura, *& l. 78. eod.* fiſtulas acceſſuras, *& l. 40.* §. 1. aquam acceſſuram; ita recte poſuimus quondam in *l. 34. eod.* in emptione fundi venditorem dixiſſe Stichum acceſſurum, & ideo eum Stichum deberi quẽ emptor intellexerit ſecundũ

definitionem Labeonis, *l. 21. eod.* nam & aliam quamcumque legem venditionis inuenio semper à venditore dici, vt in *l. 71. Adleg. Fal.* vt lege Falcidia interueniente solida legata præstentur, & *l. 75. De cont. emp. & l. 22. §. pen. De act. emp.* vt fundum emptum non alij quam sibi emptor diuendat, vel vt eum certa mercede conductum ipse habeat, & in *l. 40. De cont. emp.* vt emptor in xxx. diebus fundum metiatur, & *l. venditor, Com. præd.* ne contra fundum quem retinet piscationem emptor exerceat. Legem quoque commissoriam & addictionem in diem à venditore dici constat. Denique in emptione venditione leges omnes siue pactiones semper dicuntur à venditore tanquam domino rei, quæ & post perfectam emptionem in eius dominio manet ante traditionem, imo & post traditionem si non pretium solutum aut satis eo nomine factum sit. Domini est rei suę legem dicere, *l. ob res §. 1. Depac. dot.* Illud quoque confirmatur ex illo Plauti loco, *Quasi fundum vendens meis me addicam legibus*, Captiuis. & ex eo quod in Epidico cum emptor rogasset, *Est ne empta mihi hæc?* venditor respondet, *Istis legibus habeas licet.* adde & hunc Horatij locum, *Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex.* Numquam igitur leges emptionis venditionis dicuntur ab emptore. Cum enim emptor dicit, *Esto mihi res illa vel ius illud emptum tot nummis*, legem non dicit, sed emptum rogat, & nihil agit nisi venditor subiiciat, *Esto tibi emptum*, vel vt in Epidico, *Habeas licet*, vel vt apud Varronem cum emptor rogauit, *Tanti sunt mi empta?* venditor respondet, *Sunt.*

CAP. XXXII.

Fraudem immodicam quam in vendendo perpessus est venditor emendari, non etiam eam quam perpessus emptor est.

COgor iterare quod docui *Obs. xvi. c. xviii.* Verum quidem hoc est vt dolum malum ita & fraudem à contractu bonæ fidei abesse debere, *l. 3. in fi. Pro soc.* Dolus ex calliditate & persuasione captiosa aduersarij venit, Fraus ex re ipsa, ex conuentione inconsulto facta, quæ si sit immodica veluti in emptione venditione ex parte venditoris dimidio iusti pretij maior, eam iudicio venditi emendari par est. quod iuris & ante Constitutionem *l. 2. De resc. vend.* obtinuisse supra ostendi. Si, inquam, sit immodica. id est, si excedat modum iure definitum. nec enim ob quamcumque fraudem venditionem factam à maiore xxv. rescindi oportet, ac ne ex vtraque parte quidem immodicam, sed ex parte venditoris tantum, si in ponendo pretio supra modum quem dixi fuerit læsus, non etiam ex parte emptoris si quis stultus impenso & immenso pretio rem emerit. Seneca *v. Contr. Non possum domum habere nisi hanc emero, nulla alia venalis est, & hanc occasionem videt venditor, & premit, non tamen hanc venditionem rescindes, alioquin in infinitum calumnia excedet.* Plautus *Mostell.* siue *Phasmate. Si ædes male emptæ essent, nobis has haud redhibere liceret.* Male emere est magno & immenso pretio emere, & inde Plin. *in Epist.* malam emptionem semper ingratam esse eo maxime quod exprobrare stultitiam domino videatur. Neque vero quod illam ob causam fraudemve venditori iura subueniant, ideo & emptori subueniendum esse nulla lege aut Constitutione idem pollicente emptori si soluerit vltra duplum iusti pretij, consequens conuenienſve, non quod, vt aiunt, correlatiuorum eadem sit ratio. An enim quod venditor non cogatur rem facere accipientis, ideo dices & emptorem non cogi nummos facere accipientis? An quod exceptio rei iudicatæ à venditore transeat ad emptorem, transire etiam ab emptore ad venditorem? An quod stipulatio damni infecti à venditore interposita complectatur damnum quod vel ante vel post traditionem contingit, etiã eandem stipulationem ab emptore interpositam vtrumque complecti? Correlatiuorum plerumque dispar diuersaque ratio est.

CAP. XXXIII.

Nondum explicata sententia l. 24. in pr. Loc. cond. dilucidatur.

INitio *l. 24. Loc. cond.* hæc proponitur species, Locasse quendam alij opus faciendum, & diem præstituisse intra quem faceret addita lege vt opus quod fecisset arbitratu suo adprobaretur, & cum probatum esset, tum vt ei certa merces solueretur. quod in locationibus operum publicorum vel tacite agebatur semper, nimirum vt opus publicum Censores vel Coss. vel ædiles, vel prætores probarent quod faciundum locassent vbi id perfectum esset: inde caput legis Iuliæ repetundarum, *l. 7. §. illud, Ad leg. Iul. rep. ne in acceptum feratur opus faciundum, probandum, frumentum publice dandum, præbendum, sarta tecta tuenda antequam perfecta, probata, præstita lege essent.* Sic legendum esse iampridem ostendi. aliter Budæus, & perperam quidem, qui & illo loco male, probare esse conductoris non locatoris. nam conductor opus quod fecit tum demum probat locatori vt *l. 51. §. vlt. Loc. cond.* cum id locator ipse probat. præcipuę igitur partes locatoris sunt opus probare, *l. 36. & 37. & 60. §. lege, eod. tit.* Liuius 4. *Censores villam publicam in campo Martio probauerunt*, quam scilicet faciundam locauerant. Cicero *prat. vrbana. Probatio futura est tua qui locas.* & in antiquis inscriptionibus, *Coss. aut censores aut duo viri i. d. ex s. c. faciundum curauerunt, eidemque probauerunt.* Hæc autem lex locationis vt opus probetur arbitrio domini. i. locatoris non de domini arbitrio, sed de arbitrio boni viri, non de profuso arbitrio, sed de arbitrio æquo accipienda est, vt Paulus docet *d. l. 24.* simul & eandem interpretationem adhibendam esse si non domini sed extranei cuiuslibet qui opus probaret in lege locationis arbitriũ cõprehensum sit. & de hac specie. i. de probatione operis collata in arbitrium extranei cetera omnia quę sequũtur in prima parte *d. l. 24* accipiẽda sunt, non vt vulgo existimant, de ea quæ confertur in arbitriũ domini operis. Posset dominus diem dictam operi faciundo prorogare. quidni? At extraneus cuius arbitrio vt opus probaretur dictum est, diẽ prorogare non potest, nisi idipsum lege locationis nominatim comprehensum sit vt *l. 113. De ver. obl.* nam illa verba, *Vt opus probetur arbitrio L. Titij*, ad qualitatẽ tantum operis probãdam vel improbandam pertinent, non etiam dant facultatem L. Titio prorogandi diem præstitutam operi faciundo. Item domini probatio non esset irrita si vitiosum opus probasset, *arg. d. §. lege.* At extranei probatio esset irrita si dolo conductoris corruptus vitiosum opus probasset, nec eam locator inuitus subsequeretur, sed salua nihilominus ei esset actio ex locato aduersus conductorem de opere omni ex parte integro præstando, nec cogeretur opus vitiosum in acceptum referre. & ita illa Pauli scriptura proculdubio accipienda est.

CAP. XXXIV.

Duo loci Digestorum emendantur.

NOn congruit illatio propositioni in *l. 1. §. si pensio, De migr.* hoc scilicet proposito, Si pensio nondum debeatur, puta si dies pensionis nondum venerit ait Labeo interdictum hoc cessare, nisi paratus sit

eam pensionem soluere, cum infertur statim, *Proinde si semestrem soluerit & semestris debeatur, inutiliter interdicet, nisi soluerit & sequentis semestris.* vt congruat igitur scribendum sic est, *& semestris nondum debeatur.* imo vt scripto constet ratio. Si enim semestris sequentis pensio debetur, satis ex edicto paret non posse inquilinum vti interdicto de migrando antequam soluerit debitam pensionem, & vt inconsequens dicto Labeonis, ita superfluum est ea de re nos Vlpianum admonere. In *eod.* §. quod sequitur de speciali conuentione pugnat omnino cum *l.* 24. §. *si domus, Loc. cond.* vbi specialis conuentio non desideratur, nisi separamus interdictum De migrando ab actione ex locato vel ex conducto, & causam pignorum pensionum nomine tacite obligatorum à causa ipsa pensionum & forte principali, & dicamus, Migrante inquilino ante tempus conductionis in actionē ex locato etiamsi specialis illa conuentio non interuenerit & nondum debitam pensionem venire. In interdicto autem de migrando non contineri sine illa conuentione vt & non debitam pensionem offerat qui ante tempus migrat & pignora abducere vult. Simili vero modo in *l.* 4. §. *si auersione, De per. & com. rei vend.* cum dixisset idem Vlpianus die degustationi vini venditi non præstituto, quoad degustauerit emptor periculum acoris & mucoris ad venditorem pertinere, inconsequenter subiicit, *Dies enim degustationi præstitutus meliorem conditionem emptoris facit.* nec adduci possum vt credam vmquam ita Vlpianum scripsisse, sed vel hoc modo, *Dies enim degustationi præstitutus meliorem condicionem venditoris facit,* scilicet non in infinitum, sed in eum diem dumtaxat periculum venditorem respicit, vel hoc potius, *Dies enim degustationi non præstitutus meliorem condicionem emptoris facit,* quia scilicet in infinitum periculo eximit emptorem, quoad vinum degustare & probare commodum ei fuerit. Relatiua nomina sæpe in scribendo permutantur: & hæc ipsa vt iampridem ostendi, in *l.* 34. *De con. emp. & l.* 5. *C. qui man. non poss.*

Cap. XXXV.

Duobus in locis emendatur §. *si conseruatis, l.* 2. *Ad L. Rhod.*

SI nauis nauigando deterior facta fuerit, vel aliquid exarmauerit. saluis & sanis mercibus, periculum est solius nautæ siue magistri nauis, nec huius detrimenti sarciendi causa quidquam vectores conferre debent qui merces vehendas locauerunt, sicut nec qui fabro opus faciundum locauit quidquam conferre debet si faber incudem aut malleum fregerit. quod patet satis ex *l.* 2. §. *si conseruatis, Ad leg. Rhod.* tametsi duobus locis vitiatus esse videatur. Quod enim ait, *Quia dissimilis earum rerum causa sit quæ nauis gratia parentur, & earum pro quibus mercedem aliquis acceperit,* vt vulgo accipitur dissimilem esse causam armamentorum & mercium quæ vehendæ locantur quasi harum iactura omnium contributione sarciatur, non etiam illorum. ita vt non accipiamus verba ipsa efficiunt. nam & quod ait, *generaliter, Aliquis,* de quolibet conductore qui quid faciundum susceperit vt accipiatur necesse est, non de nauis magistro tantum, & consequenter quod ait, *earum rerum pro quibus mercedem acceperit,* de mercibus quas magister certa mercede vehendas conduxerit accipi non potest, quia etiā non pro mercibus ea merces magistro datur, sed pro vectura. ac præterea verius est similem esse earum rerum causam quæ nauis gratia parentur. i. armamentorum quæ τῆς ἐξαρτίας nomine significantur, vnde in Idiotismo, *La sartie,* & earum rerum pro quibus aliquis artifex mercedem acceperit, puta instrumentorum quibus opus quod faciendum locatum est, facit, pro quibus atque adeo pro manupretio, pro factura mercedem accipit: nam vt congruenter subiicit, *& si faber incudem aut malleum fregerit non imputaretur ei qui locauerit opus,* significans & simili modo si nauta in nauigatione armamenta fregerit, ruperit, perdiderit, hoc non imputari vectoribus qui merces vehendas locauerunt. denique eandem esse causam armamentorum nauis, quæ & instrumenta dicuntur, *l.* 3. *eod.* & instrumentorum cuiusque artificis aut fabri. itaque supradicto loco non *dissimilis* sed *similis* scribendum esse censeo: nam & ea verba commutari sæpe vnumque cedere loco alterius exemplo addiscere licet sumpto ex *l. qui fundum* §. *qui bona, Pro emp. & l. cum quis* §. *de peculio, De solut.* Est & aliud vitium in extremo commate illius §. sed si voluntate vectorum vel propter aliquem metum. Legendum enim est sine disiunctione vt Odofredus legit, *Sed si voluntate vectorum propter aliquem metum.* nec enim ab eo quod proposuit, si conseruatis mercibus aliquid nauis exarmauerit, nullam collationem faciendam esse, duos casus excipit, sed vnum tantum, vt *l.* 3. *& 5. eod.* si voluntate vectorum propter aliquem metum, naufragij scilicet quem variæ in mari causæ concitant, exempli gratia, arbor sit cæsa, quæ res sæpenumero nauem periculo liberat, iuxta illud Luciani, *Arboribus cæsis flatum effudere frementem.* Cæduntur mali facilius, quam eruuntur. Initium vero eius legis iampridem memini me exponere & quidem luculenter *Obs.* 3. *c.* 2. secundum cuius distinctionem etiam accipiendum moneo quod eadem lex ait in §. *cum in eadem,* contributionem expediri actione ex conducto instituta aduersus magistrum, agentibus cum magistro scilicet ex conducto dominis iactarum mercium si loca in naui conduxerint in quibus merces ponerent, vel ex locato si merces vehendas locauerint.

Cap. XXXVI.

Emendatur l. 55. §. *vlt. De rit. nup.*

QVod Accursius ad hæc *l.* 23. *De adop.* postrema verba, *nuptiis tamen etiam eorum prohibitis,* notat in hunc modum, *Hoc tamen.* i. hæc particula *Tamen,* aduersatur ei quod de matre & vxore adoptantis dicitur: & hoc perpetuo. Sororem autem soluta adoptione accipere possumus, pugnat omnino cum ea lege quam in testimonium vocat, videlicet cum *l. quinetiam* §. *patris, De rit. nup.* quæ filium adoptiuum soluta adoptione per emancipationem aperte ait matrem adoptatoris vxorem ducere posse. ergo non perpetuo inter eum & matrem adoptatoris nuptias prohibitas esse. Et verissima tamen est meo iudicio Accursij sententia: nam si perpetua prohibitio est inter filium adoptiuum & eam quę vxor fuit patris adoptiui, *l.* 4. *in pr. &* §. *nunc videamus, De rit. nup.* eo quod quasi nouercæ locum tenuerit, quamuis neque nouerca proprie fuerit, quia per adoptionem adfinitas non adquiritur, *l.* 4. § *pen. De gr. & adf.* neque mater, vt ait *d. l.* 23. item si perpetua prohibitio est inter patrē adoptiuum & eam quæ filij adoptiui vxor fuit, quamuis neque nurus proprie, neq; filia fuerit, *d. l.* 14. *in pr.* illa ratione sola, quod quasi nurus fuerit, & consequenter quasi filiæ loco, vt nouerca quasi matris loco, consequens est dicere & eadem ratione perpetuam prohibitionem esse inter filiū adoptiuum & matrē patris adoptiui, quia etsi auia filio adoptiuo non fuerit, *d. l.* 23. tamen quasi auiæ locum tenuit, & sancta perpetuo memoria apud nos esse debet, vt ei quæ matris aut filiæ quasi vicem & locū tenuit, sic & eius quæ auiæ, & vno verbo quæ parentis vicē & locū te-

nuit in infinitum, nec tanta religione colenda nobis eſt memoria ſororis quondam adoptiuæ aut fratris quondam adoptiui filiæ quæ ſimul cum fratre fuit in familia patris adoptiui, aut materteræ patris adoptiui quas emancipati vxores ducere poſſumus. & materteram vtique patris adoptiui facilius, quia filiaſ. patris adoptiui vel eiuſdem neptis ex filio fratre noſtro adoptiuo qui in eiuſdem patris adoptiui poteſtate eſt (alioquin ante Chriſtianiſmum licuiſſet fratris filiam vxorem ducere agnata nobis fuit & cognata, matertera autem eiuſdem agnata non fuit, ſed neque cognata. i. matertera magna. Puto igitur in *d. l. quinetiam* §. *patris*, aliis legentibus, *matrem*, aliis, *materteram*, quod & in aliis pleriſque locis accidit in auctoribus tam noſtris quam alienis, vtramque lectionem remanſiſſe nempe hoc modo, *Patris adoptiui mei matrem, aut materteram, aut neptem ex filio*, &c. ſed retinendam tantum eam eſſe quæ habuit *materteram*, non etiam *matrem*. Pudor enim & modeſtia non patitur, vt emancipati à patre adoptiuo matrem eius quæ auiæ pene loco fuit nobis, ducamus vxorem. & vero in *d. l.* 23. collata quondam vxor patris adoptiui, quam conſtat nec ſoluta adoptione vxorem duci poſſe *d. l.* 14. cum eiuſdem adoptiui matre, id exigere videtur, nempe vt ab vtraque imaginem & ſpeciem quandam apud nos rectæ lineę parentis habuerit, ſemper abſtineamus.

Cap. XXXVII.

Explicatur initium l. XXV. Sol. mat.

SI filiuſf. iuſſu patris dotem acceperit, ſoluto matrimonio pater in ſolidum tenetur Quod iuſſu, etiam directa actione de dote. Si iniuſſu patris, pater mulieri in ſolidum non tenetur, ſed de peculio dumtaxat *l.* 24. §. *pen. l.* 53. *Sol. mat. l. ſi filia nupta* §. *1. Fam. erc.* niſi ſi dolo eius capta fraudataque ſit mulier *l.* 5. *in pr. l.* 36. *De pec. l.* 1. § *filiumf. Depoſ.* Et de actione De peculio hoc idem proponitur in *l.* 25. *Sol. mat.* Verum additur, *Sed ſiue propter impenſas à filiof. factas, ſiue propter res donatas à filio, vel amotas ab vxore res peculiares hoc ipſo quod habet actionem pater ex perſona filij maius peculium ſit.* quorũ verborum ſenſus hic eſt, In peculio filij computari etiam id quod mulier debet patri ex perſona filij ſiue ex obligatione ſibi quæſita per filium, ob impenſas ſcilicet vel res donatas & amotas ex peculio filij. In peculio eſſe non tantum corpora, ſed etiam nomina debitorum *l.* 7. §. *in peculio, De pecul.* ergo & nomen mulieris. Vnde ſi in dote ſint mille, & in peculio computatis his quæ mulier debet ob ſupradictas cauſas ſint DC. integro DC. pater conuentus de peculio mulieri prętare debet, quia, vt ſcilicet poſita eſt ſpecies vtque verbis legis conuenienter ponenda eſt, adhuc mulieri ſatisfactum non eſt cum ex dote ſuperſint cccc. quæ ei debentur, ac plane tunc totum quod eſt in peculio prętandum actori eſt cum plus ei debetur quam ſit in peculio, aut certe, quod addere licet, cum tantum ei debetur quantum eſt in peculio. Sic vero fit vt plus conſequatur mulier actione de peculio, quam conſequeretur ſi id quod ipſa debet patri ex perſona filij non computaretur in peculium. quod & Fulgoſius animaduertit. Fac mulierem debere ccc. & non computato nomine eius in peculio eſſe totidem. Actione de peculio mulier nihil conſequeretur, quoniam quidem patri licet cum illis ccc. quæ in peculio eſſe non ambigitur compenſare alia ccc. quę mulier ei debet ex perſona filij. Sed nec huius, nec cuiuſquam alterius compenſationis quam obiiciat vel mulier vel pater, quod tamen miror ſomniaſſe Doctores, vlla hoc loco mentio fit. & male gloſſa *prætandum* interpretatur *compenſandum*. Prętatur enim reapſe totum id quod eſt in peculio filij, cum mulieri plus debetur quam ſit in peculio, vel etiam quod, vt dixi, licet addere, cum debetur tantumdem. Ergo & id quod mulier debuit perinde atque ſi id pater ab ea exegiſſet. quod & in *d. l.* 25. Cyrillus notat, nimirum id quod mulier debuit, ſi pater exegerit, rurſus conuentum de peculio patrem ei prætare debere. Aut igitur id pater mulieri reddere aut remittere debet. Verbum prætare vtrumque complectitur *l.* 8 *&* 33. *Loca.*

Cap. XXXVIII.

Heredem mariti non teneri ex conducto ei cui maritus prædium dotale locauit, vt prætet frui licere.

SI vſufructuarius vſumfructum fundi alij locauerit & moriatur intra tempus locationis, proprietarius ad quem vſusfructus rediit, colonum repellere poteſt, nec neceſſe habet heredi fructuarij cauere de indemnitate, quia finito vſufructu morte fructuarij heres in quem vſusfr. non tranſiit non tenetur colono vt frui prætet *l.* 9. §. 1. *Loc. cond.* quia defunctus vſumfr. tantum locauit non proprietatem. Locationem proprietatis heres ſeruare debet *l. qui fundum, eod. tit.* non locationem vſusfr. Non item locationem fundi dotalis morte mariti ſoluto matrimonio. nam vt Dorotheus ſiue qui ſcripſit τὸ πλάτος βασιλικῶν ait in *l.* 65. *De in. dot.* maritus in rebus dotalibus inſtar fructuarij eſt, eaque ratione ſeruus dotalis marito adquirit ex duabus tantum cauſis, ex re mariti, & ex ſuis operis, ac ſi heres inſtituatur ſeruus dotalis, vel quid ei legetur aut donetur, non aliter id marito adquirit quam ſi contemplatione mariti relictum vel donatum ſit. non etiamſi contemplatione mulieris vel ſolius ſerui, exemplo fructuarij *l.* 21. *&* 22. *De vſufr. l. aditio, De ad. her. d. l.* 65. *l. hinc quæritur* §. 1. *De pecul.* eodemque exemplo dicimus morte mariti ſoluto matrimonio heredem eius non teneri ei qui à marito fundum dotalem conduxit, vt prætet perfrui licere. qua de cauſa & *l.* 25. §. *vlt. Sol. mat.* loquitur de matrimonio diuortio ſoluto, non de ſoluto morte mariti: maritus enim ipſe quamdiu viuit qui contractum locationis cum conductore miſcuit, contractus fidem implere debet, atque adeo ſi ſibi bene conſultum velit, non debet fundum dotalem mulieri reſtituere ſine cautione de indemnitate, aut de locatione ſeruanda. Locatio igitur tranſit in heredem locatoris ſicut conductio in heredem conductoris, §. *vlt. Inſt. de locat.* ſi dominus quis aut quaſi dominus fundum vel ædes locauerit, non ſi quaſi fructuarius, vel quaſi maritus qui fructuario comparatur, quod ſumme notandum eſt.

Cap. XXXIX.

Comprobatur vetus lectio in l. 2. Si ven. no. mulier in poſſ. miſ. &c.

SI mulier poſt diuortium vel poſt mortem mariti dixerit ſe eſſe prægnantem & ventris nomine poſtulauerit ſe mitti in poſſeſſionem bonorum mariti, miſſaque fuerit & mox dolo malo poſſeſſionem in alium tranſtulerit, forte bona fide accipientem, vel ſi pater in cuius poteſtate mulier eſt dolo malo poſſeſſionem in alium tranſtulerit, tenetur ipſa vel pater marito herediue aliiue cuius intereſt actione in factum in id quod intereſt, ac ſi vterque pater & filia ſimul in ea re dolum malum admiſerint, liberum eſt

actori cum quo malit experiri, cum vtroque non po- A
test, quia hæc actio rem persequitur, non pœnam, & rem adeptus ab vno, prædoni similis est si eandem persequatur ab altero *l. Si minoris, De adm. tut.* Is etiam in quem translata est possessio, tametsi bonæ fidei possessor sit tenetur interdicto vt possessione discedat, aut quanti interest præstet *l.* 1. §. *necessario, Si ven. no. mulier in pos.* &c. & si quidem ab eo actor hoc interdicto quanti sua interest consecutus fuerit, inutilis est actio illius ex edicto aduersus filiam & patrem, eadem ratione quia non vltra id quod interest datur. Sed si quid forte amplius interfit actoris quam à possessore consecutus sit, veluti propter sumptus B
factos in litem cum possessore actam quorum quod bonę fidei possessor esset rationem iudex non habuerit damnato possessore, iuxta *l. qui solidum* §. *etiam, De leg.* 2. *& l. petitor, De lib. leg.* sicut nec rationem habet fructuum ab eo bona fide consumptorum, *d. l.* 1. quos sumptus à possessore non seruauerit superiori interdicto, eos hac actione consequetur à patre vel filia, & hoc ait *l.* 2. *Si ven. no. mul. in pos.* &c. si modo in ea legamus, vt & ex veteribus interpretibus recte legunt quidam, *Ab eo qui in possessione est*, non vt Flor. *ab eo qui in potestate est.* quod & ille sermo, *ab eo*, qui non congruit filiæ, exigit, & ratio iuris. nec enim potuit non damnari filia actori sumptuum nomine fa- C
ctorum litis causa, aut si his releuata fuerit, non est æquum vt qui eam elegit eo nomine regressum habeat aduersus patrem. In initio eiusdem *l.* 2. etiam hæc verba, non quę in possessionem venientem non prohibet, Acc. male accipit ἐλλιπῶς. quia prætor verbo vtitur transferendi, quo factum arguitur vt eadem lex ait, *non negligentia.* ac pręterea si eo modo acciperentur, præpostera scriptura esset.

Cap. XL.

Cur prætor vel præses non teneatur ex edicto Quod quisque iuris, qui ius dixit iniquum.

SI prętor vel præses per imperitiam iuris & legum iniquum ius statuerit, non punitur. Adsessor eius punitur, *l.* 2. *Quod quisque iur.* Ratio varietatis hæc est, quia adsessor se pro iuris perito agit, & scientiam igitur iuris præstare debet. Prætor vel præses se pro Iurisperito non agit, & plerumque nec Iurisperitus est, sed vir militaris, ex nobiliori familia quadam qui arma callet potius quam leges. quod & gręci interpretes ad *d. l.* 2. notant verbis. πολλάκις οἱ ἄρχοντες ἤτοι οἱ ἐπὶ δικαστηίων καθήμενοι οὐκ ἴσασιν ἀκριβῶς τοὺς νόμους παραβαλλόμενοι οὐχὶ διὰ τὸ καλῶς εἰδέναι τοὺς νόμους, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀξίαν καὶ τὴν τοῦ βασιλέα, ἢ πίστιν, ἢ συγγένειαν. Et etiam hodie seruari videmus in his qui *Baiuli*, vt loquuntur, vel Senescalli promouentur. Ita vero fiebat vt quidquid decerneret prætor vel præses, id decerneret ex consilio adsessoris & ipso etiam adsessore suggerente verba, vt Seneca aperte indicat *lib.* 1. *De tranq. animi* his verbis: *Qui inter peregrinos & cives aut vrbanus prætor adeuntibus adsessoris verba pronuntiauit*, vbi vulgo perperam, adsessoribus. Equidem in vetustissimo Senecæ libro recte legi, *adsessoris.* Eadem vero ratione dixerim actionem in factum quę datur aduersus iudicem qui male iudicauit per imperitiam *l. vlt. De ext. cog.* non aduersus prætorem vel præsidem dari, sed aduersus iudicem datum, qui etiam vt adsessor adsumi solebat ex numero iurisperitorum, ideoque vt est in *No.* 82. præstare debebat scientiam πείρας καὶ νόμων, vbi πεῖραν Iustinianus vocat continuatam & tritam meditationem trituræ vsusve forensis.

IACOBI CVIACII IC.
OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.
LIBER XXIV.

Caput Primvm.

Nemo ideo obligatur quia recepturus est ab alio quod præstiterit.

QVOD quasi regula ex *lib.* 4. *Pauli ad Plautium* est propositum *l.* 171. *De reg. iu.* neminem ido obligari quia recepturus est ab alio quod præstiterit, non est vsquequaque verum. nam vera quidem hæc ratio aut regula est in eo qui iure obligatus non est, qui vtique nec ideo obligatur, quod recepturus sit ab alio quod E
præstiterit. alioquin obligaretur quisque ad soluenda aliena nomina, quia soluta recepturus est actione negotiorum gestorum, nisi si quid forte debitorum interfuerit non solui: & ita in specie *l.* 11. §. *apud, De aq. & aq. plu. arc.* vnus ex dominis fundi communis, in quo opus factum est, quoaqua pluuia vicino noceret si opus non fecerit, nec facienti socio consenserit, quia iure non tenetur actione aquæ pluuiæ arcendæ in hoc D
vt impensam præstet tollendi operis, nec ideo etiam magis in hoc tenetur: quod si eam impensam fecerit à socio qui opus fecit, quod amplius sua portione impenderit per arbitrum Communi diuidundo reciperare potest. Falsa autem est in eo qui iure obligatus est, vt in *d. l.* 11. §. *officium*, in vno ex sociis qui actione noxali tenetur in solidum: hi enim vel eo maxime obligantur in solidum quod Pro socio vel Communi diuidundo vel Familiæ erciscundæ agere possit. & similiter actione de peculio & institoria & exercitoria, ad quas proprie respicit *d. l.* 171. nomine serui communis singuli ex dominis iure ipso tenentur in solidum, quod iniquum sit eum qui cum vno contraxit destringi in plures, sicut & illud iniquum est vt ob noxam vnius quis destringatur in plures, & vel eo maxime singuli condemnantur in solidum, quod rursus ipsi possint à ceteris consequi quod amplius sua portione præstiterint *l.* 13. §. *vlt. & l. seq. De inst. act. l.* 1. §. *vlt. l.* 2. *& 3. De exer. act. l.* 27. §. *vlt. De pecul.* vbi glossa ex hac lege per quam male ducit argumentum in contrarium.

Cap. II.

Quid sit in tit. De reg. iu. temporariam permutationem ius prouinciæ non innouare.

PRouinciarum aliæ erant proconsulares, aliæ præsidales, quod præter exteros auctores etiam Theophilus noster docuit in *tit. De rer. diuis.* At si in prouinciam præsidalem mittatur aliquis proconsulari imperio ad tempus, non ideo ius prouinciæ innouatur. Mittuntur aliquando iudices extraordinarij ad tempus, vt *l.* 1. *De tut. & cur. da.* ostendit. & ita nonnullas prouincias Augustum commutasse Suetonius scribit, & Capitolinus in Marco, ex proconsularibus consulares aut prætorias pro belli necessitate fecisse, & Dio 53. Augustum Cyprum & Galliam Narbonensem quas sibi retinuerat, populo reddidisse, & contra Dalmatiam quam populo reliquerat sibi recepisse. Suetonius *in Tib.* Hæc vero mutatio si fiat temporis causa, ordinem iuris aut potestatem ordinariorum iudicum veteremque morem non tollit omnino. Temporariam permutationem dicit *l.* 123. *De reg. iu.* vt temporarias indictiones *l. quæro, De vsuf. leg.* pro temeraria & casuali, non legitima & certa.

Cap. III.

Reddita suis locis propriis aliquot capita tit. De Senatoribus.

PAulus *lib. 41. ad edictum* cum tractaret de collatione bonorum propriorum quam emancipati liberi qui accipiunt vel accipere desiderant bonorum possessionem contra tab. vel Vnde liberi his qui in potestate remanserunt faciunt cautione interposita cum satisdatione, vt *l.* 1. §. *iubet, l.* 2. §. *vlt. l.* 3. *De col. bon. l. pen.* §. *videamus, De bon. poss. cont. tab.* etiam quo loco ea cautio interponenda esset expositum, nempe vbi liberi emancipati domicilium habent, vt *l.* 5. §. *vlt. Vt leg. no. cau.* quapropter Senatores pop. Romani in vrbe cauere debere vel in patria originis suæ nam vtroque loco domicilium habere intelliguntur, *l. pen. De senator.* quæ ex illo libro sumpta est; *l. filij* §. *Senator &* §. *pen. Ad municip.* quia, vt ait, dignitas domicilium adiicit non permutat. De Senatoribus autem quod egisse Vlpianum libris de censibus patet ex *l. vlt. De senat.* id ad eum morem retulit quo Senatores legebantur ex censu duplo maiore quam equestri, quoque deminuto etiam dignitas eorum deminuebatur. Eiusdem tit. *l.* 10. quæ est ex lib. 34. Vlpiani ad edictum quo tractauit de nuptiis & dotibus, satis manifestum est pertinere ad caput legis Iuliæ, quo senatores & liberi eorum vetantur libertinam vxorem habere, ad quod pertinet etiam *l.* 5. 6. 7. Lex autem 9. pertinet ad Senatusconsultum siue Orationem D. Marci qua ex contrario vetatur etiam libertinus ducere Senatoris filiam aut neptem. Lex octaua, vt indicat inscriptio, pertinet ad fideicommissa, de quibus in vrbe cognitio est Coss. aut prætoris fideicommissarij, in prouinciis præsidis eius prouinciæ in qua heres domicilium habet; *l. si fideicommissum* §. *pen. De iudic. l. tutores* §. *heres, De adm. tut.* ergo si materf. heres iustituta sit, vbi maritus domicilium habet *l. pen. De iurisd.* Lex prima pertinet ad edictum prætoris quo latitantis bona si boni viri arbitratu non defendatur possideri vendique iubet, vbi sane intelligendum est nec videri eum defendi quem aliquis locupletissimus aut Consularis defendit non præstita satisdatione, *l.* 52. *De procur.* & bona quoque Consularis si in ea causa sint vt vendi debeant, ex S. C. per curatorem à prætore vel præside constitutum distrahendis bonis vendi oportere, non à creditoribus adhibito magistri carmine *l.* 5. *De cur. fur.* quod & vxori eius datur quia & ipsa consularis est, non etiam mater, quanquam & Consularis matrem elatam Propertius dicat, Consulari veste.

Cap. IV.

Iuris regula duæ relatæ ad actionem aquæ pluuiæ arcendæ.

VT quod secundo loco quasi iuris regula proponitur in *l.* 167, *De reg. iur.* proculdubio referendum est ad actionem aquæ pluuiæ arcendæ sumpto exemplo ex *l.* 4. *De aqua & aq. plu. arc.* ita soleo quod primore loco ait, *Non videri data quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt*, ad eandem actionem referre, nimirum ita vt quia soli domino datur actio quæ pluuiæ arcendæ cuius agro aqua pluuia nocet ex opere manu facto in fundo vicini *l.* 14. *l.* 22. *De aq. pl. arc.* non detur ergo ei qui agrum bona fide emit à non domino, etiamsi eum postea vsuceperit, de eo scilicet opere quod iam factum erat venditionis & traditionis tempore, quo agri dominium erat alterius, vt *l.* 6. §. *si quis, eod. tit.* quia non videntur data quæ eo tempore quo dantur accipientis non fiunt, non data sed tradita, non dominium sed possessio translata: rursus non data sed vsucapta. nec vero dominium quod vsucapione quæritur retro quæsitum videtur.

Cap. V.

De siluæ cæduæ, inciduæ & pascuæ vsufructu.

SIlua cædua, arundo cædua, arbores cæduæ in fructu sunt *l. qui fundum* §. *cum fundum, De cont. emp. l.* 7. §. *si fundum, Sol. mat.* etiamsi in tempestiue cædantur *l. si absente* §. *vlt. De vsufr.* veluti intra quinquennium, antequam sint cæsuræ pares, *d. l.* 7. §. *quod in anno, l. cum manu* §. *silua, De cont. emp l. vlt. C. de seruit.* Excipiuntur grandes & summæ arbores quæ tegunt siluam cæduam. eæ in fructu non sunt, *l.* 11. *De vsuf.* Alias quascunque cædere fructuarius potest etiam paulo intempestiuius, ad eum tamen modum & quantitatem eam ad quam & paterf. qui fundi vsumfruct. legauit aut cessit, siluam cædere solebat, & cæso intra eum modum qualitercumque voluerit vti, licet non ita cæso paterf. vteretur, puta vendere, licet paterf. non solebat vendere, sed ipse vti, *l.* 9. §. *vlt. eod.* ipse, inquam, vti comburendo vel *l. ligni* §. *ego autem, De leg.* 3. Fructuarius æque comburendo, sed & vendendo si hoc malit, nec modum excedat. Potest etiam quotannis ex silua cædua sumere pedamenta & ramos. ex non cædua item, quæ Ouidio incidua, pedamenta & perticas & cetera quiæ vineis necessaria sunt, dum ne attingat arbores non cæduas, arbores grandes, aut fundum deteriorem faciat *l.* 10. & 11. *De vsufr. l.* 7. §. *si fundum, Sol. mat.* Ex silua autem pascua nihil, vt arbitror, fructuarius cædere potest, quia non in hoc habetur vt cædatur, sed vt in ea pecora pascantur. Silua cædua in hoc habetur vt cædatur, quamquam & auctore Seruio silua cædua dicitur quę iam succisa est & ex stirpibus aut radicibus renascitur, *l.* 30. *De verb. sig.* Stirpes separat à radicibus; vt M. Tullius 2. *de Nat. Deor. Omnium*, inquit, *rerum quæ altæ aut radicibus à terra aut stirpibus continerentur.* Stirpes feruntur sursum, Radices deorsum dependentes ex arbo-

rum capite, quod & rapum dicitur, quia rapi formam habet. Seneca *epist.* 87. *Magnarum arborum truncos cum rapo suo transtulit amputatis radicibus.* quę verba vetus glossema quod subiungitur ita interpretatur, relicto capite ipso, ex quo illæ pependerant. Et ita quoque capita vitium apud Catonem accipienda sunt.

Cap. VI.

Quo referenda sit l. 2. De ver. sig.

PAulus *libro primo ad edictum* tractauit de iurisdictione & de officio magistratuum, quod latius patet quam iurisdictio *l.* 1. *De iurisd.* Et specialiter de Tribunis plebei quorum extra vrbem nulla iurisdictio erat, cum tamen prætorum, consulum, præfectorum vrbi & aliorum etiam extra vrbem iurisdictio extenderetur, neque vero Tribunis plebei licebat ab vrbe pernoctare nisi feriarum Latinarum causa. eaque de Tribunis lex vetustissima est. Appianus 11. *de bel. ciu.* οὐδὲ ἐξιέναι νυκτὸς τειχῶν τοῖς δημάρχοις ἐφίεται. Dio 37. μηδεμίαν δημάρχῳ νύκτα ἀπαυλισθῆναι ἐκ τῆς πόλεως ἐξόν. Dionysius 8. ἐκεκώλυτο τοὺς δημάρχους τὸ κράτος τοῖς τείχεσι καὶ οὐδὲ ἀπαυλισθῆναι τῆς πόλεως αὐτοῖς ἔξεστι, ὅτι μὴ πρὸς ἕνα κωμὸν ἐν ᾧ πᾶσαι δύσεις αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὸν ἱερὸν τῶν Λατίνων ἔθνους τῷ Διὶ θυσίαν ἐπὶ τὸ ἀλβανῶν ὄρος ἀναβαίνουσι. Recte illi non posse Tribunum plebei abnoctare extra vrbem, extra muros, itemque Seruius in illum Virgilij locum, *Torquet medios nox humida cursus*, vt Liuius quoque *V. Flamini Diali noctem vnam manere extra vrbem nefas fuisse.* qua de re & Tacitus 11. *An.* Improprie Gellius, qui Roma dixit non posse Tribunum plebei vllum diem abesse, pro vrbe. Vrbis enim arctior, Romę latior appellatio est. quia vt Paulus docet in *l. 2. De ver. sig.* quæ est ex primo ad edictum, vrbs muris finitur, Roma continentibus ædificiis. itaque in legem committit Tribunus plebei qui pernoctat in continentibus ędificiis. nam etsi extra Romam non pernoctet, pernoctat tamen extra vrbem, quod lex vetat ad quam illa *l.* 2. respicit simul ac *l.* 166. *eod.* namque post explicatam in ea vrbis & vrbanæ familiæ appellationem subiecta notio verbi Pernoctare, argumentum præbet non alio eam spectare quam ad legem illam veterem de officio Tribunorum plebei. & similiter in *d. l.* 2. quæ subiicitur definitio maioris partis diei, argumentum præbet lege illa veteri factum discrimen inter diem & noctem, nempe ita vt Tribunis plebei ne liceret vrbe vlla parte noctis abesse, interdiu autem ne liceret maiore parte diei, cetera liceret: Sane quod hęc tria verba Maiorem partem diei, in notis Petri Diaconi vel Innocentij totidem singulariis literis expressa sunt, argumentum etiam hoc est satis probabile, ea esse ex formula legis alicuius.

Cap. VII.

Quo referenda sit l. cxi. eod. tit.

IAuolenus *lib. 6.* ex Cassio tractauit de iurisdictione & officio magistratuum. ergo & de Censorum. Hi erant legum morumque rectores & magistri, quę sanctissima potestas seueriſſimum magisterium morum, quod etiam, vt Iuuenalis significat illi ipsi qui eo fungebantur extimescebant (nec enim Collega in Collegam vt imperium *l.* 3. §. *pen. Ad Treb.* ita notationem non habet) cum exularet iam è rep. parum aut nihil de eorum officio nobis Tribunianus reliquit; rationem tantum nominis ex illo Iauoleni libro in *l.* 111. *De ver. sig.* longe diuersam ab ea quam Varro, quod his scilicet ius fuerit constituendi & præcipiendi. Pæanius siue Capito Lycius de illorum officio in metaphrasi Eutropij: ἀρχὴ ἦν αὕτη τοῦ μείζω, καὶ ἦν ἔργον αὐτῇ τοῦ πολίτου διευναῦσαι τὴν καὶ κρίνειν βίους, τιμωρίας τε καὶ πάσης ἠδυνάτο δυναστείας, καὶ οὐδεὶς ἦν ἔξω τοῦ κένσορος ἐξουσίας κύριος καὶ ἵππων καὶ ἔργοις καινοῖς κατακοσμεῖν τὴν πόλιν. Id finiebatur quinquennio eoque completo vrbs lustrabatur, vel teste Vlpiano *lib. Reg. solitaurili* sacrificio facto. Sic legendum apud Valerium Maximum 4. *cap.* 1. *Solitaurili* pro *soluto fieri.* quod miror nondum quemquam animaduertisse. vet. membranæ, vero propius, *Solita viri.*

Cap. VIII.

De vectigali vænalium rerum.

DE vectigali vænalium, quod fisco pendebatur; & Græcis dicebatur ἐπώνιον, est *l.* 17. *De ver. sig.* itemque *l. debet, De ædil. edic.* quę id emptorem sequi significat, & verum est, quia si venditorem sequi dixeris, idem dixeris eo carius semper illo vendituro. id vero in mancipiis vænalibus fuisse pretij quinquagesimam, emendato Cor. Taciti loco iampridem ostendi *Obs. 6.* in aliis rebus centesimam; & aliquamdiu ducentesimam tantum. Plures vero alias erogationes fieri in rebus emendis, veluti cum quid datur parario, aut vxori venditoris, aut præconi, aut quæstori, quo interueniente fit auctio, ostendit *d. l. debet*, & *l. quod si nulla, De her. vend. & l. 20. De lib. cau. Si quid cuidam*, inquit, *ob hanc actionem licito iure dedit.* Actionem pro, auctionem, vt *l. pen. De vsurp. & vsuc. l.* 2. §. *vlt. De col. bo.* Et apud Vlpianum *lib. sing. Regularum.* Pro herede gerit qui actionem rerum hereditariarum facit. & apud Apuleium 9. *Ad hereditariam deducit actionem.* Et quod Paulus ait *l.* 76. *De ver. sig.* restituere eum videri, qui restituit quod habiturus esset actor, si controuersia ei facta non esset, quoniam ad actionem illam pœnalem referendum est, qua bonæ fidei emptori tenetur is, qui sciens dolo malo se vænire passus est non participato pretio, de qua ex eodem libro Pauli sunt plura capita in *tit. De lib. cau. & d. l. 20.* id ita commodissime accipi potest, vt ita demum liber homo rem restituere actori videatur, i. bonę fidei emptori, qui illa actione experitur, si id omne præstet quod habiturus emptor esset, si controuersia ei facta non esset, si non ipse proclamasset ad libertatem. Si ergo non pretium tantum, sed etiam erogationes omnes propter eam emptionem factas restituat in duplum. & ad eandem quoque actionem eodem libro cum scriberet non dari eam aduersus heredem similesve personas, vt *l.* 21. *De lib. cau.* addita exceptione, nisi lis fuerit contestata cum defuncto, adiecit rationem generalem, quia pœnalia iudicia semel accepta in heredes transmittuntur, *l.* 164. *De reg. iu.*

Cap. IX.

Ex omni causa per seruum vel filium domino vel patri ignoranti possessionem adquiri, non ex omni causa tamen ignoranti vsucapionis occasionem præberi.

PEr seruum vel filium f. non tantum dominium, sed & possessionem adquirimus *l.* 10. §. *non solum, De adq. rer.* corpore scilicet eorum, & animo quoque eorumdem, vt ait *l.* 3. §. *saltus, De adq. pos.* ergo & ignorantes, quod verum est indistincte ex omni causa si-

ue

ue peculiari, siue nostro nomine possessionem adepti fuerint. & hoc ita indistincte proponitur in *l. si me in vacuam §. vlt. eod.* & omnidistinctione summota *l. nũquam §. si seruus, De vsucap.* denique sicut dominium per eos nobis ignorantibus ex omni causa adquiritur, ita & possessio. neque vero hoc mirum cuiquam videri debet, cum & per procuratorem, tutorem, curatorem ignoranti possessio, & per possessionem dominium adquiratur, *l. si emptam, De vsucap l. 1 & 8. C. de adq. pos. l. 13. De adq. rer. do.* At notandum per eas tamen personas ignoranti adquisita possessione non competere etiam statim ignoranti rei possessæ vsucapionem ex omni causa, sed ex peculiari causa tantum iure singulari per filiumf. aut seruum, hac ratione, quia voluntate nostra intelliguntur possidere quod peculij nomine comparauerunt, & possidere ciuiliter non quidem sibi, quod nec possunt, quia nihil suum habere possunt, *l. possessio §. 1. De adq. poss.* sed nobis, quod eis peculium habere permiserimus *l. 1. §. item adquirimus, eod.* ergo & nobis quod præcipue singulare est, vsucapionem procedere ignorantibus ex supradicta causa: cui non absimilis est ratio quæ redditur in *l. peregre §. quæsitum, eod.* nempe vtilitatis ratio, ne per singula momenta domini cogantur species & causas peculiorum inquirere. i. quæ res sint in peculio, & quo iure quove titulo teneantur. quod dominis per quam molestum & difficile est. Satis nimirum esse quod semel seruo peculium habere permiserint, nec vt ait *l. 7. §. scire, De pecul.* singulę res quæ sunt in peculio dominum aut patrem exacte & subtiliter, sed πραγματεύεσθαι scire debere. ac præterea in *d. §. quæsitum*, cum quæritur ratio illius iuris singularis, possessionis verbo magis effectus possessionis, id est vsucapio quam possessio ipsa significatur, vt *l. 19. & 30. Ex quib. cau. ma.* nam vt possessio ipsa per seruum ignoranti adquiratur, hoc ius non est singulare in causa peculiari, cũ & idem obtineat in qualibet alia causa. At vt vsucapio ignoranti procedat, hoc in causa tantum peculiari iure singulari receptum est. vnde & in *d. l. nunquam §. si seruus*, hęc verba, *vel etiam vsucapiam*, recte Acc. retulit ad id tantum quod seruus vel filius meus peculiari nomine tenet. nam quod meo nomine, id ignorans quidem possidere, sed non etiam vsucapere possum, *l. iusto §. vlt. De vsuc. l. 2. §. Cels. Pro emp.* Ad hęc videamus, cur sicut possessio per procuratorem etiam ignoranti adquiritur, nõ etiam ignoranti vsucapio competat, *l. possessio §. vlt. De adq. pos. l. 1. C. eod. l. si emptam, De vsuc.* vel exemplo filij & serui possessionem nacti peculiari nomine. Et valde placet ratio varietatis proposita in *d. l. si emptam*, quia, inquit, vt ignorantes vsucapiamus in peculiaribus tantum rebus receptum est, & receptum scilicet iure singulari, vt ait *d. §. quæsitum, & d. l. iusto §. non solum.* ergo contra rationem iuris, *l. ius singulare, De legib.* Quod autem contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. quæ sententia cum ex *lib. 54. Pauli ad edict.* quo tractauit de possessionibus & vsucapionibus relata sit in *l. 14. eod.* & repetita in priori parte *l. 141. De reg. in.* merito ad hanc quæstionem referenda est, ita scilicet vt quod contra rationem iuris receptum est in rebus peculiaribus vt ignorantes vsucapiamus quod filij aut serui nostri peculij nomine teneri cœperint, non producatur etiam ad procuratores nostros, quamuis & per eos non minus quam per seruos aut filios nostros ignorantes possessionem adquiramus. Id etiam quod est in posteriori parte *d. l. 141.* liquido pertinet ad causam possessionis, nimirum vt duo vnius hominis vel hereditatis heredes pro solido esse non possint, sicut nec duo domini vel possessores pro solido vnius rei, *l. 3 §. ex contrario, De adq. poss. l. 5. §. si vt certo, Commod. l. pen. §.* A *pater, De cast. pec.* argumentum prębet priorem quoque partem ad tractatum *De adquirenda possessione* proprie pertinere.

Cap. X.

Per seruum hereditarium hereditatem, vel partem hereditatis, vel id quod eiusdem hereditatis est heredi adquiri non posse.

B Vetus est regula, Per seruum hereditarium neque ipsam hereditatem, nec aliud quidquam quod eiusdem hereditatis sit, heredi adquiri posse, *l. 18. De adq. rer. do. l. 1. §. veteres, De adq. poss. l. 43. De adq. her.* quæ & in dominio & in possessione rerum hereditariarum obtinet, vt superiores leges indicant, & *l. qui absenti §. vlt. De adq. pos.* & de seruo hereditario accipienda est, qui iam ad heredem peruenerit iure hereditario, vt subindicat *d. l. qui absenti*, non de seruo iacentis necdum aditę hereditatis: alioquin esset impar & incongrua collatio serui legati, vel empti, vel donati in *d. §. veteres*, qui peruenit ad legatarium vel emptorem vel donatariũ, vt *l. prædia, eod.* cum seruo hereditario qui nondum peruenit ad heredem. Verior autem ratio huius regulę hæc est, quia cum per hereditatem adquiratur seruus hereditarius, natura non fert C vt & vicissim per seruum hereditarium adquiratur hereditas, vel pars hereditatis, vel res quæ eiusdem hereditatis est. nec enim vt philosophus docet *2. Phys.* aliud alij inuicem esse causa potest, eodem scilic. modo. Longe vero alia est ratio seruorum qui non hereditatis vniuersali, sed singulari titulo ad aliquem peruenerunt, veluti legatorum, vel emptorum, vel donatorum. pluribus enim legatis, vel emptis, vel donatis, per vnum ex his qui ad legatarium, vel emptorem, vel donatarium peruenerit, vt *d. l. prædia*, quem postea legatarius, vel donatarius, vel emptor miserit ad possidendos ceteros, ceterorum possessio adquiri potest. Per vnum tamen seruum hereditarium qui & ad heredem similiter peruenerit, heres ceterorum seruorũ, D ceterarumve rerum hereditariarum possessionem adquirere nõ potest, propter rationem supradictam, qua etiam Acc. vsus est in *l. 10. De iu. cod.* Per alium seruum qui ad heredem alio iure peruenerit, quam hereditario, rerum hereditariarum possessionem heres adquirere non prohibetur, veluti per seruum, qui cum defuncto deberetur ex empto, vel ex stipulatu, vel ex testamento, heredi traditus est iure emptionis, vel stipulationis, vel legati, *d. l. qui absenti §. vlt.* itemque per seruum prelegatum heredi scripto ex parte. quia enim heres prelegati partem habet iure hereditario, partem iure legati, propter eam partem quam habet iure legati, licet pro altera seruus hereditarius sit, per eum rei hereditariæ, aut rerum hereditariarum possessionem adquirere potest, & similiter si communis Stichus fuerit testatoris, & heredis propter partem quam E in seruo suo iure heres habet; non hereditario, licet altera pars ei obuenerit iure hereditario, heres per eũ seruum fundi, vel rei cuiuslibet hereditariæ possessionem adquirere potest, *l. 1. §. si ex parte, De adq. poss.*

Cap. XI.

Explicatur & emendatur §. ei cuius l. 18. De dam. inf.

Fructuario proprietarius damni infecti non cauet desideranti sibi de ruina aut vitio ædium, quarum vsumfructum habet, si fructuarius alias ædes vicinas habeat quarum nomine desideret sibi caueri de ruina

fructuariarum ædium, quia refectio ædium fructuariarum ad eum pertinet *l.* 18 §. *ei cuius*, *l.* 20. *De dam. inf. l.* 7. §. *quoniam*, *&* §. *vlt. l.* 64. *De vsufr.* idque Paulus in *d.* §. *ei cuius* significat contineri stipulatione fructuaria his verbis, *Boni viri arbitratu se vsurum fruiturum* nam, vt ait, qui boni viri arbitratu vti debet, reficiendi quoque potestatem consequitur, nec potest prohiberi quo minus reficiat *d. l.* 7 §. *vlt.* Ex diuerso quoque proprietario fructuarius damni infecti cauere non debet de ruina fructuariarum ædium, si forte proprietarius alias ædes fructuariis vicinas habeat. quod etiam proponitur in *d.* §. *ei cuius*, sed corrupte, nimirum his verbis, Ergo nec proprietarius audiri debet, si velit sibi caueri à fructuario ædium nomine, quas vicinas fructuarius habet. nec enim *fructuariu*, *aut fructuario*, vt legitur alias, sed, *fructuariis*, legendum est, fructuariis sc. ædibus. Quia vero ait, *Ergo*. ex eo sequitur qua ratione proprietarius ea de re fructuario non cauet, eadem nec fructuarium cauere proprietario, nimirum, vt subiicit, quia refectio ad fructuarium pertinet, ad quam etiam compelli potest ex stipulatione fructuaria, qua proprietario cautum est satis, *d. l.* 20. & vbi vicino satis alio remedio cautum est vix vnquam decurritur ad actionem damni infecti, *d. l.* 18. §. *emptor*, *l.* 13. §. *de illo*, *l.* 32. *&* 33. *eod. tit.*

Cap. XII.

Non videtur possessionem adeptus qui ita nactus est vt eam retinere non possit.

QVod ait *l.* 22. *De adq. poss.* non videri possessionem adeptum eum qui ita nactus est vt eam retinere non possit, proculdubio de eo accipiendum est, qui non ex iusta causa possessionem adeptus est, & extat de iniuste adepta possessione rei immobilis luculentum exemplum in *l.* 4. §. *si dominus*, *De vsuc.* Sed de possessione rei mobilis exemplum quæritur adhuc. Quod enim Acc. adfert in *l.* 13. §. *desinere*, *De ver. sig.* si dominus rem suam abstulerit ei, cui fur eam rem dederat aut vendiderat, non est idoneum, quia nullam is qui furem auctorem habet in possessione eius rei retinenda vel amissa repetēda aduersus dominum actionem habet, non Publicianam, *l. pen. & l. vlt. De cond. trit.* non item condictionem triticariam quam domino quidem dari inuenio vel iusto possessori, non etiam aduersus dominum iniusto possessori. Commodius erit exemplum si ponas debitorem rem suam pignori datam creditori subripuisse nec alij vendidisse, quo casu non videtur debitor eius rei possessionem adeptus, quæ auelli ei potest actione hypothecaria quæ possessionem auocat *l. si cum venditor*, *De euict.* vel etiam condictione incerti triticaria *l.* 2. *De cond. trit. l.* 25. *De fur. l. si pignore* §. 1. *De pig. act. l.* 12. §. *vlt. De cond. fur.* & ideo nec interim dum eam rem creditor ei non auellit, vsucapi potest. quia tunc demum in potestatem domini res furtiua rediisse videtur cum possessionem eius iuste nactus est, eo scilicet modo quo auelli ab eo non possit *l.* 4. §. *tunc*, *De vsuc.* At si subreptam rem suam quam creditori pignori dederat statim debitor alij vendiderit & tradiderit, quia hoc casu supradictis actionibus debitor creditori non tenetur qui eam rem non possidet nec dolo potest videri desisse possidere quod suum erat nulla iudicij mutandi existente causa, verior est sententia Cassianorum rem videri in potestatem domini peruenisse & vsucapi posse, *d. l.* 4. §. *si rem.*

Cap. XIII.

Ad §. Iulianus l. VI. De precario.

ACcursius in *l.* 6. §. *Iulianus*, *De precario*, differentiam facit inter rem furtiuam & rem vi possessam. Rem furtiuam non aliter vsucapi posse quam si in potestatem domini redierit vel heredis eius eo modo quo auelli ab eo nō possit, nec satis esse si redierit in potestatem non domini cui subrepta sit, exempli gratia creditoris aut commodatarij, vt *l.* 4. §. *quod autem*, *De vsuc.* nisi scilicet dominus ipse creditori rem pignoris causa ei traditam subripuerit *l. vlt. eod l.* 6. *C. pro emp.* quia hoc casu creditor locum domini subit. Rem autem vi possessam vsucapi posse etiamsi in non domini potestatem redierit qui per vim fundi alieni possessione deiectus sit. hanc vero differentiam qua ratione constituat si quæras, dicam nulla, quia vtriusque rei par est causa & vitium idem vtriusque quod vsucapioni obstat, vitium ex re non ex persona *l. vbi* §. 1. *De vsuc.* quin & eam constitui dicam contra manifestam sententiam *l. vlt. Vi bon. rap. &* §. *aliquando*, *Inst. de vsuc.* At mouetur nō abs re dicto §. *Iulianus*, ex quo efficit non domino vi deiecto de possessione fundi, & ab eo qui vim fecit apprehensa possessione, purgari deprædationis vitium si fundus redierit in potestatem non domini qui deiectus est, qui rediisse vtique videtur in eius potestatem si prædo ab eo qui vi deiectus est fundum precario rogauerit, vt sibi possidere liceret: quia hoc genere desinit vi possidere & incipit precario possidere ex voluntate eius quem vi deiecerat, nam etsi prædo, vt subiicitur in *d.* §. *Iulianus*, ab eodem fundum emerit & pro tradito habuerit, quo genere etiam ad eundem videtur rediisse possessio fundi, prædo desinit vi possidere, & vt ait, incipit pro emptore posse dominium capere. ex quibus verbis posse dominium capere, si hoc significant, posse vsucapere, recte colligit Accur. dominum non fuisse eum qui vi deiectus est. quoniam si dominus fuisset, nuda voluntate dominium protinus transtulisset in emptorem, nec pro emptore eam rem deberet vsucapere, *l.* 4. §. *lana*, *De vsuc.* l. *in bello* §. *si quis seruum*, *De cap. & postl.* quia dominium ex vna tantum causa contingere potest, *l.* 3. §. *ex plurimis*, *De adq. poss.* Inde vero efficit vitium ex re vi possessa, quam certe constat vi possideri si vel non dominus cum possideret vi deiectus sit, *l.* 4. §. *ceterum*, *De vsuc. l.* 8. *De vi & vi arm.* amoueri & purgari, si ea res ad non dominum redierit qui deiectus est, quod longe abhorret à iure: & probabilius est Iulianum quemadmodum priore loco dixit, incipere precario possidere, & posteriore dixisse, incipere etiam pro emptore possessionis dominium capere, atque ita pro suo non pro vi possesso, vt *l. si fur*, *in pr. de vsuc.* nec scripsisse, *incipere etiā pro emptore posse dominium capere.* quæ locutio etiam dura & inelegans est, incipere posse capere, confecta ex tribus infinitiuis. Denique illud, posse, decurtatam esse possessionis vocem. Hanc vero lectionem si admittas, & recte ponas etiam dominum vi deiectum, à quo si prædo rem vi possessam emerit & pro tradita habuerit, desinit vi possidere & incipit possidere pro emptore, ac res non ab ipso quidem quia dominus est, sed ab alio quandoque vsucapi potest quasi purgato peruasionis vitio, vt *l. quamuis*, *De fur. l.* 4. §. *tunc*, *De vsuc.* Non nego tamen quod in domino, idem etiam in bonæ fidei possessore dici posse *l. serui* §. *vlt. De fur.*

Cap. XIV.

An res pupilli vsucapi posset.

PRobo distinctionem Irnerij inter rem mobilem & immobilem. Rem pupilli immobilem non posse vsucapi, *l. bonæf. De adq. rer. dom.* quę palam scripta est de re immobili cum de fructibus sit qui à solo separantur, non de mobili. & male in ea Bas. pro pupilli, publica, quanquam publicam quoque rem non posse vsucapi verum sit. non est autem mirum si res pupilli immobilis non possit vsucapi, cum nec longo aut longissimo tempore adquiri, *l. 3. C. de præs. 30.* Et recte, pupilli: nam res adolescentis etiam immobilis vsucapi potest, sed non cum effectu. Res item pupilli mobilis, quod ex contrario demonstrat *l. 4. § si pupilli, De vsuc. & l. qui fundum §. si tutor, Pro emp.* quæ loquuntur de re pupilli furtiua. ergo de mobili. quia rei immobilis furtum non fit. & cum dicunt, rem pupilli furtiuam non posse vsucapi, ex contrario argumentum præbent, aliam rem pupilli mobilem quę furtiua non sit vsucapi posse. Vnde & sic accipiam quod M. Tullius ait 1. *ad Att.* de tutela legitima, in qua sit puella, nihil vsucapi posse, rem immobilem certe non posse, sed neque mobilem sine omnium tutorum auctoritate, vt idem in *Orat. pro Flacco* ait, nihil posse de tutela legitima deminui (quo verbo etiam vsucapio significatur vt in edicto Ex quibus causis maiores & in S. C. de petitione hereditatis) sine omnium tutorum auctoritate, atque adeo Valeriam, de qua in ea Oratione agitur, vsu vxorem fieri siue vsucapi non potuisse sine tutorum omnium auctoritate. Constat etiam alienam quamcumque rem à pupillo bona fide possessam vsucapi posse etiam si vænierit quasi pupillaris bonę fidei emptori in facto erranti iusta ex causa *l. 2. §. tutor & §. si à pupillo, Pro emp.* Itemque vsucapionem cœptam aduersus defunctum qui postumum heredem reliquit impleri posse priusquam postumus nascatur, & heres existat *l. etiam ei qui, De minor.* quia aduersus defunctum non aduersus puerum impleri videtur. interim enim hereditas defuncti personam sustinet, non heredis futuri.

Cap. XV.

Coniuncta l. ignorantis, De procur. cum §. procuratorem l. 2. Pro emp.

VT tutor ex auctione rerum pupillarium quam ipse facit rem à pupillo bona fide possessam quã eius esse putat emere, & pro emptore vsucapere potest, quia non deteriorem sed meliorem pupilli condicionem facit qui se emptioni vltro offert, vt necesse nõ sit quasi domi nato emptore diutius expectare aut lõgius petere alium emptorem *l. 2. §. tutor, Pro emp.* ita procurator qui ex mandatu domini auctionem facit rerum ad eum pertinentium, ex eadem auctione sibi rem emere potest, quia & hoc casu eadem ratio vtilitatis subest, quod non si & deterior domini condicio si propius habeat emptorem, pluribus sub hasta licentibus, si & ipse liceatur cui auctionem proponendam mandauit, & tandem emat sibi, *d. l. 2. §. procuratorem*, vbi mox idem omnino traditur dici posse de procuratore voluntario qui absentis & ignorantis negotia gerit, vt scilicet ex auctione rerum eius quam facit in rem eius, cum forte expedit res eius quasdam distrahi potius quam seruari, quod tẽpore perituræ aut mora deteriores futuræ sint, aliquid plus licendo emere possit. Si, inquit, negotia domini gerens ignorantis, emerit. Sic malo hodie, ignorantis, quam ignorans: nam & huic loco applicandum est quod ex eodem libro Pauli vnde est *d. l. 2.* relatum est in *l. ignorantis De procur.* ignorantis domini per procuratorem deteriorem condicionem fieri non debere. & hoc casu scil. vt idem Paulus dixit in *§. tutor*, non fieri deteriorem, si proximum non longe quæsitum dominus negotiatorem nanciscatur emptorem. vnde apparet in *d. §. procuratorem*, priorem partem esse de procuratore scientis & mandantis, posteriorem de procuratore ignorantis.

Cap. XVI.

Locus explicatus in l. 7. §. 1. De iniuriis.

HÆc verba *l. 7. §. 1. De iniuriis, rectius igitur fecerit si huiusmodi actionem non dederit*, Accurs. ita male interpretatur, Rectius facturum prætorem si prius actum sit iudicio priuato iniuriarum ex prætoris edicto, Quod venenum datum sit hominis occidendi causa, si non dederit publicum iudicium ex lege Cornelia de sicariis & veneficis; quia his verbis, Rectius facturum, significatur in potestate esse prætoris dare iudicium publicum finito ante facto que iudicio priuato, sed rectius facturum si non dederit. id autem esse in eius potestate falsum est. quia siue prius publico, siue priuato actum sit aliud consumitur, *l. 6. eod.* eo quod vtrumque vindictam persequitur, & bis eandem rem in iudicium deduci æquitas non patitur. Verum mens illius loci hæc est. Posse quidem prætorem iudicium priuatum iniuriarum præferre publico ex S. C. vel ex *lege Cornelia de iniuriis* vel *de sicariis*, vel ex *lege Iulia de vi*, sed rectius facturum si non prætulerit, ne publico prę iudicium fiat, quod potius priuato prę iudicium facere conuenientius est. Et hoc idem vult *l. 4. Ad leg. Iul. de vi pr.* cum ait, moderatius edicto prætorio vtendum esse, id est actione priuata iniuriarum, si quis cœtum concursumve fecerit quo minus quis in ius produceretur, vel si de seruo alieno iniussu domini quæstionem habuerit, ne præiudicium fiat iudicio publico ex lege Iulia de vi, quod prę ferri æquius est, atque ita publico priuatum consumi, non priuato publicum. quem etiam locum tam Græci quam Latini perperam interpretantur, quasi in eo suadeat Paulus vt ex supradictis causis agamus potius prætoria actione iniuriarum, quasi leniore & moderatiore, quam iudicio publico ex lege Iulia. Bas. κάλλιον ὃ ἐστὶ τῇ τοῦ ὕβρεως ἀγωγῇ ὡς μετειωτέρᾳ χρεῖν.

Cap. XVII.

Emendata quadam in tit. De reb. auct. iud. poss.

LIb. v. *Sententiarum* Pauli post *tit. de eff. sent. & fin.* tit. fuit titulus, *De rebus auctoritate iudicis* possidendis, ex quo in *l. vlt. D. eod.* relata hæc sententia est, *Pupillus si non defendatur in possessione creditoribus constitutis, minoribus ex his vsque ad pubertatem alimenta præstanda sunt.* Sed per quam deprauate, nec enim bene coït oratio hæc, *Pupillus præstanda sunt.* & illud, *minoribus*, etiam importunum est. Etiam Tribuniani ætate Pauli sententiæ deprauatę circumferebantur. Restituenda hæc est in hunc modum, *Pupillo si non defendatur in possessione bonorum creditoribus constitutis, ex his vsque ad pubertatem alimenta præstanda sunt.* Ex his scil. bonis, vt *l. 33. in pr. eod. tit.* ex qua &, *Si non defendatur*, accipe, ex suo contractu. quo casu interim bona quidem eius possideri, sed non etiam vænire possunt *l. 6. Quib. ex cau. in poss.* In eodem tit. *l. 4. Si seruus*, inquit,

ſub condicione heres inſtitutus ſit, aut dubium ſit, an is heres liberque futurus ſit. Separat ea quæ idem ſunt prorſus. nam & cum ſeruus à domino ſub condicione heres inſtitutus eſt, dubium eſt an is heres liberque futurus ſit, *l.* 11. *De leg.* 2. propter incertum condicionis *l. ſtatuliber, De quæſt.* Mihi videntur prioris, *ſit*, duæ poſteriores literæ iterandæ hoc modo, *Si ſeruus ſub condicione heres inſtitutus ſit, ita vt dubium ſit*, &c. cuiuſmodi errata ſunt frequentia in his libris, & in aliis quoque aliorum auctorum.

CAP. XVIII.

Multum intereſſe pœnalis actio dicatur, an pœnæ nomine dari vel concipi.

ACtio pœnalis dicitur ex qua actor præter rem fert etiam pœnam, vel ex qua fert pœnam ſolam. Pœnę autem nomine concipi vel dari non etiam pœnales eſſe dicuntur actiones quędam, ex quibus nihil actor præter rem conſequitur, id eſt, quanti eius intereſt, vt *l.* 9. §. *vlt. De reb. auct. iud poſſ. l. vlt.* §. *ſi à ſocero, Quæ in fraud. cred.* quia in hoc dantur potiſſimum vt puniant factum rei, *l.* 9. *Quod fal. tut. auct.* huiuſmodi eſt actio de dolo, & quę ex dolo debitori datur actio in factum aduerſus creditorem miſſum in poſſeſ. bon. qui deteriorem fecit poſſeſſionis cauſam, & quæ etiam ex dolo actio in factum aduerſus falſum tutorem ei qui ignorans cum pupillo contraxit, & actio ſimiliter Quod iudicij mutandi cauſa, quæ etſi dicatur non eſſe pœnalis *l.* 5. §. *vlt. ſup.* tamen pœnę nomine concipitur, vt & ſuperiores pœnę nomine concipiuntur, pœnales vero non ſunt, aut, vt interpretes loquuntur, pœnales tantum ſunt ex parte rei. Idem dici non poteſt de condictione amotarum vel furtiuarum rerum. nec enim pœnę nomine concipitur, puta in hoc vt puniat factum rei, ſed in hoc tantum vt actor rem ſuam recipiat, & ideo anno non finitur *l.* 21. §. *hæc actio, Rer. amot.* Superiores anno finiuntur.

CAP. XIX.

Perſequi videtur & qui ſatis accepit.

QVod Paulus de magiſtri nomine ſcribit in *l.* 57. *De ver. ſig.* quia reſpicit ad venditionem bonor. debitoris quæ publice per creditores fiebat magiſtri carmine triſti, qui qua lege quaq; condicione debitor periret pronunciabat, quod erat ignominioſum, & multò honeſtius bona vænire per curatorem bonis diſtrahendis à prætore conſtitutum *l.* 5. *De cur. fur.* putem & quod ſubiicit eodem loco, Perſequi videtur & qui ſatis accepit, ad eam cauſam poſſidendorũ vænumque dandorum bonorum pertinere, & ſpecialiter referendum eſſe ad id quod eodem libro Paulus ſcripſit *l.* 14. *De reb. auct. iud. poſſ.* creditorem miſſum in poſſeſſionem conuentum actione in factum ex edicto propoſito initio *l.* 9. *eod. tit.* debitori reſtituere debere quod ex bonis debitoris conſecutus fuerit, vel ſi nondum quidquam cõſecutus fuerit, actiones ſi quas nactus ſit ei debere præſtare, vt puta ſi ab emptore vel conductore fructuum ſatis acceperit. Creditori enim miſſo in poſſeſſionem venditio incumbit, & locatio fructuum *l.* 8. §. 1. *& ſeq. eod.* Et cedere igitur debet actiones quas ex venditione aut locatione fructuum ſibi parauit. quia & is perſequi, id eſt, conſequi videtur qui ſatis accepit. Perſequi pro conſequi, vt §. *Cum in ſuo ſolo, Inſtit. De rer. diu. Si non fuerit duplum iam perſecutus*, & §. *de his, Per quas per. cuique adq. Quod extra eas cauſas perſecuti ſunt*, & *& in* §. *ſunt præterea, Inſt. De action. Non ſemper ſolidum quod nobis debetur perſequi-* *mur*, quod ibi Th. λαμβάνομεν, & paulo poſt conſequimur. & ita Acc. in *l.* 7. *De ſid. lib.* perſequatur accepit pro conſequatur. Contra quoque conſequi pro perſequi iure iudicioque eſt notum in *l. filium, Ad leg. Iul. de adult.* Vindictam enim proprij doloris conſequitur, pro quo Dorotheus: τὸ γὰρ δικαίως πάνυ ἐκδίκησιν ἀπαιτεῖ. Idem etiam eſt adſequi apud Ciceronem: *Actio*, inquit, *iniuriatum non ius poſſeſſionis adſequitur.*

CAP. XX.

Non omne quod licet honeſtum eſt.

NOn omne quod licet honeſtum eſt. Quid hæc regula commune aut propinquum habet cum ea quæ ſequitur, in ſtipulationibus id tempus ſpectatur quo contrahimus? Licet vnicuique quod ſibi iure & pure debetur petere & exigere quocumque tempore, ſed poſt bona debitoris poſſeſſa, quæ poſſeſſio generaliter & in rem ſemper permittitur etiamſi vnus tantũ ex creditoribus eam poſtulauerit, *l. cum vnus, De reb. auct. iud. poſſ.* non eſt honeſtum tamen præripere ceteris, cum iam condicio omnium creditorum par facta eſt, *l.* 6. §. *Sciendum eſt, Quæ in fra. cred. Non debuit*, inquit, *præripere ceteris.* Potuit, ſed non debuit. Vitare hoc debuit, nõ vt illicitum (nec enim eſt illicitum) ſed vt pudendum: & ideo non totum quod accepit retinebit, ſed reuocabitur ad portionem quam ceteri creditores bonis venditis laturi ſunt. Et quæ huic adiicitur regula, In ſtipulationibus id tempus ſpectari quo contrahimus, in eandem quæſtionem incidit de reuocandis his quæ in fraudem creditorum geſta ſunt, nẽpe incidunt in eam differentiæ inter ſtipulationes & legata quæ nexæ ſunt omnes inter ſe. Actionem Paulianam pertinere ad reuocandam ſtipulationem, In annos ſingulos dari, *l.* 10. §. *per hãc actionem, Quæ in fr. cred.* non item ad reuocandum legatum relictum in annos ſingulos. Stipulatio vna eſt & pura. Legatum multiplex & cõdicionale dempto primo anno, *l.* 4. *De an. leg.* quæ eſt ex eodem libro ex quo illæ regulæ depromptæ ſunt. In ſtipulatione tempus ſpectatur quo contrahitur. In legato tempus quo dies legati cedit. Item quámuis legato relicto ſub cõdicione & herede mortuo pendente condicione, heres heredis teneatur ex teſtamento, quod & ex eodem libro Pauli proponitur in *l.* 65. *De cond. & dem.* idemque iuris ſit in ſtipulatione condicionali, mortuo tamen legatario pendente cõdicione, quod veroſimile eſt nec Paulum eodem libro omiſiſſe, ius legati in heredem eius non tranſmittitur, & ius ſtipulationis tamen tranſmittitur in heredem ſtipulatoris.

CAP. XXI.

Eius anni quo finitus eſt vſus fr. pro rata temporis quo in eo anno conſtitit fructus deberi fructuario heredive eius.

QVod docui 4. *Feudorum* & in Mercatore fructus omnes eius anni quo finitus vel amiſſus vſusfructus eſt diuidendos eſſe inter dominum & fructuarium heredemve eius pro rata temporis quo vſusfructus eo anno conſtitit ex *l. ſi operas, De vſufr. l.* 5. §. *vlt. Si vſuſf. pet.* explicata *l. defuncta, De vſufr.* quę obſtare videbatur, idem etiam aperte confirmat *l.* 32. §. *pen. De vſuf. leg.* qui poſita ſpecie huiuſmodi, Matrem heredem ſuum rogaſſe vt emeret prædia quæ ferrent annua eorumque vſumfructum præſtaret filio ſuo præterito, in prædia inducto eo fruendi cauſa, & prędia ſibi ab herede tradita filium locaſſe & nondum finita locatione vita deceſſiſſe, ſtatuit reliqua colonorum quæ vice fructuum ſunt deberi heredi filij nõ he-

redi matris, ad quem rediit vsusfructus. Reliqua, inquam, quia etsi ea nondum filius exegisset cum vita decessit, tamen ei à colono debebantur in diem finiti vsusfructus. itaque etsi forte ab herede matris exacta ei quæsita videantur, ab eo tamen heredi filij contribuenda sunt. Domini adquisitio non eximit onere contributionis. nam & fructus quorum dominium quis adquisiuit alij ex causa contribuere tenetur, exempli gratia, fructus qui pendebant diuortij tempore & à muliere percepti sunt, mulieri adquiruntur, & tamen eos marito contribuere tenetur. Confirmat & hoc quod dico de fructuario *l. 18. §. vlt. De stip. ser. & l. si quis domum* §. 1. *Loca.* & mera æquitate subnixum est.

CAP. XXII.

Ad initium l. VII. De seruit. & aliquot alias leges.

VT pomum mihi in alieno agro decerpere, vt spaciari, deambulare, cœnare in alieno liceat, seruitus imponi non potest, *l. 7. De seruit.* non certe seruitus prædialis, de qua est ille titulus. quia nihil ea res ad vtilitatem, vel amœnitatem, vel habentiam prædij mei pertinet. Sed neque seruitus personalis, quia nec vsui vel fructui ea facultas decerpendorum pomorum vel spatiorum faciendorũ in alieno similis est, & quæ non his duabus seruitutibus personalibus similiter adsimilantur seruitutes personarum non sunt, verum conuentio huiusmodi; tamen vt mihi liceat ex tuo agro pomum decerpere vel in tuo spatiari, cœnare, iusta est & obligationem parit si forte in venditione fundi excepero, vt mihi ex eo pomum decerpere vel spatiari & cœnare liceat. nam & ita quamuis vt in mari piscari non liceat, neque in rem neque in personam seruitus imponi possit, si tamen venditor qui duos fundos maritimos habebat in venditione vnius hanc legem dixerit ne contra alium fundum quem retinebat piscatio thynnaria exerceretur: emptor in hoc obligatur heresque eius ne vt conuenit contra eum fundum thynnariam piscationem exerceat, iudicio ex vendito vel ex stipulatu si venditioni subiecta stipulatio fuerit, quæ est sententia *l. 13. Com. præd.* vbi piscationem thynnariam vel specialiter accipe vel generaliter, quam exercent qui latine cetarij dicuntur & græcè θυνοσχόποι. nam & cete Latini & thynnos cum Græci tum Hebræi dixerunt maiora piscium genera, imo & maiora quæque animalia etiam terrestria. Eadem vero ratio interuenit & seruatur in specie *l. 12. De an. leg.* ex prædiis longe dissitis certo pondere annuo salicis & arundinis relicto aliis prædiis, quia etsi nec seruitus personalis iure constituta videatur propterea quod non vsumfr. reliquit testator, sed ex fructu prædiorum libras pondo aliquot, nec seruitus prædialis, quæ inter prædia tantum adfinita aut adsita proxime locum habere potest, obligatur tamen ex testamento is qui rogatus est præstare arundinis & salicis quæ dicta sunt supra. Sic & in specie *l. vlt. §. vlt. De cont. emp.* quæ est eiusmodi. L. Titius promisit de fundo suo prædiis Gaij Seij stipulatoris C. millia modiorum frumenti annua. post L. Titius fundum vendidit hoc dicto se eum vendere quo iure quaque condicione hodie esset. Quæritur an emptor annuæ prestationi frumenti obnoxius sit? quod Scæuola negat, quia scilicet neque realis neque personalis seruitus constituta est per quam prædia L. Titij seruiant prædiis Gaij Seij vel G. Seio, sed contracta tantum obligatio in personam L. Titij & heredis eius, à qua non potest recedere. denique non potest transire in emptorem qui huic rei obnoxius non est, A ne fundi quidem empti nomine: quia nec fundus ille hanc pensitationem debet. nam illa verba, de fundo, demonstrant tantum vnde frumentum sumendum sit non etiam ius fundo imponunt, & congruit plane *d. §. vlt. cum d. l.* 12.

CAP. XXIII.

Ad l. 8. §. 2. De vac. mun.

VEterani vacationem habent à decurionatu & ab omnibus honoribus & muneribus personalibus, vacationem à tutelis & curationibus, à nauium B fabrica & ab exactione tributorum, *l. 7. De vac. mun. l. 2. & 5. De veter. l. vlt. §. pen. De mun. & hon.* Sunt autem hæc personalia priuilegia quę nec ad liberos eorum transeunt. & recte Papin in *l. 8 §. vacationum De vac. mun. Vacationum priuilegia non betant liberos veteranorum*, Recte, inquam, vacationum priuilegia. nam alia priuilegia transeunt etiam ad liberos veteranorum, *l. 3. De veteran.* Rectè item Florentini, non vetant pro non betant, id est non transeunt, non expetunt in liberos veteranorum. Ex nostris auctoribus soli Papiniano amicum est prisca aduti verba. Solus dixit insuperhabere, solus betare, solus fini peculij, *l. debitor, De compens.* fini legitimæ vsuræ, *l. 1. §. pacto, De pignor.* fini quadrantis, *l. 15. §. cum fideic. Ad leg. Falc.* fini relictæ pecuniæ, *l. 26. in pr. Quand. dies leg. ced.* fini virilis partis, *l. 3. De do. col.* vt M. Cato, Radicibus fini, Ansarum infimarum fini.

CAP. XXIV.

Locus Platonis expressus in l. 1. §. item sciendum 1. De aqua & aq. pl. arc.

ACtio aquæ pluuiæ arcendæ datur vicino superiori aduersus inferiorem, si forte fossam agro siccando quam in suo inferior vicinus habet non repurget, & ex restagnatione eius aqua superiori noceat, *l. 2. §. 1. & §. apud Namusam, De aq. & aq. pl. arc.* itemque inferiori aduersus superiorem, si forte superior fuerit omissior in repurganda fossa, qua aqua in inferiorem agrum descendit, *d. l. 2. §. apud Ateium* Et sic in *l. 1. §. item sciendum 1. eod. tit.* eodemq; prorsus modo in Platonis legibus Georgicis, superiori in inferiorem hæc actio datur si inferior aquam quę natura fluit opere facto inhibeat per suum agrum decurrere, μὴ διδοὺς ἐκρεῖν, vt Plato ait. & contra inferiori in superiorem si superior aliter aquam mittat in inferiorem fundum quam fluere natura soleat μεθεὶς εἶχῃ τὰ ῥεύματα. Cum eiusdem quoque Platonis prudentia congruit quod est in *l. pen. De reb. auct. iud. pos.* permissa creditoribus possessione & venditione bonorum debitoris, excipiendam esse concubinam debitoris & liberos naturales: quibus addi possunt etiam cetera, quę debitori per quam necessaria sunt, vt sit in generali pignoratione omnium bonorum, *l. 6. 7. 8. De pignor.* & in generali ac libera administratione peculij, *l. 46. De pecul.* nam & ita Plato *lib.* XII. τὰ τῶν ὀφείλοντ' ἐχέγγυα τῷ νικήσαντι πάντα ἀποδιδότω χωρὶς τῆς ἀναγκαίων κεκτῆσθαι.

CAP. XXV.

Si quis ius dicenti non obtemperauerit.

EDicto Si quis ius dicenti non obtemperauerit, quod vetus & translatitium esse in eius interpre-

tatione adducta Labeonis auctoritas probat, pœnalis actio proponitur qua omnibus magistratib. pro potestate iurisdict. defendere licet exceptis magistratibus municipalib. qui etiam manũ militarem non habent propriã, qua rem qua de agitur duci vel ferri iubeant. in hoc enim edictum incidit is qui quod extremum est in iurisdictione non facit, quod Vlp. *lib. 1. ad edictum* declarauit proposito exemplo huiusmodi, *Si quis*, inquit, *rem mobilem vindicari à se passus non est, sed duci vel ferri passus est, hic scilicet ius dicenti obtemperasse videtur.* præcisa enim oratio illa est. Ceterum si & sequentia recusauit, hoc est, si & rem duci vel ferri, si possessionem transferri passus non est, si restitit manui militari per quam transferri à condemnato possessio in eum qui causam tenuit solet, & executio fieri decreti, quod est extremum iurisdictionis, tunc non obtemperasse videtur. Denique qui initio iurisdictionis non paret, vt puta qui rem à se vindicari non patitur, qui conuentus frustratur & moratur, extremo tamen paret. i. qui rem abduci vel auferri patitur, obtemperasse videtur. Contra qui huic extremo & summæ iurisdictioni non paret, licet paruerit exordio lite contestata & præstitis cautionibus vulgaribus, non obtemperasse videtur. Extremum iurisdictionis vocat vltimam lineam. & terminum iurisdictionis, quod consistit in euictione rei qua de agitur. Et non reus tantum cum quo de re mobili actum est rei vindicatione vel ad exhibendum in hoc edictum incidit, sed etiam actor si forte non patiatur rem abduci vel auferri quam dare damnatus est absoluto reo. nam & in quæstionibus Papinianus definiuit iudicem non tantum reum absoluere, sed etiam actorem condemnare posse, vt faciat vel det aliquid, quámuis in formula actionis hæc verba, *condemna eum index*, rei non actoris condemnandi & consequenter etiam absoluendi potestatem faciant. Datur autem ex hoc edicto actio in reum vel actorem, actio in factum non id quod interest, sed quanti ea res est. i. quanti contumaciam puniri non obtemperantis ius dicenti, iudicis à se dati sententiæ exequendæ causa, publice vtile est, quæ pœna cum edicto definita non sit, religioni ius dicentis æstimanda relinquitur, nec spectatur ergo quantum actoris interest. quia etsi nihil interest actoris, locum habet, cum sit popularis, perinde atque ea quæ continuata serie ei in edicto coniuncta est actio Albi corrupti, quę & similiter vindicat contemptam ius dicentis potestatem, itemque actio Quod quisque iuris in alterum statuerit. qua de causa etiam ex hoc edicto post annum actio non datur nec in heredẽ, iuxta generalem definitionem Vlpiani, quam & eodem libro cum hoc edictum interpretaretur exposuit, Omnes populares actiones neque post annum neque in heredem dari. Si tamen plures sint qui ea experiri velint, idem eodem libro definit, eum esse præferendum cuius interest, vel heredem scilicet eius. nam etsi nulla popularis actio detur in heredem, datur omnis tamen heredi eius cuius interest. Verũ concluderetur etiam ab eo cuius interest hæc actio non ad id quod interest, sed ad meram pœnam. quæ vel hoc vel quolibet alio agente vtrum partienda erit inter actorem & fiscum vt plerumque fit in popularibus actionibus, an inter actorem & eum cuius interest, vt fieri oportere Plato censuit in actione suspecti tutoris, quæ etiam popularis est.

CAP. XXVI.

Non esse verum quod vulgo Doctores dicunt, prouisionem hominis elidere aut tollere prouisionem legis.

EX *l. 1x. De an. leg.* intelligimus etiamsi legatariis testamento prospectum sit speciali pignore, quod petere & possidere ex causa fideicommissi possint legatorum seruandorum causa, non idcirco minus posse etiam prætorium pignus constitui in ceteris rebus hereditariis, legatariis scilicet missis in possessionem omnium rerum hereditariarum, forte propter inopiam herede non implente satisdationem legatorum. Cum pignore igitur testamentario concurrere prætorium posse, nec alio aliud perimi. denique cautionem testatoris non tollere vulgarem cautionem legatorum introductam prætoris edicto. Itaque non esse verum quod vulgo iactatur à Doctoribus, prouisionem hominis tollere prouisionem legis, quod nec ex eis qui eruditiores sunt admiserint temere. nisi forte legis cautio maior pleniorque non sit ea quam adhibuit homo. nam si plenior sit cautio legitima, neque mens mea hæc est vt eam mihi auferam minuscula quadam cautione mea, neque eam mihi quisquam alius contra ius publicum sua cautione auferre possit. At in specie *d. l. 9.* prętorium pignus testamentario plenius est. constituitur enim in omnibus rebus, quæ in causa hereditaria sunt, dolove malo heredis esse desierunt, testamentarium vero in vna re tantum. idcirco prouisio testatoris non tollit prouisionem legis. & ad id quod vulgo iactant comprobandum nihil facit *l. vlt. C. de pac. con.* quia in eius legis specie non concurrit prouisio legis, vt loquuntur, cum prouisione hominis. De expressa enim & tacita hypotheca ibi agitur, qua mulier contendit res mariti sibi obligatas esse pro paraphernis: & vbi cauta est expressa, ostenditur non concurrere tacitam, & retro tacitæ locum esse, ita demum si non concurrat expressa. Non concurrunt igitur. & consequenter non elidit alia aliam. Porro argumento *d. l. 9* Dynus tentat non male etiam legatariis à testatore constituto speciali pignore nomine legatorum, posse eos in ceteris rebus hereditariis exercere ius tacitum pignoris quod eis Iustinianus dedit. nec enim id ante Iustinianum obtinuit. & longe errat Accursius qui *l. 4. De separat.* accipit de illo pignore tacito, quæ est de prætorio. idemque longius in *l. 5. §. postquam, Vt in poss. leg.* dum ait legatarios hodie iure taciti pignoris præferri creditoribus chirographariis testatoris defuncti, quia toto iure cantatum est, vt Impp. quidam loquuntur, legata non deberi nisi deducto ære alieno, ne ex testamento militis quidem.

CAP. XXVII.

Ad l. 34. Fam. erc.

PROpria & vera species *l. 34. Fam. erc.* est huiusmodi. Quidam duobus heredibus scriptis Gaio & Mæuio, Gaium sub condicione rogauit hereditatem Sempronio restituere. Pendente condicione fideicommissi heredes sumpserunt arbitrum familiæ erciscundæ. is seruos qui in hereditate erant æstimatos Gaio in solidum adiudicauit ea lege qua adsolet, vt Męuio vicissim Gaius numeraret pro parte quam in eis seruis Męuius habuit pecuniam certam. hique serui postea apud Gaium vita defuncti sunt, post mortem autem eorum extitit cõdicio fideicommissi. Quęritur an Sempronio Gaius ex causa fideicommissi seruos aut pretium eorum restituere teneatur, quod Sempronius intendit quasi Gaio perierint nõ sibi, eo quod Gaius eos emptionis iure possederit, & emptori æquum sit cuique rem emptam perire non alij. At verius esse Papinianus statuit pro parte ex qua Gaius defuncto heres extitit, Sempronio seruos deperiisse, vt *l. mulier §. sedenim, Ad Treb.* quia eam partem Gaius empti iure non possedit, pro parte autem Mæuij co-

heredis, quam empti iure possedit tam Gaio quam Sempronio deperiisse, Gaio pro quadrante Falcidiano, Sempronio pro dodrante, vt recte Græci interpretantur his verbis, ἵνα τὸ μὲν τέταρτον τῆς ζημίας ὁ κληρονόμος ὀπυιῶ, τὸ δὲ ἥμισυ τέταρτον ὁ φιδεϊκομμισσάριος & καταδέξηται, non soli Gaio, nimirum quia eos seruos pro ea parte non emit simpliciter, sed diuisionis causa. alio iure est emptio simplex, alio emptio diuisionis causa sicut de donatione est proditum in *l. si fil. a §. si pater, Fam. erc.* & de emptione dotis causa, *l. quotiens, De iu. dot.* emptio simplex est voluntaria, emptio per iudicationem iudicis, necessaria, *l. si pignore, Fam. erc.* hęc non tam emendi quam diuidendi causa fit. Et qui simpliciter emit, res empta perit in solidum, ei qui per adiudicationem, res adiudicata, vt puta serui adiudicati & certo pretio adscripti, vt Pap. loquitur, *d. l. 34. & Paulus l. quæsitum §. peto, De leg. 3.* non ei soli pereunt cui adiudicati sunt, sed & fideicommissario, vt supra exposui. quod confirmat etiam *l. deducta §. ante diem, Ad S. C. Trib* quem exponam *cap. vlt. & l. cum pater §. hereditatem, De leg. 2.* Vulgus in ponenda specie *d. l. 34.* fingit duos heredes scriptos. & per fideicommissum seruos Titio legatos sub condicione & arbitrum familiæ erciscundæ pendente condicione, eos seruos vni ex heredibus adiudicasse in solidũ cum sua causa, admissa licitatione eius, qui tamen pretium quo seruos licitus erat coheredi non soluerit statim, sed cauerit dumtaxat se id soluturum si deficeret condicio fideicommissi, atque adeo si non essent fideicommissario præstandi serui. Et seruis mortuis pendente condicione, eos periisse tam heredi cui pretium licitationis cautum est quam fideicommissario. & fideicommissario quidem quasi fideicommisso peremptore extincta suspensa condicione, vt *l. necessario §. 1. De per. & com. rei vend.* Heredi cui de pretio licitationis recautum est, quia id ei deberi desiit. Ceterum heredi cui adiudicati sunt non periisse. quia etsi videatur eos emisse, non tamen emptionis principaliter sed diuisionis negotium gessit. Si simpliciter, inquiunt, emisset, ei periissent, & pretij nomine coheredi teneretur. itemque si in diuisione emisset spem, id est, dubium condicionis euentum. quamobrem hęc verba Papiniani, Seruos non emendi animo, sic accipienda censent, non animo emendi ſ. ē. Multæ autem sunt rationes & magnæ quæ nos hanc interpretationem aspernari cogunt. primum quia pretium licitationis solui semper solet statim, auctio & licitatio fieri pręsenti pecunia, græca fide, punica fide, *l. à D. Pio §. sed si emptor, De re iud.* iuxtà illud Varronis δὸς ἐν λάβε, quod feruere dixit omnino nemine fidem habente cuiquam. quomodo & quamlibet emptionem impleri præcipit Plato, μηδ' ἐπὶ ἀναβολῇ. Ei autem qui licitatione vicit & rem abstulit, solet caueri de indemnitate, *l propter, Fam. erc.* non ipse cauere. Et cauisse etiam ipsum de pretio Papinianus non ponit, nec quidquam etiam de spe empta, sed de seruis emptis diuisionis causa. Præterea licet ita res gesta sit, vt illi fingunt, falsum tamen hoc est, mortuis seruis pretium non deberi, quia quod ex stipulatione debetur certis modis iure proditis deberi desinit, inter quos ille modus non est. Postremo verba illa, *Tam heredi quam fideicommissario*, vt collatio fideicommissarij suadet, de herede accipienda sunt, qui fideicommissum debet & de fideicommissario cui debetur, de herede cui serui adiudicati sunt, non de herede cui pretium deberi confingunt. & consequenter non de fideicommisso seruorum illo loco agitur, de fideicommisso hereditatis siue χρῆ ὁμάδα, vt ibidem Græci ponunt recte. nam si in fideicommisso soli serui essent, fideicommissario soli periissent, non etiam heredi, Falcidia non interueniente, quæ non semper A interuenit in fideicommisso singulari, semper interuenit in fideicommisso vniuersali. quamobrem dicitur seruorum periculum commune esse heredis pro quadrante, & fideicommissarij pro dodrante.

Cap. XXVIII.

Actionem simpliciter pro condictione indebiti.

SI quis mandatu interueniente vel non interueniente nomine creditoris minoris xxv. annis pecuniam exegerit sine iudice & pertulerit ad minorem, quia si forte pecuniam ad se perlatam minor perdiderit in integrum restitui potest aduersus solutionem, B auctore Papiniano in *l. 3. Rem rat. hab.* prudentius fecerit debitor si ex conuentione interposita stipulatione vulgari Ratam solutionem dominũ habiturum, propter incertum restitutionis in integrum addiderit ei hanc clausulam, Si dominus in integrum restitutus fuerit, quanti ea res erit tantam pecuniam dari. Dico, ex conuentione, quia non nisi ex conuentione extra iudicium hæc cautio interponi potest, *l. interdum, eod. tit.* nec item illa clausula vulgari cautioni de rato adstrui & adnecti potest nisi ex conuentione. Ceterum si non conueniat, inquit, id est, si omissa fuerit vulgaris cautio de rato habendo, & creditor minor C xxv. an, non consentiat, id est ratum non habeat quod procurator exegit actionem debitori dari oportebit aduersus procuratorem, id est condictionem indebiti vt *l. creditoris, C. de cond. ind.* quæ interposita illa cautione vtique cessaret, *l. fi sine, & l. vlt. §. vlt. Rem rat. hab.* Et sic in *l. 5. §. 1. De censib.* inuenio eundem auctorem actionem accepisse pro condictione indebiti, cuius quidem § sententiam quam glossæ non adsequuntur & hoc loco adstruere opere duco. Sententia hęc est: Heredi qui ex causa fideicommissi vel legati prædia restituit aut soluit non habita ratione tributorum, hoc est non exacta à legatario cautione soluendi tributi, quod iam prædia fisco debere cœperant, in legatarium ex rescripto Pij Antonini competere actionem, id est, condictionem indebiti, quasi plus debito soluerit, vt *l. si quis cum à fideic. De cond. ind.* Ante D rescriptum D. Pij heres habebat retentionem tantum, non repetitionem. Ex quo sequitur, tributorum præteritorum nomine heredem qui prædia non possidet à fisco conueniri posse omisso legatario qui prædia possidet, quia ea possedit heres eo tempore quo dies tributorum cessit, eaque ipse debere cœpit, *l. cum seruus §. heres, De leg. 1.* nec liberatus est.

Cap. XXIX.

De literis dimissoriis.

LIbelli dimissorij qui & litteræ dimissoriæ & apostoli dicuntur, pro quo in idiotismo, *des postes*, E vnde & veredariis quasi apostolis nomen, dicuntur & relationes, *l. iudicibus, l si appellationem, C de appel.* mittuntur à iudice à quo appellatum est appellatione recepta ad eum quem reus actorve condemnatus appellauit quibus totius rei cognitionem in eum transfert. Ad *l. 5. C. eod.* in Basil. ita definiuntur, ἀπόστολοι καλοῦνται δι' ὧν ἡ ἔφεσις τοῦ δικάσαι μεταδίδοται τῷ μέλλοντι κρῖναι τὸν ἔκκλητον. Erant autem olim petendis, accipiendis & reddendis apostolis præscripti dies quinque, auctore Paulo in Sententiis, & post redditos apostolos intra alios quinque dies erat cauenda pœna in hunc casum, si appellator appellationem deseruisset, vel si eum non iuste appellasse pronuntiatum esset, datis fideiussoribus, vt id em scribit. Hodie

etiam nemine petente mitti apostolos oportet, & nulla de appellatione exequenda cautio exigitur, *l. 6. §. vlt. C. eod. l. 29. 31. 34. C. Th. eod.* & ex Constitutionibus apostolis dandis reddendisque præscripti dies xxx. *l. iudicibus, C. eod.* sed arbitrio iudicis multatur qui temere appellauit, *d. l. 6. §. ne temere*, & specialiter qui non receptam appellationem executus est nec obtinuit, *l. à procoss. C. eod.* & qui ab executione vel interlocutione, quæ etiam appellatio recipi non debet, *l. 5. C. quor. app non rec.* Neque vero quod diximus hodie apostolis dandis reddendisque præscriptos esse xxx. dies, ei quidquam obstat quod ait *d. l. 6. §. vlt.* apostolos dari sine aliqua dilatione, quia hoc ita excipi debet sine dilatione moratoria aut frustratoria, vt *l. 1. C. de relat.* Legitima dilatio non est frustratoria. Obseruanda igitur est, aut qui eam non obseruauerit id est qui intra xxx. dies non acceperit & reddiderit apostolos, prescriptione opposita ab agendo repellitur, videlicet si per eum steterit quo minus acciperentur & redderentur, non si per iudicem, *l. 1. De lib. dim. l. si appellationem, C. de appell.* non si per tabellarium cui apostoli perferendi dati sunt, *l. 5. C. eod.* His enim casibus succurritur ei qui appellauit etiam tardius redditis apostolis, vt ab agendo non repellatur. Et hic curæ pretium erit exponere sententiam *d. l. si appellationem*, quoniam Accursius eam non tenuit. Differentiam lex facit inter iudices & arbitros, iudices vocans eos qui ex ordine iudicant, id est, magistratus, arbitros eos qui ex delegatu, & iudices quidem si non recipiant appellationem vel si recipiant, sed apostolorum copiam non faciant, lex dat ei qui appellauit ad præf. prætorio vel præf. vrbi annum integrum ad contestandum & expostulandum iniuriam iudicis, & ad conueniendum aduersarium qui priori iudicio vicit, vt *l. vlt. C. Th. de rep. app.* quæ cum illa *l. si appellationem*, coniungenda est, ad conueniendos eos quos pulsat intentio. Perperam Accur-aduersarium id est iudicem. Et quod ex sententia prolata, id est ex die prolatæ sententiæ annum numerari, ille quoque perperam, propter sententiam prolatam. Si appellatum non sit ad amplissimos præfectos, sed ad inferiores iudices, lex dat sex menses tantum. Quod si arbitri non recipiant appellationem aut denegent apostolos, lex appellanti ad eandem rem præscribit iv. menses, ita vt post contestationem iniuriæ currere incipiant tempora introducendæ appellationis.

Cap. XXX.

Interdum pro emptore vsucapionem procedere, etiamsi nulla sit emptio, nulla traditio.

VEra est Sabini sententia ne possessionem quidem naturalem quam iure aliquo possidet pupillum sine tutoris auctoritate alienare, vel amittere posse, *l. pupillus, De adq. rer. do. l. possessionem, De adq. pos.* nam etsi corpore possessione discedat, non ideo amittit possessionem naturalem aut ciuilem, quia nec alius quisquam solo corpore possessionem amittit si ab ea amittenda mens aliena sit. nec est quod tam anxie laboret Accursius in *l. 2. §. si à pupillo, Pro emp.* quem sententiæ Sabini valde aduersari putat, eo quod ibi dicatur rem alienam à pupillo bona fide possessam & ab eodem sine tutoris auctoritate venditam ac traditam bonæ fidei emptori qui eum existimabat esse puberem forte ipso fingente se puberem esse aut speciem & conspectum habente puberis, omniumque opinione existimato pubere, quæ iustissima est erroris causa, pro emptore vsucapi posse: quia etsi mero iure venditio nulla, tamen iustus error emptoris facit vtilitate id exigente negotiorum gerendorum, vt qualis qualis venditio illa & traditio emptori possessionis & vsucapionis præbeat occasionem, ac proinde amissa possessione etiam intendendæ actionis Publicianæ quę de his tantum rebus competit quæ vsucapi possunt. Nec igitur semper vbi nulla alienatio est, nulla emptio venditio, nulla traditio, & nulla quoque vsucapio est. nam etsi à furioso rem alienam quam ante furorem bona fide nactus erat bona fide emero & accepero cum existimarem compotem eum suæ mentis esse eo quod sub vmbra quadam quietis occuleret se væsania illius quamuis nulla sit emptio vt ait *d. §. si à pupillo*, constitit tamen inter omnes rem ab eo emptam me vsucapere posse, propter eandem vtilitatis rationem, ne cuiquam iustus error noceat, quę ratio etiam valet in specie *l. 11. & vlt. eod. tit.*

Cap. XXXI.

An in pace aut induciis postliminium sit.

SErui hostium fiunt non hi tantum qui bello cāpiuntur sed & qui cum in pace ad exteros peruenissent eo tempore quo subito bellum eis indictum est, apud eos deprehenduntur, & his quidem qui bello capti erant. in pace postliminium non est, id est, si tempore pacis redeant, statum pristinum non recipiūt, videlicet si de eis nihil in pactis comprehensum est in pactis pacis. Pactio pacis non vna sed multiplex pactio est. Cicero *Phil. 13. In qua pactio pacis lex sit seruitutis.* Quæ Ciceronis verba Lampadius vsurpauit in senatu, pace cum Alaricho pacta, auctore Zosimo *lib. v.* Si igitur in pactis pacis conuenerit vt quidam captiui redderentur, his in pace postliminium est, vt *l. 28. De cap. & postl.* non etiam his de quibus in pactis nihil comprehēsum est vti redderentur. Vnde & in *l. 12. eod.* illo loco, *In pace autem his qui in bello capti erant de quibus nihil in pactis erat comprehensum*, aut legendum est, *de quibus id in pactis comprehensum*, nempe vt his esset ius postliminij, aut sane precisa illa oratio est, quę sit explenda his verbis subintellectis, *non est postliminium.* cui similis ἔκλειψις est in *l. vnica, Si quis ius dic. non obtemp.* & ratio subiecta cur in pace non sit postliminium, hanc precisionem siue reticentiam aperit satis, quia spem reuertendi ciuibus in virtute bellica magis, quam in pace Romani esse voluerunt. Non placet interpretatio Accursij, de quibus in pactis nihil actum est in contrarium, puta, ne his ius postliminij esset: quia hęc interpretatio supponit, In pace postliminium esse, quod est falsum, cum nec inducіarum tempore, quod speciem quamdam pacis habeant postliminium sit, *l. 19. §. 1. eod. tit.* Et hæc de his qui bello capti erant, à quibus merito separantur hi qui in pace ad Parthos aut Germanos exempli gratia, peruenerant, & ibi suo fato deprehensi, tempore indicti belli; atque ita iam hostium iudicatorum potiti erant, quoniam his postliminium est tam in pace quam in bello, nisi fœdere, inquit, cautum sit, ne esset his ius postliminij. fœdere, id est pactione pacis. nam & fœdera vt Procopius scribit, *lib. vltimo De bel. Vandal.* Romani dixerunt τὰς περὶς πολεμίους σπονδάς.

Cap. XXXII.

Ad initium l. VI. de S. C. Sil.

EX S. C. Silaniano hereditas eius qui à familia sua occisus esse dicitur, non potest adiri, neque bonorum eius possessio peti, antequam de familia publica

blice quæſtio habita ſit quæ ſub eodem tecto fuerit A vel, vt loquebantur vno verbo, ſuffuerit eo tempore quo dominus occidebatur. alioquin hereditas adita vel agnita ante quæſtionem de familia habitam ſumptumque ſupplicium caduca fit. Liquere prius debet dominum ſcelere interemptum, deinde quæſtionem haberi, nec tamen temere credendum eſt domino, occupante eum morte, qui ſe à ſeruo illo vel illo occiſum dixit, niſi potuerit & probari, *l.* 3. §. 1 *de S. C. Sil.* quia potuit hoc perturbatus & errans dixiſſe, vt *l.* 22. *eod.* ſed ſi certum eius rei iudicium dederit, proculdubio credendum ei eſt. At etſi certus ſit percuſſor domini, Paulus ait initio *l.* 6. *eod.* non ideo minus habendam quęſtionem de familia, nempe, vt cædis mandator primus, itemque ſecundus ſi quis ſit inueniatur. Sic enim hæc verba *d. l.* 6. accipienda ſunt, Et ſi certus ſit percuſſor, tamen habenda eſt quęſtio, de familia ſcilicet, non vt gloſſa ait de percuſſore, quoniam de percuſſore ſubiicit eum maxime quęſtioni dari vt prodat mandatores, qui & ipſi perinde atque percuſſor puniendi ſunt, quamuis, inquit, & ceteri quoque puniantur, ceteri ſerui qui ſub eodem tecto fuerunt & auxilium non tulerunt, non, vt gloſſa ait, ceteri mandatores. Certus autem percuſſor eſt qui confitetur, qui etſi de conſciis interrogari & torqueri non poſſit, *l. repeti, De quæſtion. l. vlt. C. de accuſ.* de mandatore tamen interrogari poteſt, *l. prius, De S. C. Sil.* Conuictus de quolibet. Puto autem vitioſam eſſe inſcriptionem *d. l.* 6. nam & primam illam ſententiam legi inter Pauli Sententias in vetuſtiſſimo libro, & ſecunda quoque eiuſdem legis ſententia extat in *lib.* 111. *tit. eodem.*

CAP. XXXIII.

De patriæ ratione varia.

PAtria alias dicitur ciuitas certa, *l. liberto* §. *Lucius. De an leg. l.* 3. §. 1. *De mun. & hon. l. vnica, C. vbi pet. tut.* alias prouincia vt apud Salluſtium, Hiſpaniam ſibi patriam eſſe. Ciuitas, inquam, vel prouincia, ex qua quis oriundus eſt, quæ Ciceroni patria germana, patria naturæ, vel in qua vt ciuis exceptus eſt, D quæ eidem patria ciuitatis. Dico oriundus proprie: quia naturalis origo patris patriam facit, *d. l. vn. l. aſſumptio* §. *filius, Ad mun.* non origo propria, *l.* 3. *C. de mun. & honor.* quaſi ſcilicet patria dicta à patre, vnde & in Caro Vopiſcus recte Romanum interpretatur Roma oriundum, qua appellatione & in iure noſtro notatur ſemper origo paterna, non origo propria & natale ſolum. An igitur prouincialem facit origo patris? Sic ſane. non tamen vt & qui Romæ conuenitur poſſit originis ſuæ quam à patre ducit prouinciam reuocare ſi & ibi domicilium non habeat. nam, vt definit *l.* 190. *De ver. ſig.* naturalis origo patris prouincialem non facit ſine domicilio. At contra prouincialem domicilium facit ſine origine. Denique quod ad hanc cauſam attinet, prouincialis non eſt qui ex prouincia oriundus eſt ſimpliciter. ſed qui ex prouincia oriundus eſt, ibique domicilium habet, vel ſimpliciter qui ibi domicilium habet. i. qui ibi ſedem omnium rerum ac fortunarum ſuarum collocauit, quę patria incolatus dicitur. Aliud eſt domicilium ſiue domus, aliud origo. Vopiſcus in *Bonoſo, Bonoſum domo Hiſpanenſem eſſe, origine Britannum.* nec rurſus idem prorſus domus & domicilium. Plautus *Mercatore, Oſtium hoc mihi domicilium eſt. Athenis domus.* quia non vbi domus nobis, & domicilium quoque eſt ſemper, *l* 17. §. *ſola, Ad municip.* contra vbi domicilium, & domus quoque.

CAP. XXXIV.

Ad l. Re coniuncti, De leg. 3.

PAulus ſcribens ad legem Iuliam & Papiam tractauit de coniunctis heredibus legatariiſve, quia fiſco cuius gratia potiſſimum illæ leges perlatę ſunt ſi moriatur heres aut legatarius viuo teſtatore vel ante apertas tabulas, qua ex cauſa teſtamento relicta in cauſa caduci vel caduca plerumque fiunt, prę fertur is B qui mortuo re coniunctus fuit, quæ ratio etiam efficit vt ſub titulo de caducis tollendis Iuſtin. de cõiunctis ageret. Docuit autem Paulus triplici modo coniunctos intelligi, alios eſſe coniunctos re & verbis, quos ſcilicet rei & nominum complexus iungit, variis exemplis propoſitis, *l.* 142. *De ver. ſig.* alios re tantum quibus ſeparatim eadem res legata: Primo fundum Tuſculanum do lego, Secundo fundum Tuſculanum do lego, alios verbis tantum, quibus coniuncta oratione eiuſdem, ei partes legantur: Primo & Secundo fundum Tuſculanum ex æquis partibus do lego, *l. re coniuncti, De leg.* 3. quæ reſidua portio eſt *d. l.* 142. Hi ſemper habent partes. i, quocumque genere legatum eis ſit relictum, & non tantum concurſu, ſed etiam ab initio. Reliqui ab initio ſolidum habent ſinguli; C concurſu partes faciunt. & ob id inter reliquos eſt ius adcreſcendi, quia ſi duo ſint, exempli gratia, coniuncti re, aut re & verbis, non concurrente vno, ſolidum remanet apud alterum, & adſcreſcere vtique & in lucro eſſe videtur vni quod ei non præripit alter. At inter nudis verbis coniunctos non eſt ius adcreſcendi, *l.* 1. *in pr. l. pen. De vſuf. adc. l.* 66. *De her. inſt.* ſed pars non capientis in hereditate remanet iure antiquo, quo vtimur ſublata lege Papia, exemplo coniunctorum re & verbis per damnationem, quos etiam ab initio partes habere conſtat. & id quidem dicimus de verbis tantum coniunctis, quos celeritatis ſtudio teſtator coniunxerit. nam ſi conſulto conſilio, coniuncti verbis tantum, ex mente teſtantis etiam re coniuncti videntur, & inter eos verſatur ius adcreſcendi, vt *l.* 16. §. *vlt. De leg.* 1. Et re quidem propalam verbiſque coniunctum Paulus docuit omnimodo præferri D ceteris quibus eadem res aut eiuſdem rei partes quoquo modo legatæ ſunt, quia præcipua & ſumma coniunctio hæc eſt. Præferri igitur re tantum coniuncto, vt ſi quis ita legauerit: Primo & Secundo fundum Tuſculanum do lego, Tertio eundem fundum do lego. deficiente Primo, portio eius adcreſcit Secundo ſoli, non Tertio, *l.* 1. §. *idem ait, De vſufr. adc.* Sed vtamur alio exemplo. Primo & Secundo illum fundum lego, Tertio eundem fundum lego, Quarto eundem fundum lego, Quinto & Sexto eundem fundum æquis partibus lego. Deficiente Primo proculdubio ſoli Secundo adcreſcit, & contra deficiente Secundo, E ſoli Primo. Deficiente Tertio adcreſcit omnibus, quia & omnes deficienti re coniuncti ſunt in totum, vel in partem. Deficiente Quinto cui Sextus verbis tantum coniunctus eſt, quæſtionis eſt an adcreſcat ſoli Sexto. *Et magis eſt*, inquit Paulus, *vt & ipſe præferatur.* Addidit, *&*, vt oſtenderet hanc eſſe ſententiam: Non tantum re & verbis ſed & verbis tantum coniunctum præferri ceteris, Sextum igitur præferri, quia pro vtroque modo coniuncto habetur quaſi non temere, ſed data opera Quinto & Sexto à teſtatore vna oratione coniunctis. Voluntatis quidem eſſe quæſtionem, quia poſſit non tam eos coniunxiſſe quam celeriter dixiſſe. At in dubio ſane vel coniunxiſſe eos vel non fruſtra coniunxiſſe homo ſanus videtur.

Cap. XXXV.

Adinitium l. Mæuio, De leg. 2.

NEque vero ab eo quod constituimus superiore capite verbis tantum coniunctum præferri ceteris omnibus non minus quam re & verbis coniunctum, nos quidquam dimouet *l. Mæuio, De leg. 2.* nam vt mittam Doctorum traditiones, quæ meæ ætatis tempus & in hac parte iuris & in ceteris quoque omnibus absumpserunt male, quorumque adeo fastidio teneor, vt tamen non tam me pœniteat eorum falsæ doctrinæ operam dedisse, quam feruidam illam & capitalem ętatem non collocasse in hæc, quæ mihi Deus patefecit studia vera. Vt igitur illa sophismata mittam, in specie *d. l. Mæuio*, Mæuius & Seius verbis coniuncti non sunt, & ideo deficiente Seio pars eius non soli Męuio adcrescit, sed etiam Titio. quia cum lex dicat aperte separatim partes legatas Męuio & Seio, non sunt igitur coniuncti verbis, & consequenter in illis verbis testatoris, Mæuio fundi partem dimidiam, Seio partem dimidiam lego, est ζῦγμα χῦ ἑκλῆψιν, & res pro eo ac si dixisset, Mæuio fundi partem dimidiam lego, Seio partem dimidiam lego. Verborum coniunctio nominum coniunctio est. Nomina Mæuij & Seij non coniunxit. non sunt ergo verbis coniuncti. Denique omnes inuicem re tantum coniuncti. Deficiente Seio & Titio, dicerem nihil adcrescere Mæuio, quia dimidiam tantum eum habere testator voluit. & verissimum, excessu dumtaxat interueniente iuri adcrescendi locum esse. obscure hoc à me & contra morem, sed quod iuuat quærendum relinquere. Eadem vero est ratio *l. 29. De stip. ser.* aliquin singulis dominis quinque dumtaxat deberentur, *l. 37. eod.*

Cap. XXXVI.

Differentia quædam inter ius commissi & ius ϖϱοπμήσεως.

EX Marcello siue ex *l. 3. Quib. mo. pig. sol. & l. 4. §. Sed & Marcellus, De in diem add.* intelligimus, si fundus certo pretio vænierit ea lege vt si quis intra certum diem vberius pretium offerret, fundus ab emptore abiret, & traditum sibi fundum emptor pignori dederit, postea vberiore pretio oblato & fundo reuocato à priori emptore, pignus quod prior emptor contraxit, extingui. Sed si fundus vænierit hoc modo, nisi intra annum emptori displicuerit, & interim fundum emptor pignori dederit, & mox emptio ei displicuerit, hoc casu pignus non extingui, ne sit in potestate eius qui pignus contraxit id perimere & decipere creditorem suum. Facto alterius qui pignus non contraxit. veluti facto eius qui meliorem condicionem offert, perimi, non etiam facto eius contraxit. vnde nec si rem emptam & ab emptore pigneratam, emptor redhibeat venditori ob vitium aliquod latens, pignus extingui placet, *l. bouem §. pignus, De adil. ed.* Ex his vero rectissime Bartolus in *d. l. 4. §. sed & Marcellus*, definit vendito fundo sub lege eiusdem fundi venditori reuendendi post certum tempus, & interim ab emptore fundo pignori obligato, post reuendito & redempto fundo ex lege venditionis, pignus euanescere, quia non facto emptoris qui pignus contraxit venditio rescinditur, sed facto venditoris, qui ex lege venditionis agit. At si in venditione fundi fraudatus sum plus quam dimidia parte iusti pretij & prius quam eo nomine agerem de rescindenda venditione, emptor eum fundum pignori obligauerit, postea rescissa venditione pignus non finiri,

A quia cum in potestate fuerit emptoris fundum retinere supplendo iustum pretium, facto eius quodammodo pignus finitum videretur. Verum ad hæc quæri potest, an etiam pignus finiatur quod emphyteuticarius contraxerit si fundus iure ϖϱοπμήσεως ad dominū redierit, forte emphyteuticario fundum extraneo alienare volente. & verius est, non euanescere. nam vt eodem pretio fundum dominus emit iure ϖϱοπμήσεως, extraneo excluso, ita par & consequens est vt & illum eodem iure accipiat quo extraneus accepturus erat, id est cum sua causa. & hac in re differentia est inter ius commissi & ius ϖϱοπμήσεως: nam si iure commissi fundus emphiteuticarius ob non solutum vectigal ad
B dominū redierit, pignus ab empheuticario cōtractum euanescit, quoniam creditori imputatur cur vectigal non soluerit pro debitore, vt & debitori rem simul & sibi pignus conseruaret. quod *l. lex, de pignoribus*, significat illo loco, si in exolutione vectigalis tam debitor quam creditor cessassent. Prædio autem ad dominum retracto iure ϖϱοπμήσεως, quod alij emphyteuticarius vendere parabat, nihil est quod creditori cui id emphyteuticarius oppignerauerat imputari possit, quia nullum ipse huic iuri dominico impedimentum vllamve moram adferre potuit.

Cap. XXXVII.

C

An procurator in rem suam ante & post litem contestatam nomine domini, vice mutua conuentus suo nomine compensare possit quod domino actor debet.

SI procurator absentis conueniatur ob proprium debitum, non potest actori compensare quod is absenti debet, sed id tantum quod sibi vice mutua debet, *l. eius, C. de compens.* Compensatio enim est computatio vice mutua debitæ quantitatis. & è contrario si debitor conueniatur à procuratore creditoris, non potest compensare quod sibi is procurator debet, sed id tantum quod vice mutua debet is cuius nomine
D conuenitur, vt in tutore responsum est, *l. pen. eod.* & hæc in procuratore constituto in rem alienam vera sunt indistincte, siue litem iam procurator contestatus sit nomine absentis siue non. At in procuratore in rem suam veluti emptore aut donatario nominis, distinctione temporis vtendum videtur, ac si videlicet hic procurator post litem contestatam nomine domini conueniatur ob proprium debitum, compensare possit quod domino actor debet, non si conueniatur ante litem contestatam ex contrario argumento ducto à *l. 18. De compens.* & adiuncto hoc colore, quod etsi datus sit procurator in rem suam non ante intelligatur res sua esse & sibi suo nomine deberi quasi creditori principali quam litem inchoauerit vt suam. At merito obiicit aliquis. Imo & ante litem contestatam
E res eius est, cum & suo nomine vtilem actionem habeat, *l. procuratore, De procurat, l. 1. 6. 7. C. de oblig. & act. l. vlt. C. quan. fis. vel pr.* nec possit reuocari *l. quæ omnia §. vlt. De proc.* alioquin reuocaretur donatio vel emptio nominis, quod fieri nequit, & errat hac in re glossa vehementer in *d. l. 18.* à qua etiam nihil facit *l. 3. C. de nouat.* quam adducit, quia non de procuratore est dato in rem suam, sed de procuratore in rem alienam qui tribus dumtaxat casibus reuocari non potest. item in rem suam procurator datus alium procuratorem ad agendum quasi principalis creditor facere potest, & transmittit actionem ad heredem suum, *l. illam, C. de donat.* nec his omnibus est quod reponere possim. Itaque melius est statuere, procuratorem in rem suam etiam ante litem contestatam compensare posse id quod domi-

no debetur, Et quod ex contrario argumentum præbet, *d. l.* 18. id ita diluere ac si in *d. l.* 18. proponatur tantum difficilior casus, quo dubitari poterat an etiam id quod iam per iudicem petitum est lite contestata quamuis incertus sit iudicij exitus, compensari possit. sed non minus tamen id compensari posse si modo certa sit causa debiti, *l.* 3. *De tut. & rat. dist.* quam quod nondum petitum est, vt *l.* 8. *eod.* alioquin deterior esset condicio eius qui litem contestatus est contra regulam iuris. Et hac in re igitur maxime distat procurator in rem suam à procuratore in rem alienam. neutro enim hic tempore, vt dixi, compensare potest quod domino debet is qui ab eo pecuniam debitam petit, ille potest vtroque.

CAP. XXXVIII.

Ad l. 20. De reiud.

LEx *xx. De reiud.* perinet ad differentiam quam Modestinus docebat esse inter personas quæ eius condicionis sunt vt à certis quibusdam quibus obligati sunt non in solidum, sed in id duntaxat quod facere possunt conueniri & condemnari possint: quales sunt, parens, patronus, maritus, socius, donator, filius exheredatus vel emancipatus, vel qui se paterna hereditate abstinuit. hi namque aduersus filium vel nepotem ceterosque liberos & aduersus libertum, aduersus vxorem, aduersus socium, aduersus donatarium, aduersus creditorem cum quo contraxere priusquam sui iuris fierent, hoc habent priuilegium vt in id dumtaxat quod facere possunt conueniantur. ac primum quidem docebat maritum quo cum agit mulier, in id quod facultates eius ferre possunt conueniri & condemnari siue mulier agat de dote, vt *l.* 17. *eod. tit.* siue ex aliis contractibus. Si de dote agat, hoc esse ex iure antiquo, & ex natura iudicij rei vxoriæ vt non damnetur maritus nisi quatenus eius facultates patiuntur, §. *cum autem, C. de rei vx. act.* Si ex aliis contractibus agat, hoc esse ex Constitutione D. Pij qui locus singularis est. Et in eo Modestinus recte, *Ex contractibus.* nam ex delictis maritum vxor condemnat in solidum, *l.* 52. *eod. l.* 21. §. *vlt. Rer. amot.* Et ex contractibus intellige non omnibus quidem, sed ex his tantum qui habiti sunt constante matrimonio: nam ex contractibus habitis post solutum matrimonium, recte Albericus sentit virum tanquam extraneum vxori in integrum damnari oportere, ex *l. diuortio, De neg. gest.* vt filius exheredatus vel emancipatus ex his tantum contractibus in quantum facere potest condemnatur qui cum eo contracti sunt dum erat in familia patris, *l.* 3. *Quod cum eo &c. l.* 5. *Ad Maced.* Sed Alberici sententiæ addenda exceptio est, nisi contractus habitus post solutum matrimonium sit appendix vel accessio obligationis principalis contractæ in matrimonio, vt si diuortio facto vir constituerit se soluturum quod in matrimonio mulieri debere cœperat, *l.* 3. *De const. pec. l. qui id quod, De don.* Extremam autem hanc clausulam *d. l.* 20. Quod & in persona mulieris seruari æqua lance æquitatis suggerit ratio, Tribunianus appinxit, cuius verba vt secernere possimus à verbis legum & iuris auctorum, longus vsus, longa meditatio, & in veste sudata sæpenumero mihi obfirmatus animus fecit effecitque vt legitimum sonum digitis calleamus & aure. Ex sententia igitur Tribuniani siue Iustiniani quemadmodum ab vxore maritus nulla ex causa quæ modo cœperit in matrimonio condemnari potest supra quam facere possit, ita nec vxor à viro, quamuis ratio iuris quæ hoc induxit in viro, nempe reuerentia quæ ei exhibenda est, *l. alia* §. *vlt. Sol. mat.* cesset in vxore cui parem reuerentiam maritus non debet. nec video igitur æquitas quænam illa sit quam suggerere dicit: vt idem demus mulieri quod viro, nec enim æqualis est vtriusque reuerentia. Et quod ad rem ipsam attinet, inter Iurisconsultos fuit quidem controuersum, an mulier quæ conuenitur à marito ex promissione dotis, idem beneficium haberet, & magis placuit eam quoque ex ea causa non posse condemnari supra facultates, *l. ex diuerso, Sol. mat.* nempe quasi sociam omnis vitæ, non posse, inquam, condemnari ex causa quæ ex illa societate descendat, velùti ex causa dictæ vel promissæ dotis. ex aliis vero causis quæ non ex illa societate dependent, etiam non condemnari eam supra facultates nusquam est proditum, nisi loco illo suspectissimo, qui & à Basilicis abest. Verum quæ ratio efficit vt nulla ex causa quæ originem cœperit in matrimonio vel ex matrimonij causa maritus ab vxore conueniatur in solidum si in solidum soluendo non sit, nempe honor & reuerentia marito debita, eadem quoque idem efficit in parentibus & patronis vtriusq; sexus. quia & eæ personæ liberis & libertis venerandæ sunt. Donator autem cui non debetur reuerentia idem priuilegium non habet, nisi cum ex causa donationis conuenitur, non si conueniatur vt debitor ex alia causa aliove contractu. Quod donationis causa promisit, ab eo auare non exigitur in solidum, & donatori similis est socius: nam & hic non aliter hoc priuilegio vtitur quam si actione pro socio conueniatur, *l.* 16. *eodem tit.*

CAP. XXXIX.

Quod de vini legato Vlpianus l. 9. De trit. vino leg.

VT in olei legato omne continetur quod ex olea natum est, ita legato vini, omne quod ex vinea, si modo & vinum permanserit: nam si admixto melle mulsum fiat, coctum vel incoctum non continetur, nisi & de eo testator senserit. & tamen œnomeli continetur. nec enim aliud est œnomeli quam vinum dulcissimum auctore Vlpiano, *l. 9. De trit. vino leg.* sine vlla mixtura mellis vel saporis alterius, sed sic dicitur œnomeli vt melimella poma dulcia. Idem ait conditum non contineri vini appellatione, nisi alia mens testatoris fuerit. Separat ergo conditum à mulso quod tamen Latini quidam, vt Cælius Aurelianus, imo & Græci idem esse putant, vt & plerique idem esse mulsum & œnomeli. Sed nos Vlpiano credimus magis. Conditum est species potionis quæ ducitur ante cibum cibi appetentiæ lacessendæ causa, sicut absynthiatum & rosatum & violatum, & ex Ætio, Athenæo, Nicolao intelligimus conditum esse vinum aromaticum. quod piperatum dicit Plinius, & extat de condito Palladæ epigramma quo id cum laboraret ex stomacho sibi conficere medicum rogat. Addit Vlpianus vini appellatione Zythum non contineri, quod quid sit explicat his verbis, Quod in quibusdam prouinciis ex tritico vel hordeo vel panico conficitur, ex solo scilicet tritico vel hordeo vel panico expresso in liquorem & cum aqua decocto. id significatur his versibus leoninis, nec tamen illepidis monachi manu tenentis tritici spicas: *Me piget hoc esse cum sit potare necesse Vinum de messe quod nos consueuimus esse.* Lego autem *panico*, quod mel frugum appellauit Diocles medicus, pro eo quod vulgo, *pane.* Quis enim vnquam audiuit ex pane confici Zythum? Zytho adiungit Vlpianus camum & cerueſiam, quæ potiones etiam ex coactis frugibus, verum non solis, sed ad

mixtis lupulis vel ſorbis vel arbutis. Seruit s his verbis, *Fermento & acidis imitantur vitea ſorbis*, ceruesiam ſignificari. & de camo ſatis est, quod Simeon Ianuensis qui insertus est Pandectis Matthęi Syluatici, camum fieri ex hordeo & aliis frugibus, & Fucam Arabicè vocari, vulgo in Gręcia vocabatur Phocadium, & esse ceruesiæ speciem. & alio loco. *Ceruesia*, inquit, *camum, foca.* & alio, *Camum, sicera, potus factus ex hordeo & aliis rebus calidis, vt zinziber & similia quæ ponuntur in testaceis parvis bene obturatis, & cum aperiuntur salit in altum & vocatur ceruesia.* His addit Vlp. etiam hydromeli quod est aqua mulsa quæ vetustate vini saporem adsequitur, & vinum quoque appellatur, vt & superiores omnes liquores, neque tamen vini legato continetur, quia nec his quidquam admiscetur vini vitigeni. qua ratione & cidoneum non continetur, quod fit ex succo cydoneorum, nec piratium aut pomatium, quod confusa notione nominum vulgo cœpit appellari Zythum siue Zytrum. Ad hæc vero comprobanda ita argumentari licet. Si vinum quod vinum non permansit, non continetur vini appellatione, nec vinum igitur quod nunquam fuit vinum, quodve vini nūquam in se habuit quidquam. Et in specie, si mulsum quod fit ex vino & melle, si conditum quod fit ex vino & pipere vel aliis aromatis, vini appellatione non continetur, & multo minus Zythum, camum, ceruesia, cydoneum. Et rursus si ex potiones vini appellatione non continentur quamuis bibantur in vini vicem, & multo minus continebuntur liquores qui non bibuntur, sed conditurę loco sunt, vt acetum, quod scilicet ab initio fuit acetum quia id habetur non bibendi, sed condiendi causa vt sit intinctus seu embamma, *d. l. 9. §. si acetum, & l. 9. §. vlt. De cont. emp.* eademque ratione defrutum, quamuis mustum sit dulce igne multo decoctum & pinguefactum, aut sapa, quæ est alia defruti species, vtraque vulgo resinatum etiam confusa notione & proprietate nominum, vini appellatione non continetur, id nempe quod conditurę loco est. nam quod potionis loco vt *l. vlt. De trit. vi. leg.* id vtique vinum est, vt & œnomeli & passum quod ex vuis passis sole siccatis ante vindemiam certa quadam ratione exprimitur, quo vtebantur mellis vice, vt Palladius scribit, & acinaticium, quod longe post vindemiam hiemali tempore ex vuis diu suspensis & rugosis, qua ex re id Cassiodorus hiemale mustum, vuarum frigidum sanguinem, in rigore vindemiam. Hæ, inquam, potiones sunt proprie vina. Sed & illæ quas diximus vini nomine proprie non contineri vini legato continebuntur, si eas testator vini numero habuerit, vt *l. 1. & 2. eod.* Mitto cetera quæ de hac re scribi possent. Hæc sufficiunt vt appareat quam iure ab Athenæo Vlpianus, κατάπλους ὀνομαποιήσας.

Cap. XL.

Quid sit vsus, quid casus in l. Deducta §. ante diem, Ad Treb.

INitio §. *ante diem l. deducta, Ad Treb.* ostenditur heredem post tempus rogatum restituere hereditatem imputare in Falcidiam fructus medio tempore perceptos & vsuras vel pensiones exactas à debitoribus hereditariis, vel à conductoribus prędiorum hereditariorum, quarum dies postea, id est, post mortem testatoris medio tempore cessit antequam cederet dies fideicommissi. quæ sententia si adnectatur vt oportet superiori §. inde perspicuum fiet, Papinianum fructus medio tempore perceptos & vsuras ac pensiones quæ etiam pro fructibus habentur imputasse in Falcidiam, non etiam partus ancillarum, editos similiter medio tempore, contra quam sentiat Paulus *l. 24. §. 1. Ad leg. Fal.* Et sequitur in eodem §. *ante diem*, non posse fideicommissarium obiicere heredi quod medio tempore res hereditarias non distraxerit, atque ita quas percipere poterat vsuras maximas ex pretio rerum hereditariarum non relegerit, si dolus heredis absit, vt *l. mulier § sed enim, eod.* Proinde non teneri eum fideicommissario perinde ac si vsuras percepisset quas percipere potuisset propter vsum medij temporis, vel in hoc vt eas imputet in Falcidiam quasi perceptas. Tantam diligentiam ab herede non exigi non esse æquum heredem inuitum fideicommissario procurare, *l. postulante in fi. eod.* Et nota ex illo loco, *propter vsum medij temporis*, vsuras inferri propter vsum sortis, vnde nomen. Vsura igitur est incrementum quod sorti accedit propter vsum. Et additur tiamsi medio tempore mancipia hereditaria sua morte functa vel prædia vrbana exusta sint casu fatali, huius rei nomine heredem fideicommissario non teneri, vt *d. §. sed enim, l. 3. in pr. De inst vel instr. leg.* Imo etsi prædia hereditaria vsucapta sint sine facto & culpa heredis, eo etiam nomine heredem non teneri, *d. § sed enim in fi.* Verum vt in extremo *d. §.* ante diem Papinianus ait, periculum mancipiorum vel prædiorum vrbanorum quæ de hereditate exierunt morte vel incendio, vel alia vi maiore, vel vsucapione sine culpa heredis, totum quidē non pertinet ad heredem, sed commune est inter heredem, & fideicom. nam & Falcidia heredis minuitur & dodrans qui fideicom. restituendus est, vt *l. 34. Fam. erc.* Et hoc est quod ait, Vsum & casum mancipiorum & prædiorum vrbanorum non tantum dodrantem, sed etiam quadrantem deminuere. Vsum vocat vsucapionem vt *l. denique, & l. seq. & l. ait prætor, Ex quib. cau. ma.* Casum vero damnum fatale, Vsum & casum, quod S. C. de petitione hereditatis, deminutum & deperditum itemque edictum. *Ex quib. cau. mai.* cuius initium emendari debet in Flor. vt sit hoc modo, *Si cuius quid de bonis deminutum erit*, vt *l. 2. C. de rest. mil.* & in Bas. ἐὰν μέρους τὰ πράγματα τῆς ἀρχῆς. Hæc interpretes non intellexerunt.

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XXV.

A

CAPVT PRIMVM.

Multum intereſſe, obligatio contrahatur ad tempus vitæ eius cum quo contrahitur, an ad tempus vitæ ſtipulatoris vel alterius.

OBLIGATIO quæ confertur ad tempus vitæ promiſſoris, nec ciuili, nec prætorio iure improbata eſt, quia hoc modo obligatio contrahitur in perſonam, *l penult. de fideiuſſor.* & tempus inſeritur non tam vt tempore, quam vt perſona concludatur & finiatur obligatio. At quæ confertur ad tempus vitæ ſtipulatoris, veluti *Decem annua quoad viues dare ſpondeo, vt l. 56 §. qui ita, De verbor. oblig.* vel ad tempus vitæ alterius, vt ſi quis intercedat pro L. Titio, *quoad Titius vixerit*, vt *l. ſi mandatu Titij §. ille, Mandati.* non ſpectant aliud, quam vt tempore finiatur obligatio: quod ipſo iure fieri non poteſt ſine beneficio exceptionis prętorię, *l. 44. de oblig. & act.* & in ſpecie *d. §. ille*, ne beneficio exceptionis quidem, quia eius qui pro Blæſo interceſſerat apud creditorem, quod Blæſus debitor principalis viueret, mora viuo adhuc Blæſo perpetuarat obligationem, vt *l. ſi ſeruum §. ſequitur, de verb. oblig.*

CAP. II.

Ad l. 5. De act. empt.

IN *l. 5. De act. emp.* quo loco Paulus ait heredem, qui falſo exiſtimans ſe eſſe damnatum rem aliquam ſuam vel hereditariam vendere, vendidit, ex empto conueniri non poſſe: quoniam doli mali exceptione actor ſummoueri poteſt, forte pro Ex empto, ſcribendum eſt, Ex teſtamento, quoniam certum eſt ex empto agi non poſſe: & ſummoueri eum qui agit ex empto non exceptione doli mali, ſed ipſo iure, *l. prædia, De act. empt. l. ſi is cui vas, de furtis*, quia bonæ fidei iudiciis doli mali exceptio ineſt, *l. huiuſmodi §. qui ſeruum, De legat. 1 l. ſed etſi ideo, in fine, Sol. matr.* Et opponitur ergo ex abundanti, vt *l. tres fratres, de pactis, l. 39. in prin. famil. erciſc. l. 3. C. de except.* & vt querela potius quam vt exceptio: ſicut cum ſententia ipſo iure nulla, ex abundanti appellatio interponitur, vt Gregorius ait *cap. 1. de ſent. & reiud. I. Coll.* & querela potius quam appellatio, *l. 3. C. quando quo & iud. l. 12. C. Th. de appellat.* At is qui agit ex teſtamento, quę actio ſtricta eſt, *l. 6. de in lit. iur.* non ſummoueretur, niſi oppoſita exceptione doli mali. Itaque legendum videtur illo loco, *Ex teſtamento*, non *Ex empto*: quod & ſubiecta comparatio actionis ex ſtipulatu probat de herede qui falſo exiſtimans ſe damnatum dare, ſtipulanti legatario promiſit: qui ſi legatarius agat ex ſtipulatu, doli mali exceptione cum ſummouere poteſt,

CAP. III.

An rite contractum matrimonium ex poſt facto diſſoluatur.

QVod Theophilus ſcribit in § *ſi qua, Inſtit. de nupt.* ſi quis generum adoptauerit in locum filij non emancipata filia, vel ſi nurum non emancipato filio, nuptias diſſolui, id dictum eſt à quibuſdam, vt Thryphoninus refert in *l. penult. §. ſed videamus, de rit. nupt.* non alia certe ratione quam quod in eam cauſam res ceciderit à qua incipere nō poterat, quandoquidem maritus vxori frater legitimus eſſe cœpit. Et tamen quamuis non poſſit filius tutoris vel curatoris ducere eam quæ in patris tutela vel curatione eſt, vel fuit ante redditas rationes, tamen ſi poſt contractum matrimonium vxor in ſoceri curatione eſſe cœperit, matrimonium non diſſoluitur, *l. 3. C. de interdict. matr.* Idemque erit ſi maritum puellæ curator nondum finita cura in locum filij adoptauerit, quia adoptionem huiuſmodi impediri melius, *d. §. ſed videamus.* Idem ſi quondam vxor mea nupſerit ei quem poſtea adoptauerim, quem vtique ſi ante adoptaſſem, ei nubere non potuiſſet, *l. 12. in princ. de rit. nupt.* Et ſimiliter quamuis matrimonium contrahi non poſſit inter ſuſceptum ex lauacri ſacramento & patrem ſuſcepti, tamen ſi poſt contractum matrimonium mater filium ſuum ſciens vel ignorans ex baptiſmo ſuſceperit, non ideo matrimonium diſſoluitur, *cap. 2. extr. de ag. ſpir.* Non diſſoluitur item matrimonium contractum inter paganos, ſi poſtea fidem Chriſtianam agnouerint, licet eo gradu ſint cognati, quo Chriſtiani inter ſe matrimonio iungi non poſſunt, *C. 4. de conſ. & ad fid. C. gaudemus, de diuor.* Et in caſu etiam initio propoſito de genero adoptato non emancipata filia: vel nuru non emancipato filio, idem *Theop. in principio tit. de adopt.* ſignificat, adoptionem illam potius quam matrimonium recte contractum impediendum eſſe. Et ſane videtur hoc ius controuerſum fuiſſe non minus in hac ſpecie, quam in pleriſque aliis, in quibus non bene conſentiunt inter ſe iuris auctores, nec ſibi quoque admodum conſtant, cum quæritur, an quæ ſemel recte contracta vel conſtituta ſunt, durent, ſi ille caſus extiterit à quo initium capere non potuerunt, *l. verbis, Ad legem Falcid. coniuncta l. debitor, de legat. 2. & l. à filio, de leg. 1. coniuncta l. ſi à ſeruo, ad legem Falcid.* Et certe in hac ſpecie humanius eſt adoptionem impedire. Vno loco Theophilus ſtrictum ius ſpectat, altero æquitatem. Rem controuerſam fuiſſe patet ex verbo, *Suadetur*, quo vtitur Gaius in *l. 17. de rit nupt.* & in re controuerſa melius humaniorem ſententiam ſequi, & eam quæ matrimonium recte contractum tueatur, non quæ conuellat & faciat irritum Quæ cauſa etiam fuit Thryphonino *d. §. ſed videamus*, in alia ſpecie, puta ſi finita tutela, maritum puellæ tutor adoptauerit, nondum redditis rationibus, ambigendi, impedienda potius adoptio eſſet an matrimoniū diſſoluendum,

in id tamen inclinare videtur, vt adoptio impediatur, matrimonium consistat.

Cap. IV.

Ad l. si seruus, de adquirend. rerum dom.

POmponius scribens ad Sabinum in *l. 21. de adq. rer. dom.* refert Proculum qui diuersę sectæ fuit, differentiam fecisse inter liberum hominem & seruum alienum bona fide possessum, in eo quod liber homo, quod possessori non adquirit, id sibi adquirit. At seruus alienus quod non adquirit possessori, id non adquirit vero domino, hac ratione, quia à vero domino non possidentur. In priore specie consentientes habet omnes iuris auctores. In posteriore dissentientes Sabinianos, vt constat ex *l. cum fundus* §. 1. *de reb. cred.* cui adde etiam *l. homo liber* §. *vlt. de adquir. rer. dom.* & *l. eo tempore* §. *vltimo, de pecul.* nec immerito. nam & ratio qua nititur Proculus vitiosa est. nec enim ideo minus per seruum suum seruus adquirit, quod seruum non possideat, *l. sicui* §. *vlt. de liber. leg.* Possessionem quidem per eum non adquirit si non ipse, sed alius eum possideat, *l. 1.* §. *sed & per eum, de adquir. possess.* At dominium adquirit certe eius rei quam non adquirit bonæ fidei possessori, non quidem per longam possessionem si seruus rem acceperit non à domino, etiamsi eam acceperit ex causa peculij ad dominum pertinentis, *d. l. homo liber* §. *vlt* sed re seruo tradita à domino per possessionem quam adquirit, vtique dominium domino suo adquirit.

Cap. V.

Ad l. 4. de adq. possess.

QVod proponitur in *l. 4. de adq. poss.* tam priori quam posteriori parte de filiofam. id proponi existimo ad differentiam serui. Filiusfamil. quod apprehendit peculiari nomine, id est, ex causa peculij à patre profecti, id statim possidet pater & vsucapit etiam ignorans filium in sua potestate esse. Hoc proponitur in priore parte. nec additur idem esse in seruo, aut filiofam. non adiungitur seruus, vt plerumque solent iuris auctores vtrumque coniungere, vbi idem iuris est in vtroque. Seruus igitur quod apprehendit peculiari nomine, eius possessionem non adquirit domino ignoranti seruum in sua potestate esse. Vterque, fateor, ex causa peculiari possidet, & vsucapit patri vel domino etiam ignoranti id quæsiisse eum quod quæsiuit peculij nomine, *l. 1.* §. *item adquirimus, l. 3.* §. *saltus, de adqui. poss.* At non etiam seruus domino adquirit ignoranti seruum in sua potestate esse, cum tamen filius, vt dixi, adquirat patri etiam ignoranti filium in sua potestate esse. Et vera est ratio differentiæ quam attingit Accursius, Fulgosius reiicit male, quia filiusfam. patri adquirit ratione & iure patriæ potestatis solo, non ratione possessionis, quia etsi à nemine possideatur, nec possidetur etiam à patre, cum sit liber homo, *l. 1.* §. *per eum in quo, de adq. poss* Seruus autem domino adquirit magis ratione possessionis, quia seruum, vt quamlibet aliam rem suam dominus possidet sibi. At dominus certe non videtur possidere seruum quem ignorat in sua potestate esse. Eademque ratione, vt est in posteriori parte *d. l. 4.* quod filius bona fide possessus tanquam seruus proprius apprehendit ex causa peculij ad patrem pertinentis, non ad bonæ fidei possessorem, id statim possidet pater & vsucapit. Quod autem seruus alienus bona fide possessus peculij nomine quod dominum sequitur apprehendit, id dominus possidet, quia nec seruum possidet ipse, sed alius, *l. 1.* §. *sed & per eum, eod. tit.* Quod satis ostendit in seruo rationem possessionis spectari, quæ non potest spectari in filio.

Cap. VI.

Sententia tristis in l. 15. de appell.

ANte editionem Pandectarum Pisanorum vulgo perperam legebatur in *l. 15. de appell.* Seruo capitalis criminis reo condemnato, pro quo neque dominus appellauit, neque alius nomine domini, ipsi seruo qui sententiam passus est, triste auxilium extra ordinem non denegari, cum sit hoc potius modo legendum, *ipsi seruo qui sententiam tristem passus est, auxilium sibi implorare non denegari.* Auxilium scilicet appellationis. quod commune auxilium *l. 3. rem rat. hab.* Sententiam tristem, i. condemnationem, vt apud Iuuenalem 2.

De nobis post hæc tristis sententia fertur. & Ouidium 15. Metamorph.

Mos erat antiquis niueis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absoluere culpas,
Tunc quoque sic lata est miseris sententia tristis.

& Valer. Maximum 8. *Per idipsum tempus quo tristes de eo sententia ferebantur.* & VII. *Cum Athenienſium scelerata dementia tristem de capite Socratis sententiam tulisset.* & V. *Tristi patris sententia perculsus Silanus, lucem vlterius intueri non sustinuit.* Sic & *3. c. vlt.* Eodemque modo à sensu, *literam tristem* Cicero dixit *pro Milone*, & Martialis *tristia iura fori*, & idem Valerius, *triste suffragium.*

Cap. VII.

Dotem quæ semel functa est, amplius fungi non posse.

QVod Vlpianus ait *libro singulari regularum*, Dotem quę semel functa est amplius fungi non posse, nisi aliud matrimonium sit, hoc est dotem quæ semel vsui fuit, eiusdem matrimonij nomine, amplius in vsum venire non posse, vt si pater pro filia dotem genero semel præstiterit, eadem dos filiæ, nec si legata ei fuerit testamento patris, præstanda est, *l. cum pater, de iur. dot.* itemque diuortio facto & si dos quæ semel præstita est prioris matrimonij nomine & repetita post diuortium, nouato & integrato matrimonio, quia aliud matrimonium est, denuo præstari possit, tamen si iurgio abacta fuerit mulier, denuo præstari non potest, quia idem matrimonium manet: nec vt diuortio, ita iurgio vel noxia id dissolui placet, *l. dotem, & l. seq. eod. tit.* Eodem quoque sensu Sext. Pędius dicebat pretia rerum fungi, dum scilicet alij ea faciunt, ponunt aut soluunt ex æstimatione seu indicatione quæ in foro frequentatur, vel in ea regione vbi de iusto pretio rerum agitur, ex vsu communi, non ex affectione vel vtilitate singulorum. Deniquo non æstimari affectu, sed pretio vero quod fecerit vsus communis. Aliud est pretio æstimare, aliud affectu *l. 36. de bon. lib.* & ita quoque Paul. *l. 2.* §. *1. de reb. cred.* res functionem recipere, quod est fungi per solutionem. Eodemque modo Symmachus, *sic natos esse nos vt sæpius aduersa fungamur*: & Tertullianus, *carnem passiones suas fungi*, & Lucretius, *Corpus & animum contage corporis mala multa fungi*, aliis agentibus scilic. vt idem alio loco ait, *quodcumque per se est aut agere, aut fungi aliis agentibus.*

CAP. VIII.

Adll. 6. 7. & 8. Si quid in fraud. pat. fac. sit.

NEmo est qui adhuc explicauerit bene leges huic capiti præfixas, quarum duæ extremæ Iuliani sunt ex *lib.* 26. *Dig.* intermedia Scęuolæ, & hæc prior Iuliano quodammodo contraria, quoniam in specie qua de in eis legibus agitur, cessare ait Fabianam actionem, prior illa Iuliani non cessare, aut non esse inhibendam, ac rursus posterior non satis cohærere aut congruere priori videtur. nam si priori hoc Iulianus vult, cum libertus in fraudem patroni credidit pecuniam filiof. contra S. C. Macedonianum; non esse inhibendam actionem Fabianam eius pecuniæ reuocandæ gratia, quia libertus donasse magis in fraudem patroni videtur, quam contra S. C. credidisse, non satis apte aut vere ab hac sententia in lege posteriori excipit minorem xxv. an. filiumf. cui libertus pecuniam credidit, quique in integrum restitutus est aduersus edictum Fabianum in hoc vt eam pecuniam lucrifaceret. quia restitutio in integrum datur tantum minorib. de damno, non de lucro sollicitis, *l. non omnia, de minor.* & nunquam in iniuriam alterius præter ęquum & bonum. Animaduerti Iulianum in specie proposita non inhibere quidem actionem Fabianam, sed neque aperte negare in specie locum esse S. C. Macedoniano: quod si abscise negaret, etiam vt Scæuola docet *l.* 7. secum ipse pugnaret; quia si S. C. Macedoniano locus non est, exigi à filiof. credita pecunia potest, nec videtur ergo penitus exisse bonis liberti, & consequenter nulla ratio est patrono deferendæ actionis Fabianæ, vt *l. pen. eod. tit.* At Iulianus *d. l.* 6. adiecerat S. C. Macedoniano locum esse, id est, eius pecuniæ exactionem non esse, ac proinde inhibendam non esse actionem Fabianam, cum hac exceptione tamen, quod & *lib.* 4. & 12. scripsit, vt si minor xxv. an libertus filiofam. pecuniam crediderit, causa cognita eius pecunię condicendæ gratia in integrum restitui possit, acsi non videatur filiof. credidisse, vt puta si nesciuit eum cui credebat filiumf. esse, quæ nescientia plerumque in minorem cadit. Itaque adfirmo in *l.* 8. legendum esse, *sed si minor*, vt in *l.* 11. §. *vlt. de minor. l.* 3. §. 1. *ad S. C. Maced. l. pen.* §. 1. *de iur. & fact. ign.* vulgo perperam, *Sed si minori.*

CAP. IX.

Hæc verba, Ratione noua, *quæ sunt in extremo* §. *si nurus socero l.* 32. *de don. inter vir. & vx. transferenda videri ad* §. *sequentem.*

IN specie §. *si nurus socero, l. cum hic status de don. inter vir. & vx.* si nurus socero donauerit, donationem irritam fieri prępmoriente socero superstitibus filio & nuru, nec renouari quasi collatam in filium, tametsi filius vxori suæ superuixerit, est sane totum ex Oratione Seueri & Antonini *d. l. cum hic status*, §. *Oratio si ante.* Quod autem subiicitur §. *seq.* si socer nurui nuntium miserit, donationem irritam esse, ex Oratione non est, quia hac tantum nititur ratione noua, quod etsi repudium quod socer nurui remisit inter ipsos qui matrimonio iuncti sunt non valeat, valet tamen inter nurum & socerum: & consequenter quamuis eiusmodi repudio solutum matrimonium non sit, tamen perinde ac si repudio solutum esset matrimonium, vt *d. l. cum hic status* §. *si diuortium, l.* 62. §. 1. *eod.* Donatio irrita fit ratione noua, quia quantum ad ipsos, socerum scilic. & nurum repudio A finitum est matrimonium. Quamobrem verba illa, *Ratione noua*, transferenda esse opinor ad §. *seq.* quod & libri quodammodo suadent, qui in extremo §. *præcedentis* habent, *finita erit donatio irrita ratione noua.* Multi sunt in his libris ὑποβιβασμοί. Et ait, *Ratione noua*, vt Iustinianus in §. *quod nostra, Inst. qui & ex qui. cau. man. non poss.* noua humanitatis ratione, & Diui fratres, egregia humanitatis ratione, *l.* 1. §. *si quis vllo, de quæst.*

CAP. X.

Variis in locis iuris nostri hæc coniunctio, sed, etiam coniungit, non distinguit.

IN supradicta *l.* 32. §. *si socer nurui*, coniunctio, *Sed*, illo loco, *Sed quod ad ipsos*, pro rationali accipienda est. Aliis plerisque locis pro coniunctiua, nimirum pro, sed etiam, vel Sed &, vt Græcis ἀλλὰ καὶ τὸ ἀλλὰ ἡ, vt *l.* 18. *de verb. oblig. Sed qui actum*, & in *l. vlt.* §. 1. *de ad. edict. Sed morbum sonticum eum videri qui inciderit in hominem postquam is natus sit.* i. morbum accidentalem non natiuum, & *l.* 6. §. *sed si hominis, de neg. gest. & l.* 6. §. *sed si à duobus, de duob. reis, & l.* 4. *in fine, de cond. ob tur. cau.* vt iampridem ostendi in *l. in quartam, ad legem Falcid. Sed in fideicommissaria hereditate restituenda*, &c. Sic & *l.* 29. §. *si nauis tua, ad legem Aquiliam. Sed si fune rupto aut cum à nullo regeretur nauis incurrisses, cum domino agendum non esse.* Cur mihi non liceat *Sed*, pro coniunctiua accipere? Verum accipiatur pro discretiua, & hic erit sensus perquam idoneus, superiore casu cum nautis agendum esse quorum culpa factum est vt nauis tua impingeret in scapham meam. Hoc autem casu puta, si fortuito casu fune rupto vel cum nulli essent in naue nautę qui eam regerent, nauis tua impegerit in scapham meam, certe cum nautis agendum non esse, imo nec cum domino: quia & domini culpa nihil factum est. Eam vero scripturam confirmant etiam Basilica *lib.* 53. quæ sic habent, Εἰ ὁ τῷ πρίνι βαλόντος ἢ μηδενὸς θαλάττοντος ἐνέπεσεν, οὐκ ὑπόκειται ὁ δεσπότης.

CAP. XI.

Ad l. 35. *de statuliberis.*

CErtum est si per statuliberum non stat quo minus condicioni pareat, libertatem competere, *l.* 3. §. *non solum autem si heres, &* §. *seq. l.* 20. §. *is cui, de statuliber.* Tunc autem videtur per eum non stare cum certam pecuniam heredi dare iussum heres non patitur, eam sibi pecuniam offerri, vel cum prohibet statuliberum peculium suum quod habuit apud testatorem, quodque apud heredem continuauit, attingere, & ex eo pecuniam sumere implendæ condicionis gratia, *d. l.* 3. §. 1. *&* §. *non solum autem si dare.* At si heres non prohibuerit statuliberum de peculio dare, sed statuliberum vendiderit sine peculio, quæritur an & hoc casu videatur per statuliberum non stare quo minus condicionem statulibertatis impleat. Ratio ambigendi, siue vt Aristoteles loquitur, ἄπορον τὸ ἀμφισβητούμενον hæc est, quia ex peculio quod retinuit heres, quodque statuliberum venditum non sequitur, ac proinde quod statuliber habere desiit, non potest condicionem implere. quia quod permissum est statuliberis de peculio quod habuerunt apud testatorem condicionem implere, id quasi ex tacita voluntate defuncti permissum est, *l.* 17. *eod.* quæ non porrigitur ad alienum peculium, sed ad peculium tantum, quod

ipſe ſtatulibero conceſſit, quodque ab eo profectum ſtatuliber habet. Denique non videtur defunctus ſenſiſſe vt ex peculio à ſe profecto quod ſeruus deſijſſet habere per ademptionem heredis, aut venditionem ſtatuliberi ab herede factam, retento peculio, condicionem ſtatulibertatis impleret. His conſequens eſſe videtur vt ſtatuliber venditus ſine peculio, quia ex eo peculio dare non poteſt, pro eo haberi debeat, ac ſi eum prohibuiſſet heres de peculio condicionem implere. & per ſtatuliberum igitur etiam hoc caſu videri non ſtare quo minus condicionem impleat. Quod tamen Vlp. negat in *d. l. 3. §. ſi quis ſeruum, 1.* & Papin. in *l. 35. eod. tit.* vbi rectiſſime Flor. non videbitur per ſtatuliberum non ſtare, quod eſt, videbitur per ſtatuliberum ſtare quo minus condicio libertatis exiſtat, ſi de peculio quod apud venditorem habuit. i. apud heredem qui ſtatuliberum pendente conditione vendidit, à defuncto ſcilicet profectum, ideo non poſſit condicionem implere, quod nunc poſt venditionem idem peculium apud emptorem non habeat, quia cum aliunde pecuniam ſumere aut corradere poſſit condicionis explendæ gratia, ſi hoc non faciat, in mora eſſe, atque adeo per eum ſtare videtur. Idemque Papin. ait in *d. l. 35.* eſſe dicendum, ſi heres ſtatuliberum vendiderit cum peculio, tradiderit autem ſine peculio, rupta fide venditionis, quia etſi ruptę fidei nomine, puta quod peculium non tradiderit, ſit emptori in venditorem actio ex empto, tamen re ipſa peculium quod ſeruus à teſtatore habuerat non continuauit etiam & habuit apud emptorem. De peculio poteſt dare quod habuit apud teſtatorem, qui eum ſub condicione dandi liberum fecit, quodque habere perſeuerauit apud heredem, vel apud emptorem cui heres eum vendidit, vel vt ait *l. 13. §. 1. eod. tit.* apud ſocium teſtatoris cui pendente condicione adcreuit ſeruus cum peculio, & à quo impleta condicione poſtea etiam inuito pars dominij redimenda eſt, vt ſeruus perueniat ad libertatem, ex ſententia Marcelli, *l. 1. C. de communi ſeruo man. l. ſi ſeruus, de vulg. ſubſt. l. domino, de S. C. Sill. l. 4. §. vlt. de man. vind.* Non poteſt autem dare ex peculio quod apud teſtatorem habuit, & habere deſiit herede eum alienante retento peculio: nec ideo tamen quod inde dare non poſſit, non videtur per eum non ſtare quo minus det, cum aliunde dare poſſit. Hæc eſt perſpicua & ſyncera interpretatio *d. l. 35.*

CAP. XII.

De ſtipulatione, centeſimis Calendis dari.

IN *l. 46. de verborum oblig.* verba ſtipulationis ita conceptæ, *Centeſimis calendis dari*, cum acciperem de centeſimo menſe, cauſam ita concipiendæ eius referebam ad centeſimas vſuras. vſuræ olim omnibus permiſſæ erant, ſub hac lege & modo tamen, vt vbi æquaſſent ſortem, vltra non procederent nec deberentur, eumque finem vſurarum intueri dicebam ſtipulatorem qui ſortem ſibi dari calendis centeſimis ſtipularetur, quo ſcilicet demum tempore ſors deſineret eſſe vſuraria. Quam animaduerſionem meam σύμαρρος & verbuleius quidam nugo refellit hac ratione, quod non ſit ei locus in legatis quæ centeſimis calendis teſtator dari iuſſit: quia interuſurium ex legatis nullum legatario dabatur ratione medij temporis, idque confirmat perperam ex *l. ſi dies, Quand. dies leg. ced.* in qua non ſimpliciter ponitur diem hanc legato adiectam, Centeſimis calendis, quæ quidem dies non admodum longa eſt, cum exiſtat poſt annos octo & menſes quatuor, ſed diem longiſſimam ſeneſcendorum hominum, puta ſæculum ciuile ſiue annos centum, qui proculdubio in *d. l. ſi dies*, ſignificantur, his verbis, *Calendis Ianuariis centeſimis*, quique nec minus ſignificarentur quibuſlibet aliis Calendis adiectis, velut Calendis Martiis vel Iuliis centeſimis, & ita probabilius eſſet in *d. l. 46.* ſupplere aliquas Calendas, puta Ianuar. vt in *l. ſi dies*, aut Iulias aut Mart. & ſit vt & veteribus & nouis pleriſque interpretibus videtur, Centeſimas calendas accipere pro centeſimo anno, conſtituta differentia quam & *d. l. 46.* conſtituit inter ſtipulationem, *Centeſimis illis calendis dare*, & ſtipulationem, *cum morieris Alexandriam venire ſpondes*, quia hæc obligatio heredem promiſſoris non tenet, cum à defuncto non cœperit: contra illa heredem tenet, quia à defuncto cœpit. Certi enim iuris eſt expreſſim vel tacite etiam in diem longiſſimum dilata ſolutione promiſſæ pecuniæ, etſi non actionem antequam dies venerit, obligationem tamen ex ea naſci ſtatim, *l. qui res §. vltimo, de ſolut. l. 44 §. 1. de oblig. & action. l. 6. de compenſ. l. 43. Mand. l. certi §. 1. de reb. cred. l. 186. de reg. iur. l. 14. 73. 124. de verborum oblig. §. omnis, Inſtit. eod.* Ridiculum tamen eſt quod ex nouis illis interpretibus quidam ait in *d. l. 46.* numerum finitum Calendarum centeſimarum pro infinito ὑπικῶς accipi. Quid enim ſi milleſimis calendis Ianuariis dari quis ſtipulatus ſit? quæ & ipſa ſtipulatio inutilis & deriſoria eſſet.

CAP. XIII.

Is qui Dena dicit, vel Decem, quatenus ambigue loquatur.

SI quis teſtamento, Titio & Seio decem dari iuſſerit, recte Iulianus in *l. 79. de leg. 1.* nullam hæc verba ambiguitatem recipere. nec enim ita duobus modis accipi poſſunt, vt aut bis decem aut ſemel decem dentur, ſed hoc tantum poſteriore modo, vt ſemel decem, vt & in ſtipulationibus, *l. 65. & l. 110 de verb. oblig.* Et de ambiguitate huiuſmodi Iulianum ſentire, non de qualibet, ſatis demonſtrat quod ſubiicit *d. l. 79.* vt dena dixiſſe videatur qui decem dixerit. Igitur non excludit omnem ambiguitatem. Denique non negat aliam illa verba ambiguitatem recipere poſſe. nam & certe his verbis ambigi poteſt, decem inter Titium & Seium numero diuidi voluerit teſtator, an ſpecie, *l. cum Stichus, de ſolut.* At ex diuerſo ſi teſtator Titio & Seio dena dari iuſſerit, hęc verba etiam priorem illam ambiguitatem recipere poſſunt, bis decem an vna decem debeantur. nam & Seruius Honoratus antiquorum morem eſſe ait, bina dicere pro duobus ſingularibus, & trina vel terna pro vnis tribus, & ſimiliter ſeptena, octona, dena, eumque morem Virgilium ſequi. Sequitur & Lucanus illo loco, *centenis venit in arma Creta vetus populis*: ſed & Plinius *lib. 8. de ceruis* ſcribens, illo loco, *Octonis menſibus ferme partus*, & de equis, *Partum vndenis menſibus ferunt*: & de capris, *Viuunt octonis annis*: *Viuunt* lego non *pariunt*, ex Ariſtotele, quem idem auctor ait illo libro ſecutum ſe magna ex parte. & ex eodem ipſo Plinio paulo ante ſcribente, *Capris extra Æthiopiam in reliquo orbe plurimum vitam eſſe octonos annos.* Parere autem etiam aniculas & bimas idem auctor eſt. Et ſimili modo Accurſium initio *l. 126. de verb. oblig. & l. vlt. de ann. leg.* non male dena, decem interpretari aio. & in *l. 4. §. vlt. de legationib.* ternos tres. Alias dena multiplicia ſiue pluratiua & diſpertitiua ſunt, quæ Græci ἐπιμεριζόμενα, vt *l. cum quo §. 1. Ad legem Falcid.* & *d. l. 79. l. cum duo, de in diem add. l. vbi fideiuſſor, de ſol.* quod & Accurſius notauit in *l. ſtipulatio iſta §. cum*

sum qui, de verb. obl. vt quina, *l. Aurelius in prin. de lib. leg. l. si duos, de cuict.* vt trina Victorinus quoque ait esse multiplicia, tria plerumque singularia.

Cap. XIV.

Filius fam. vt viuo patre dicatur esse dominus bonorum paternorum.

Filius f. viuo patre quodammodo dominus est, vt ait *l. in suis, de lib. & post.* πῶς υἱὸς ἐχ ἁπλῶς ὁ λέγω, nimirum concedente patre, vt Lactantius 4. *Instit.* filium, vt serui in Comœdiis, recte dixeris minorem dominum, patrem maiorem. nam & seruos paternos filius f. non consentiente patre manumittere non potest, *l.* 16. *&* 22. *de manumiss.* nec rem vllam paternam vendere viuo patre aut pignerare, *l.* 4. *C. si alien. res pig. dat. fit. l.* 3. *C. de pat. pot.* nec pro herede gerere, *l. neminem, de adquir. hered.* vbi neminem. i. ne filium quidem familias. Didius *in Salustium, Domum paternam viuo patre turpissime venalem habuit, vendidit, & cuiquam dubium potest esse, quin mori coëgerit eum, quo hic nondum mortuo, pro herede gesserit omnia.* Est Didij, vel vt alij legunt, Didymi oratio, vel declamatio illa, non Ciceronis, vel Diomede teste, qui hæc quæ sunt in ea oratione verba, *comesso patrimonio*, Didio tribuit scribenti de Salustio.

Cap. XV.

Parere ari alieno pro satisfacere.

Tertullianus de resurrectione carnis, parere debito dixit, pro soluere ęs alienum. *Ne*, inquit, *illa beatissima & glorioßissima quæ potest apud Christum dominum parere debito tanto vt hoc solum debeat ei quod ei debere desierit.* Vbi male Latinus Latinius emendat parare. nam & sic Vlp. parere ari alieno eodem sensu, *l.* 5. §. *item requirat, de reb. eo. qui sub tut.* & Paulus, *l. quæro*, §. *inter*, *Loc.* parere pensionibus, & *l.* 8. *C. quod cum eo*, &c. parere sorti & vsuris, *l.* 8. *C. si certum pet.* debitæ quantitatis siue sortis solutioni parere, & *l. debitoribus, C. de adminiſt. tut.* fructuum restitutioni parere, *l.* 3. *C. de cond. ex leg.* Quamobrem vetus lectio in epistola quadam Ciceronis ad L. Plancum, *Res familiaris Capitonis parvit temporibus & fortunæ meæ*, non omnino reiicienda est.

Cap. XVI.

Edictum vrbanum, edictum prouinciale, edictum breue & monitorium.

Edictum in vrbe solus proponebat Prætor vrbanus: edictum autem ædilitium Ædiles Curules communiter: quo fit vt edicto vrbano promittatur actio vel iudicium his verbis, *Actionem vel iudicium dabo*: ædilitio autem his, *Iudicium dabimus, l.* 1. *de ed. edict.* quibus verbis & tunc proponendum erat & pro rostris edicendum communiter edictum vrbanum cum quid Prætores omnes à Tribunis plebis coacti in vnum de communi sententia constituerant conscripserantque. quod cum non obseruasset Marius Gratidianus prætor vrbanus, merito Cicero ait 3. *Off.* ea in re boni viri officio functum eum non esse. Porro edictum vrbanum etiam vrbicum dicitur & vrbicanum in inscriptione *l.* 4. *de op. ser.* Edictum vero prouinciale, quod scilicet Proconsul quisque proponit in prouincia sua, vel specialiter dicitur quod proprie pertinet ad causas & negotia prouincialium suorum, vt 6. *ad Att.* illo Ciceronis loco, *Breue edictum est quod duobus generibus edicendum putaui, quorum vnum est prouinciale, in quo est de rationibus ciuitatum, de ære alieno, de vsura, de publicanis, vel generaliter pro vniuerso edicto*, etiam quod de quibus aliisque causis conscriptum est & in vrbe vsitatum aliisque prouinciis, vt in libris Gaij ad edictum prouinciale. Quo autem sensu illo loco Cicero dixit breue edictum, puta ἐν ἐπιτομῇ conscriptum, ita puto Iulium Paulum accepisse, qui breuis edicti scripsit libros 13. idemq; monitorium à Callistrato vocari Plinius 6. *Epist. Nepos prætor qui legibus quærit proposuerat breue edictum, admonebat accusatores, admonebat reos executurum se quæ S. C. continerentur.* Tertull. *de anima. Inde concepit præmonitorium illud edictum*, D. Paulus sc. *Ne quis vos deprædetur seu concutiat per Philosophiam.* Etiam illud ὁδὸν πάρερχον volo studiosos scire in eodem libro Tertull. illo loco, *rupicum & barbarorum, quibus alimenta sapientia desunt*, pro *barbarorum*, esse legendum, baronum, ex Lucretij versu,

Baronum & rupicum sqarrosa incondita turba.

Quod nondum quisquam animaduertit.

Cap. XVII.

Ad init. um l. si rem, de nouat. & deleg.

Pvgnare videtur *l. si rem, in prin. de nouat.* cum *l. qui x.* §. *cum Stichum, de solut.* At §. *cum Stichum*, hoc tantum dicit, eum qui Stichum pure promisit, post moram promittentem eundem Stichum sub condicione nouandi animo purgasse moram videri, atque adeo nec teneri ex priori stipulatione, Sticho mortuo pendente condicione, quod *l. si rem*, non negat, cum promissorem tamen teneri ait ex posteriori stipulatione conditionali, quasi nouatione contingente post mortem Stichi, si condicio extiterit, vt vel Stichi æstimationem præstet quanti priusquam moreretur fuit. Denique hoc vult, stipulationem posteriorem quæ post moram promissoris interposita est, hanc vim habere vt non teneatur promissor ex priore, quia purgauit moram, quam in ea implenda fecerat, non etiam vt non teneatur ex posteriori, existente condicione post mortem Stichi. Et hoc si ab eodem quis quod pure debuit, sub condicione, idem stipulatus sit. nam si ab alio, verum est neque hunc, neque illum conueniri posse, videlicet si post moram promissoris, creditor ab alio sub condicione idem stipulatus sit, qui casus est euidenter expressus in *l.* 14. *de nouat.* nam si ante moram, promissor qui postea moram fecit, omnimodo tenetur ex priori, quasi mora non purgata quam nullam dum fecerat tempore posterioris obligationis, vt *l.* 56. §. *vlt. de verbor. oblig.* vbi hoc fusius exposuimus reiecta Accursij sententia, qui promissorem negat in mora fieri posse post interpositam condicionalem nouationem & stipulationem, hoc colore, quod scilicet eo tempore sub contraria condicione, puta, si deficeret condicio posterioris obligationis, debere cœperit quod initio debuit pure. quod commentitium est. nec enim temere nos tacitam conditionem inducere possumus, nec aliter quam si iure publico recepta & approbata sit, vel ex re ipsa aut verbis manifestum sit contrahentes condicionem facere voluisse. & ille quoque §. *vlt.* dum acceptilatione priorem promissorem liberari dicit, satis ostendit eum sub condicione debere nõ cœpisse quod ab initio debuit pure. nec ad consentiendum Accursio quidquam me mouet *l. pecuniam, de reb. credit.* quia alia est illius legis species, & in ea alia mens contrahentium longe, §. *vltim. d. l.* 56. Etiam non re-

cipio distinctionem illam, seruus præsens an absens fuerit tempore interpositæ stipulationis condicionalis post moram prioris promissoris, quæ subdistinctio non distinctio summa est, & à Marcello in *d. §. cum Stichum.* applicatur ad priorem tantum partem nostræ eiusdemque summæ distinctionis, si post moram promissoris stipulator ab alio sub condicione eandem rem dari stipulatus fuerit.

CAP. XVIII.

Non passim licere nobis interpretationibus nostris tacitas condiciones inducere.

NOn passim & temere nobis licet, tacitas condiciones comminisci & inducere, nisi ex re ipsa aut verbis quibusdam manifestum sit contrahentium conditionem facere voluisse, vel nisi quæ iure publico recepta & probata tacita condicio sit, cuius rei exemplum vnum exposui superiori capite. Addi etiam aliud potest ex *l. 6. de duob. reis*, si interrogatis duobus ab stipulatore, alter dumtaxat respondeat, is solus obligatur. nec enim intelligitur respondisse sub condione, si alter quoque responderet, & ex *l. 56. §. 1. de verbor. obl.* si stipulanti promittam me & Titium heredem meum daturum, actum quidem & pactum hoc videtur, ne stipulator petat à ceteris heredibus, sed non sub condicione, si Titius solidum solueret, quæ & inepta esset, cum certo certius sit vno ex heredibus soluente solidum, omnes liberari. Sed cur tamen, vt ibi definitur, inutile sit pactum Titij coheredibus, si quæras, dicam hanc esse rationem, quia principaliter id actum est vt Titius obligetur vltra portionem suam: quo potissimum inspecto, recte dicitur nihil pactionem ceteris heredibus prodesse, quę vtique prodesset tamen si de ceteris liberandis principaliter actum fuisset. & bellissime Paulus Castrensis, vbi non valet conuentio principalis quę præcedit, nec valere consequentem, vbi non valet expressa, non valere tacitam, vt *l. 3. in fine, de seru. rustic. præd. l. in persona, §. vlt. de pact.* quod tamen Catholicon ex vno casu speciali *l. 1. §. 1. quib. mod. pig. sol.* cuius propria quædam ratio pendet ex lege Cincia, vel qua alia quæ donationem solam inutilem facere voluit, ex casu, inquit, vno speciali refellere stultum est. Verum ad rem. Sumi etiam aliud exemplum non temere inducendæ aut confingendæ tacitę condicionis potest ex *l. 7. C. de cond. ob caus.* Si quid pure donaui vxori tuæ vt hoc munere pellicerem te ad proficiscendum mecum in Italiam, si non proficiscaris mecum, mihi condictio dati non competit hoc colore, quasi donationi tacite infuerit hęc condicio, Si mecum proficiscaris in Italiam, quæ non infuit. Et donationi quoque factæ inter sponsos, ante Constantinum certum est non infuisse condicionem, si nuptiæ sequantur, *l. cum veterum, C. de donat. ante nupt.* Lege opus est, quæ introducat & probet tacitam conditionem vel re ipsa & euidentissima voluntate contrahentium, quæ eam inducat. alioquin si interpretationibus nostris passim licet eam inducere, multa hominum negotia multaque iura subuertentur. Vnde & stipulatione simpliciter ita concepta, mihi aut Titio dari, nemo dixerit recte stipulationi inesse tacitam condicionem, si Titio non soluerit, *l. qui res §. qui stipulatur, de solut.* Quamobrem & in *l. 102. de legat. 1.* recte interpretes omnes, vno Bartolo excepto Accursij adsiduo comite, tacitam condicionem reiiciunt, quam Accursius comminiscitur.

CAP. XIX.

Stipulationis condicionalis diem cedere statim.

STipulator condicionalem stipulationem, si pendente condicione moriatur, in heredem suum transmittit, legatarius vero pendente condicione legati defunctus nihil in heredem suum transmittit. Cur tam varie? quia legatarius vita functus est antequam dies legati cederet, qui nullo modo cedit antequam condicio extiterit, cum tamen stipulationis cõdicionalis dies cedat statim atque concepta stipulatio est. Qua ex ratione & multæ aliæ differentiæ sequuntur inter stipulationes & legata. Quod dico, diem stipulationis condicionalis cedere statim, ne quis maligne calumnietur, vt nugo quidam: Ex tempore enim præsenti vires accipere stipulationem condicionalem, quod ait *l. vsusfructus, de stipulat. seru.* & statim diem stipulationis cedere, idem est, *l. si fundum sub condicione §. penult. de legat. 1.* quod tamen ita intelligendum est, vt cedat non quidem simpliciter, cum hoc non contingat antequam condicio existat, *l. cedere, de verborum significatione*; sed cum adiuncto, nempe vt cedat sub condicione, vt statim debeatur sub condicione, & in heredem transmittatur obligatio condicionalis. Legatum condicionale ne sub condicione quidem statim debetur, atque adeo nec interim mortuo legatario in heredem legatarij transmittitur.

CAP. XX.

Locus obscurus l. 13. de solut.

VT cum dicitur, solutione facta falso procuratori creditoris, ita demum liberationem contingere debitori, si cum primum creditor solutionis certior factus est, solutionem ratam habuerit, illud, cum primum non abscise, sine cunctatione vel interuallo vllo: quo tamen modo hæ particulæ, statim, confestim, continuo, ex continenti, vel in continenti accipiuntur sæpe, vt *l. 1. in fine, de solu. l. cum quidam, de leg. 2.* sed ἐν πλάτει, ἐν εὐρεῖ, καὶ διατατικῶς accipitur. ita Iulian. ait in *l. 13. de solut.* in legato cum de repellendo eo quæreretur, & de repellendo igitur in continenti, hoc verbum ἐν πλάτει accipiendum esse. De repellendo, est de repudiando legato, περὶ τῦ ἀποδοκιμάσαι τὸ λεγάτον, vt est in Basilicis. At quo casu sit repellendum & repudiandum legatum in continenti, non dicit, nec ipse reperire vllum aut excogitare conuenienter potui. De repræstando in continenti, pœnæ grauioriſve legati euitandi causa est perspicuus admodum casus in *l. 1. §. item si legatum, ad legem Falcidiam.* vbi etiam quod didicisse se fatetur ea de re Vlpianus, proculdubio didicit ex Iuliano, cuius studiosissimus fuit. & repræstandi verbum, alibi *lib. 13.* ostendi pro restituendi, exhibendi, soluendi, præstandi, quod in iure tamen ante Flor. vtique corruptum erat. Et ex his quid de illo Iuliani loco sentiam, quia iam satis te sentire arbitror, nihil amplius addam.

CAP. XXI.

Iurisconsultos sæpe coniunctim duabus rationibus sententias suas vel opiniones communire, ἐνσάσει *scilicet & ἀιτιολογήσει.*

RHetorum figuræ ex sunt, ἔνσασις, & ἀιτιολόγησις, quæ auctore Hermogene concipiuntur, vt

exempli gratia ἔνσασις opponat, non licere marito adulterum vxoris suæ occidere: & mox subiiciat ἀνπνθάσασις, id etiam si liceat, non tamen licere deprehensum alio loco quam domi suę, vt *l. 24. ad legem Iuliam, de adult.* Inuenio & ita sępe ratiocinari auctores nostros, vt *l. penult. de seru. exp.* Si quis ea lege seruum vendiderit, vt sibi in eum esset manus iniectio, si Romæ moraretur voluntate emptoris, non est ex hac pactione in seruum manus iniectio qui est in fuga & Romæ moratur, quod Paulus comprobat ἐνσάσει, quia seruus domino per fugam se subducere vel auferre non potest: & subiecta ἀνπνθάσασι huiusmodi, quia etiam si se domino auferre potest, tamen Romæ morari non videtur qui est in fuga. Repugnantia enim hæc sunt, morari & in fuga esse. Eidemque Paulus in *l. 17. de auctor. tutor.* vt probet tutorem à prætore compelli non posse vt præsens auctor fiat pupillo iudicium aliquod suscipienti vel aliudcumque negotium gerenti, ἔνσασις hæc est primum, quia iniquum est si non expediat pupillo auctoritatem eum præstare: deinde ἀνπνθάσασις hæc, quia etsi expediat pupillo, pupillus damni nihil facit, quatenus tutelæ iudicio consequi potest à tutore quantum sibi ob eam rem abest, quod tutor noluerit auctor fieri, quantumve lucrari potuisset, si tutor adhibuisset auctoritatem suam. Eodemque modo Iulianus in *l. ita tamen, §. à patre, ad S. C. Trebel.* heredem quem pater sibi & filio impuberi exheredato scripsit, & rogauit vt hereditatem filij impuberis extraneo restitueret, viuo impubere fideicommissi conseruandi causa, non esse cogendum patris hęreditatem adire, probat ἐνσάσει primum, quia fideicommissum condicionale est, Si filius ante pubertatis annos vita decederet: deinde ἀνπνθάσασι, quia etsi condicionale non esset fideicommissum, improbum esset de hereditate viuentis pueri sollicitum esse. Ανπνθάσασις ἐνσάσει fortior est, qua & sola vti Vlp. ex eodem Iuliano satis habuit, *l. 2. §. interdum, de vulg. subst.* Idemque Iul. similiter *l. 22. §. quod si procurator per iudicē, rem rat. hab.* si procurator per iudicem pecuniam indebitam exegerit, tentari posse, quod tamen ipse non probat, fideiussores qui spoponderunt ratam rem dominum habiturum, non teneri, siue dominus ratum habuerit, siue non, vel quia nulla res est, quam dominus ratam habere possit (hęc est ἔνσασις) propterea quod solutio facta auctoritate iudicis satis per se rata est, nec desiderat domini ratihabitionem: vel quia (hæc ἀνπνθάσασις) etsi solutio desideraret domini ratihabitionem, nihil interest stipulatoris solutionem ratam haberi, cum ab eo dominus eandem pecuniam petere non possit, quæ recte soluta est auctore iudice, nec reuocari potest. quæ vel sola ratio sufficit, vt in *l. vltim. in princip. eodem titulo.*

CAP. XXII.

Ad §. vltimum l. 87. ad legem Falcidiam.

AD §. *vltim. l. 87. ad legem Falcidiam* dubitari & quæri solet, quid opus sit confundi omnia legata quæ à pupillo & quæ ab extraneo coherede eodemque substituto pupilli relicta sunt, vt extraneus quartam bonorum habeat, cum iam habeat quartam suę portionis quam deduxit priusquam casus substitutionis existeret, & nihil aliud supersit, quam vt etiam habeat quartam portionis pupilli, quam vtique facile habiturus est, etiam non facta confusione legatorum. quid denique opus sit quod extraneus potest consequi discreta ratione legatorum & portionum, id persequi aut inducere confusa? Equidem animaduerti tandem hoc fieri, ne hęc incurrat iniquitas vt extraneus minus præstet legatariis suis vel plus legatariis pupilli, quam oporteat. nam si exempli gratia, testator qui habebat cccc. in bonis, extraneum & pupillum heredes instituerit ex æquo, & ab extraneo legauerit ccc. à pupillo cc. separatim habita ratione legis Falcidiæ, his quibus à se relicta sunt ccc. primum detraheret c. quę sunt extra quantitatem portionis suę iuxta §. *vltim. Institut. de lege Falcid.* deinde iure Falcidiæ L. ex ducentis, & præstaret CL. ac postea obueniente sibi portione pupilli, legatariis pupilli tantumdem præstaret, confusim autem habita ratione legatorum detractis c. quę sunt extra quantitatem bonorum, mox iure Falcidię detraheret alia c. & ex residuis ccc. suis legatariis præstaret CLXXX. pro rata portione, legatariis vero pupilli præstaret CXX. similiter, pro rata. i. seruata proportione eadem quam ab initio testator constituit inter vtrosque legatarios, quæ fuit proportio sescupla, cum his ab extraneo reliquerit ccc. illis à pupillo cc. Igitur ne iniuria fiat legatariis, nec vlla emergat inęqualitas, melius erit extraneum ad quem as totus rediit, quartam detrahere ex confusis, quam ex separatis legatis. & his consequens est, vt dicamus legata relicta ab extraneo augeri per accessionem portionis pupilli, & dicto §. *vltim.* his verbis, *neq; aliter augebuntur legata quæ ab ipso vltra dodrantem data fuerant, quam augentur, &c.* Iulianum non negare, imo affirmare, augeri legata ab extraneo relicta, si ex substitutione alterum quoque semissem acceperit, & eam quoque ob rem si separati in sua portione posuerit rationem legis Fal. postea obueniente portione coheredis, ex ipso euentu apparere minus debito eum legatariis suis pręstitisse, & scil. cum præstare debuerit CLXXX. & postea existente casu substitutionis etiam plus legatariis coheredis pręstitisse, nempe CL. qui CXX. dumtaxat præstare debuit seruata proportione testatoris.

CAP. XXIII.

Tractata iterum quædam ex materia contributionum.

EX *l. 87. §. qui filium, ad leg. Falcid.* colligitur ex substitutione vulgari portione filij impuberis, quæ exhausta est legatis, commixtam portionem Titij coheredis quæ est integra, legatariis quibus à filio totus semis legatus est, proficere vt Falcidiam non patiantur, & augere igitur legata à filio relicta. quod pugnare videtur cum *l. 1. §. id quod ex substitutione, eod. tit.* qui in posteriori parte legata relicta ab eo cui coheres vulgariter substitutus est, existente casu substitutionis. i. eo omittente hereditatem, augeri negat. At post multam & variam mentis meæ hac in parte huc & illuc agitationem & curam, vix tandem animaduerti ita respondendum esse in *d. §. id quod*, ab vtroque herede relicta esse legata, nec legata ab eo qui omittit hereditatem relicta, equum esse vt solida præstet coheres qui ei vulgari modo substitutus est, à quo etiam alia legata relicta sunt, sed contribui vtraque legata etsi excedant dodrantem vtraque pro rata deminui oportere, vt *l. 11. §. quæsitum, eod. tit.* cum tamen ex diuerso legata à coherede eodemque substituto relicta, is solida præstet, si substitutio vulgaris ei repleuerit quadrantem omnium bonorum, vt est in priori parte *d. §. id quod.* At in §. *qui filium*, à Titio coherede eodemque substituto ponitur, nulla legata fuisse relicta, & ideo legata à filio relicta Titius præstat in solidum, confuso suo semisse cum semisse filij, & habita ratione totius assis, vt *d. l. 1. §. si coheredis*, vbi tamen Iulianus dicitur adsensisse Proculo qui existimabat separandas, non confundendas

esse portiones hereditatis paternæ, quod §. *qui filium*, refellit, in quo Iulianus definit ex sententia Cassij recte, cum & ipse Cassianus fuerit, confundendas esse vtrasque portiones in computatione legis Falcidiæ. Quamobrem existimo in *d.* §. *si coheredis*, non *Proculo* esse legendum, sed Cassio, cuius sententiam etiam Paulus probabiliorem esse ait, & confirmatam decreto Antonini.

CAP. XXIV.

Ad l. 52. ad legem Falcid.

VErba *l. 52. ad legem Falcid.* quæ contorquentur, vexantur & mutantur etiam perquam varie ab interpretibus, sic restituenda esse arbitror, *Ex asse patronum heredem instituit libertus cum* cc. *aureos in bonis haberet, & legauit filio* c. *extraneo reliqua. Quod extraneo non præstat legatum, proficit filio ad consequenda solida quæ ei legata sunt.* Quod vulgo legitur, *legauit filio* cxx. non conuenit cum eo quod subiicit, *filium solidum legatum consequi.* quia si legata filio essent cxx. solida ea non consequeretur, cum patronum semissem illibatum habere oporteat. Verba quoque illa de legato extranei, *Deminutio legati*, importuna sunt, cum legatum extranei non deminuatur, sed omnino non præstetur, vt semis apud patronum remaneat, quem lex Papia voluit patrono refici ex legatis extraneorum, non ex legatis filiorum liberti, *l.* 4 *de condic. & demonstr. l. 6. §. si patronus. Si quis om. caus. test. l. 1. §. quod autem, si quid in frau. patron. l. si eius*, §. *vltim. ad Trebellian* Quod item post illa verba ait, vt Flor. scriptum habent, quod extraneo præstat legatum, ex præcedentibus legibus 50. & 51. & ex postrema clausula illius *l.* 52. manifestum est in eo negationem deesse. sic enim recte stabit sententia Marcelli, Quod patronus extraneo nõ præstat legatum, puta ẽctum quę non præstat extraneo, proficere filio liberti exheredato, vt nulla scilic. legati ei relicti deminutio fiat, vt & similiter fit *l. filium*, §. *si legata, &* §. *vltim. de legat. præst.* quandoquidem semissem quem extraneo patronus non præstat, imputat sibi patronus in Falcidiam, id est, in semissem qui ex lege Papia apud eum remanere debet. Semis est Falcidia patroni ex lege Papia, vt dicitur in Constitutione Græca Iustiniani de iur. patr. Extraneus testamento scriptus ex legatis retinet quadrantem, patronus semissem, *l. 18. in fi. & l. seq. si quis omis. cau. test.* & inde extraneo præstatur cautio quadrantis, patrono semissis, *l.* 1. §. *vlt. si cui plus quam per legem Falcidiam.*

CAP. XXV.

Dotis causam non esse lucratiuam.

IN tractatum de legibus Iulia & Papia cadere regulam illam, quæ duas causas lucratiuas non patitur in eandem rem & eundem hominem concurrere, argumentum præbent quæ pertinent ad eam regulam, *l.* 19. *de oblig. & actionib. & l.* 100. *de leg. 1.* quarum vna est ex LXXIII. altera ex LXXVII. Iuliani Digest. vt & inter medias LXXIV. LXXV. & LXXVI. de eadem regula fuisse suspicor, vt mihi quidem videtur non immerito, quandoquidem à LXIX. vsque ad LXXXVI. vbi omnia diligenter excussi, deprehendo Iulianum non tractasse nisi de his quæ ad leges Iuliam & Papiam pertinent, vel ex eis legibus descendunt. Quatenus autem ea regula pertineat ad supradictas leges, si quæras, facilem & promptam responsionem ex eo dixero, quod, exempli gratia, si duorum testamentis Titio eadem res legata sit, & ex vno iam eandem A rem præceperit, legatum quod in altero relictum est, quasi defecerit post mortem testatoris, ex legibus Iulia & Papia caducum fiat. Causa vero lucratiua est causa legati vel donationis. & cum quæreretur an & dotis causa, Iulianus respondit *d. l.* 19. causam dotis non esse lucratiuam, sicut nec causam emptionis vel causam creditę pecuniæ, vt *l. sicut*, §. *sed si permiserit, quib. mod. pign. vel hyp. solvit. l. vlt.* §. *in maritum, quæ infr. cred. l. pure*, §. *si eum, de doli except.* Denique dotem onus esse, non lucrum, *dotatas mulieres*, vt Comicus ait, *mactare & malo & damno viros.* propter quod *multi*, vt Seneca ait 2. *Contr. sine dotibus vxores ducunt, aut dictas non accipiunt dotes.* Et meo quidem animo, quod & idem Comicus ait, *si idem faciant ceteri opulentiores pauperiorum filias, vt indotatas ducant vxores domum, & multo fiat ciuitas concordior, & inuidia nos minore vtamur, quam vtimur, & illæ malam rem metuant quam metuunt magis, & nos minore sumptu simus, quam sumus.* Et similiter Diodorus Sinopensis, χρεῖττον ἐστὶν εὖ τεθραμμένῳ λαβεῖν γυναῖκ' ἀπροῖκον, ἢ κακῶς μὲ χρημάτων τῷ ἐσομένῳ κ τοῦτο μέτοχον τοῦ βίου. Quin autem iure matrimonium consistat sine dote, non est dubium, *l. vlt. C. de donat. ante nupt. l. vlt. C. de repud. l.* 22. *C. de nuptiis.* quod & sine dote scilicet vt contraheretur legibus Solonis cautum erat. At neque principibus id tamen omnibus neque pontificibus semper probatum est. Porro secundum hæc recte constitues aliam esse causam dotis, quæ non est lucratiua, aliam lucri nuptialis. nam etsi hoc sit ex dote aut pro dote, dos tamen non est: sicut legatum, licet sit exhereditate, hereditas tamen non est, *l. qui fundum*, §. *qui filios, Ad legem Falcid. l. cum virum, C. de fideicommiss.*

CAP. XXVI.

Etiam re euicta venditori ante traditionem committi stipulationem duplæ.

EX *l. 3 de dol. exc.* recte sentiunt qui colligunt non tantum re euicta emptori post traditionem, sed etiam re euicta venditori ante traditionem, committi stipulationem duplæ. est enim species & sententia eius legis huiusmodi. Heres mihi ignoranti vendidit statuliberum cui testamento defuncti directa libertas relicta erat sub condicione, si heredi decem daret, & stipulatus sum ab eo duplam euictionis nomine. Seruus decem dedit heredi, eidemque venditori meo, ac protinus in libertatem euictus est antequam mihi traderetur, id est, antequam dominium eius ad me peruenisset. Post traditionem translato iam dominio in emptorem, in personam venditoris non recte impleta condicio fuisset. Nunc si agam ex empto cum venditore vt decem recipiam quæ statuliber ei dedit, condicionis implendæ causa, quæque ipse habuissem si mihi seruus traditus fuisset, *l statuliberum*, §. *vltim. de statulib.* quæ quidem decem forte tanti aut pluris sunt, quam seruus ipse, vt, inquam, decem recipiam, quia vt seruum recipiam iam perductum ad libertatẽ condicione impleta in persona venditoris, agerem frustra. neque vero si agendo, vt decem recipiam, summouebor exceptione doli mali, si modo paratus sim venditorem liberare ex stipulatione dupli, qua mihi obstrictus est euictionis nomine, quia iniquum est & pretium hominis me ferre in duplum & decem, quæ quasi pro capite siue libertate sua seruus venditori dedit. Ex hac sententia *d. l.* 3. quis non videt recte colligi quod proposui initio? & vero quid refert quo tempore homo vel quæ alia res empta euincatur? nam & quę euincitur venditori, emptori qui eam habiturus erat, euinci videtur, *l.* 4. *de donat. inter*

vir. & vx. id enim quiſque penes ſe habere videtur A de quo actionem habet, *l. id apud ſe, de verborum ſignificat.* Si per contumaciam venditor rem non tradat, mihi competit tantum actio ex empto. Si ob id quod euictam ſibi tradere non poſſit, quia tam mihi quam illi euicta eſt, competit actio ex ſtipulatione duplæ. Nec obſtat quod ſæpe legitur in iure, duplæ ſtipulationem committi, ſi res quæ tradita eſt, emptori euincatur. nec enim ideo ſequitur eam ſtipulationem non committi, ſi res venditori ante traditionem euincatur: cum in æquo ſit rem euinci emptori aut euinci venditori, quandoquidem ſiue euincantur ſententia iudicis, rei iudicatæ exceptio quæ nocet venditori, nocet etiam emptori, *l. exceptio. de exc. rei iud.* ſiue euincatur ipſo iure, vt in ſpecie propoſita impleta B condicione quę ſtatulibero qui venierat perducto ad libertatem, libertatis cauſa aduerſus omnes ſuperior potentiorque ſemper erit.

Cap. XXVII.

Explicatur §. actoris, l. 5. de doli exc.

Actoris qui exigendis pecuniis præpoſitus eſt etiam poſterior dolus domino nocebit, hęc verba *l. 5. §. actoris de doli exc.* de ſeruo actore ſunt, non qui poſitus eſt ſupra negotia & rationes omnes domini, ſed qui exigendis tantum pecuniis domino debitis C præpoſitus eſt, & huius quidem actoris definiunt etiam poſteriorem dolum domino nocere, quod eſt obſcurum valde. nec enim apparet euidenter quid hic faciat ille articulus, Etiam, nec cuius doli comparatione poſteriorem dolum dicat, neque vero vllus eſt qui id nobis liquido explicauerit. At puto ſicut §. *ſeq.* Paulus tractat de procuratore dato ad agendum, ita ante hæc verba, *Actoris*, &c. tractaſſe eum de eodem procuratore, & docuiſſe, dolum eius, nō quidem priorem quem admiſerat ante litem conteſtatam, ſed poſteriorem tantum ſiue præſentem, vt loquitur *l. 4. §. quæſitum 2. ſup.* id eſt, τὸν μὴ προκάταξιν, vt Baſilica recte interpretantur, quem admiſit poſt litem conteſtatam, domino nocere oppoſita exceptione doli D mali ex perſona procuratoris: & mox ſubieciſſe quod extat hoc loco, etiam actoris qui exigendis pecuniis prępoſitus eſt, nedum procuratoris in hoc dati vt ageret, cum debitoribus mandatoris, poſteriorem dolum, id eſt, dolum admiſſum poſt quam exigere pecunias debitas cepit, vel admiſſum in eis exigendis, ſicut procuratoris dolum admiſſum poſtea quam de pecuniis domino debitis agere cepit, domino nocere, & hac in re diſtare procuratorem ſpecialiter datum ad agendum à procuratore omnium rerum, cui generaliter libera adminiſtratio conceſſa eſt, illius poſteriorem tantum dolum, huius dolum omnem tam priorem quam poſteriorem domino nocere, vt *d. §. quæſitum.* Ac præterea illum agere tantum poſſe cum debitoribus domini, hunc & agere & exigere & nouare, E vt *l. 20. de nouat.* & aliud pro alio permutare, vt *l. 58. de procur.* vbi in Flor. deeſt verbum, *nouare*, quod aliæ editiones habent, & Baſil, in quibus ita eſt, ἢ μεταπιθέναι ἢ ἐν ἀλλαγῇ ποιεῖν. Adde & ſoluere creditoribus, *l. 58. eod.* & inſtitorem præponere. *l. 6. de inſt. act.* & ſocietati renunciare, *l. 65. §. renunciare, pro ſoc.* & iuſiurandum deferre, *l. 17. §. vlt. de iureiur.* eademque differentia conſtituenda eſt inter actorem ad pecunias exigendas, & actorem omnium rerum domini.

Cap. XXVIII.

Pupillum ſine tutoris auctoritate nouare obligationem ſuam non poſſe, etiam ſi hoc ei expediat.

Ad *l. 20. de nouat.* dum ait pupillum ſine tutoris auctoritate nouare obligationem non poſſe, tutorem poſſe, ſi hoc pupillo expediat, quęri poteſt, an etſi hoc pupillo reuera expediat, non poſſit pupillus ipſe nouare obligationem ſine tutoris auctoritate, & hoc genere facere meliorem condicionem ſuam. Dicerem ego non poſſe, ſicut nec hereditatē adire quāuis luculenta ſit, ſub incerto poteſt, nec in dubiam igitur ire aleam ammittendæ obligationis per cauſam nouationis, etiamſi in veritate hoc pupillo expediat, huius rei arbitrium & peculium non debere permitti pupillo ignaro rerum & hominum, tutori qui iudicio valet, permitti, vnde & Doctores in *d. l. 20.* Hæc verba, *ſi hoc pupillo expediat*, ſic recte interpretantur, Si tutor expedire pupillo putat, At pupillus ipſe diſcernere id non poteſt. Pupillum autem dicit illo loco, ad differentiam eius qui ſui iuris eſt, quamuis ſit paterfam. qui puta ſub tutoribus non agat. nec enim ſui prorſus iuris eſſe videtur, qui ſub tutoribus agit. Itaque initio eius legis, his verbis, *Si ſui iuris*, excludi putamus eos qui ſub tutoribus agunt, vt *l. 43. de oblig. & act. l. 2. §. 1. de pollit.*

Cap. XXIX.

Interpretatio l. 2. de præt. ſtip.

Stipulationes prætorias Paulus docet *l. 2. de præt. ſtip.* alias continere rei reſtitutionem, ſiue de reſtituenda re cauere, vt loquitur *l. inter. §. hic tractatus, de verborum oblig.* & has eſſe indiuiduas, quia nūlla res pro parte rectè reſtitui poteſt, *l. ſi duo, depoſ.* alias continere incertam quantitatem, id eſt, quod ſtipulatoris intereſt, vel, quod eſt idem, Quanti ea res eſt, & has eſſe diuiduas: quia in pecunię præſtationem deſinunt, *l. 68. & 72. de verbor. oblig.* cuius facillima partitio eſt. Illarum vero pro exemplo dat ſtipulationem ex noui operis nuntiatione, quia vicinus, qui molitur opus aliquod nouum vicino nuncianti nouum opus repromittit aut ſatiſdat de opere deponendo quod immolitus fuerit, vel de reponendo eo quod deponere cœperit, ſi iudicatum erit ius ſibi non fuiſſe faciendi noui operis, *l. ſtipulatio. de nou. op. nunt.* Hæc ſtipulatio eſt indiuidua, quia opus reſtitui pro parte non poteſt, *d. l. ſtipulatio §. quæſitum, l. 4. §. vlt. de verbor. oblig.* & ideo ſi ſtipulator deceſſerit pluribus relictis heredibus, qui eorum agit ex ſtipulatu, in ſolidum agit, vt totum ſcilicet opus reſtituatur, nec ſi vincat, aliter ei ſatisfit quam toto opere reſtituto: & retro ſi promiſſor vita deceſſerit pluribus relictis heredibus, electo vno eorum, in eum agitur in ſolidum vt totum opus reſtituat: nec ſi vincatur, aliter iudicato ſatisfacit quam ſi totum opus reſtituat, quia reſtitutio operis actus eſt indiuiduus, ſicut & operis inſtitutio, *l. 72. de verb. oblig.* & generaliter facta omnia ſunt indiuidua. Earum vero ſtipulationum quæ incertam quantitatem continent pro exemplo dat ſtipulationem iudicatum ſolui, & ſtipulationem de rato, & ſtipulationem damni infecti, ſubiicitque, & his ſimiles, veluti ſtipulationes legatorum & Falcidię & euictionis. His omnibus ſtipulationibus promiſſor cauere ſolet de æſtimatione litis, ſiue eius quod intereſt: quæ quidem æſtimatio ante taxationem & pro-

nunciationem iudicis plane incerta ſumma eſt. quia plerumque difficilé eſt probare quanti cuiuſque interſit, & difficile igitur hac de re certo pronunciare. *l. vlt. eod.* Seneca 3. *de benef. Difficilem eſſe ſententiam quæ non rem, ſed vim rei quærit.* Et in his quidem ſtipulationibus reſpondetur, vt ait, ſcindi eas in perſonas heredum tam promiſſoris quam ſtipulatoris, hoc eſt, eas eſſe indiuiduas, quia & id quod intereſt in quod concluduntur, diuiduum eſt, ac ſane quod ad heredes ſtipulatoris attinet, ſi is qui ſtipulatus eſt iudicatum ſolui, vel de rato, vel damni infecti, vel legatorum nomine, vel quo alio ſimili genere pluribus relictis heredibus, vita deceſſerit, ſumma ratione dicitur, vno ex eis vincente, ſtipulationem in partem tantum committi, quia pro parte ſua tantum egit quanti intereſt, *l. 3. de verb. oblig. l. ſi procurator. Rem. rat. hab.* & hoc eſt quod ait, id verba facere ſtipulationis. Quanti ea res eſt, id eſt, quanti intereſt. non pluris igitur quam cuiuſque heredis intereſt committi ſtipulationem, & conſequenter non vltra portionem eius qui vicit. & eodem argumento de ſtipulatione damni infecti in *l. 18. §. emptor. in fi. de dam. inf.* quod ita concludatur ſtipulatio, Quanti ea res eſt, ſi nihil interſit, ait ex ea agi non poſſe. At promiſſore defuncto pluribus heredibus relictis, Paulus contendit dici poſſe victo vno ex heredibus promiſſoris ſtipulationem committi in ſolidum ſiue in id omne quod ſtipulatoris intereſt, quod obligatio quæ à defuncto proficiſcitur, qua ſe & heredem ſuum obligauit, quod & nominatim in his ſtipulationibus exprimi ſolet, *l. 3. Rem. rat. hab. l. fluminum §. adiicitur, de dam. inf.* non poſſit aliam cuiuſque heredis condicionem facere quam fuerit defuncti ipſius, *l. 2. §. ex his, de verbor. oblig.* Vt ergo defunctus in ſolidum teneretur, etſi in partem promiſſioni paruiſſet, ita vno ex heredibus eius pro ſua parte promiſſionem adimplente, ſtipulatio committitur aduerſus omnes heredes, non aduerſus eum ſolum, qui victus eſt : perinde atque ſi nemo quidquam præſtitiſſet, id eſt, in ſolidum, ita tamen vt ſinguli portiones hereditarias conferant, *l. 2. §. item ſi facto, l. 3. l. 4. §. vlt. de verb. oblig.* vbi & hæc differentia proponitur inter heredes ſtipulatoris. Itaque his Pauli verbis, *Quamuis poſſit dici*, Paulus omnino voluit hanc ſtatuere differentiam, non tentauit tantum an probabiliter conſtitui poſſet. Alias qua de re dixere auctores noſtri, *Dici poteſt*, mox id improbant, vt *l. 22. § quod ſi procurator. rem rat. hab. l. mater. de inoff. teſt.* alias id ſequuntur omnino & probant, vt hoc loco *& l. 87. § qui filios, ad legem Falcid.* Neque tamen exiſtimandum eſt etiam his verbis, *Quamuis poſſit dici*, Paulum corrigere quod ante dixit, huiuſmodi ſtipulationes ſcindi in perſonas heredum. nam & eas heredes etiam promiſſoris ſcindunt inter ſe. hoc tantum intereſt quod vincente vno ex heredib. ſtipulatoris, in partem tantum eius committitur ſtipulatio : victo autem vno ex heredibus promiſſoris, in omnes committitur pro portionibus hereditariis. His addit Paulus *d. l. 2. Sed ſi vnus* : &c. Si vnus ex heredibus poſſeſſoris eiuſdemque promiſſoris, qui ante acceptum iudicium in rem ſatis dedit iudicatum ſolui, vt fieri adſolet, totam eam rem quæ petitur poſſideat, hunc ſolum damnari iudicio in rem in ſolidum vt fit etiam in aliis iudiciis, *l. 3. § heres, comm. l. ſi plures, de vi arm.* nec quidquam coheredes huius iudicij exitum contingere, quod Iulianum ſcribere ait. & vero extat hæc Iuliani ſcriptura in *l. ſi poſſeſſor. de rei vindic.* vbi nec de hoc dubitari oportere dicit. At, vt Paulus refert hoc loco, mox ſubiunxit Iulianus dubitari tamen poſſe inquantum ipſe, ne dicas ipſe, id eſt promiſſor, ſed vt Dynus, inquantum ipſe, id eſt, vnus ille heres poſſeſſoris eiuſdemque promiſſoris iudicatum ſolui, cum quo herede ſcilicet actum eſt actione in reum, quique eo iudicio in ſolidum damnatus eſt, quod totam rem poſſideret vel inquantum fideiuſſores qui pro defuncto iudicatum ſolui ſpoponderunt, hoc caſu ex ſtipulatione iudicatum ſolui teneantur, & an omnino teneantur. Et, inquit Paulus, videndum eſſe ait idem Iulianus, ſcil. ne non committatur ſtipulatio iudicatum ſolui, quibus verbis modeſte, vt iuris auctores ſolent, plane confirmat, vno ex heredibus poſſeſſoris eiuſdemque promiſſoris iudicatum ſolui damnato in ſolidum iudicio in rem quod totam rem poſſideret, nullo modo aduerſus eum vel fideiuſſores iudicatum ſolui, ſtipulationem committi, recte, quia non vt heres damnatus eſt, ſed vt poſſeſſor, non hereditario, ſed proprio nomine, *l. 12. §. vlt. ad exhib.* Alioquin pro parte tantum hereditaria damnatus fuiſſet : & ſtipulatio iudicatum ſolui heredem ſolum ſiue iudicatum vt heredem tenet. qua ratione ſi poſt præſtitam cautionem iudicatum ſolui, quæ ſemper præſtatur ante iudicium acceptum cum poſſeſſore in rem actione, poſſeſſor duobus & poſt iudicium acceptum, aut pluribus heredibus relictis deceſſerit nondum iudicio finito, vnus ex heredibus eius, licet totam rem poſſideat, non maiore ex parte damnandus eſt, quam pro qua heres eſt. quia iam non vt cum poſſeſſore, ſed vt cum herede poſſeſſoris, iudicium peragitur, quod à defuncto cœpit, quaſi in heredes tranſlatum iure hereditario ex contractu cuius vicem obbtinet litis conteſtatio, & ideo nec ſtipulatio iudicatum ſolui in eum committitur vltra portionem hereditariam, & huius quoque ſententiæ in *d. l. ſi poſſeſſor.* hæc Iuliani verba, *Ante iudicium acceptum*, ſatis ex contrario idoneum argumentum præbent, quaſi ſcilicet aliud videatur eſſe dicendum, ſi poſt iudicium acceptum poſſeſſor pluribus heredibus relictis deceſſerit. Et hæc eſt totius *l. 2.* perſpicua interpretatio.

CAP. XXX.

An ex dolo tutoris pupillus teneatur.

CVm quæritur an ex dolo tutoris pupillus teneatur, ita diſtingui ſolet, Aut tutor eſt ſoluendo, aut non ſoluendo. Si ſoluendo, vel eo magis ex dolo eius videtur pupillus teneri quod ab eo ſeruare & cõſequi poſſit, quod nomine doli à tutore ſuo admiſſi actori præſtiterit, *l. 1. §. hoc edicto. Ne vis ei fiat qui in poſſ. l. ſumma §. ſi dolo, de pecul. l. 4. Quando ex fact. tut.* Sed ſi tutor ſoluendo non ſit, quamuis æquum ſit ne qui cum eo contraxit pupilli nomine, ex dolo eius damnum ſentiat, vt ei accommodetur actio aduerſus pupillum in id quod à tutore ſeruari non poteſt, *l. 4. §. 1. de euict.* hoc tamen caſu pupillus ſi ex tutoris dolo conueniatur, abſoluendus eſt, ſi modo paratus ſit cedere quales quales actiones, quas eo nomine habet in tutorem, *l. vlt. de adminiſt. tut.* ſicut in *l. Titio fundus, de condic. & demonſt.* etiam qualiſcunque ceſſio actionum pro iuſta præſtatione eſt. Eſt autem forte, *d. l. vlt. ex l. 3. §. penult. de trib. act. & d. l ſumma §. ſi dolo.* adſcribenda non *lib. 20.* Epiſtolarum Pomponij, ſed *lib. 8.* vt lex quæ præcedit. Sed & in *d. l. 3. § penult. de trib. act.* ex *d. l. vlt.* videtur eſſe legendum, *Si tutor ſoluendo non ſit.* Itaque ſi effectum & exitum rei ſpectas, ex dolo tutoris pupillus non tenetur, ſi tutor ſoluendo non ſit. Sed & priore caſu ſi tutor ſoluendo ſit, deducto eo quo pupillus ex dolo tutoris factus eſt locupletior, verum eſt tutorem in reſiduum teneri, *l. 13. §. ſed cum. de act emp.*

CAP. XXXI.

Actionem ex locato quaesitam venditori post venditionem pradij rustici vel vrbani non esse cedendam emptori, nisi aliud nominatim conuenerit.

QVamuis venditor emptori praestare debeat actiones quas ante traditionem adquisiuit, quod rei venditę nocitum esset, puta actionem ex stipulatione damni infecti, & actionem aquæ pluuiæ arcendæ, & actionē legis Aquiliæ, & interdictū quod vi aut clam, *l* 13. §. *si fructibus, de act. emp.* & adde si libet, actionem furti, & vindicationem, & condictionem ex causa furtiua, si res venditori furto subrepta sit. *l. eum qui, l. si vendidero, in pr. de furt.* non tamen cedere tenetur emptori actionem ex locato pensionum nomine, quæ post venditionem ante traditionem deberi cœperunt, quia nec locationi stare tenetur emptor, *l. 9. C. de locato*, nisi aliud conuenerit. quod vtique fisco vendente tacite conuentum intelligitur, *l. vltima, de iur. fisc.* non etiam priuato vendente. Quin etsi ex conuentione vltro emptor steterit, præteritarum ante traditionem pensionum commoda non debentur: quia ex negotiatione sunt venditoris, non ex re ipsa, sicut fructus, *d.* §. *si fructibus*, nec ex vtilitate quæ circa rem versetur, contingatve rem ipsam. & hanc quidem sententiam meam valde confirmat *l. venditor. de her. vend.* quæ docet, Si post venditionem serui tibi factam, eundem seruum alij vendidero & pretium accepero, ac deinde is seruus sua morte interierit & antequam fecissem moram in eo tradendo tibi, nihil me tibi debere, ne pretium quidem quod accepi, quia, vt ait, pretium hominis venditi non ex re ipsa, sed propter negotiationem percepi. Quod ibi de pretio emptionis, cur non traham etiam ad pretium locationis?

CAP. XXXII.

Interpretatio l. 24 de adq. poss.

QVod dicitur seruum nostrum ignorantibus nobis possessionem & dominium adquirere, *l. 34. §. vlt. de adq. poss.* §. *item nobis, Instit. per quas personas nobis adq.* hoc declarat *l. 24. de adq. possess.* ita procedere, si possessionem apprehenderit suo corpore ex iusta causa, non si ex iniusta. Possessio omnis incipit à corpore, possessio omnis ab initio corporalis est. Ceterum alias iusta, alias iniusta. Iusta est, quam bona fide nanciscimur iusta ex causa, veluti emptionis, donationis, legati: iniusta, quam vi aut clam. Et iusta quidem domino ignoranti per seruum adquiritur, iniusta non item. Is, inquit, qui in tua potestate est ignoranti tibi non corporalem, videlicet simpliciter & indiscrete, non corporalem qualemcunque possessionem, sed corporalem iustam adquirere potest. & addit similitudinem, sicut id quod ex peculio ad eum peruenerit possidet, id est, quod ei in peculium dominus concessit, seruus possidet, & per eum dominus, Possidet, id est, corporaliter & naturaliter tenet, vt initio legis vi possidet, id est, tenet, quoniam, vt subiicit, seruus nihil possidere ciuiliter potest: quippe cum iure dominij nihil proprium habere possit, sed naturaliter tantum, *l. 49. §. 1. eod.* Quod tamen ipse adquisiuit & tenet naturaliter etiamsi ignorante domino id adquisierit ex iusta causa, quia & hoc in peculio serui intelligitur esse, *l. non solum, in pr. de pecul.* id dominus possidere videtur naturaliter A corpore serui simul ac ciuiliter, *l. 1. §. quod seruus, de vi & vi arm.* sicut & peculium quod seruo concessit, & eleganter *l. interdum fur, §. si res, de fur.* in peculio esse, & ita à domino possideri. Denique quod in peculio est, id dominus possidet. quod ergo seruus adquisiuit ex iusta causa: nam quod ex maleficio, id dominus velle non videtur in peculio esse quod male partum est, *l. 4. §. ex his, de pecul.* Ergo nec possessio eius quod scelere quęsitum est, ignoranti domino quęritur. Scienti & volenti quæritur. Quod ait, *summa cum ratione. vt l. 21. de pecul. l. 2. de prat. stipul.* respicit ad id quod proposuit, *Quoniam is qui in tua potestate est*, &c. Et breuiter hoc vult ea lex, quod adquirit seruus etiam ignorante domino ex iusta causa, id in peculio serui esse, non minus quàm id quod ei dominus concessit in peculium, & ideo possideri à domino, non etiam quod seruus ex maleficio adquirit. quia id si rescierit dominus prudens & catus, qualis paterfamil. quisque esse præsumitur, passurus non sit in peculio esse. neque verò vllam hic differentiam tangit eorum quæ seruus adquirit ex causa peculiari & extra causam peculiarem, de qua *l. 1. §. item adquirimus, eod.* Errabis tota via si in interpretanda hac lege ad differentiam illam respexeris.

CAP. XXXIII.

Quid faciat articulus, Verè, in l. 13 §. sed & legatario, de adq. poss.

QVæri non abs re potest quid in *l. 13. §. sed & legatario, de adq. poss.* faciat articulus, *verè*, illo loco. vt Flor. scriptum est, si legatum verè fuit vel fideicommissum. Equidem puto Vlpianum διὰ σημείων pro *verè* scripsisse, *per damnationem*, quia res aliena ante Iustinianum non potuit relinqui nisi per fideicommissum aut legati genere per damnationem, non per vindicationem, *l. Stichus seruus, de man. test. l. 88. de verborum significat. l. alienus, ad legem Falcid.* quibus in locis huius antiquæ differentiæ, vestigia extant, vt docui *Obseruat. 14. cap. 36.* Res autem propria testatoris alij legata, accessio temporis quo possedit testator, qua de agitur illo loco, prorsus inutilis est: nec enim alia fini fit accessio quam vt vsucapionis tempus conpleatur. Vbi igitur vsucapioni locus non est, vt cum res propria legata est per vindicationem, quo genere protinus dominium à testatore in legatarium transit, possessionis accessio nihil prodest.

CAP. XXXIV.

Iterum & latius euidentiusque explicatur multa famæ §. nihil commune.

EX eo quod proponit Vlpianus initio *l. 12. §. nihil commune, de adq. poss.* nihil commune habere proprietatem cum possessione, quod & his verbis *l. penult. eod.* permisceri proprietatem & possessionem non debere, & *l. 1. §. huius autem, Vti pos.* separatam esse possessionem à proprietate, Vlpianus infert, eum qui cœpit rem vindicare, quæ actio est de proprietate, *l. 14. §. vlt. de exc. rei iudic. l. 14. §. vlt. de seru. corrupt.* Lis proprietatis siue dominij, *l. eiectis, de vsur.* posse agere interdicto vti possidetis, quod est de retinenda possessione quam quis suam esse vocat. Nec enim videtur, inquit, renuntiasse possessioni qui rem vindicauit: quia etsi possessori rei vindicatio non competat, *l. 1. §. interdict. Vti poss.* ac proinde qui rē vindicat hoc iudicio agit tanquam non possessor, non tamen sic agit eo nomine vt possessionem si quam habet, aut se ha-

bere compererit, abiiciat. Vindicatio non renuntiandę, sed auocandæ possessioni comparata est. Itaque integrum ei est, qui cœpit rem vindicare, decurrere ad interdictum vti possidetis, pendente nec intermisso iudicio in rem, vel etiam formula iudicij. Mutari actio potest ante rem iudicatam, *l. 4. §. vlt. de noxal. act. l. huiusmodi §. qui seruum, in fin. de leg. 1. §. si quis aliud, Instit. de act.* Quin & simul vno eodemque tempore apud eundem iudicem potest quis & interdicto vti possidetis vel vtrubi agere tanquam non possessor, & rei vindicatione tanquam non possessor, possessorio scilicet & petitorio iudicio, & vt Baldus loquitur in *l. 1. C. de furt.* iudicia contraria cumulare subalternatiue, quod est χατ' ἐνάντιον καὶ ἀντιπαράστασιν, quemadmodum Publiciana simul & directa in rem actione, vt vel hoc vel illo iudicio qui agit vincat & sane si cœpto & pendente iudicio in rem licet agere interdicto vti possidetis, cur non & ab initio vtrumque coniungere? De interdicto vnde vi, quod est de amissa possessione reciperanda, & de interdicto quorum bonorum, vel quod legatorum, quod est de apiscenda, certum hoc est coniungi ea posse cum rei vindicatione: quia vtraque actio non possessori datur, nec sunt iudicia contraria, & ita Symmachus in *Epistolis ad Theodosium Imper. ex Constitutionibus iudici licere quotiens de possessione iudicat*, per vim scilicet occupata, *continuo si casus tulerit etiam de proprietate cognoscere*, videlicet cum vtraque quæstio in iudicium deducta est, vt *cap. 36. in fin. extr. de testib.* His consequens est, vt dicamus etiam inchoato nec [ina]m finito iudicio petitorio, interdicto reciperandæ vel apiscendæ possessionis agere licere, vt *l. cum fundum §. vlt. de vi & vi arm.* eadem ratione quia non sunt iudicia contraria. At in interdicto quoque retinendæ possessionis idem seruari §. *nihil commune*, qui in eam rem singularis est, ostendit, quod tamen improbare Pontifex videtur in *cap. v. de caus. poss. & propr.* his verbis: *Aliis possessoris iudiciis in suo robore duraturis*, quæ proculdubio de interdictis retinendæ possessionis accipienda sunt, quorum propria natura hæc est vt eis prius agatur quã iudicio in rem. Verum id timide facit, cum nominatim non designet interdicta retinendæ possessionis. & forte motus fuit ratione diuersitatis, quæ & Doctores omnes mouit, quod interdicta apiscendæ vel reciperandæ possessionis, ἀδιαίρετος concursum admittant actionis in rem, quia vt actio in rem, & illa quoque interdicta, non possessori dantur. At interdicta retinendæ possessionis, quæ possessori dantur, videntur non posse ferre consortium actionis in rem quæ non possessori datur. At nihil ea quidquam varietatis ratio obest quominus qui rem cœpit vindicare, postea experiatur etiamsi velit interdicto vti possidetis, vt mutata actione vel pendente nec dimisso iudicio in rem. *Non enim*, inquit Vlpianus, *videtur possessioni renuntiasse quam nunc suam esse vocat, hoc agens vt eam retineat qui ante rem vindicauit*: quæ verba Pontifex in antiqua Decretali perperam aptat ad interdictum vnde vi, cum sint de interdicto vti possidetis, nec vllo modo congruant interdicto vnde vi. Et omnino Vlpiani mens hæc est, non eo animo quemquam ad rem vindicandam venire, vt possessionem si quam habet, omittat. possessionem enim suo iure metiendã, esse, non quali quali cõfessione nostra, aut subconfessione. Nec nobis qualis qualis confessio aut subconfessio adeo nocere debet, vt eam emendare non possimus. nam etsi egero de ingenuitate, non videor renuntiasse libertinitati, *l. penult. C. de ing. man.* & si egero familiæ erciscundæ, quo genere confiteri videor aduersarium coheredem meum esse, non videor renuntiasse petitioni hereditatis, *l. qui famil. fam. erciſc.* Si auctori obiecero exceptionem, non ideo quasi confessa intentione eius renuntiasse negationi videor, vt Sulpitius Victor scribit *in Oratoriis Institutionibus*, quia & exceptio plerumque datur ex abundanti. Libanius *in Demosthenem*, θαῤῥεῖ μὲ χὴ τῇ δίκῃ, ἐκ περισσοῦ ὄντως καὶ ἀναγκαίως ὁ νόμος δίδωσι. Vt igitur nihil vetat, inficiari simul & excipere, hoc modo. Nihil debeo, & vt debeam pepigi tecum de non petenda pecunia, cur non licebit etiam agere in hunc modum, Non tu possides, sed ego, & vt possideas, rem meam esse aio?

CAP. XXXV.

Notantur verborum traiectiones quædam.

HÆc verba *l. 23. de iure dot. Quia autem in stipulatione non est necessaria dotis adiectio*, ex *l. 21.* cui applicanda est, euidenter apparet traiecta esse, & restituenda in hunc ordinem, *quia autem in stipulatione dotis non est necessaria adiectio* (adiectio scilicet & expressio huius condicionis, si nuptiæ sequantur) *etiam in datione tantundem ducimus*, id est, non esse eam adiectionem necessariam in traditione dotis, quia tacite inest, vt *l. 7. §. vlt. de cond. cau. dat.* Similes traiectiones vel ὑστεροπροτερισμοὶ sunt in *l. 18. §. emptor, de dam. infect.* vbi legendum, *Sed quid fiet si venditor*, sine culpa non stipulari potuerit, id est, si sine culpa potuerit omittere stipulationem damni infecti. Et in *l. 24. de bon libert.* Cuius verba disponenda & distinguenda sunt in hunc modum. *Communi liberto, si ex duobus patronis alter iusiurandum adegerit ne vxorem ducat, vel viuo liberto decesserit, vel superuixerit, is qui extra hanc culpam fuerit partis*, &c. vt verba illa, *decesserit vel supernixerit*, ad eum referantur qui in culpa est.

CAP. XXXVI.

Adl. 31. §. vlt. sol. matr.

IN *l. 31. §. vlt.* dum ait, siue mulier diuortio facto per imprudentiam fundum dotalem repetierit non habita ratione fructuum pro rata nouissimi anni, quo diuortium factum est, siue ancillam aut seruum dotalem non habita ratione partuum, vel adquisitionum qui quæve obuenerunt post diuortium, dubitari non immerito potest, cur addiderit, *post diuortium*, cum & eę res si obuenerint constante matrimonio, pertineant ad mulierem, si nouissimo anno, exempli gratia, matrimonium steterit tribus mensibus, pro rata nouem mensium. At dici potest ad verba illa, *post diuortium*, speciem esse ponendam ex *l. fructus §. in seruo, eod. tit.* vt si vir operas serui dotalis inæstimati in annum locauerit ante diuortium, & mox eodem anno diuortium fecerit, præteriti temporis ad maritum, post diuortium autem ad mulierem pertineant, quod nihil aliud est quam operas vel mercedes operarum ἀναλόγως diuidere inter virum & vxorem: nempe vt pro rata temporis quo nouissimo anno matrimonium stetit, operæ ad maritum, pro rata autem temporis quo non stetit, ad mulierem pertineant. Quid autem si iam exierit annus locationis antequam diuortium fieret? & hoc casu certum est integras mercedes operarum ad virum pertinere, *l. vn. §. cumque ex stipulatu, C. de rei vx. l. act.* quia & operæ quodammodo ex re mariti sunt, *l. qui bona, de adq. rer. dom.*

CAP.

CAP. XXXVII.

Emendatur l. 7. §. vlt. de cur. fur.

SI curatorem dementis quod non satis dedisset, Rem dementis saluam fore, prætor remouerit, & alium curatorem dederit, qui & ipse cum non satis dedisset, cum remoto egerit vtili negotiorum gestorum, eumque condemnauerit, ac postea heredes dementis si cum priore curatore qui remotus est, agant negot. gestorum, prior curator tueatur se exceptione rei iudicatæ inter se & posteriorem curatorem, heredes iure replicabunt: Aut si is qui egit satisdederat. Si, inquam, posterior curator qui egit cum priore, satisdederat, atque adeo iure non egerat, *l. 3. C. de tut. vel curat. qui satis non ded.* Verum, vt est scriptum *l. 7. §. penult. de curat. fur.* an hæc replicatio curatori profutura sit, iudex æstimabit, vbi plus quam manifestum est pro *Curatori* esse scribendum *Heredibus*, heredibus scilicet dementis. quia, vt ait, æquũ non est heredibus hanc replicationem proficere si prętor animaduerterit pecuniam redactam ex condemnatione prioris curatoris versam in rem dementis vel furiosi, atque adeo huic replicationi subiicienda erit triplicatio doli mali. Præterea in *d. l. 7. §. vlt.* ratio, propter quam dicitur alteri ex curatoribus furiosi solui recte, & alterum quoque rem furiosi legitimo modo vendere recte, & tradere, emptorique vsucapionem procedere, quia solutio, venditio, traditio facti magis sunt quam iuris, sic explananda est. quæ iuris sunt, ea exequi omnes curatores oportet, velut actus solemnes & legitimos, cretionem, optionem, mancipationem: quæ facti sunt vnus exequi potest, quia & duo simul in solidum idem facere vix possunt, & vno faciente, alter consentire semper intelligitur, maxime si præsens sit & taceat. Solutio, venditio, traditio facti potius sunt quam iuris, quia etsi dominium non transferant in accipientem, tamen ex ipso facto solo per se consistunt & pariunt vsucapiendi causam. Quæ dominium vel obligationem transferunt, iuris sunt, non facti, *l. 130. de verborum oblig.* Venditio & traditio rei suę, iuris est: venditio & traditio rei alienę, facti, quia nudam possessionem, quæ res facti est, transfert, non dominium, quę res iuris est. Solutio per se si inspiciatur sola vt quæ fit adiecto solutionis gratia citra obligationem, facti est, *l. 55. de verborum obligat.*

CAP. XXXVIII.

Ad l. 75. de iud.

LIber *36. Iuliani Digestorum*, quia totus fuit de legatis & fideicommissis, *ad l. 75. de iudic.* quæ ex eo libro sumpta est, soleo exemplum apponere de fideicommisso quod alij heres vel legatarius debet, vt si à prætore fideicommissario iudicio adesse iussus per contumaciam abfuerit, ex edicto peremptorio, ordine scilicet edictorum peracto, & impleta solemnitate iuris decreto prætoris absens condemnetur, à qua sententia constat eum appellare non posse, *l. 72. §. vltim. eodem tit. l. ex consensu §. vlt. de appellat.*, & protinus ab eo qui condemnatus est, debitum fideicommissum exigi posse actione iudicati. & de fideicommisso potius quam de legato exemplum pono, quia in causa legati prætor iudicem dat, *l. 73. de leg. 2.* non in causa fideicommissi, *l. pecuniæ, de verborum significat.* & Vlpianus *lib. singulari Regularum tit. de fideicom.* vbi autem prætor ipse de fideicommisso cognouit & pronunciauit, fateor ab eo actioni iudicati iudicem addici specialem, qui de eo tantum cognoscat, vt ostenditur *d. l. 75.* an iudicatum sit, an prætor fideicommissi debitorem codemnauerit, non an recte condemnauerit. alioquin, vt ait, si sententiam & decretum quod prætor interposuit decurso ordine edictorum retractare liceret, lusoria essent, id est, hominum irrisione luderentur edicta & decreta prætorũ. Deniq; decreta lusoria essent, non decretoria, quod ferendum non est; *l. vlt. Ne quid in loc. pub.* Porro ad hanc Iul. sententiam adduntur duę exceptiones, vna ex Marcelli notis ad Iulian. altera ex Pauli. Marcelli exceptio hæc est: Si is secundum quem prætor sententiam in absentem dixit per dolum sciens, vt ait ἐκ προμηθείου, falso aliquid allegauerit, & hac arte consecutum eum sententiam prætoris liquido fuerit approbatum. Liquido vox est pertinens ad probationum δηλότητα. Consequi autem sententiam scribendum est, vt *l. cum precibus, C. de probat., l. vltima, C. de bon. auct. iudic. poss.* quam tamen vtique non is tantum consequi dicitur qui vicit, sed & qui damnatus est. Ambrosius *ad Rom. c. 8. Hoc genere*, inquit, *antiqui medici in hominib. morte dignis vel mortis sententiam consecutis*, &c. Hoc vero casu iudex addictus actioni iudicati, non de eo tantum an iudicatum sit cognoscere debet, sed etiam an iudicatum sit ex falsis allegationibus. quod si ita esse compererit, pronunciabit, Non iure sententiam dictam videri, vt *l. 4. C. si contra ius vel vtil. pub.* Pauli autem exceptio hęc est, Si qui à prætore in ius vocatus iudicio defuit, iustas & necessarias habuerit absentiæ causas, veluti aduersam valetudinem, aut maioris rei occupationem, vt *l. contumacia §. penult. de re iud. l. penult. C. quomod. & quand. iudex.* quo casu vel actio iudicati danda non est, vel prætor ipse exequi iudicatum non debet. Quibus verbis duplicem notat rationem exequendę sententiæ prætoriæ, vel per prætorem ipsum, vel per iudicem specialem siue executorem in hanc rem à prætore specialiter datum. Hoc igitur casu prętorem eremodicium potius, & causæ defensionem reo non ritè condemnato restituere debere, vt *l. ait prætor §. vlt. de minor, l. 4. C. de procur.*

CAP. XXXIX.

Ad §. duobus l. 91. de leg. 1.

SI testator duobus heredibus institutis ex æquis partibus, alteri legauerit Stichum & Sticho x. quę species proponitur in *l. 91. §. duobus, de legat. 1.* hoc in primis obseruandum est, inter ea duo legata magnam esse distantiam: namque legati eius quod heredi relictum est, dies cedit à morte testatoris, & debetur heredi etiamsi hereditatem non adierit, *l. 89. eodem.* Legati autem seruo relicti dies non cedit ante aditam hereditatẽ, *l. cum leg. l. heredis §. vlt., quand. dies leg. ced. l. vn. § libertatibus, C. de cad. tollend.* quia nec ante scire possumus seruo forte manumisso, an domino vel cui domino legatum adquiratur expectanda igitur est aditio quæ hoc patefaciat. His consequens est, vt ad legatum heredi relictum regula Catoniana pertineat, non ad legatum Sticho relictum, quia ea regula est tantum de legatis, quorum dies iure antiquo à morte testatoris cedit. Quapropter in proposita specie si testator duos ex æquo heredes instituerit, & alteri legauerit Stichum, Sticho vero x. ab initio in Stichi persona consistit legatum, atque ideo si viuo testatore perductus ad libertatem fuerit, solidum legatum, id est, integra x. ei debentur, puta quina à singulis he-

redibus si ambo heredes extiterint: nam etsi heres cui Stichus legatus est non adierit hereditatem, alter heres integra x. debet Sticho viuo testatore manumisso. Sic est accipiendus *d.* §. *duobus*, nempe vt quod dicit, *totum legatum ei debebitur*, id vel fatente Accursio de Sticho dicit, ita quod sequitur, *solidum ab altero herede consequi potuisset*, idem sit cum eo quod ante dixit, Sticho viuo testatore manumisso solidum deberi, non heredi cui legatus Stichus est. Verum quidem est Sticho non manumisso, heredi cui legatus Stichus est, non adeunti hereditatem totum deberi iure legati, eidemque per Stichum adquiri x. Verum inquam, hoc esse fateor, verba *d.* §. *duobus*, hunc sensum referre diffiteor.

CAP. XL.

Ad §. pen. eiusdem legis.

IVlianus in *l.* 91. §. *penult. de leg.* 1. Si seruo Titio legato non testator idē, sed alius aliquid legauerit, & viuo priore testatore dies legati seruo relicti cesserit, id est, si adita posterioris testatoris hereditas fuerit, confestim id legatum hereditati adquiri. quod qua ratione defendi possit, non video. quia imo verum est id legatum viuo priori testatori adquiri, non hereditati, quæ nulla dum est. Nulla scilicet viui hereditas, A nullus heres, nullum testamentum. Et hereditatem hoc loco accipere pro spe futuræ hereditatis, alienum maxime est à sensu & vsu communi. Si igitur falsum est, quod ait, legatum quod extranei testamento seruo legatum est, viuo domino cedente eius legati die hereditati domini adquiri, etiam inconcinnum est quod subijcit, quamuis postea dominus qui seruum Titio legauerat moriatur, legatum eidem seruo extranei testamento relictum ad Titium non pertinere. Quo enim quis hoc vel minimo colore ductus tentauerit, id legatum ad Titium pertinere quod iam domino quæsitum est, nec Titio à domino relictum? Mihi semper visum est, quæ in alijs plerisque locis Digestorum insident delicta, ea omnia quod huic loB co insidet longe superare, & scripsisse Iulianum hoc modo, *Si mihi seruus à te legatus fuerit, & eidem seruo aliquis legauerit, & mortuo eo qui mihi seruum legauerat* (mortuo scilicet ante aditam hereditatem, vt *l. quod seruus, de leg. 2.*) *dies legati seruo dati cesserit, confestim id legatum hereditati adquiritur: & ideo quamuis postea adeatur hereditas eius qui mihi seruum legauerat, ad me id quod seruo legatum est, non pertinebit.* Si hanc animaduersionem forte tanquam capitale facinus aliquod reieceris, age, nihil moror, vtere vulgo recepta interpretatione, & hereditatem accipe pro hereditate futura aut herede futuro, aut testatore ipso qui nondum desierit hominem viuere. Hereditas pro herede accipi videtur in *l.* 16. *in fin. quand. dies leg. ced.*

IACOBI CVIACII IC. OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM. LIBER XXVI.

CAPVT PRIMVM.

Emendatur §. idem Iulianus, l. 11. *ad S. C. Trebell.*

SI paterfam. duos sibi heredes extraneos instituerit, eosdemque filio impuberi exheredato substituerit, & rogauerit vt hereditatem filij, si ad eos peruueniret ex substitutione pupillari, L. Titio restituerent: mortuo filio intra pubertatem, non est necesse postulante fideicomm. vtrumq; heredem cogere ad adeundam patris hereditatem, cum sufficiat vel vnum cogi, quia vel vnius aditio etiam coacta confirmat tabulas pupillares, *l.* 14. §. *si quis compulsus, ad Sc. Trebell.* & vel ab vno adita patris hereditate, consequens est, vt ambo ex substitutione pupillari cogantur filij hereditatem adire, & L. Titio restituere, *l.* 27. §. *à patre, eod. tit.* cuius §. pene eadem verba cum Vlpianus referat in *l.* 11. §. *idem Iulianus, eod.* ex eo sane §. *à patre, in d.* §. *Idem Iulianus*, legendum videtur, *Si duo fuerint à patre instituti filio eius impubere exheredato, & iidem substituti*, &c. si legas, vt vulgo, *cum filio eius impubere*, tres ponas heredes institutos, filium & duos extraneos. quod si fecit pater, & post mortem patris filius impubes moriatur, nihil necesse est vel vnum ex coheredib. filij adire vt confirmentur tabulæ pupillares, cum ἀνάφανος filij sui heredis eas confirmet satis, *d. l.* 27. §. *si pater, l* 12. *de vulg. substit. l. paterfam. de bonis auctor. iudic. possid.* vel si filius viuo patre moriatur antequam patri heres extiterit, proculdubio euanescunt tabulæ pupillares: quia viuo patre filius fam. C ex testamento heredem habere non potest, *l. lex Cornelia*, illo loco. *Quare etsi impubes filius* (sic legendum) *de vulg. subst. l.* 11. *de capt. & postl.* Illud vero *cum*, quod est in *d.* §. *idem Iulianus*, puto creatum ex hisce notis male perceptis, E. N M. quæ significabant, Exheredato nominatim.

CAP. II.

In ciuilibus bellis iura non obseruari captiuitatum vel postliminiorum vel legis Corneliæ.

QVod Vlpianus ait *l.* 21. §. *penult. de capt. & postl.* in ciuilibus dissensionibus quamuis sæpe per eas Respub. lædatur, non tamen in exitium Reip. contenditur, ex Ciceronis sumpsisse videtur 111. D *in Catil.* illo loco, *illæ tamen omnes dissensiones quarum nulla exitium* R. P. *quæsiuit.* & illo, *ciuiles dissensiones erant huiusmodi quæ non ad delendam, sed ad commutandam Remp. pertinerent.* Idemque in eandem sententiam pro Q. Ligario, *Non hostile odium fuit, sed ciuile dissidium, vtrisque cupientibus Remp. saluam.* Et Plato similiter *in Epitaphio*, πρὸς τὸ ὁμόφυλον μέχρι νίκης δεῖν πολεμεῖν, καὶ μὴ δι' ὀργὴν ἰδίαν πόλεως τὸ κοινὸν διολλύναι. πρὸς δὲ τοὺς βαρβάρους μέχρι διαφθορᾶς. Hostilia bella geri ad internecionem, ciuilia ad victoriam ab his qui in Rep. principes esse cupiunt. Ex hac vero sententia recte infert Vlpianus in §. *vlt.* in ciuilibus bellis eos qui in alterutras partes discedunt, vice hostium non esse, & ideo nec iura captiuitatum, aut post-

postliminiorum inter eos locum habere, vt Plutarchus *in Othone*, ἐν ἐμφυλίοις πολέμοις χρῆσις οὐκ ἔστι τοῖς ἁλισκομένοις, & Cornel. Tacitus 2. *Hist. Ciuilibus præliis captos in prædam non verti.* Idemque *lib. 3. irritam Cremonensium prædam militibus effecisse consensum Italiæ emptionem talium mancipiorum aspernantis.* Ælius Gallus *apud Festum, Quæ nationes in ditione nostra sunt, cum his postliminium non esse.* Quibus consequens est quod & Vlpian. in *d. §. vlt.* subijcit, ciuili bello captos & vænundatos, posteaque manumissos superuacuo à principe repetere ingenuitatem, quam nulla captiuitate amiserunt: nam etsi manumissio argumentum prębere videatur amissæ ingenuitatis: tamen sępissime constitutum est, manumissionem veritati & origini ingenuitatis non officere.

Cap. III.

Multum interesse, desierit quis esse soluendo, an bona eius possideri cœperint.

SI desiit soluendo esse reus pro quo absente aliquis satis dedit Iudicatum solui defendendi eius gratia, non ideo minus defensor à prætore compellitur litem contestari, *l. Titius, de procurat.* At si bona absentis omnia, vt fit, ex edicto prætoris à creditoribus possideri cœperint, moxque proscribi & distrahi, & non bona tantum amplissima, sed etiam victus vestitusque necessarius, vt *in Quinctiana* M. Tullius ait, si ei viuo viuentique funus dicatur, & ad extremam egestatem redigatur, iusta hæc est defensori causa non contestandæ litis etiam post satisdationem, *l. 43. §. vlt. eod. tit.* Desinit esse soluendo & qui non in totum, sed pro parte tantum desinit esse soluendo, §. *item si fullo, Instit. de oblig. quæ ex delic. nasc.* At is cuius bona omnia possidentur à creditoribus, & væneunt, in totum desinit esse soluendo. Hunc premit egestas, illum paupertas siue inopia, quæ duo mutant inter se plurimum. Paupertas parui possessio est, Egestas nullius rei pecuniæve possessio. Martialis, *Non est paupertas habere nihil.* quia egestas scilicet hoc est, non paupertas. Et in condemnatione personarum quæ in id quod facere possunt damnantur, recte dicitur ipsarum rationem haberi ne egeant, *l. in condemnatione, de reg. iur.* id est, ne desit ipsis victus vestitusque, *l. 6. de cess. bon.* Plus enim est egenum; quam pauperem esse.

Cap. IV.

Interpretatio l. 37. de solut.

SI vnus ex fideiussoribus pro sua parte soluerit creditori nomine rei principalis quasi negotium eius gerens, perinde hoc est ac si reus ipse principalis partem vnius fideiussoris soluisset ei⁹ nomine. ergo quod rei nomine soluit fideiussor, reus ipse soluisse videtur fideiussoris nomine, si id approbauerit: quoniam vtroque modo id agitur vt fideiussor pro sua parte liberetur. Et liberatur vtique fideiussor. At reus non liberatur, quod Iulianus vel Ferox significat in *l. 37. de sol.* dum ait, nihil ex sorte decedere, vt M. Tullius *pro Rabirio Postumo*, de summa decessionem non fieri: & sane si debitor ipse principalis dum vult vnum ex fideiussoribus liberare reapse soluisset partem virilem vnius, fideiussor ille solus liberaretur, *l. 5. §. 1. eod. tit.* debitor principalis neque ipso iure, neque per exceptionem liberaretur, quia non vt se liberaret fideiussorem vnum, qui pro se fidem suam obstrinxerat. Liberato fideiussore non continuo liberatur etiam reus prineipalis, vt *l. heres §. vlt. eod. tit.* tametsi è contrario liberato reo, consequens sit fideiussorem liberari. Illud cum cura seruandum in *d. l. 37.* non quæri an fideiussor qui soluit partem suam volenti creditori, & pro parte confideiussorum liberetur, qua de re est *l. inter eos §. 1. eodem*, quæ statuit eum liberari etiam pro parte confideiussorum, non quidem ipso iure, quoniam singuli fideiussores obligati sunt in solidum, sed per exceptionem taciti pacti, argum. *l. si creditores, C. de pact.* quasi id actum sit inter eum & creditorem vt omnino liberaretur soluta parte sua, videlicet si confideiussores residuo soluendo pares sint, non si soluendo non sint, sed hoc tantum quæritur in *d. l. 37.* an pro sua parte omnimodo liberetur vnus ex fideiussoribus, qui nomine rei principalis suam partem soluit. Et placet liberari eum omnimodo siue soluendo sint cæteri fideiussores, siue non, & quidem solum liberari, non cæteros, qui in residuum obligati manent, non item reum principalem. Neque vero huic vni fideiussori, vt quod soluit recipiat, est in debitorem principalem actio negotiorum gestorum, quia se tantum liberauit, non debitorem principalem, licet nomine soluerit debitoris principalis, quia perinde est atque si debitor ipse principalis soluisset, nomine fideiussoris eum solum liberare volens, non se, non ceteros.

Cap. V.

Interpretatio l. 58. de furt.

SI filiofam. furtum factum sit rei suæ, velut, rei castrensis, aut quasi castrensis, vel rei sibi ab extero locatæ, pater suo nomine furti actionem non habet, non certe si rei castrensis, non item si rei locatæ, sicut nec si rei commodatæ, *l. 14. §. an pater, de furt.* quia nihil eius interest, cum rei filiofamilias locatæ, vel commodatæ custodia ad eum non pertineat. Filius quoque non habet furti actionem nisi vtilem absente patre, *l. si longius §. 1. de iudic.* Patre autem præsente non recte agit furti sine consensu patris, *l. vlt. §. necessitate, de bon. quæ lib. adquirun.* Ac rursus nec pater filij nomine furti agere potest, quia in ea re quæ furto abducta est filio, que sit castrensis, siue aliena qua fruatur filius locationis iure, nihil iuris habet pater, cum persona tantum filij locatione comprehensa sit, non patris, *l. quod dicitur, de verb. oblig.* Denique patri ex conducto actio non quæritur per filium. ergo nec si res conducta filio subripiatur, actio furti. At si filiusfam. fiat paterfamilias, vt si emancipetur, proculdubio integra ei est actio furti, etiam nomine rei locatæ. Nam & conductori actio furti competit, *l. 14. §. præterea, de furt.* Et ita explicanda est *l. 58. eod. tit.* quæ est singularis & pessime accepta ab interpretibus cum Græcis, tum Latinis.

Cap. VI.

Vt conciliandus sit §. vlt. l. 46. de procur. cum l. 47.

QVi duos debitores habebat, vnum ex vna, alterum ex altera causa, eos simul fecit procuratores omnium rerum & negotiorum suorum in solidum quod generale mandatum est: quo & hoc continetur vt à debitoribus mandatoris pecunias exigant, *l. 58. de procu.* An igitur alter ab altero quod mandatori debet, exigere potest? minime, quia non de debito à se inuicem exigendo, sed de exigendis pecuniis ab aliis debitis mandatum videtur, nisi id mandatum sit

ſpecialiter vt à ſeipſis inuicem pecunias debitas exigerent, *l. 47. eod.* Aliud vero dicendum, ſi vnus tantum ex eis debitor mandatoris fuerit. is enim ab altero qui nihil debet exigi nomine mandatoris poteſt. Se inuicem impetere non poſſunt, non enim in hoc conſtituti eſſe præſumuntur, vt & ſecum inuicem litigarent, non commiſſi inter ſe & copulati ad litigandum inuicem. niſi id dictum ſit nominatim. Mutua exactio generali mandato non continetur, ſimplex continetur. Interpretes dum quantum mutet *d. §. vlt.* à *l.* 47. non vident, mirum quantum ſe torqueant nec quidquam in complacandis duobus hiſce locis.

CAP. VII.

Ad l. 8. de adopt.

ADoptio vel teſte Theophilo noſtro, actus eſt legitimus & ſolemnis, quippe cum & inter legis actiones connumeretur, *l. 3. de offic. proc. l. 4. de adop.* Et erat ſane olim actus legitimus, quamobrem & in eo explicando, videlicet cum feminæ adoptabantur, quæ etiam puberes in tutela erant, tutoris auctoritate opus erat, ſicut & in ceteris omnibus in quibus iuris ſolemnitas deſideratur, *l. 19. de auct. tut. l. cum in vna §. 1. de appell. l. vltima, C. de in lit. dand. tut.* nec ſufficiebat curatoris auctoritas, *l. 8. de adop.* quod tamen ibidem ſub Diuo Claudio dicitur recte mutatum eſſe, nimirum quia lex Claudia ſuſtulit feminarum tutelas legitimas, vt Vlpianus ſcribit *lib. ſing. Regularum tit. de tutelis*, quę obtinuit non quidem in feminis impuberibus, *l. 3. C. de legit. tut. l. 2. C. Theod. de tut. & cur. cr.* ſed in puberibus, quæ ex ea lege, perinde ſub curatoribus agunt atque mares ſublato veteri iure, quo etiam puberes feminæ in perpetua tutela erant, ideoque & iuxta legem Claudiam recte dicitur in *l. 7. de tut. & curat. dat.* ad dotem conſtituendam mulieribus curatorem dari, quod non poteſt dici niſi de puberibus: cum tamen olim ex eodem Vlpiano in hanc rem daretur vel ſpecialis tutor, ſi non adeſſet legitimus.

CAP. VIII.

Cur alia dicatur eſſe cauſa tutorum, alia eorum qui Reipubl. negotia adminiſtrant inſpecie l. Lucius §. 1. de adm. tut.

SIue duo aut plures tutores vel curatores pupillis ſeu adoleſcentibus dati ſint à magiſtratibus municipalib. ſiue plures curatores bonis debitoris Reip. iuſſu præſidis à Rep. poſſeſſis, qui ὁπμελητὰι vocantur: neque illi conueniuntur pro portione collegæ qui ſoluendo non eſt antequam excuſſi fuerint magiſtratus municipales qui eos dederunt, *l. Lucius §. 1. §. pe. de adm. tut. l. 1. §. vſque adeo, de tut. & rat. diſt.* At in tutoribus vel curatoribus minorum hæc additur exceptio, Niſi collegæ qui ſoluendo ſunt ob hoc conueniantur: quod collegam tempore ſuſpectum facere vel ſatis exigere noluerint, *d. §. vſque adeo, l. 14. de adminiſt. tut. l. 2. de mag. conu.* In his autem qui Reipub. negotia adminiſtrant, nulla talis adiicitur exceptio, credo, quia non tanta diligentia à curatoribus negotiorum publicorum ſpecialiter datis in rem aliquam deſideratur vt & collegas ſuſpectos faciant, quos male adminiſtrare aut facultatibus collabi animaduerterint, vt ve ab eis ſatisdationem exigant. Hoc enim ſolum inuenio ab eis deſiderari, vt ſi intercedere & prohibere collegas potuerint forte mo-

lientes aliquid in fraudem Reip. nec prohibuerint, eo nomine teneantur, *l. vlt. §. propen. de adm. rer. ad ciu. per.* quia qui non vetat peccare, cum poſſit, iubet. Et omnium rerum quæ ad Remp. pertinent cura præcipua & diligentia magiſtratibus municipalibus potiſſimum incumbit, *l. 6. de adm. rer. ad ciui. pert.* vbi diligentia, id eſt, exactiſſima obſeruatio, ſollicitudo, cura & cuſtodia ſolers, vt *l. contractus, de reg. iur.* ἐπιμέλεια ἀκριβεστάτη, vt loquuntur iuris interpretes Græci. Verius itaque magiſtratus dicuntur ἐπιμεληταὶ τῆς πόλεως, quam vlli alij ſpeciales ἐπιμεληταὶ, quales erant vel ſunt ἐπιμεληταὶ μυηείων, ἐπιμεληταὶ ἐμπορίε, ἐπιμεληταὶ κηδείας, ἐπιμεληταὶ ἵππων ἢ ἐλεφάντων, & in teſtamento Theophraſti & Stratonis, ἐπιμεληταὶ οἱ ἐν τῇ διαθήκῃ γεγραμμένων, qui vulgo executores teſtamentorum dicuntur & diſpenſatores in *Nouell. Martiani de teſta. cler.*

CAP. IX.

An inter ceteros exheredatus videatur is quem pater obiiſſe falſo credebat.

OMnes filij ſi exheredentur his verbis, *Ceteri omnes filij filiæque meæ exheredes ſunto*, pro nominatim exheredatis habentur, *L. Titius, de lib. & poſt.* An & is quem errore ductus pater obiiſſe credebat, exheredatus videtur? Dico non videri exheredatum eum de quo pater non cogitauit, quemve ignorabat ſe filium habere, *l. 9. & 10. C. de teſt. mil.* ſicut nec tutorem ei datum quem pater, qui filiis tutorem dedit, obiiſſe credebat, *l. ſi quis ita §. penul. de teſt. tut.* quæ etiam mens Pauli fuiſſe videtur in *d. l. Titius*, cum ait, de errore patris apud iudicem agi oportere: quorſum enim apud iudicem agi de errore patris, niſi vt errore patefacto ſtatuat iudex nullum eſſe teſtamentũ quaſi filio præterito, & conſequenter ſuccedere eum patri cum ceteris ab inteſtato, vt & Centumviros iudicaſſe Valerius Maximus refert, *7. cap. 7.* Quod ſi iudex comperiat non erraſſe patrem, vt puta ſi verum eſt filium obiiſſe, de iure teſtamenti nulla eſt quæſtio, nec nos ab hac ſententia dimouere debet, *l. ſi inſtituta §. vlt. & l. ſeq. de inoffic. teſt.* quæ ſtatuunt eum quoque filium exheredatum videri quem mater periiſſe exiſtimabat. nec enim eadem eſt ratio patris & matris. Non poteſt filius quem pater periiſſe exiſtimabat non eſſe heres patris, vel iure inteſtati quaſi ex cauſa præteritionis teſtamento nullo. At filius quẽ mater periiſſe exiſtimauit, ſi non habeatur pro exheredato, ac proinde ſi ei querela inofficioſi teſtamenti non deferatur, nulla alia ratione ei patet aditus ad maternam hereditatem, quia matris teſtamentum præteritio ſola nullum non facit, nec præteritis teſtamento matris competit bonorum poſſeſſ. contra tab. *l. 4. §. ad teſtamenta, de bon. poſſ. contra tab.* & merito igitur ne excluderetur bonis maternis, quod ſatis durum erat, huic filio Adrianus detulit querelam inofficioſi teſtamenti, non quidem in totum: quia reuera pro exheredato non eſt is de quo mater non cogitauit, ſed ſaluis libertatibus & legatis. Nam faciebam olim differentiam inter patrem & matrem, & errabam. abſit, vt in eodem errore perſeuerem.

CAP. X.

Ad l. 8. C. de teſtament.

VVlgo *l. 8. C. de teſta.* de epilepſia accipitur, ſed perperam: quia de morbo contagioſo loquitur, qualis eſt epidemia, & epilepſiam conſtat non eſſe

morbum contagioſum. Vulgo etiam perperam accipitur de teſtibus morbo contagioſo correptis, quia ne vno eodemque tempore ſimul ad teſtamentum hi teſtes adhibeantur, morbus ipſe vetat ſatis: lex fruſtra id aut ridicule remitteret. Et certe verius eſt teſtes quos contagionem deterrere initio dixit, puta teſtatore laborante contagioſo morbo vel teſtibus exiſtimantib. eum decumbere ex eo morbo, eoſdem ſignificari dum ait, *Teſtes huiuſmodi morbo oppreſſos eo tempore iungi atque ſociari remiſſum eſſe*, nempe tempore graſſantis morbi contagioſi oppreſſos & circumſeſſos teſtes huiuſmodi morbi terrore ſi ſimul vno eodemque tempore coram teſtatore non obſignent teſtamentum, quod ius commune exigit, *l. 6. 12. & 21. C. eod.* vt nihilominus teſtamentum valeat modo conueniat eodem die teſtium ſeptem numerus extra conſpectum teſtatoris, qui teſtamentum obſignent. nec enim duos vel quinque obſignaſſe & ſubſcripſiſſe ſatis eſt. hoc tantum eis remittitur caſus maioris & noui ratione qui teſtatori contigit, vt κεχωρισμένοι ἐξ αὐτῆς, id eſt, ſeorſum à teſtatore ſimul teſtamentum obſignent, vt auctores βασιλικῶν interpretantur, qui non de teſtibus eo morbo affectis, ſed de teſtatore eam conſtitutionem accipiunt.

Cap. XI.

Breuis animaduerſio ad l. Plautius, & Ad legem Falcid.

QVod alias oſtendi, Neruæ perperam iungi Caſſium & Sabino Proculum in *l. 1. rer. am.* idem error excidit ſcriptori in *l. Plautius, ad leg. Fal.* Neruæ cui ſemper Proculus adiungi ſolet, pro Proculo iungenti Sabinum, qui cum ſenſerit de legato ſeruo communi ſine libertate, ab vno ex ſociis relicto, idem quod & Caſſium ſenſiſſe in eadem lege proponitur, vt patet ex *l. verum §. ſi ſeruo, Pro ſocio.* neceſſario ſequitur vt exiſtimauerit etiam ex legato fundi quod dominus reliquit ſeruo ſuo alij legato detracta primũ ex legato ſerui Falcidia, atque ita ſeruo facto communi in heredem & legatarium pro quadrante & dodrante detrahi tantum poſſe quadrantem, non quincumcem & ſicilicum, vt dodrans fundi illibatus apud eum remaneat cui ſeruus legatus eſt.

Cap. XII.

Ratio vltimi reſponſi l. 24. §. vlt. Ad legem Falcid.

SI teſtator rem heredis ſui legauerit directo aut per fideicommiſſum, legato non contineri fructus ex ea re perceptos poſt diem legati aut fideicommiſſi cedentem Paulus reſpondit *l. 24. §. vlt. ad legem Fale.* Et, meo quidem iudicio, vera ratio hæc eſt, quia comparatur hoc legatum legato rei alienæ, quatenus res heredis, res propria teſtatoris non eſt. quod autem proprium teſtatoris non eſt, id neceſſe eſt, vt dicamus alienum eſſe. Atquin rea liena per fideicommiſſum relicta, proculdubio fideicommiſſo nec ante, nec poſt diem fideicommiſſi cedentem fructus percepti continerentur, quia à domino iure ſuo percepti ſunt, non ab herede fideicommiſſo onerato. Ergo non continebuntur etiam fideicommiſſo rei heredis propriæ, quia ab herede vt domino rei ſuæ, non vt herede dominove rei hereditariæ percepti ſunt, eademque ratione non imputabuntur heredi in Falcidiam, quia non iure hereditario, ſed iure proprio percepti ſunt. & in Falcidiam ea tantum imputat heres quæ iure hereditario capit. & hæc eſt ratio illius reſponſi quam alij ne inueniant ſalebris impediuntur. Eſt autem de re heredis, quia de ea magis dubitabatur quã de re extranei, propterea quod res heredis medium tenere videtur interrem propriam teſtatoris & rem alienam, §. *non ſolum*, *Inſt. de legat.* nec omnino eſſe aliena igitur. Ex re teſtatoris propria fructus poſt diem fideicommiſſi cedentem perceptos fideicommiſſo contineri conſtabat.

Cap. XIII.

Fideicommiſſum reditus ita relictum, Omnibus annis ſimile eſſe legato relicto in annos ſingulos.

SI quis vxori ſuæ legauerit patrimonij ſui reditum omnibus annis, legatum heredem vxoris nonſequitur, *l. 22. de vſufruct. leg.* quia etſi non proponatur relictus vſusfructus, tamen reditus qui relictus eſt vſumfructum imitatur, *l. 6. vſufr. quemad. cau.* & vſusfructus legatarij morte finitur. Aut ſane legatum illud, vt ait *d. l. 22.* ſimile eſt legato annuo, quia dixit, *Omnibus annis*: & legata quoque annua etiam ſi non relinquantur alimentorum vice morte legatarij finiuntur, *l. Gaius, de ann. leg.* Omnibus annis & ſingulis annis vel in ſingulos annos idem eſt, *l. ſi quis mihi mandauerit, mandat.* & quod M. Tullius ait, Fortunam huiuſce diei valere in omnes dies, hoc eſt valere in ſingulos, vel quod idem eſt in vnos quoſque dies. Nihil autem refert ſcribas huiuſce an huiuſque, ſicut nec cuiuſque an cuiuſce, quæ vetus pronuntiatio eſt. etenim promiſcue etiam olim ſcribebant huiuſce vel huiuſque, cuiuſce vel cuiuſque, inſeque vel inſece, iſque vſus anſam præbuit Grammaticis hæc ſubtilius diſtinguendi. certe illo loco Saluſtij, *Complures paulo occultius conſilij huiuſque participes*, equidem ego vbi cetera, *huiuſce* in vetuſtiſſimo Saluſtij exemplari ſcriptum legi, ex quo & alia pleraque nondum detecta didici, vt Vagæ & Vagenſium nomen, quod Plutarchus etiam & Ptolomæus integrum habent, in Iugurthino, & in de, *ſuper obeuntium corpora vadere*, non *ſuper occiſorum*, ſauciorum ſcilicet obeuntium; & in fine Catil. *cum libertis & calonibus*: vt in oratione L. Philippi, *Lepidus Latro cum calonibus*. Ex eodem, qui & alia complura ex meo Narthecio dum de illo præſumo, ſequius vero bona fide communicat Chremylipor illud, cum de Capſa expugnata beneficio Liguris cuiuſdam Saluſtius ſcribit, *Ceterum illi qui aſcenſurierant prædocti à duce*, &c. Verum vt ad rem redeam, etiam in *l. pen. ſi fam. fur. fec. dic. & l. 9. de nox. act.* omnium ſeruorum nomine, id eſt ſingulorum, vt in *l. 1. ſi fam. furt. fec. dic.* eodemque modo *l. 11. de reb. dub. Omnibus libertis proprietatem, &c.* & *l. 3. §. vlt. de nou. oper. nunt.* Si in publico aliquid fiat, omnes ciues opus nouum nuntiare poſſe, οἱ καθ' ἕνα τε καὶ οἱ σύμπαντες, vt & Græci & Galli loquuntur.

Cap. XIV.

Suppellex an inſtrumento fundi aut villæ contineatur.

VLpianus *l. 12. §. ſuppellex, de inſtr. & inſt. leg.* ſuppellectilem qua in agro paterfam. erat inſtructior, negat inſtrumento fundi contineri: cui Modeſtinus ſuffragatur qui inſtrumentum ſeparat à ſuppellectile, *l. 8. de ſup. leg.* & Varro *1. de re ruſt.* Inſtrumentum & ſuppellectilem ruſticam omnem oportet haberi ſcriptam in vrbe & rure dominum. Contra Paulus *3. Sent.* Fundo legato cum omni inſtrumento ruſtico & vrbano, ſuppellectilem ait legato cedere, fortę

quia pleniorem verba illa, *Cum omni instrumento rustico & vrbano*, voluntatem defuncti demonstrant. Simili modo Alfenus villæ quæ pars est fundi, instrumento legato, negat suppellectilem contineri, *l. 16. de inst. & instr. leg.* Contra Paulus contineri, *l. 19. §. vltimo, eodem.* vbi legendum suppellectilem, vt vulgo, non suppellectile. Et quia ex Varrone didicimus villam aliam esse vrbanam, aliam rusticam, aliam mixtam ex vtraque, forte rusticæ villæ instrumento non cedit instrumentum patrisfam. quod suppellex dicitur, vrbanæ aut mixtæ, in qua & suppellex, *l. 18. §. pen. eod. tit.* instrumento cedit. Instructo autem suppellectilem contineri constat inter omnes, *l. 12. §. proinde si fundus, & §. idem Celsus, & §. Neratius, & §. idem respondit domo instructa, & l. 16. §. 1. eod.*

CAP. XV.

Explanatio l. 91. de her. adq.

FIlius heres patris ex asse bonis se paternis abstinuit, ideoque bona patris vænierunt, eaque filius emit per suppositam personam imaginarij emptoris: atque ita filius numquam desiit possidere. Fraus hæc vt amoueatur, recte Paulus existimat *l. 91. de adqui. her.* perinde filium conueniendum esse à creditoribus paternis atque si miscuisset se, non abstinuisset bonis paternis, quia nec reapse se eis abstinuit, quod ita procedere non animaduertunt qui in eam legem scribũt, si nondum pretium creditoribus quanti bona vænierunt solutum sit, vt similiter in *l. sicut §. superuacuum, quib. mod. pig. vel hyp. sol.* si debitor cui creditor permisit pignora vendere, ea emerit, διὰ τὸ ὑποβλητα πρόσωπα, vt Plutarchus loquitur in *Gracchis*, atque ita semper habuerit apud se, dicitur nondum creditoribus soluta pecunia integram esse eis hypothecariam actionem. Nihil vero ad speciem *d. l. 91.* pertinet *l. 2. C. de repud. hered.* quam obiicit Accursius, quia non est de vniuersis bonis defuncti debitoris possessis & venditis à creditoribus ex edicto, sed de certis pignoribus à quibusdam creditoribus venditis. Et non de debitore qui ea pignora emit per subiectam personam, sed qui palam & bona fide. Quod autem Accursius fingit in dicta *l. 91.* filium emisse bona paterna antequam se abstineret, merito refellitur ab omnibus interpretibus.

CAP. XVI.

Ad l. 59. de fideiuss.

CVm ex pluribus fideiussorib. vnus solidum soluisset creditori, & creditor in eum transtulisset pignora, quæ à ceteris fideiussoribus acceperat, etiamsi titulo venditionis in eum ea transtulisset, ex sententia Pauli in *l. 59. de fideiuss.* non est æstimandum emptionem venditionem contractam esse, sed luisse potius pignora fideiussorem illum solidum exsoluendo & successisse in ius pignorum & in locum creditoris, atque ideo vt creditorem ipsum, & fideiussorem quoque illum fructus quos ex pignoribus percepit prorata cum vsuris pecuniæ debitæ, quas consectatur, compensare debere, vt *l. 2. C. de par. pign.* nec similem fideiussorem illum in quem titulo & prætextu emptionis pignora translata sunt extraneo emptori, *l. 59. §. 1. Mand.* quia in extraneum emptorem dominium pignorum transfertur, in fideiussorem nonitem. His autem verbis in *d. l. 59. de fideiuss.* rationem fructuum & vsurarum haberi oportere, compensationem, computationem significari dico, vel syllogismum, vt in Basil. est scriptum, συλλογισμὸς γίνεται τῆς χαρπῶν καὶ τῆς τόκων, quod verbum commune est fœneratorum & Dialecticorum. Lucianus ἐν βίων πράσει. τὸ δανείζειν καὶ λογίζεσθαι τοὺς τόκους πλησίον ἔδοκεῖ τῷ συλλογίζεσθαι.

CAP. XVII.

De pane ciuili & gradili.

REcte ædibus iunguntur panes ciuiles, *l. vltima §. præterea, de iure dot.* namque ædibus cohærent quas possident ciues Romani in noua aut veteri Roma, atque adeo emptorem ædium sequuntur, *l. 1. 11. 12. & 13. Cod. Theod. de anno. ciui. & pan. grad.* quo in titulo & *l. 5.* ædificiorum panes dicuntur, ad differentiam eorum qui personarum sunt. Et hi vero, & illi à pistoribus, quorum erat certum corpus in vrbe huic muneri deditorum, accipiuntur, non quidem clanculum de pistrinis ipsis vel pistorum siue mancipum aut conductorum officinis, sed palam de gradibus, vt constitutum est *l. 3. & 4. Cod. Theod. de an. ciuil.* de gradibus palatij, à qua re Palatini apud Suidam: quos quidem gradus vel in vnaquaque vrbis regione qui ad pistrina ædificati, vt patet satis ex descriptione vrbis Constantinopoleos, quæ facta est sub Arcadio & Honorio, & ex eo quod Cassiodorus IX. *Var.* significat in eis gradibus, i. proxime eos frumentorum condita inueniri, puta in pistrinis. Et inde pani gradili nomen, non quod in gradili Genij templo viritim diuideretur, quod & hic Prudentij aduersus Symmachum locus indicat, *Et quem panis alit gradibus dispersus ab altis.* Incidit aliquando numisma in manus meas, in quo gradus hi expressi erant, simul & qui eos ascenderat in summo panem accipiens de pistoris manu. Vetus interpres Iuuenalis in illum locum, *Summula ne pereat qua vilis tessera venit, frumenti.* Summula, inquit, modum significat gradilis panis. Sic omnino legendum, non, sic mola medium.

CAP. XVIII.

De exceptione iniuriæ vel furti vna facti.

VAlde singulare quod Græci interpretes accurate obseruant & colligunt ex posteriore parte *l. 83 de furt.* pluribus rebus à fure simul vno tempore vni subtractis, si cum fure actum sit furti, de vna re tantum, postea conuento de alia re competere exceptionem furti vna facti conceptam his verbis, *At si non simul furtum factum est*, Græci, Ἀλλ' εἰ μὴ ἅμα γέγονεν ἡ κλοπή. Cur scilicet non coniunxisti res omnes quæ tibi vno furto subtractæ sunt & vno tempore? Non auditur ergo qui egit de vna re, si velit postea agere de alia, si separare res, si diuidere actionem furti, vel ex vna plures efficere. At si, vt Neratius proponit in dicta *l. 83.* dominus vnam rem subripuerit, seruus eius aliam rem, etiamsi vno eodemque tempore vterque, separatim de vnaquaque re furti agi potest sine metu supradictæ exceptionis, de vna conuento domino suo nomine, ac postea conuento eodem serui sui nomine noxali actione de alia re, quia hoc casu duo furta sunt, non vnum, duo fures non vnus. Inuenio, & eodem modo si simul vno tempore vni plures & diuersæ iniuriæ factæ sint, vt si domus eius vi introita sit, simul & conuitium ei factum & verbera illata, separatim non posse agi de singulis iniuriis: & si de vna igitur actum sit, postea agenti de alia, ob-

stare exceptionem iniuriæ vnæ factæ. quod & ex Neratio traditur in *l.* 7. §. *si mihi plures, de iniur.* At si dominus vnam iniuriam fecerit, seruus eius aliam eodem momento, recte dices argumento dicti *l.* 83. separatim dominum conueniri posse: primum suo nomine, deinde serui nomine noxali actione, nec se tueri posse supradicta exceptione.

CAP. XIX.

Absentem ex pollicitatione non obligari.

POllicitatio quæ fit Reip. etiamsi fiat vt oportet ex iusta causa, non est satis vt obligationem pariat, nisi etiam fiat apud Rempubl. *l.* 9. *de pollicit.* Nec enim valet quæ ab absente fit per epistolam, *l.* 5. *eod.* sicut nec stipulatio. & hæc alia est differentia inter pollicitationem & pactum, quam & in definitione pollicitationis verbum offerre indicat. nec enim absens absenti recte dicitur *offerre*, sed præsens tantum præsenti, vt *l.* 25. *depositi.* aut verbo tenus, aut cautione interposita ex scripto. Pactum autem constat recte fieri per epistolam quam absens absenti mittat, *l.* 3 *de pactis.*

CAP. XX.

Ad l. vltim. de contrar. action. tut.

HIs verbis *l. vltima de contra. actio. tut. Si tutor pro pupillo se obligauit, habet contrariam actionem & antequam soluat*, recte interpretes accipiunt de tutore non qui quoquomodo se pro pupillo obligauit etiã citra nouationem, sed de eo tantum qui expromisit pro pupillo nouatione facta & in se translata obligatione. Hic enim finito munere tutelę quia conueniri potest quasi reus principalis, & agere confestim contrariæ tutelæ vt liberetur exemplo curatoris Reip. qui si administrationis tempore creditoribus Reip. se obligauerit, nouatione facta post depositum officium, à creditoribus conueniri potest; atque adeo etiam ipse agere in Remp. & antequam soluat, *l* 3. §. *in eum, de admin. rer. ad ciu. pert.* Contra si citra nouationem tutor pro pupillo fideiusserit vel constituerit se soluturum vel mandauerit, finito tutelæ officio conueniri à creditoribus pupilli cum effectu non potest, & ideo etiam non agit contraria tutelæ vt liberetur, *l.* 5. *quand. ex fac. tut. l.* 28. *de adm. tut. l. cum quidam, C. eod. l. vlt. §. vltio, vt leg. nom. caueat.* Durante officio tutelę ex caussa fideiussionis conueniri potest & compelli ad soluendum, *l.* 1. §. *sufficit, de adm. tut.* nec tamen agere potest antequam soluerit, quia nondum tutelæ munus impleuit, sicut nec fideiussor vel mandator ali⁹ quilibet cũ debitore principali agere potest antequã soluerit, vt liberetur, exceptis casibus certis, *l. Lucius, mand. l.* 10. *Cod. eod.* monere, appellare, vrgere eum potest, vt se liberet, iuxta illud Solomonis, παρέξυτα τὸν φίλον σε ὅ. ἐνεγγυήσω: non etiam iure cum eo experiri eumque cogere vt creditorem adimpleat: quia nec antequam soluerit, perfunctus mandato esse intelligitur, quod ei debitor principalis dedit, vt pro se fideiuberet, quo & hoc continetur vt soluat, *l. indebitam, De condic. indeb. l. licet*, §. *eo in fin. de procurat.* idque etiam intercedendo pro mandatore satis aperte cauisse videtur qui accedit fideiussor, his verbis, Fide & periculo meo, *l* 24 *de fideiuss.* Mandato autem expleto, puta solutione facta creditori, mandati agere potest cum eo cuius mandatu interceſſit, sicut alio quocunque mandato suscepto eodemque expleto citra solutionem, vt si mandasti mihi vt fundum A emerem, & emerim, etiam antequam soluerim pretium, mandati agere possum, vt suscipias obligationem quæ aduersus me venditori competit & me liberes, *l. si mandatu meo, mand.* Item si mihi mandasti vt Seij negotia gererem, & gesserim, quia perfectum & expletum mandatum est, recte agam tecum mandati si qua subsit agendi ratio, etiam antequam quidquam Seio soluerim: & retro tu quoque recte ages in me mandati, etiam antequam Seio cuius mandatu tuo negotia gessi, quidquam soluas, vt scilicet te liberem obligatione qua Seio teneris obstrictus, vel mandati, vel negot. gestor. quę est sententia *l. si mandatu, de neg. gest.* Ex his intelligimus quam male vulgo hac in B quæstione separetur tutor ab aliis fideiussoribus.

CAP. XXI.

Quæ sit differentia inter fiduciariam & fideicommissariam hereditatem.

QVæ est fiduciaria hereditas, eadem & fideicommissa seu fideicommissaria hereditas est, vt patet ex *l.* 46. *ad S. C. Trebel.* quæ quam initio vocauit fiduciariam, post fideicommissam vocat. At contra non omnis quæ fideicommissaria, etiam fiduciaria hereditas est. Fideicommissarius heres dicitur tam qui rogatus est alij restituere hereditatem, vt *l. quamuis*, §. 1. *de iudic. & Nouel.* 108. quam is qui restituta est ex S. C. Trebelliano, qui & effectu quodammodo C heres est, *l.* 5. §. 1. *Quod cum eo*, &c. Fiduciarius autem heres is tantum dicitur qui rogatus est. nam & hic obligatur iure ordinario, veluti ex cautione quasi contracta fiducia ac fide testatori data restituendæ hereditatis. Alij fideicommissarij extra ordinem obligantur ex nuda voluntate defuncti, qua de causa etsi in fideicommissariam hereditatis restitutionem fructus non veniant, *l. 18. Ad S. C. Trebel.* veniunt tamen in fiduciariam, *l. 3.* §. *cum Pollidius, de vsur.* non alia quam cautionis ratione, vt *l.* 32. *ad S. C. Trebell.* Præterea si fiduciarius heres rogetur hereditatem restituere filio testatoris cum XIV. annum impleuerit, mortuo filio ante impletum VI. annum heredibus filij D repræsentandum fideicommissum est, *d. l.* 46. non etiam si citra fiducię conuentionem eodem modo relictum fideicommissum fuerit, *l. Publius*, §. 1. *de condic. & dem.* Condicionale enim fideicommissum est. Contracta autem fiducia, condicionale non est. Denique fiduciario heredi permittitur tutela tantum & custodia bonorum, *d. l.* 46. Alij fideicommissario heredi, etiam fruitio. Porro in *d. l.* 46. proponitur Archigubernos Trierarchum fiduciarium heredem reliquisse, fide interposita restituendæ hereditatis filio cum ad annum XIV. peruenisset. Archigubernus trierarcho inferior est, Trierarchus longe superior. Arrianus *6. de exped. Alex.* ἡγήσατο ναυάρχον ἑαυτὸν ἐς χάλμας κωδωνήτῳ ὄντα. Quin Athenis nulla fuit dignitas maior ea quam Trierarchus sustinet. Lucianus E in *encomio Demosthenis*, ὁ γὰρ ὧν Ἀθήνησι λαμπρότερον πήμματος τετραέρχης. Et Trierarchus dicitur non tantum qui naui triremi præpositus est, sed & qui quadriremi vel quinqueremi, & nauarchus classis quilibet. Galenus *ad Thrasybulum* Τετραέρχας ὠνόμαζον οἱ παλαιοὶ τοὺς ἄρχοντας ἧς τετρήρους. νυνὶ δ' ἤδη πάντας ὅτως καλοῦσιν ὑπὸ ὁπωσοῦν ἡγεμόνας στόλου ναυτικοῦ, κἂν μὴ τετρήρεις ὦσιν αἱ νῆες.

Cap. XXII.

De iure dominij quod pigneraticius creditor impetrat à principe.

QVi fideiussit pro debitore ære alieno multis obstricto sub pignoribus, debitore defuncto cum polliceretur se creditoribus pecunias debitas solutu-rum, pignora suscepit, vt *l. 2. de pignor.* quæ scil. impetrauerat vt sibi iure dominij possidere liceret. & si quidem nondum satisfecit creditoribus, heres debitoris pignora ab eo repetere potest, vt Modestinus respondit in *l. fideiussor, eod. tit.* quod ex contrario præstat nobis argumentum, vt si iam fideiussor satisfecerit creditoribus, non sit integrum heredi debitoris pignora ab eo repetere. quo tamen argumento neglecto, Accursius statuit in *d. l. fideiussor*, etiam à fideiussore dimissis creditoribus, in integro esse heredi debitoris pignora reuocare, oblato omni debito, & mouetur *l. 59. §. 1. mand. l. 59. de fideiuss. l. 1. C. de dolo.* quæ etiam post solutionem à fideiussore factam debitori dant pignorum repetitionem. At leges illę de fideiussore loquuntur qui pignora emit à creditoribus, quo genere non tam adquirendi dominij quam transferendi in se pignoris causa emere intelligitur, *l. 5. de dist. pign.* Modestinus autem loquitur de fideiussore qui pignora impetrauit à principe vt possideret iure dominij sub onere dimittēdorum creditorum. Lego enim illo in responso, *impetrauit à principe.* quia hoc solus princeps concedere potest creditori vel fideiussori qui locum creditoris subierit sua pecunia dimissis creditoribus, *l. eleganter, de pig. act. l. debitor, ad Treb. l. si is qui aliena, §. pen. & vlt. de adq. rer. dom. l. 1. 2. & 3. C. de usur. dom. imp. l. 3. C. si in caus. iud. pig. cap. sit.* Nec obiicias post addictum pignus iure dominij adhuc heredi debitoris luendi pignoris causa iure veteri quod obtinuit ante Iustinian. suppetere annum, iure nouo biennium, *d. l. 3. d. l. si is qui in aliena.* quoniam beneficium hoc personale est, humanitatis scilicet & pietatis gratia debitori datum, *d. l. 3. §. sin autem tempore*, vt post addictum pignus iure dominij creditori vel creditoris subeunti vicem, debitori intra annum pignus reuocare liceat. nec idem datum esse heredi debitoris: nam & eodem modo inuenio tempus iustum quod iudicato humanitatis gratia indulgetur, vt ait *l. 16. §. vlt. de compens.* esse beneficium personale, quod iure veteri nec fideiussori iudicati datur, *l. 3. §. vlt. C. de usur. rei iud.* quare in *l. 1. iud. solui* Paulus dixit, *reo principali*, nec adiecit, *fideiussori.* Non datur etiam heredi iudicati, nisi, vt ait *l. tempus, de re iud.* si iam in persona iudicati tēpus illud currere cœperit, & aliquid ex eo desit, quia hoc casu, causæ magis quam personæ beneficium prę-stari videtur. quod συγκριτικῶς dicitur nimirum, quia si initium, & originem ac causam spectas, personale beneficium est.

Cap. XXIII.

Spurios non succedere intestato auo materno.

SPurios certum est matri ab intestato succedere ex S. C. Orphitiano. An & auiæ maternę? Modestinus respondit *l. 8. Vnde cogn.* etiam eos auiæ maternæ succedere, non quidem, vt opinor, ex S. C. Orphitiano, sed ex principalibus Constitutionibus, cum nec legitimi auiæ maternę succedant nisi ex Constitutionibus, §. 1. *Inst. de S. C. Orph.* Modestinus de A auia materna loquitur, non de auo materno, nec inuenio idem datum spuriis ius succedendi auo materno, quamobrem statuo spurios non succedere intestato auo materno. Nam & hoc ius quo cognati vocantur non tantum per bon. poss. Vnde cognati, verum etiam per bon. poss. Vnde legitimi, & excludunt proximiores agnatos, strictius accipiendum esse iudico.

Cap. XXIV.

Ad l. 9. de iure fisci.

B IN *l. 9. de iure fisc.* pono non testatorem, sed postumum à matre fuisse è viuis veneno sublatum. quia si testatorem maritum suum ea mulier veneno necauit, quæ ratio est vt defuncti postea postumi sua morte bona non habeat ex S. C. Tertylliano? quia etsi ea bona à marito peruenerint, quem ipsa veneno sustulit, non tamen ei directo & principaliter succedit, sed per successionem filii, & bona principaliter à marito si qua forte quæsierit, ea quidem scelere quæsierit, bona autem quę à filio ad eam peruenerint sine vllo scelere. Itaque verba illa *l. 9. de iure fisc. Veneficij in L. Titium accusauit*, sic accipienda esse censeo, vt nomen illud hypotheticum L. Titii postumi sit, non testatoris, aut sane legendum, *Veneficij in postumum accusauit.*

C

Cap. XXV.

Restituitur ex Basilicis negatio quæ deest in l. 43. de usur.

FIsci priuilegium inter cetera hoc vnum est, vt ex suis contractibus quasi ex tacita stipulatione moraque re ipsa ei facta ex solo tempore tardæ solutionis debeantur vsuræ, etiamsi in stipulatum deductæ non sint, *l. cum quidam, §. fiscus, de usur.* quod etiam successor fisci non habet, vt puta is cui fiscus vendidit & cessit actiones suas, quas habuit aduersus quē-D dam debitorem suum, accepta ab emptore integra summa quæ ab illo sibi debitore debebatur, vt *l. Modestinus, de solut. l. 3. C. de pr. fisc. l. 2. C. de his qui in pr. cred. loc. suc.* Itaque emptor nominis fiscalis petet quidem vsuras præteriti temporis iam fisco debitas, quia emptori nominis vt pignoris persecutio & vsurarum quoque quę competierunt, petitio competit, *l. emptori, de hered. vend.* vsuras autem futuri temporis quod scil. cessit post emptionem nominis fiscalis, & solutionem pecuniæ fisco debitæ, sane non petet, quia fisco non competierunt: & priuilegium fisci non sequitur successorem nominis fiscalis. quæ fuit sententia *l. 43. de usuris*, quæ his est expressa verbis *Basilic. 23. tit. 3.* Ἐὰν τῷ δημοσίῳ καταβαλὼν ἀνεχωρησᾶς τὸ χρέος σου, τῷ μὴ τῷ ἐξ ἐμοῦ καταβολῶ χρόνῳ τόκους οὐκ ἀπαιτῶ σε, εἰ μὴ ἔτυχες ἐπερωτηθείς. Si me soluente fisco quod tu ei debes, fiscus mihi cesserit nomen tuum, eius temporis quod post solutionem à me factam fluxit, vsuras à te non possum petere, nisi eas mihi stipulanti promiseris. quam sententiam Cyrillus in pauca contraxit hoc modo, Ἐὰν χρέος ἀνεχωρήσῃ μοὶ ὁ φίσκος, οὐκ ἀπαιτῶ τόκους ἀνεπερωτήτους, Si fiscus nomen debitoris sui mihi cesserit, non possum petere vsuras eius nominis citra stipulationem. Itaque manifesto apparet Græcos omnes in extremo *d. l. 43.* legisse, *petere non posse*, ac sane ita legendum esse ratio ipsa peruincit.

CAP. XXVI.

Non qui singuli in solidum obligantur, ideo existimandi sunt esse duo rei debendi.

SI quis duobus simul rem suam commodauerit vel locauerit, vel rerum suarum administrationem commiserit, singuli domino tenentur in solidum, nec tamen sunt duo rei debendi proprie & simpliciter, sed quodammodo, vt ait *l. si vt certo §. vlt. commod.* de duobus commodatariis vel conductoribus vehiculi. Hi enim sunt tantum proprie duo rei debendi, de quibus initio contractus actum est expressim vel tacito intellectu, vt singuli in solidum obligarentur, vt si quis à duobus pariter stipulatus fuerit dari vtriusque fidem secutus in solidum, vel si duobus eandem rem cõmodauerit vel locauerit, vel deposuerit apud duos similiter, *l. 3. in princ. l. reos §. cum tabulis, l. eandem, de duob. reis, l. cum apparebit. Los. l. 13. C. eod.* Dico similiter, vt *d. l. eandem*, non simul. alioquin pugnaret *d. l. si vt certo §. vlt.* si simul non ideo statim sunt prorsus duo rei debendi. Si pariter singuli in solidum, duo sunt rei. Non ergo qui singuli in solidum ex vna causa vni obligantur, continuo & duo rei esse per omnia cẽsentur. quod in duobus depositariis ex eo appare, quod etsi teneantur singuli in solidum, tamen factum vnius alteri non nocet, *l. 1. §. si apud duos, in fin. depos.* quod tamen aliter se habet in duobus reis, *l. penul. de duob. reis.* & idem prorsus dicendum est de duobus mandatariis, *l. creditor §. duobus, mand.* & duobus commodatariis vel conductoribus duobus, *d. l. si vt certo §. vlt.* quod & ibi Fulgosius probat, & in *d. §. duobus.* Et ad hæc iungi aliud exemplum potest de venditore & emptore serui peculiaris, quorum singuli ex contractu cum seruo habiti ante venditionem creditor in solidum tenetur actione de peculio, *l. & ancillarum §. illud, de pecul.* nec tamen sunt omnino rei debendi, quia nec in partes statim ab initio conueniri possunt, *l. quotiens §. si creditor, de pecul.* cum tamen duo rei statim ab initio & in solidum, & in partes obligentur, *l. inter eos, de fideiuss.* Eodemque modo si ex duobus vnus hodie eidem promiserit x. alter eadem x. postera die non nouandi animo, non item animo constituendi duos reos, singuli in solidum tenentur, & tamen non sunt duo rei, vt intelligere licet argumento ducto ex contrario sensu, *l. 3. & 12. de duob. reis.* Item si iussu patris filiof. pecunia credita sit, cum quouis in solidum agi potest, *l. penult. Quod cum eo*, &c. nec tamen eos esse duos reos debendi quisquam dixerit. Quid plura? Hoc ipsum euidentius apparet in debitore principali & fideiussore eius, aliove accessore quolibet.

CAP. XXVII.

Tenor ætatis. Fortunæ iudicium.

PEr, vel vt Flor. propter tenorem ætatis dixit Tryphoninus in *l. filiusfamil. §. vltim. de lib. & postl.* quod alij per ætatem simpliciter, vel vt Valerius Maximus, habitum ætatis, habitum, id est, ἕξιν, vt & Philoxenus tenorem interpretatur statum atque contextum ætatis. nihil enim interesse, habitum & tenorem aio. Valerius, inquam, *lib. 4.* dum ait Drusum Germanicum operum suorum pro habitu ætatis magnitudine mirifice respondisse vitrico pariter ac patri. Sic & Marcellus medicus, *Pro tempore proque labore ætatisque habitu.* Alias vero tenorem, δύναμιν, & contra δύναμιν interpretari oportet, vt *Nouel. 128.* κατ' ἐξ δύναμιν ἐξ ἀπογραφῆς κατ' ἐξ τῆς πεπραγμένων δύναμιν. Et *Nouel. 123.* κατ' ἐξ τὸν νόμον δύναμιν. Vt item Hermogenianus in *l. 13. de statu hom.* fortunæ iudicium, seruum in capitali crimine fortunæ iudicio à domino commissum, id est, non damnatum à domino. ita Valerius idem IX. *Pertinacior impietas fortunæ iudicio morte mutata est, & 6. iniquum fortunæ iudicium.*

CAP. XXVIII.

Adnotata quædam in l. 20. de instruct. vel instr. leg.

IN *l. 15. §. prædia, de instruct. vel instr. leg.* legantur prædia instructa cum dotibus & reliquis colonorum & villicorum. vbi quæri potest quo distent coloni à villicis, & qua ratione fiat vt villici qui fructibus percipiendis & curandis, *l. si cum villico, de inst. act.* & sicut ad Algasiam Hieronymus ait, villę gubernationi præponuntur, reliqua trahere possint. Equidem dispicio nullam. Verum villici nonnunquam dicuntur & qui actores sunt, vt qui prædiorum rationibus præponuntur, *l. pen. de adim. leg. l. vrbana familia. de verborum significat.* Imo & qui conducunt prędia rustica à domino mercede certa, vt *l. 12. §. quæritur, l. 18. §. cum de villico, de instruct. vel instr. leg.* Hi sunt coloni sui, reliqui coloni extranei. & qui reliqua igitur colonorum & villicorum dicit, extraneorum & seruorũ suorumqui quasi coloni agrum suum colunt, vel actorum dicit, vt *l. prædiis, in prin & l. Osidius, de leg. 3.* & reliquis certe horum quasi colonorum vel actorum legatis, villici ipsi vel actores tamen non continentur, *d. l. 20. §. si liberto*, nisi nominatim relicti sint, vt *d. l. 20. in prin.* In *§. seq.* etiam putarem Scæuolam scripsisse, nihil proponi *cur non cedant.* alioquin pugnaret *l. 12. §. vxores, eod. tit.* quæ seruorum legato, qui continentur fundi instrumento, etiam cedere ait vxores & filios eorum, non quod illi in fundo morentur & fundi instrumentum sint (nec enim vtitur hac ratione) sed ne dura separatio inducatur patris à filio, mariti ab vxore: quę ratio & in quæstione §. istius locum habet, etsi non omnes sint in prædiis quæ instructa legata sunt cum actore, sed actor in ciuitate, vxor & filij eius in prædiis. Nam etsi in ciuitate moretur actor qui positus est supra rationes fundorum, nõ ideo minus rusticorum seruorum numero censetur, *d. l. vrbana familia*, vt iam olim eam legem emendandam esse manifesto docui.

CAP. XXIX.

Ad l. 38. §. 1. de auro & argent. leg.

IN *l. 38. §. 1. de auro & arg. leg.* proponitur Semproniæ relicta coopertoria Tabiana, sic dicta à Tabia oppido Liguriæ nobili hodie magis vino apicio, quod amabile vocant, quam stragulis, & tunicas tres cum palliolis quæ elegerit, & relicta per fideicommissum nempe his verbis, *Dari volo*, quę verba sunt precaria, & quod in fideicommisso iuris est, id iampridem ostendi etiam obtinere in legato damnationis, vel potius è contrario, quasi à legato per damnationem relicto exemplum peruenerit ad fideicommissum. nec abs re. quia vtriusque relicti verba ad heredem diriguntur. idque apparet satis ex eo quod iure veteri siue per damnationem, siue per fideicommissum duobus aut pluribus eadem res disiunctim relinquatur, vni debetur res, alteri vel ceteris æstimatio vera, vt *l. 56. §. 1. l. 82. §. pen. de leg. 1.* quodque per damna-

tionem vel per fideicommissum homine generaliter legato, heredis est electio, *l.* 45. §. 1. *de leg.* 1. Item quod inter eos quibus eadem res vel quantitas coniunctim legatur per damnationem vel per fideicommissum, non versatur ius accrescendi, *l.* 7. *l. vlt.* §. *Scio, de legat.* 2. putem potius quam præsumam ductus argumento *d. l.* 38. §. 1. *de aur. & arg. leg.* & ex iure veteri id esse, quod ibi Scæuola respondit, si non essent singulæ tunicæ cum palliolis Semproniæ relictæ quæ elegisset, in arbitrio heredis esse vel ex synthesi testatoris tunicas & palliola præstare, vel earum iustam æstimationem, maxime petito fideicommisso per actionem personalem, vt *l. duobus, de leg.* 1. *l. vlt.* §. *quatuor, de leg.* 2. Sed si essent relictæ cum adiectione illa, *quæ elegerit*, Semproniam tantum ex synthesi eligere posse, non passim vbicumque tunicas cum palliolis inuenerit quasi herede onerato ea redimere. nec video quemadmodum possit quis aliter illius responsi rationem expedire. Synthesis est vniuersa vestis testatoris in vestiario reposita, alias vestis homini necessariæ species omnis vt synthesis medicamentorum, Sereno, Synthesis calicum, Statio, & LXX. interpretibus Esaiæ 3. Synthesis mundi muliebris.

CAP. XXX.

Notantur quædam in l. vltima, de lib. leg.

ACcursius, quod proponitur initio *l. vltima, de lib. leg.* bene percepit, nec adiici quod ad sensum attinet quidquam velim Accursio, nisi quis ratione responsi prioris posterioris que latius & elegantius quod est apertius explanare velit. In verbis illo loco, *Idem repetiit, & ait item testatorem*, sicut in Flor. scriptum est, puto scriptum fuisse olim hoc modo, *& ait, em, testatorem*, sed ex priore verbo, *ait*, vt accidit sæpe in veteribus scriptis, repetitas duas literas posteriores perperam coaluisse cum illo, *em*, quod siue præfigas afflatum, siue non, significat en, vel ecce, & demonstratio est eius quod consultor ait, *testatorem*, &c. vt Vlpiani 7. *de off. proc.* apud Licinium Rufinum *tit. 1. Verba consultationis & rescripti ita se habent, em, Inter Clodium, optime Imperator*, &c. & *lib. singulari Regularum tit.* 10. *idem, lex* 12. *Tab. iubet his verbis, Si pater filium ter venundauit.* In eadem lege §. *Titia*, circumscripta negatione legendum esse, *Respondit, nihil proponi cur pecunia*, &c. & ratio peruincit eius §. qui præcedit. & iteratio eiusdem responsi quæ est in *l.* 28. §. *Mœuia, cod. tit.* Etiam ad quæstionem §. *vlt.* eiusdem legis, addi volo definitionem huiusmodi, si consulto & cogitato nouationem testator fecerit obligationis testamento remissę, ampliata summa debita, liberationis legatum extingui: sin vero eo insscio actores eius in prouincia facto anatocismo & anacænismo sorti vsuras adiecerint, non extingui, *arg.* §. 1. *eiusdem leg. & l. nomen, de leg.* 3.

CAP. XXXI.

Ad l. 27. *quan. dies leg. ced.*

EX priore responso *l.* 27. *quan. dies leg. ced.* quod ita se habet, si pure sit datum à coherede filij pro hereditaria parte fideicommissum peti posse, quoniam ita loqui Scęuola solet, non ἀμφιϐάλλων, ἀλλὰ κὴ σφόδρα διαϐεϐαιούμενος κὴ ὁμολογούμενος, vt & sacræ scripturæ, quemadmodum Chrysostomus notat 4. *ad Ephesios*, & 2. *ad Thessal.* 1. apparet satis & initio eius legis vocem, *pure*, male collocatam suo loco ita restituendam esse, *Filium familias ex parte instituit heredem, eique pure fideicommissum dedit*, &c. nam & subiicit eodem testamento institutioni condicionem adiectam. In posteriore responso recte Accc. quod ait, Ex S. C. excipit recte de Rubriano, sed velim adiici, aut Dasumiano. Ex S. C. igitur Rubriano vel Dasumiano, quoniam ait, *absentibus heredibus*, & ex Rubriano quidem absentibus & latitantibus se, ex Dasumiano absentibus iusta ex causa, nec latitantibus se.

CAP. XXXII.

Fructuum perceptorum periculum ad colonum pertinere.

QVod Bartolus scribit in *l. ex conducto*, §. 1. *Loc.* periculum perceptorum fructuum ad colonum pertinere, mihi verissimum videtur, quia perceptione colonus fructus suos fecit, §. *is ad quem, Inst. de rer. diu. l. si apes* §. 1. *l. si seruus communis* §. *locaui, de furt.* & æquum est vnumquemque rei suæ propriæ periculum agnoscere, *l.* 12. *C. de loca. l.* 8. *C. de pig. act.* Nec huic sententiæ quidquam aduersantur illa verba *d. l. ex conducto, Si vinum coacuerit*, quoniam illo loco, vt Cato loquitur, vinum pendens significatur, i. vua aut vindemia pendens, dura vel cruda, adeo vt maturescere non possit. Nam & ita Varroni vinum legere est vuam legere. & Plautus *Trinummo* vinum priusquam coactum est pendet putidum. Non significatur ergo vinum quod coactum iam à colono factumque est. hoc enim etiamsi casu maiore, veluti incursu hostium absumptum vel corruptum sit, non suo vitio, coloni est periculum, adeo vt nec ob eam rem deductionem ex pensione facere possit. Denique, vt quod sequitur in eadem lege, *Si raucis*, (quod vermium genus est) *aut herbis segetes corruptæ sint*, est de frumento nondum demesso, ita illud de vino nondum lecto vel nondum facto. Factum vtique vinum percepisse colonus videtur. imo & non factum, aut non calcatum, si modo vuas collegerit, *l. si eius, de rei vind.* ex eoque tempore demum etiam vis maior conductori damno est, non ante, nisi si quod vitium ex vuis ipsis oriatur crudis forte vel acidis, si vinum, i. si vuæ ipsę nondum lectæ aut pressę exacuerint, computruerint vel exasperauerint. Gregorius IX. in *cap. pen. extr. de loca.* vitium rei etiam adscribit locatori, non conductori, si verba spectamus, fateor, ceterum aliam ei mentem fuisse qui totum id quod in eo capitulo habetur, sicut & quod in aliis pleriśque capitulis, sumpsit ex iure ciuili, facile mihi persuadeo, & animum scil. ei fuisse scribere & forte an scripsisse, *Vitio cœli*, vt *l.* 8. *C. eod.* non *vitio rei*, vitio cœli siue culpa coloni seu casu fortuito, alio scil. casu citra vitium cœli, vt si hostium aut prędonum aut animalium vis incessit.

CAP. XXXIII.

Immodicum lucrum colono non auferri.

QVamuis *l. si merces* §. *vis maior. D. locat.* dicat aperte & indistincte immodicum lucrum colono non auferri, audet tamen Accursius contra legem ipsam adhibita quadam distinctione statuere augendam esse mercedem in duplum si quo anno tanta fuerit cœli benignitas; tanta fortunę clementia, vt altero tanto fructuum plus quam solebat colonus perciperet. quod Raphaël Fulgosius merito reiicit. diuersa enim est causa vbertatis & sterilitatis, diuersa locatoris & coloni. Colono consulitur si qua calamitas omnem fructum aut pene omnem tulerit, non qui-

dem vt consequatur damnum seminis amissi quod semper ad eum pertinet, *l. ex conducto §. vbicumque, Locat.* vbi his verbis, *Supra declaratur*, significatur qui longe præcessit, *§. sed & si labes*, & aperte demonstratur, rectius Flor. quam Noricas habere, *Supra denique damnum seminis ad colonum pertinere declaratur.* Verum colono consulitur data remissione mercedis pro rata, vt ait *d. §. vbicumque*, quia insperata ei & improuisa atque inopina illa calamitas fuit. Contra fecunditas, & vbertas tam ei quam locatori vt optata & sperata atque prouisa, cuius fruendæ gratia & is ad conductionem accessit, oblata forte magna mercede, & locator non imprudens improuidusve eius quoque fruitionem plenam illi concessit.

CAP. XXXIV.

Adl. 30. de auro & arg. leg.

QVi ita legat, Vxori mundum, ornamenta, seu quæ eius causa paraui, omnia legasse videtur. *l. 30. de auro & arg leg.* sicut in testamento suo Persius cum Cornuto legat Chrysippi libros circa septingentos siue bibliothecam omnem: quia, vt Paulus ait, hoc verbum *seu*, ampliandi legati gratia positum est, non negat esse verbum aut vocem disiunctiuam. Sed promendaci disiunctione, quæ & subdisiunctio proprie & παραδιάζευξις dicitur *l. 4. C. de verb. sig.* eam accipi & vtrumque ponere vult, vt in *l. supra §. 1. de aqua & aq. pl arc. Siue ex communi fundo siue communi aqua noceat*, his verbis significari vtrumque esse Albericus obseruauit. neque vero aliud Seu, aliud Siue, sicut nec aliud Neu, aliud Neue, vel Niue. Et vtrumque vero has voces ponere quod vtique certum est, etiamsi non eas iteraueris, sed dixeris, Si, &c. siue, vel Ni, Niue, vt illo loco Plauti, *Ni dolo malo instipulatus si es niue etiam dum siem* XXV. *natus annos*. Et discrete vero de hac vel illa voce accipi potest quod Cicero *pro Cæcinna* ex formulis iuris, Siue, Niue, quod quidem, Niue, semper intelligitur, vbi dumtaxat, Siue, ponitur semel, vt *l. 7. de cap. & postl.* illo loco, *siue is federatus est.*

CAP. XXXV.

Contractum principis legem esse, aut legis vicem obtinere.

COntractum vel donationem principis legem aut vice legis esse ait *l. penult. C. de donat. inter vir. & vxor.* sicut in *libro de obitu Theodosij* Ambrosius testamentum Imperatoris legem esse, non quo sensu etiam *Nouel. 22.* ait testamentum priuati hominis legem esse, addito modo huiusmodi, si testamento cauerit τὰ εἰκότα: sed hoc sensu vt & contractus & testamentum pro iusto & legitimo habeatur quod fecerit princeps, etiamsi non sit legitimum, vel etiamsi id non fecerit legitime, vt si vxori donauerit, vel si donationem alij factam non insinuauerit. quod ita dico, quia sæpe euenit, vt quod est legitimum non fiat legitime, vt de baptismo Donatistarum Augustinus ait *lib. 5.* & contra, vt quod legitime fit, non sit legitimum, *cap. 11. Qui filij sint legit.* Eodem vero modo etiam concessio principis siue κέλευσις, vt est in Basil. pro decreto habetur *l. 2. C. quan. dec. opus non est.* Male autem ex eo quod dicitur contractum principis legem esse, colligunt quidam principem ex suis contractibus non obligari, quia lege solutus sit. Est enim hoc etiam falsum, principem omnibus legibus solutum esse, vt docet *Obser nat. 15. cap. 30.* Solutus est legibus A caducariis, fateor, solutus pœnariis, vt ex Græcis ibidem adnotaui, quod & verum esse Arnobius & Cassiodorus & Haymo & Lyra fatentur in illum locum. *Tibi soli peccaui*, principem scribentes ex delicti causa à Deo solo, cui etiam soli peccauit, non hominibus humanisve legibus corripi & puniri posse. De populo si quis errauerit, & Deo eum peccare & regi. Regem qui peccauerit, soli Deo reum esse, quia hominem non habet, qui eius facta diiudicet. Merito ergo Dauidem soli Deo se peccasse dicere, quia solus erat Deus qui eius poterat admissa discutere. Solutus est etiam princeps quibusdam aliis legibus, non vtique omnibus.

B

CAP. XXXVI.

Adl. 3. C. de neg. gest.

IN *l. 3. C. de negotiis gestis* duæ proponuntur species. Priori coheredi qui non tantum pro sua, sed & pro parte coheredis pecuniam soluit creditori hereditario, in coheredem competit actio negotiorum gestorum, non familiæ erciscundæ, vel communi diuidundo, quia pro sua tantum parte soluere necesse habuit, non in solidum. Sed si ideo gesserit aliquid tam pro sua quam pro coheredis parte, quod expedite id gerere pro sua tantum parte non posset: vt si locauerit fundum communem, vel si pro ædibus hereditariis damni infecti cauerit in solidum, cessat actio negotiorum gestorum, quia sibi potius quam coheredi negotium gessisse intelligitur, *l. si communes, de neg. gest. l. 6. §. hoc autem, & §. si damni, commun. diuid. l. heredes, §. non tantum, famil. erciscund.* Quamobrem & in posteriori specie *d. l. 3.* si pignoris luendi causa creditori hereditario solidum exsoluerit: quod certe nec pro parte luere potuit, quia indiuisa est pignoris causa, *d. l. heredes, §. idem obseruatur, l. rem, de euict. l. quod si nolit, §. idem Marcellus, de ædil. edic.* quatenus solutione pignus liberauit, competit ei actio familiæ erciscundæ, si nondum ea actum sit, vel si iam id iudicium peractum sit, actio communi diuidundo. Quatenus autem coheredem absoluit obligatione personali, competit ei actio negotiorum gestorum, & est in eius arbitrio qua potius actione vtatur, negotiorum gestorum, an familiæ erciscundæ, vel communi diuidundo: quia & id gessit quod pro sua tantum parte gerere potuit: & id quod pro sua tantum parte gerere non potuit, soluendo nempe totam pecuniam & obligationem personalem sustulit in solidum qua se soluendo partem liberare potuit, & actionem hypothecariam, quam nisi vniuersa pecunia soluta nulla ex parte tollere potuit.

C

D

CAP. XXXVII.

Species difficiliores l. ex mille, de euict.

E

FVndo mille iugerum vendito dupla & tradito CC. flumen abstulit, post euicta sunt alia CC. pro indiuiso. Quæritur pro qua parte sit commissa stipulatio duplæ, pro quarta an pro quinta. Et Papinianus ait in *l. ex mille, de euict.* pro quinta esse commissam, non pro quarta, vbi statim dubitatur, quam quartam quamve quintam Papinianus intelligat. An quintam scilicet residuorum octingenta iugerum, id est, CLX. & quartam similiter DCCC. iugerum, id est, CC. An quintam mille iugerum, id est, CC. & quartam DCCC. quæ similiter efficit CC. vel contra quintam DCCC. id est CLX. & quartam mille. i. CCL. An

quintam mille iugerum, id est CC. & quartam mille iugerum, id est, CCL. & hoc sane verius est, nam & ita quintã & quartam accipit in §. *quæsitum*, & in §. *quod si modo*. Hoc igitur initio eius legis Papinian. vult, non præstari stipulationem duplæ pro quarta mille iugerum, id est, pro CCL. sed pro quinta, id est, pro CC. quæ etiam sola euicta sunt: & ideo si fundus M. iugerum vænierit L. aureis euicta parte quinta, id est, CC. post eluuionem aliorum ducentorum, actione ex stipulatu emptori non præstabuntur XXV. sed XX. tantum. ac similiter si idem fundus vænierit X. emptori non præstabuntur V. sed IV. tantum. Cur autem pro quinta non pro quarta M. iugerum præstetur dupla, si quæras, serua rationem Papiniani, quia illa CC. quæ flumen abstulit emptori perierunt, vt iam non possit illorum CC. nomine quasi euictorum pro parte quarta aduersus venditorem regressum habere. Post perfectam venditionem, excepto periculo euictionis, omne aliud periculum pertinet ad emptorem, vt puta si minor aut deterior fundus factus sit, cum & ad eum omne commodum redeat, puta si maior aut melior factus sit. quod & nominatim de commodo alluuionis & incommodo eluuionis proditum est in *l. id quod, de pericul. & com. rei vend.* Dubitationis autem causam Accursius noster sumit recte ex §. 1. quod videatur euictis iugeribus ducentis stipulatio committi pro quarta parte mille iugerum, sicut, quæ est secunda species huius legis, euicto fundo toto qui hodie est DCCC. iugerum stipulatio committitur non pro pretio DCCC. sed pro pretio M. iugerum, perinde ac si fundo nihil flumen abstulisset, vt si fundus vænierit C. ex stipulatione duplæ præstatur, pro CC. non pro CLX. actione autẽ ex empto vel quasi ex empto præscriptis verbis pro CLX. *l. 66. §. vlt. l. 70. eod. tit. l. Titius §. vlt. vers. idque, de act. empt.* & ducto igitur argumento à toto ad partem, videtur euicta quarta parte fundi qui hodie est DCCC. id est, euictis CC. non pro parte quarta fundi, quantus hodie est præstanda stipulatio esse, sed pro parte quarta fundi, quantus olim fuit, id est, pro CCL. Verius autem est aliam esse rationem euicti totius fundi, longe aliam euictę partis, nimirum quia euicto fundo toto qui hodie redactus est ad DCCC. iugera, imo etsi ad vnum iugerum hodie redactus est, proinde committitur stipulatio ac si fundus M. iugerum quantus fuit venditionis tempore euictus esset, & consequenter duplari oportet pretium mille iugerum. Periit quidem emptori quidquid flumen abstulit, sed perinde ac si nihil ei periisset, euictusque fundus fuisset M. iugerum, eo ipso iure competit actio ex stipulatu, quia verum est totum eum fundum qui væniit euictum esse. est idem fundus qui fuit ante, tametsi euictionis tempore minor eius modus sit, quam tempore venditionis. Euicta autem parte quinta fundi venditi pro indiuiso, vt proponitur initio huius legis, id est, CC. nec iure committitur stipulatio, nec competit actio ex empto nisi pro parte quinta: quia iniquum est emptori pręstare euictionis nomine amplius quam euictum sit. Porro euicta sunt CC. tantum ex residuis DCCC. Alia CC. quæ flumen abstulit non censentur euicta. eorum igitur quæ flumen abstulit rationem haberi non oportet, quin etsi flumen absumpsisset totum fundum relicto dumtaxat vno iugero, euicto semiiugero pro indiuiso, non pro dimidia mille iugerum, sed pro dimidia iugeri tantum quæ euicta est, committeretur stipulatio duplæ. Azo aliam differentiæ rationem attulit, euictis scilicet CC. siue parte quinta, non haberi rationem ducentorum quæ eluuio abstulit, quia quantum eluuio abstulit, tantum forsan postea alluuio reddituram est, & qui sperat commodum alluuionis, æquo animo ferre debet incommodum eluuionis. euicto autem fundo toto emptor nullum sperat commodum alluuionis. Verum hæc ratio non est probabilis. quia non propter spem incertam periculum pertinet ad emptorem, sed quia venditio perfecta & impleta est, & id tantum ex fide bona imputatur venditori quod contingit dolo malo vel culpa eius, §. *cum autem, Instit. de empt. & vendit.* quæ etiam efficit vt euicto fundo toto, periculum etiam eluuionis pertineat ad emptorem, quamuis nullum ex alluuione lucrum speret, sed effectu ipso perinde ac si nihil ei deperisset, res æstimatur & stipulatio committitur. Aliam quoque differentiæ rationem adduxit Accursius, euicto scilic. fundo qui venditionis tempore erat M. iugerum, euictionis tempore octingentorum, stipulationem committi pro mille, quia qui eum euicit, etiam si vis fluminis nihil ei detraxisset, integra mille iugera euicturus erat. quæ ratio merito displicet: quia non quod euicturus quis fuerit, sed quod euicerit stipulatio committitur, *l. si rem, §. 1. eod. tit.* Sed de specie prima & secunda hactenus. Sequitur tertia in § *quod si modo*. Facito, eidem fundo mille iugerum nihil demsisse flumen, imo adiecisse CC. iugera per alluuionem, ac deinde pro indiuiso euicta esse CCXL. quæ est quinta pars MCC. iugerum. Quæritur pro CCXL. prętetur euictio, an vero pro CC. perinde ac si CC. tantum ex mille euicta fuissent, quod magis Papinianus probat: quia eius quod per alluuionem fundo vendito accessit, quodque in venditionem non venerat, euictionem venditor non prętat. Cui sententiæ nihil obstat *l. 16. in prin. eod. tit* quia non de alluuionis accessione loquitur, sed de eo quod ex contractu rei venditæ accessit, vt si fundo vendito iter accessurum venditor dixerit, *l. 6. §. si tibi, de act. empt.* At *l. 15. eod. tit.* loquitur quidem de alluuionis incremento, sed, vt omnes interpretes sentiunt recte, de quo conuenerat vt si quandoque contingeret eius quoque periculum euictionis nomine venditor agnosceret. Et hęc de tertia sufficiunt. Prima stipulatio committitur in id solidum quod euictum est. Secunda in plus quam euictum est. Tertia in minus, imo & Quarta quæ est huiusmodi in §. *quæsitum*. Vendidi & tradidi fundum mille iugerum. flumen abstulit CC. mox idem flumen adiecit CC. per aliam partem fundi, post euicta est pars quinta quæ constat ducentis iugeribus. Quæritur an pro quinta parte committatur stipulatio? Et ait pro ea parte quãuis euicta sit non committi, non committi etiam pro quarta parte mille iugerum, id est, pro CCL. sed committi pro quatuor vicesimis quintis mille iugerum, id est, pro quinta parte DCCC. quæ efficit CLX. Cur vero non competit pro reliquis XL. id est, pro quinta CC. quæ flumen attulit? nempe quia vt lucro emptoris alluuio cessit, ita & pro rata eius par est, vt periculum euictionis sufferat ipse, non venditor. quod Papinianus consequens esse ait his quę dixit ante, nempe quia neq; committitur pro quarta mille iugerum, id est, CCL. quę nec si alluuione nihil accessisset pro ea parte committeretur, neque pro parte quinta, id est, CC. quia nec pro rata alluuionis siue pro XL. periculum venditor prestat, vt dictum est §. *prox. sup.* Sunt igitur detrahenda ex CC. quinta scilicet mille iugerum quæ præstaretur si nihil per alluuionem accessisset XL. pro rata eius quod per alluuionem accessit, quodque damno emptoris non venditoris cedit. Valde placet quod nouam regionem vocat eam partem quæ alluuione accessit, quia per aliam partem fundi accessit quam qua fugerat. nam si per eandem ipsam partem accessisset, qua & decessisset, eadem pars esse & fundus suæ pristinæ formæ redditus videretur: & forte præstaretur euictio pro CC.

A

CAP. XXXVIII.

Excuriari, Carfania, Inſignia magiſtratus.

PVeros quos prętor in totum prohibet poſtulare, Vlpianus *l. 1. de poſtulan.* ait excuſari à prętore, quo verbo, ſi vſus eſt, ſane perquam importune eo vſus eſt, quia qui non prohibentur, excuſantur certis ex cauſis, non qui prohibentur omnino, ac prætera quibus poſtulare licet, eorum nullos vſquam leges excuſatione vti quo minus hochonore fungantur, qui gradus eſt certiſſimus ad Senatoriam dignitatem, vt notaui §. *vlti. Inſtitut. de excep.* Itaque illo loco Vlpiani, quem ſcio verborum antiquorum ſtudioſiſſimum fuiſſe, malim légere, *Excuriauit*, pro *Excuſauit*, vt in *ſatyra quadam Varronis*, Apollonium ideo excuriant quia nihil habebat. Pueros igitur prætor excuriauit, id eſt. minores XVII. an. quę vetus eſt definitio Serui Tullij Regis P. Romani, vt contra maioribus ſtatim poſt ſumptam virilem togam quam vtique ſumebant expleto XVII. anno, maxime liberis Senatorum apud Suetonium legimus latum clauum induere & curiæ intereſſe Auguſtum permiſiſſe. In eadem *lege* 1. recte Flor. & Baſilica, Carfania, quomodo etiam legendum apud Valerium Maximum, non Afrania. Iuuenalis, *Carfania talem Non ſumet damnata togam.* In eodem inſignia magiſtratus ſunt quæ ornamenta Notitia imperij Romani, quæ Dio τὰ τῆς ἀρχῆς ὀπτήματα, τὰ τῆς ἡγεμονείας κοσμήματα, Appianus φάσματα, Siracides τὰ ὀπτίμα, vt inſignia proconſularia, *l. 1. de offic. proc.* cuiuſmodi ſunt latus clauus, toga prętexta, ſella curulis lam vedum certus numerus, vt edicto Iuſt. VIII. faſces in Dictatore, XXIV. in Conſule, XII. in Prætore vrbano, & præſide prouinciali vt.

CAP XXXIX.

Conductionem non reſcindi ob id ſolum quod nimium magno pretio contracta ſit.

SIcut ex parte emptoris emptio venditio nullo modo reſcinditur ob id ſolum quod immenſo pretio emerit, vt probaui *Obſeruat. 16. cap. 18. & Obſer. 23. c. 32.* ita nec ex parte conductoris locatio conductio quæ emptioni venditioni reſpondet, quod nimium magno conduxerit, adeo vt nec ob eam cauſam conductor qui modo conductionis tempore maior fuerit XXV. ann. remiſſionem petere poſſit, quæ iure ciuili ob ſterilitatem dumtaxar aut infecunditatem, malis fructibus peti poteſt, *l. ex conducto* §. *1. Locat, l. 8. & 17. C. eod.* & hæc quidem certe Catonis ſententia fuit in cauſa Aſianorum publicanorum, qui cupiditate prolapſi animoſius, vt loquitur *l. ſi pignori, famil. erciſc.* immoderatius vt Suetonius Tranquillus, in conductione vectigalium licitati erant. Et nimis captauit Iulius Cæſar eorum publicanorum, gratiam, qui eis, eodem Suetonio, & Dione & Appiano auctoribus, tertię partis mercedum ἄφεσιν ſiue remiſſionem dedit contra ius, quam & ideo recte Dio ἐνδικίαν vocat. Erant autem publicani illi non in Aſia tantum, ſed vbique gentium equites Romani, vt & in Gallia, teſte Cæſare 1. *de bello Gal.* non niſi nobiliores publica vectigalia conducebant, quod & hodie fit in Britannia minore.

B C D E

CAP. XL.

Iuris auctores noſtros ab Stoïcis fere imbutos eſſe.

PRimum præceptum iuris, quod eſt, Honeſte viuere, ab Stoïcis eſſe, quique ſit eius ſenſus Cic. docuit 2. *& 5. de fin. bon. & mal.* his verbis: *Stoïcis finem bonorum eſſe conſentire natura, quod eſſe volunt cum virtute, id eſt, honeſte viuere, quod ita interpretantur, viuere cum intelligentia earum rerum quæ natura euenirent, eligente ea quæ eſſent ſecundum naturam, reiicientequę contraria.* Illæ quoque originationes verborum ad imitationem earum quæ ab Stoicis confinguntur, teſtamentum eſſe quaſi teſtationem mentis, ſicut Fulgentius, argumentum quod arguat mentem, & D. Auguſtinus monumentum quod moneat mentem: item mutuum ab eo quod de meo tuum fit, vt Seneca reddere quaſi rem pro re dare. Similiter & Pomponius oppidum ab ope. *l. pupillus, de verb. ſignificat*, omnes à iuriſperitis inuentæ & traditæ ſunt. Eſt etiam ab Stoicis quod Paulus ait *l. in rem, de rei vind.* corpora σωπυμένα vno ſpiritu contineri, qui cuiuſque rei, vt ex Chryſippo ethicæ diſciplinæ principe Aphrodiſæus ſcribit, vim continuatricem ſpiritum vocant, & tripertita quoque illa diuiſio corporum quæ proponitur in *l. rerum, de vſurp. & vſucap.* ab iiſdem eſt, de qua Sextus Empiricus in hunc modum: Τῶν σωμάτων τὰ μέν ἐστιν ἑνωμένων ὡς πλοῖα καὶ ἁλύσεις καὶ πυρσοί, τὰ δ' ἐξ ἡνωμένων ἅμα καὶ μιᾶς ἕξεως (συνέχει), ὡς φυτὰ καὶ ζῶα, τὰ δ' ἐκ διεστώτων, ὡς χορὸς καὶ στρατιὰ καὶ πόλεις. Ex eadem familia eſt vſurpatio ſubſtantiæ pro materia, ve docui ad Africanum in *l. 36. de vſufr.* ex eadem ἀποφυγὴ λόγου, *l. qui cccc. Ad legem Falcidiam* in qua & Dialectici, id eſt, Stoici & acerui Chryſippei definitio quam Iulianus prodidit noſter, & ex eodem Chriſippo definitio legis, ex Zenone, à quo primum Stoici profecti, definitio libertatis, ex eodem, de re quæ nuſquam extat exemplum quo iuris auctoribus vti amicum & familiare eſt Hippocentauri. Illa quoque ſunt Stoica, τὸ ἔμβρυον non eſſe animal, & eſſe tamen matris partem, futura neque vera eſſe, neque falſa: Hominum cauſa omnia comparaſſe naturam, quibus & natura *Deus*, ſiue τὸ δημιουργικὸν ἡμῶν ἄπον, quę omnia etiam leguntur in iuris auctorum libris. Et quę de diſiunctiuis & ſubdiſiunctiuis orationibus Proculus in *l. hæc verba, de verborum ſignificat.* Adde quod legitur in *l. proponebatur, de iudic.* Philoſophos dicere ex quibus particulis minimis conſiſteremus, eas cottidie ex corpore noſtro decedere, aliaſque extrinſecus in earum locum accedere, non de Epicuro vel Democrito, vel Leucippo, & atomis ex quibus tradiderunt effici quæ ſunt quæque cernuntur omnia. neque de aliis philoſophis quam Heraclitiis & Stoicis excipiendum eſt, qui corpora noſtra rapi dixerunt fluminum more, & in adſidua deminutione atque adiectione eſſe, vt Seneca ait *Epiſt. 58.* nec quemquam eundem eſſe mane qui fuit pridie. Omne momentum mortem prioris habitus eſſe. qua de re & Plutarchus ſcripſerat *in Sympoſiacis cap.* Περὶ τοῦ μὴ τοὺς αὐτοὺς διαμένειν ἡμᾶς, ἀεὶ τῆς οὐσίας ῥεούσης. Sed ſcriptum eius hac de re diſperiit. Ex Stoicis etiam eſt quod cenſent, eum qui impatientia doloris aut tædio vitæ & aduerſarum rerum aut pudore æris alieni vel pudore & luctu perditæ ſummæ rei, pudore magis quam neceſſitate vim vitæ ſuæ attulit, extra noxam eſſe: nec eum quoque qui conſcientia criminis capitalis puniendum eſſe, quod ſponte ſumpſerit mortem, ſed quod capitis reus fuerit, Quin & ſuſpendioſi, quamuis eorum mors ſit omnium maxime turpis, &

ἀχήμονες ἀχθόνες μεταφύτοι, vt Euripides ait *in Helena*, si modo non in reatu capitali suspendio vitam finierint, non puniuntur, *l. 3. §. idem rescripsit, de bon. eor.* A *qui mor. sibi consc.* Iusta tantum eis non fiunt, neque lugeri solent, *l. 11. §. non solent, de his qui not. inf.* Varro *apud Seruium*, suspendiosis iusta fieri ius non esse.

IACOBI CVIACII IC.

OBSERVATIONVM ET EMENDATIONVM.

LIBER XXVII.

B

CAPVT PRIMVM.

An restituti ab exilio, recipiant iura libertorum.

TANTVM abest vt restituti ab exilio non recipiant libertos suos, vt etiam damnati in metallum vel alia pœna quę seruum efficiat, & restituti sunt, eos recipiant, *l. 1. de sentent. pass. & restit. l. 3. §. si deportatus, de bon. libert. l. siue libertus, De iure patron.* quod primum ita procedit si specialis restitutio fuerit, non si communis & generalis, *l. 4. 5. 7. & 9. C. de sentent. pass. & restit.* C ac rursus si specialis fuerit generaliter concepta, non ita dumtaxat vt patrio solo redderetur & dignitatem libertatemve pristinam reciperet, vel etiam ex bonis quondam suis aliquid, *l. 3. C. de sent. pass. & rest. l. 2. D. eod.* Nec ergo inutiliter Vitellium reuersis in patrium solum Galbæ beneficio, quod Cornelius Tacitus scribit, iura libertorum adiecisse, hoc est, ius succedendi in libertorum bona testatorum vel intestatorum, hoc enim est præcipuum & summum ius patronatus, imo & id solum veluti per eminentiam dicimus, cum ius patronatus dicimus, vt *l. 11. de oper. liber. l. 14. de tut. & cur. dat.* Cornelij verba hæc sunt, *Cum flebilis & egens nobilium turba quos ipsos liberosque patriæ Galba* D *reddiderat, nulla principis misericordia iuuarentur, gratum primoribus ciuitatis, etiam plebs approbauit, quod reuersis ab exilio iura libertorum concessisset.* Quod autem sequitur, *Quamquam id omnino seruilia ingenia corrumpebant, abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus,* respicit ad ea quæ liberti in fraudem patronorum gerunt quo minus pars debita bonorũ ad eos perueniat, quorum reuocandorum gratia comparatæ sunt duæ actiones, Fabiana testatis libertis & Caluisiana intestatis. Non adiungo Cornelij loco supra scripto Martialis coqui epigramma ad Traianum, quod exposui *Obseruat. 10.* quia, vt liceat tantum vera probare, idem auctor Traianum effecisse ait apertè, libertorum E in patronos scilicet reiecto indicio, mandata, testimonio quod & post secutos Impp. constituisse satis patet ex *l. 2. §. penult. de iure fisc. l. vlt. C. qui acc. non poss. l. libertorum, C. de testib.* non etiam restitutis patriæ exulibus, etiam iura patronatus Traianum postea concessisse.

CAP. II.

Italia quæ prouinciis Romanis adnumerentur.

MVltis in locis iuris auctores & alij plerique Italiam distinguunt à prouinciis, Italicos & Italos à prouincialibus, vt *l. 5. §. si extra, de ind. l. 7. §. si quis eam, de interdict. & releg. l. notionem §. 1. de verborum significat, l. 1. C. qui num. lib. l. vn. C. de vsucap. transf. §. per traditionem, Institution. de rer. diu.* Recte, erat enim Italia caput imperij, non prouincia. Malè autem Accursius in *l. abesse, ex quib. caus. man.* qui prouinciam accipit pro Italia. Dicet aliquis, quid ergo est, quod Salustius futuris consulibus lege Sempronia Numidiam atque Italiam decretas, & vni obuenisse Numidiam, alteri Italiam? quid quod Liuius XLII. & XLIII. Consulibus destinatas prouincias, Italiam & Macedoniam? & XXXVI. & XXXVII. Italiam; & XXXIII. Hispaniam & Italiam? Dicam, non de Italia summa rerum domina illos locos & tales alios accipi oportere, sed vt ex eodem Liuio intelligere licet de Gallia togata quæ est in Italia, vel de Pisis, de Tarento, de Lucania & Bruttiis dum in armis erant aduersus P. Romanum: quibus quidem Lucanis & Bruttiis etiam posteriore ætate suus fuit corrector & præses, vt ex plerisq; constitutionum inscriptionibus paret, itemque Apuliæ & Calabriæ. Quid item quod *l. vltim. C. de tempo. in integ. restit.* in Italia & in aliis prouinciis? Non vtique in aliis, quasi & omnis terra Italia prouincia sit, sed in aliis regionibus quæ in prouinciæ formam redactæ sunt, in ceteris omnibus prouinciis, *l. 2. Cod. Theod. de in integ. restit.* in quibuscumque prouinciis, scilicet Romanis, vt auctores loquuntur, prouinciis P. Romani, vt Cornelius Tacitus vno loco, publicæ P. Romani prouinciæ: & altero, populi Romani finitimas prouincias. In titulo autem *de man. vindic. l. etiam §. vlt.* Qui in Italia vel in alia prouincia domicilium habent, in alia scilicet quam ea in qua seruum manumittere volunt. Porro quod ait dicta *l. 9.* Insulæ Italiæ pars Italiæ sunt & cuiuscumq; prouincię, interpretationē conuenientissimam, accipit ex *l. 35. §. non solum, de procurat.* nempe enim vt non cogatur, qui vt procurator alieno nomine agit defendendi dominii causa in prouinciam ex Italia Italiæve insula, vel contra Italiam insulamve Italiæ ex prouincia abire, vel ex vna prouincia in aliā prouinciam. Primam vero prouinciarum factam Siciliam Cicero, Paterculus, Ruffus & alij plerique auctores sunt, quę L. Annæo suburbana P. R. prouincia, quia & hęc magis est, vt inter continentes Italię prouincias habeatur, dicta *l. notionem §. 1.* vero continentes sunt, Gallia & Hispania & hæc continentium prima, vt Liuius scribit XXVIII. Sicilia igi-

tur transmarinarum vel quasi continentium.

Cap. III.

Recte ab Vlpiano Selinum in Cilicia poni.

VLpianus in *l.* 1. *de censib.* Selinum & Traianopolim in Cilicia ponit. Sic enim in Flor. scriptum est. Verum quid audio? Non Cilicia, ait quidam scribens ad *l.* 99. *de verborum significa.* sed Sicilia scribendum est. An igitur & perperam Selinum Ptolomæus in Cilicia locat? An & Dio & Zonaras qui Selinum Ciliciæ vrbem quæ hodie vocetur Traianopolis? vbi vterque in Traiano. Ad hoc tametsi non Ptolomæus quidem vt ait, sed Plinius, Strabo, Stephanus Selinum in Sicilia ponunt: tamen non ideo minus veram esse Florentinam scripturam existimandum est, quia in vtraque prouincia fuit sane eiusdem nominis oppidum, sed quod postea Traianopoleos nomen adsumpserit nonnisi in Cilicia. Ne ergo temere hac in parte recedamus ab scriptura Florentina. Ne etiam credamus Indici Caroli Stephani qui Pompeiopolim Ciliciæ tamquam ex Solino postea Traianopolim fuisse appellatam, mutato, inquit, nomine postquam in ea fato cedere Traianus coactus est. cui errori causam præbuit corruptus Ioachimi Vadiani doctissimi viri locus in Ciliciam Pomponij Melæ, quo pro Selinus scriptum est Solinus, hoc modo, Sic Solinus, vetus ciuitas, &c. emenda, sic Selinus vetus ciuitas amisso priori nomine Traianopolis dicta.

Cap. IV.

Seruij, Mucij, Sabini auditores.

SEneca IX. Contr. *Contumeliæ*, inquit, *causa à derisoribus discipulis auditores vocabantur, deinde in vsu verbum esse cœpit & promiscue poni pro discipulo auditor.* Hoc sane sensu auditores Mucij & auditores Sabini dicuntur in *l.* 2. *de orig. iur.* & auditores Seruij, *l.* 6. *de dot. præl. l.* 12. §. *sed an instrumenti, de instr. & instr. leg.*. Male Flor. in *l.* 1. §. *sed & apud, de aqu. & aq. pluu. arcend. auctores* pro *auditores*, vt illo loco Cornelij Taciti, *& nostris quoque auctoribus interesse.* Et Seruij quidem huius auditores percenset nominatim Pomponius, *d. l.* 2. ac præterea Seruium ipsum memorat auditorem fuisse Balbi, Lucilij & Galli Aquilij, ab hoc instructum, ab illo institutum, id est imbutum. Cornelius Tacitus *eodem libro*: *Et si non instructus, at certe imbutus.* Vlpian. *l. si seruos, de pign. act.* seruos artificiis instruxit iam imbutos, *Basil.* ἤδη μεμυημένους. Idem Pomponius & eodem sensu Trebatium Corn. Maximi auditorem, Cascellium Volusij, Plinius Volcatij facit. Hæc omiseram in Commentario ad Pomponium.

Cap. V.

Decretum Adriani quod proponitur in l. Imp. ad Senatusconsultum Trebel.

PAtrem rogatum hereditatem sibi testamento relictam filio suo restituere, cum is filius potestate sua exisset, & bona hereditaria in fraudem filij pendente condicione antequam is potestate exiret dilacerantem, Adrianus, vt proponitur in *l. Imp. ad Senatusconsf. Trebel.* iussit, quod est, decreuit vt *l.* 3. *de vsur.* fraudis amouendæ causa statim filiofam. hereditatem restituere, atque ita damnum, vt ait, condicionis inflixit: quandoquidem nec rationem haberi condicionis nec expectari eius euentum voluit, neque vero citra damnum condicionis protinus restitui filio nondum sui iuris effecto hereditas potuit. Damnum condicionis ait, vt damnum voluntatis, *l.* 23. §. *seruum, de fideicom. libert.* citra damnum voluntatis redimere non cogendum, & Mamertinus *in Panegyrico Maximiano dicto, Faciam compendium orationi meæ, sed damno voluntatis.* Sic damnum affectus Cornelius Tacitus in *dialogo de Oratoribus, Hanc*, inquit, *esse eiusmodi sermonum legem, iudicium animi citra damnum adfectus præferre.* Damnum delibatæ honestatis Gellius *Commentariorum c.* 3. Damnum verecundiæ *Macrobius*, 4. *& 7.* Porro decreti huius representationisve fideicommissi, quę ex hoc decreto fit ante condicionem, vis hæc est, vt viuo filiofamil. nihil iuris in eis bonis habeat pater. Viuo, inquam, filio. nam mortuo filio in familia, ea hereditas redit ad patrem, necessitas autem hæc, quia non potuit inter patrem & filiumfam. obligatio constitui siue cautio vulgaris de hereditate restituenda cum primum existeret condicio, nec laceranda interim deterendave, vt *l. inter, qui satisd. cogan. l. hæc stipulatio, vt leg. nom cau. l.* 4. *C. vt in possess. legat.* Itaque post decretum Adriani in ea hereditate filiusfam. paganus, recte militi comparatur: nam vt filiusfamil. in castrensi pro patrefamil. habetur: ita & in ea hereditate Adrianus fecit vt filiusfam. quamuis paganus pro patrefamil. haberetur, ex quo sequitur restituta hereditate posse eum agere petitione hereditatis & hereditariis actionibus etiam non adiuncta persona patris, neque tamen de ea pecunia hereditateve quicquam testamento statuere: quia nec de pecunia castrensi, imo nec hodie de alia quacumque aduentitia: nec mirum si nec de hac qua de agimus cum alius hereditatis cuiusque filiusfamil. nudus proprietarius sit: huius vero plenus, ex qua tamen pietas & reuerentia patri debita exigit auctore Papiniano *dict. l. Imp.* vt egenti patri suppeditetur emolumentum, id est, alimonium & fructus quo toleret vitam suam. Fructus emolumentum est bonorum siue rerum, & retro emolumentum fructuum, *l. Manius* §. *penultimo, de legat.* 2. sic dictum ab emolendo, & ita quoque emolumentum accipi volo, illo Cæsaris loco, *de bello Gallico, Sine magno commeatu & emolumento.*

Cap. VI.

Cognatio & agnatio.

AGnatio minima capitis deminutione perimitur, veluti emancipatione, vel datione in adoptionem, non etiam cognatio, *l.* 4. §. *penult. de grad. & adfin.* §. *vltimo, Institutionib. de legit. tut. agn.* vt puta pater naturalis si me emancipauerit vel dederit in adoptionem, patri patrisque agnatis agnatus esse desino, non etiam cognatus. Cognatio naturalis est, agnatio ciuilis & legitima: hoc ciuile nomen, illud naturale, *l. Iurisconf.* §. *primo, de grad. & adfinit.* & ciuili ratione, veluti emancipatione vel datione in adoptionem ciuilis quidem cognatio tolli & aboleri potest, non etiam naturalis. nec enim vllo modo fieri potest vt meus sanguis non sit patris mei sanguis, facilius vt non idem mihi nomen, eadem familia, eædem imagines, eadem sacra, eadem scuta sint, *l.* 8. *de reg. iuris* De patre naturali loquor. nam pater adoptiuus si me emancipauerit, vtraque cognatio perimitur, agnatio scilicet & cognatio, quæ agnationi inest, sicut genus in specie, *l.* 3. *vnde cogna. l.* 4. *si tabul. test. null. ext.*

Peremptaſpecie iuxta & genus quo continebatur ab ea receſſit. Certum vero exploratumque eſt, eum quem per adoptionem vel adrogationem tanquam per alteram naturam ſumimus filium vel nepotem, vel pronepotem, agnatum fieri nobis agnatiſque noſtris, ac proinde etiam cognatum, non item & iure naturali cognatum cognatis noſtris, *l. 23. de adoptio. l. 12. §. vltimo, de rit. nupt. l. 1. §. cognationem, Vnde cognat. l. patris, de in ius vocan.* Ciuilis ratio ſiue commentum adoptionis, vt loquitur *l. fideicommiſſum, de conditio. & demonſtrat.* ciuilem tantum cognationem adfert, non cognationem illam naturalem, quæ deſtituta eſt proprio & ſpeciali nomine, id eſt, eam quæ ex feminis venit, quo fit vt per adoptionem fiat quidem & quæratur mihi ſoror conſanguinea & frater conſanguineus, vt puta filia naturalis patris mei commenticij, ſicuti loquitur Plautus in Ciſtellaria, quæ in eiuſdem patrisfamilia permanſit, ſoror mihi eſt conſanguinea, æque filius frater conſanguineus. Vnde apparet adoptato Iugurtha Micipſam apud Saluſtium Iugurthæ vere dicere, *Filij mei*, (naturales ſcilicet) *beneficio meo tibi fratres ſunt*, parique ratione vt patris adoptiui frater filio adoptiuo patruus fiat, ſoror amita ſiue patertera, nequaquam vero fiat per eam vel ſoror vel frater cognatus vel auũculus aut matertera, *dicta l. 12. §. vltimo.* vel etiam mater poſtea vxor patris adoptiui eius quem adoptauerit mater non fit aut ſoror ſi in manum mariti non conuenit. Sed neque nouerca, quia per adoptionem non contrahitur adfinitas, *l. 4. §. penult. de grad & adfinit.* Ceterum ſi conuenit in manum, quia in familia mariti eſt, ſane fit ſoror conſanguinea filio mariti adoptiuo. Rurſus mater patris adoptiui, quia cognata ei eſt, non agnata, adoptati auia, & retro adoptatus illius nepos non eſt, & tamen vt Paulus ait, in extremo *l. 23. de adopt.* cui omnino cohęret initium *l. 14. de rit. nupt.* etiam eorum nuptiæ ſunt prohibitæ, id eſt, non filiæfamilias tantum patris adoptiui, quæ filio adoptiuo ſoror eſt, ſed etiam vxoris eius, ſi forte eam pater repudiauerit, itemque matris eius: & harum quidem, puta vxoris vel matris patris adoptiui perpetuo etiam poſt diſſolutam adoptionem genere emancipationis vel quo alio, ſororis vero quatenus dumtaxat adoptio durat & ipſa in poteſtate patris, *l. 17. de rit. nupt. l. 9. in fin. de liber. & poſt.* Cauſa differentiæ hæc, quia tametſi vxor aut mater adoptiui patris neque cognata ſit filio adoptiuo, neque adfinis, tamen & mater auiæ & vxor nouercæ locum obtinet, *dicta l. 14. in princip. &* §. *nunc videamus*, id eſt, quaſi, & hęc quaſi nouerca, & quaſi mater igitur; & illa quaſi auia eſt, ac ſoluta adoptione fuiſſe intelligitur. Nec huic ſententiæ quidquam obloquitur *l. 12. de ritu. nup.* quia multum intereſt poſt adoptionem in matrimonium filij adoptiui eat vxori quondam adoptatoris, quod pudor vetat, an ante adoptionem, vxor mea nimirum rite mihi fit beneficio ſecutæ adoptionis quaſi nouerca: quod fuerit olim vxor patris adoptiui, ſicut vxor mihi poſt nuptias ritè ſoror fit, ſi me poſtea pater eius in locum fidemque filij naturalis adoptauerit. exempli cauſa Iulia Auguſti filia vxor Tiberij, poſtea adoptato Tiberio in familiam Auguſti, facta eſt ſoror Tiberij. Nec perpetuo verum eſt, ea quæ recte conſtiterunt reſolui cum in eum caſum reciderunt, à quo non potuiſſent conſiſtere, *l. penult. §. vltimo, de verbor. obligationib. §. ex contrario, Inſtit. de legat.* aut ne hoc contingat, impedienda generi adoptio eſt, vt *l. penultima §. ſed videamus, de rit. nupt.* & ad hoc cetera quæ dici poſſunt in hanc rem, ſi libet repete ex *xxiii. Obſeruat. cap. 36.* ac præterea, ex eo, quod dixi ante, ſerua perperam Suetonium ſcribere, Tiberium inſertum Liuiorum familiæ, adoptato in eam materno auo. Si paterno ecte. Si materno male. quia filius neptis non eſt agnatus auo materno. ergo nec ei qui adoptauit auum maternum. adoptio, vt dixi, cognationem parit, in genere per agnationis cauſam, non in ſpecie.

Cap. VII.

Poſſeſſio naturalis & ciuilis.

ACognatione naturali & ciuili inclinat animus ad poſſeſſionem naturalem & ciuilem, quam vtramque Caſſiodorus *in libro de amicitia* deſignat, his verbis, in iure ciuili (ſic legendum, non in iure tituli) poſſeſſio animi poſſeſſione naturali, id eſt, incubatione corporali præſtantior eſt, nec enim ita facile amittitur & per ipſam rei dominium vſucapiendo adquiritur. Deſignat, inquam, craſſa & vulgari, non legitima & perfecta interpretatione. Primum enim ciuilis poſſeſſio cuiuſque animi poſſeſſio cuiuſque animi cogitationiſque eius tantum qui ſe dominum eſſe ſcit vel opinatur fide bona & ex iuſta cauſa, nec animi tantum, ſed & corporis ab initio, Quod tamen ſubiicit, non ita facile eam amitti; proprium ſane eſt ciuilis poſſeſſionis: quandoquidem naturalis ſolo corpore amittitur, ciuilis non item, quia animo ſolo retinetur. Proprium item illud, vt ſine poſſeſſione ciuili vſucapio non procedat. Præterea naturalis poſſeſſio vulgo quidem eſt incubatio corporalis qua ex re etiam corporalis poſſeſſio dicitur, verum ſicut hereditas, qua vulgo pecunia eſt, nobis ius eſt incorporale: ita poſſeſſio naturalis quæ vulgo incubatio nuda vel nudus vſus eſt, nobis ius eſt incubandi, vel incumbendi, vel vtendi quoddam, veluti ius pignoris, ius precarii, ius commodati, ius peculii, ius vſusfructus, ius conductionis, vel quaſi conductionis, ius ſequeſtri vel depoſiti, ius donationis imperfectę, non ius dominij. Quæ enim iure dominij poſſidentur, quæ domini animo, cogitatione, iudicio, voluntate, affectione, mente, ſenſu, conſenſu, intellectu, ψυχῇ, λογισμῷ, διαθέσει, περιοχῇ (ſic variè loquuntur auctores noſtri) ea demum ciuilis poſſeſſio eſt iure dominii ſubnixa, & ſane pro eminentia ſua, ea intelligitur ſemper vbi mentio ſimpliciter poſſeſſionis fit, vt illo Licinii Rufini loco, *Sine poſſeſſione vſucapionem non procedere*, & Cornelii Taciti, *Proprias res nos poſſidere, non commodatas.* Alienas enim non poſſidemus proprie, ſed tenemus cum iure & cum titulo aliquo, alieno ſcilicet à iure dominii: quæ tamen detentio iuſta poſſeſſio etiam dicitur, cum adiunctione illa tamen, naturalis vel corporalis. Eius vero detentionis quæ nullo iure nititur, nulla ratio, nullus proſpectus habetur à nobis, ac ne naturalis quidem eam appellatione dignamur.

Cap. VIII.

Exauctoratio an importet infamiam.

INfamem non omnis exauctoratio facit, ſed ea tantum quæ fit detractis armis, cinctu & ſagulis ceteriſque inſignibus militaribus, *l. 2. §. ſed & ſi eum, de his qui not infam.* vel quæ ſequitur damnatum iudicio publico, *dicta l. 2. §. miles,* vel etiam ex eo crimine quod iudicii publici cauſam non habet, ſi modo quod ex eo etiam naſcitur iudicium ciuile damnatum infamem faciat, *l. infamem, de publ. iudic.* Certe proditores & trnsfugas exauctoratos nec forte capite plexos nemo non dixerit infames fieri. De iis *l. 7. de re milit.*

Proditores

Proditores, transfugæ, inquit, plerumque capite puniuntur & exauctorati torquentur. Iungit transfugas proditoribus, vt Q. Curtius v. *Proditores & transfugæ in vrbibus meis regnant.* & Cornelius Tacitus *in Germania, Germani proditores & transfugas arboribus suspendunt.* Et IV. *An Perfugas & proditores ferre arma ad suum patriæque seruitium.* In Basil. illo loco, οἱ προδόται καὶ οἱ αὐτόμολοι. & quod subiicit, pro hoste eos non pro milite haberi. Idem eodem modo II. Ann. *Proditorem haud minus infensis animis exturbandum quam hostem.* Verum ad rem. Qui ideo exauctoratur quod litem habeat, forte postulante aduersario, vt *l. 1. C. qui mil. poss.* non vtique infamis fit, *l. 4. §. exauctoratus, de re mil.* nec prohibetur, inquit, lite finita militiæ eiusdem ordinis se dare: qui tamen prohiberetur si ex ea causa facta exauctoratio eum infamia notaret, *d. l. 4. §. ad temp. & §. adulterij.* & Theophilus nost. *§. vltimo, de except.* At si quis exauctoratus ideo sit quod per id tempus, quo ex seruitute adserebat se in libertatem, militiæ nomen dederit, hunc esse infamem puto, quia etsi liber apparuerit exauctorari, id est, militia remoueri & castris reiici dicitur, *l. qui de libertate, de lib. caus.* quod vix fit sine infamiæ nota, Tribuno scilicet traditis armis, vt in Vitellio Suetonius refert aliquando vno edicto prætorianas cohortes (quod & legionibus integris non numquã accidit, *l. 2. §. pennlt. de re mil.*) iussas Tribunis tradere arma & exauctoratas: nec par causa est si quis ideo exauctoratus & dimissus sit, quod euitandorum munerum ciuilium, puta tutelæ vel curationis, militiæ se muneribus obstringere maluerit, qui exauctoratur quidem sed citra infamiam, *l. 2. §. est & quartum, de his qui not. inf.* Porro quos exauctoratio infames facit, hi sane à militaribus stipendiis & præmiis emeritis, quæ Basilica nostra ζωνθείας, vocant, repelluntur, vt Val. Max. scribit II. *cap. IV.* Alij qui citra infamiã exauctorantur, & priuilegia veteranorũ, habent & præmia emerita siue commoda emeritorũ, commoda missionũ, commoda præmiorum, vt loquitur *l. commodis, de re iudic.* capiunt. Præmium emeritum, *l. 5. §. penult. de re mil.* & simpliciter in eadem specie emeritum, *l. 3. §. is qui, eodem tit.* Imo & in vexillatione militant, non in legione, quæ duo longe diuersa sunt, *l. veteranis, C. quand. prou. non est nec, l. 2. C. de her. decu. l. 3. C. de his qui non impl. stipulat. l. 22. C. Th. de erog. mil. an.* Qui in legione, nisi si qui beneficiarij, munera omnia militaria obeunt. Qui in vexillatione, extra quam si cum hoste dimicandum sit, cetero munere militię vacant. Cornelius Tacitus I. *Ann.* Exauctorati veterani & sub vexillo retenti, ceterorum immunes sunt nisi propulsandi hostis. Infamiæ verbo ante vsus sum, non ignominiæ, quia & citra infamiam legi quandoque militia non reiecto vel ignominiæ causa semestre tantum stipendium in annum decerni apud Tit. Liuium xl. vel iuberi eum tendere seorsum à ceteris apud Q. Curtium VII. Denique omnis infamia ignominia est, non contra. Censoria nota animaduersioque ignominiam importat, non insignem ex edicto prætoris expressam infamiam. nam & notatis accusare & profiteri atque honores petere licet.

Cap. IX.

Aliquando inuitum compelli rem suam vendere.

Regulariter nemo inuitus rem suam vendere cogitur ne iusto quidem & suo pretio quanti res digna est, *l. 9. Rerum am. l. nec quasi. de rei vind.* At huius regulæ multa sunt vitia. Fideiussor cogitur pignus quod soluta pecunia à priore creditore emit, vendere posteriori, *l. 2. & 5. de distr. pign.* Creditor cogitur vendere ceterorum nomina vni ex reis qui solidum soluit, *l. fideiussoribus, de fideiuss.* Si seruum communem vnus tantum ex dominis manumittere velit, alter cogitur partem suam ei vendere, Constitutione Iustiniani. Per iniuriam emptori nonnunquam frumentum quod de publico emit, aufertur; cui tamen hoc casu pretium quanti emit restitui oportet. quasi igitur coacto vendere eodem pretio, *l. 2. §. grani, de administrat rerum ad ciuitatem pert.* Multa quoque vitia attulit olim quandoque & affert numero sæpius publica necessitas, vt quod dicitur synoneti onus in Constitut. vel coëmptio, multa principum, & potentiorum vis & iniuria, vt quod Simeon in Chrisostomo refert solitos imperatores, quo ex agro alieno fructum decerpsissent, veluti ex vinea vuam, ex viridario pomum, eius venditionem domino extorquere oblato iusto pretio. & quod Cornelius Tacitus *in Agricola*, solitos Britaniæ legatos quę frumenta ex horreis publicis prouinciales vltro non coacti emissent, eosdem cogere ad ea deferenda in longinquas regiones, ibique vendenda. Idque Iulium Agricolam merito sustulisse. ac primum quidem sic ait, *Frumenti & tributorum exactionem* (sic recte Beatus Rhenanus) *æqualitate munerum molire*; quod est peræquatione ipsorum tributorum, vt Constitutiones loquuntur, quæ & peræquatores & ἐξισωτὰς in eam rem missos homines vocant, mox subiicit, *per ludibrium adsidere clausis horreis & emere vltro frumenta ac vendere pretio cogebantur.* defit in eo sermone aliquid. Certe enim non nisi pretio vendere cogebantur. alioquin non esset venditio. At quo pretio? nam & id certum esse oportet vt venditio consistat, suone, an quod dominus fecerit, an quod legatus ipse Britanniæ? sic videtur. & rursus, totumne frumentum quod emissent vendere cogebantur nulla portione sibi in vsum retenta, quod nemo dixerit, alioquin inutilis eis emptio fuisset. an ex eo quod emissent partem quæ supereat deducto eo quod vsui proprio satis sit, vel decimam vel vicesimam, puta cuiusque modij aliumve certum modum, vt *l. 2. C. vt nem. lic. in coempt. sp.* vt item T. Liuius XLIII. scribit, antequam huic rei prouidisset Senatus, Hispanos de publico frumenta emisse quanti addixisset præses prouinciæ, eorumque vicesimas coactos vendere quanti ipse vellet? quod magis est, & placet valde decretum illud Senatus. Nam & æquitate pari Diui fratres constituerunt ordini decurionum non esse ius grani quod inuehitur, puto nec quod euehitur pretium statuere, *l. vlt. §. penult. ad legem Iuliam de an.* In eodem porro Cornelij libro, attrectatio eius libri facit vt veluti de scammate egrediar & admoneam illo loco, *Admiratione te potius temporalibus laudibus etsi natura suppeditet, militum decoramus*, magnum delictum inesse. Scripserat Cornelius, Admiratione te potius, te mortalibus laudibus, te si Nerua suppeditet, tumulo decorabimus, tumulo scilicet honorario, honore tumuli.

Cap. X.

Casus quo actio quæ heredi non competit, coheredi competit.

Si seruum meum ab alio mortiferè vulneratum liberum & ex asse heredem esse iussero, eique à morte mea protinus facto libero, & heredi, ac deinde ex vulnere defuncto alius quidam heres extiterit, non erit heredi eius in illum qui letale vulnus inflixit

actio legis Aquiliæ, quæ nec ei perducto ad libertatem competere potuit, *l. 13. l. 15. §. vlt. & leg. sequen. l. 23. §. 1. ad leg. Aquiliam.* Sed si eum ego liberum & ex parte heredem esse iussero adiecto coherede, sane coheredi actio legis Aquiliæ erit ex persona mea, *l. quacumque, de obligat. & actio, l. 27. §. si homo, de rei vindic. l. 3. §. vlt. ad legem Fabiam de plag.* quia quæ eius serui nomine ex lege Aquilia actio de occiso, quandoquidem tempus illati vulneris morti iungi Iuliano placuit, mihi competere cœpit, ea tametsi non potuerit transire in seruum cui ex testamento meo libertas simul & pars hereditatis obtigit, transire tamen potest in coheredem, & quidem si solidum, perempti corporis æstimatione facta. Hęc est sententia *l. 36. §. vlt. ad legem Aquiliam.* Dixi in solidum, non vt Accursius pro parte hereditaria, quia vt Græci interpretes accuratius obseruauerunt, quod iure hereditario vni ex heredibus adquiri non potest, id in solidum quæritur alteri, exemplo *l. qui bona, §. vlt. de adq. rer. dom. l. 12. de auct. tut.*

Cap. XI.

Pro Eum, reponitur Erum in l. 23. Ad legem Aquiliam.

CApite primo & tertio legis Aquiliæ quod proponitur in *l. 2. & 27. Ad legem Aquiliam* primo scriptum fuisse opinor, *Tantum æs dare ero damnas esto*, eaque re Vlpianum *l. 11. §. legis eodem titulo* adiecisse interpretationem, vbi legis Aquiliæ actio, inquit, ero competit, id est, domino. Erum veteres tenuiter dicebant sine aspiratione, vt Turpilius *apud Nonium*, Erum si forte quas galiolas vini tango, & eritudinem quæ Glossis veterum δεσποτεία, & Placido ericium, dominium, eritudo, dominatio, Festo seruitudo, qui hoc potius sensisse videtur sic dici eritudinem, pro dominatione scilicet & proprietate, vt Glossæ aiunt, vt seruitudinem pro seruitute aut seruitio. Hinc vero ducor vt putem quod in P. Florentinis propius vero scriptum est, *posse eum Aquilia agere*, ex eodem Vlpia. *l. 23. §. idem Iulianus, 2. ad legem Aquil.* ita emendandum esse, *posse erum Aquilia agere.* namque eum, id est, seruum pictorem cui pollex præcisus est, causam orare posse quis dixerit?

Cap. XII.

Quæstio §. 1. d. l. 23.

IN eiusdem *l. 23. §. 1.* recte ponit Accursius seruum testamento domini pure liberum & heredem esse iussum occisum viuo testatore. Quo sane casu secundus heres testat. qui seruo substitutus est in primum casū vel nullo substit. dato legitimus heres testatoris actione legis Aquiliæ quæ cœpit à testat. primū quidem hereditatis æstimationem consequi non potest, quæ scilicet hereditas retrorsum seruo competere non potuit, quem testator vita superauit. Et in actione legis Aquiliæ vt subiicitur in sequenti §. *retrorsum*, fit estimatio quanti interfuit seruum non occidi, non prorsum, ὅπισθεν ἢ μᾶλλον ἔμπροσθεν: hæc est proxima ratio cui cohæret & illa, quia non habet quod queratur substitutus, vel legitimus testatoris heres quasi amissa hereditatis spe, cum cædes potius heredis instituti ad eam ei maturauerit aditum. Nam vt eleganter vnus ex Græcis interpretibus ait, Si querantur de occiso seruo, mox audient, Atquin nullam in ea re iniuriam passi estis, vt *l. 30. §. 1.* cum cędes ea vobis hereditatis commodum attulerit, quod ea cæde non facta quandoque defuncto testatore ad seruum cum libertate peruenisset, ἐὰν γὰρ ἐγκαλέσωσι τῇ αἰτιᾴσει τῶ οἰκέτε ἀκούσαντα ὅτι εἰ μὴ αὐτοῖς ἐλάθετε ὑμᾶς καὶ ἐγὼ κληρονόμος, καὶ ὑμεῖς οὐδὲν ἐκαλεῖτε εἰς τὴν κληρονομίαν: Et alter interpres, μᾶλλον γὰρ δίκαιος ἔσται τῷ φονεύσαντι τὸν δοῦλον. εἰ μὴ γὰρ αὐτὸν, οὐκ ἂν ἦν υἱὸς, ἀλλ' ὁ δοῦλος ἐκληρονόμησεν. Eadem vero ratione nec potest substitutus, vel legitimus heres testatoris lege Aquilia persequi perempti serui æstimationem, quia nihil eorum interest seruum occisum non esse. Quandoquidem si non fuisset occisus vtroque excluso ipse solus heres extitisset, & si heres, ergo liber, adeo vt nec iam tum agente ipso æstimatio corporis eius vlla fieri posset, *l. 2. §. placuit, ad legem Rhodiam.* Actio quę cœpit à defuncto non sequitur heredem si heredis nihil intersit, vt puta si quo maior ob eam meliorve hereditas heredi non obueniat, *l. qui fundum, Locat.* Sicut ex diuerso non semper etiam actio quæ non cœpit à defuncto non transit in heredem, *l. 43. ad legem Aquiliam.* Recte vero vt dixi, posuit Accursius viuo testatore seruum occisum, quia si post mortem testatoris occisus sit, plusquam manifestum est actionem quæ nec cœpit à testatore, nec à seruo ipso iam facto libero ipso iure, in nullius horum heredem legitimum vel testamentarium veluti substitutum transire posse, si forte substitutionis casus extiterit, puta necessario herede non miscente se bonis. Nec enim ἀπάφανσις sola perimit substitutionem vulgarem, sicut nec substitutio vulgaris ἀπάφανσιν.

Cap. XIII.

Iuliani à Celso dissensio.

VT in plerisque aliis clausis, sic & in specie *l. ait, ad legem Aquiliam*, Iulianus à Celso dissentit, si alius seruum mortifere vulnerauerit, alius postea exanimauerit: Celsus enim posteriorem de occiso ex primo capite legis Aquiliæ teneri putat, priorem de vulnerato ex tertio, *l. 11. §. Celsus, eodem tit.* Iulianus vtrumque de occiso. Celsus homine mortifere vulnerato & postea mortuo annum retrorsum computari ex die mortis, Iulianus ex die vulneris, *l. 21. §. 1. eod.* Nec sane aliam ob rem in *l. 51.* magnum studium ponit in adserenda sententia sua, quam quod Celsus ab eo dissentiret, quem etiam notat & refellit tacite illo loco dicta *l. 51.* Quod si quis absurde à nobis hæc constitui putauerit, &c.

Cap. XIV.

Peculium serui ipsi seruo esse simile, & accipienda vti sit l. 6. de seruit. vrb. præd.

PApyrij Frontonis sententia hæc est, peculium homini esse simile, *l. 11. de pecul.* & vera quidem ea non per omnia, sed quatenus peculium variatur per qualitates nascendo, crescendo, decrescendo, moriendo, vt in ea lege declaratur, quibus quidem modis fit, vt peculio perinde ac seruo ineſse videatur vis siue anima physica, & phytica, vt plantis quoque & arboribus, quarum tamen exanimum corpus est. Ea vero arborum vis etiam motus naturalis dicitur in *l. quod autem, de seruit. vrban. prædiorum.* Natura enim mouentur arbores, vt Philosophi aiunt, καθ' αὐξητικὴν, καὶ αὐξητικὴν, καὶ γονητικὴν δύναμιν. Qua ratione & Celsus & Atticus apud Columellam aiunt, tres esse motus in vite naturales; vnumq;

quo germinet, alterum quo floreat, tertium quo maturescat, quæ varietates vt in dicta *l. quod autem* ostenditur, efficiunt vt non vsucapiam libertatem altius tollendi ædes meas quæ vicino debent seruitutem altius non ædificandi si in meis ædibus grandem arborem positam habuero, & vsucapiam tamen si legitimo tempore ædes meas possedero, simul & ibi parietem altius extructum habuero, quia certus est & continuus parietis status, arboris non item, *l. 4 §. vlt. de vsurp. & vsuca. l. 5. l. si ædes §. vlt. de seru. vrban. prædior.* In amittenda autem seruitute vrbanorum prædiorum per statutum tempus continuo vsu libertatis opus est, quo nullus est locus in seruitute rusticorum prædiorum. Quapropter solo in vsu eius generis seruitutem amitti placuit.

CAP. XV.

In accusatione adulterij receptæ præscriptiones.

HÆ etiam in accusatione adulterii probatæ & receptæ sunt præscriptiones præter eas quæ proponuntur in *l. 28. C. ad legem Iuliam de adulter.* præscriptionem scilicet quinquennij, vel sex mensium, præscriptionem lenocinij, quæ marito accusatori opponi potest, & præscriptionem huiusmodi, si quæ adulterij accusatur in priore matrimonio commissi, iam ante denuntiationem criminis alij nupserit: præscriptio ætatis accusatoris, *l. 15. §. lex, D. eo.* præscriptio si legem maritus accusator prodidisse dicatur ob hoc quod iam ante aggressus accusationem adulterij ab ea destiterit, *l. 2. §. 1. eod.* Præscriptio quod eodem tempore marem & fœminam adulterij accusare non liceat, quæ præscriptio etiam à Græcis interpretibus dicitur in *l. 1. §. atquin idem, ad Senatusconsl. Turpill.* improbata autem est præscriptio fori, *l. 14. C. ad legem Iuliam, de adulter. l. vlt. C. Theod. eo.* præscriptio si non præiudicium fiat filio impuberi, *l. miles §. defuncto, D. eod.* præscriptio dotis reddendæ, vel debitæ à marito pecuniæ ex alia causa, *l. adulterij, C. eod.* Et generaliter omnis præscriptio captiosa, elusoria, moratoria, quia, vt ait dicta *l. 28.* indignum est vt vltionem pudoris, id est accusationem adulterij præstigia versuti iuris excludant, præstigia, id est, captiones, & versutum ius, vt Horatius, vafrum. Quod autem versutum dici notat Accursius *μεταφορικῶς* à vestimentis, quasi & vestimenta versuta dicantur quæ vsu detrita interpolantur & interuertuntur parte interiore reducta ad exteriorem, neque placet neque displicet. Nam & *ἐπιτρέφειν τρόπους* pro mores fingere in nouam formam, interpres Aristophanis ait dici *ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς ῥυπυμένων ἱματίων, ἢ ἐπιτρεφομένων, ἢ ἐπιτρέψαι ἱμάτιον αὖτι τοῦ ἀλλάξαι τὸ ἔσω μέρος, ἔξω* (Suidas male *πρὸς τὸ σῶμα*) quod in idiotismo tornare, aut variare. Porro ad exemplum supradictæ *l. 28.* cui tametsi excipiat tres tantum præscriptiones quas accusationi adulterij obiicere liceat, tamen interpretatione iurisperitorum adiiciuntur etiam aliæ. Valde placet, quod ex Oldrado Albericus refert, quamuis in Gottica ciuitate Montispessulani siue Montis puellarum à monasterio sic appellati virginum ibi Deo deuotarum, rigor iuris in exigendis debitoribus qui se sub sigillo regio obligauerunt seruari vulgo dicatur, præterquam si debitores obiiciant exceptionem falsi, vel rei iudicatæ, vel pacti de non petenda pecunia, nec vllæ aliæ exceptiones adiiciantur. Tamen & per exceptionem solutionis executionem præsentem obligationis, & per aliam quamcumque legitimam exceptionem sustineri aliquando rectè iudicatum esse. Sic vero Lutetiæ vbi venditorem equi actione redhibitoria teneri vulgo existimatur ex tribus duntaxat causis, si luxatus sit, si profluuio Attico, si suspirio laboret. dicebam & alias addi posse, si podagricus sit, si frequenter corruat & intermoriatur, forte & si per interualla similiter in rabiem agatur.

CAP. XVI.

De vestis, ornamentorum, mundi muliebris legato quædam.

ANademata licet partem corporis tegant ornamentis, tamen legatis potius quam vesti cedunt, *l. 20. de aur. & argen. leg.* Et ornamentis quoque potius quam mundo muliebri, quia ad ornatum corporis parantur potius quam ad munditias: nec *ἀκριβῶς* igitur interpres Aristophanis *in Pluto*, *ἀνάδετος*, inquit *γυναικεῖῳ κόσμῳ ὃ ἢ ἀναδέσμη λέγεῖ*, nec interpretes etiam Pindari, Euripidis, Homeri, qui *ἄπυνα* scribunt esse, *κόσμον τινὰ περὶ τὰς γυναικείας κεφαλάς.* Contra fasciæ pedules, aut pedula vestis sunt non mundi, vel ornamentorum, *l. 25. eod.* quas vt existimo Suidas vocat *πέζιπα σπέρματα* in voce ipsa *πέζιπα*, & in *ταινίαι*, & nouissimi dixere *ἀφτάεια*, atque inde vulgus Gallicum *iartiere*, quæ tamen appellatio fasciis cruralibus conuenit magis: Latinos vero fascias dicere quas Græci *ταινίας*. Idem interpres Aristophanis, simul & Eustathius in Dionysium. His & viri vtebantur, vt Ganymedes quidam pedulis limbatis apud auctorem illum qui sub Boetij nomine scripsit de disciplina scholarium, quo in opere displicent multa, & illud maxime quod de discolo, quæ vox neque Latina, neq; Græca est, & *δύσκολος* longè alius à Boetij illo discolo. Placet tamen satis mensurni pro menstruo vsurpatio frequens, cum & Cyprianus dixerit diuisiones mensurnas. Imo & Cicero annum & mensurnũ spatium, 1. *de Inuent.* vt & Priscianus ipse legit illo loco: Meretricẽ quoq; idẽ Boetius nonariã vt Persius recte, & nonariam accipe pro puella, æque ac nonnã. At redeo ad supradictam *l. 26.* vt anademata & mitræ tametsi corpus tegant, tamẽ ornamentis potius quam vesti cedunt, ita contraria ratione ait Paulus in dicta *l. 26.* quædam ex veste quę eo præcipue nomine sunt reperta vt corpus tegant, etiamsi magis ornatus quam tegendi corpus causa habeantur, vesti potius quam ornamentis annumerari. Huiusmodi forte sunt Ceæ vestes subtilissimæ, flamine & subtegmine contextæ, quas vt Solinus ex Varrone refert, Ceos insula ornatum fœminarum dedit, quibus tamen nullum neque corpori auxilium, neque pudori; *λεπτὰ χλανίδια* Dioni, *διαφανῆ χιτώνια* Aristophani, *διαφανῆ λακωνικὰ* lxx. interpretibus Esaiæ 3. & in Ezechielem, Zachariamque *πέζαπα*, quia vt Hieronymus ait adeo tenues sunt, vt capillorum similes esse videantus. Rallæ aliis, his oppositæ quæ spissæ & Phrixianæ Senecæ & Plinio.

CAP. XVII.

Ad l. 4. C. de malef. & mathem.

DEfigere sortilegorum verbum quod exposui, 21. *capit. 22.* tum non memineram ex codice Theodosiano reponendum etiam esse in *l. 4. C. de malef. & math.* defixisse scilicet pro deflexisse. Quamuis Græcos ignaros & ipsos virtutis & proprietatis verbi, defigere, legisse deflectere vel distrahere satis constet ex Basilicis, in quibus ita est, *τὸν ἐπιδεξάμενον χοντείαν ἕλκειν εἰς ἕφοπτα τὰς σώφρονας λογισμοὺς μηχανησάμενον*, &c. & ex interpretatione *κατὰ πόδας*, quæ

sic habet, ἡ ἐκείνων ἄδησις πρωρητέα, καὶ τοῖς αὐστηροτέροις ἀξίως νόμοις ἐκδικητέα, οἵτινες μαγικῆς περιβεβλημένοι τέχνας, ἢ κατὰ τῆς φρίκας τινων, μηχανησάμενοι, ἢ τοῖς σώφροσιν λοιμικοῖς πρὸς ὀλιγίστου ἐπικόμψαντες φαντασμῶν). Ea vero pars legis merito placet piis & bonis omnibus, at non certe quæ sequitur qua probantur amuleta, aut carmina contra grandines & calamitates frugum morborumve humanorum genera, quasi extra crimen sit omne quod salutis ferendæ gratia fit, quæ pars etiam abrogatur Leonis *Nouel. 65.* & generaliter amuleta omnia quæ & φυλακτήρια dicuntur, & ἀλεξητήρια, & περίαπτα medicorum ἐξ ἑνὸς λόγου, damnantur Laodicenæ Synodi *c. 36.* & Caroli Magni lege his verbis, *lib. 6. cap. 72.* vt à clericis, vel laicis Phylacteria, vel falsæ inscriptiones, aut ligaturæ quæ imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adiuuare putant, nullo modo fiant, quia magicæ artis insignia sunt. Et præclarè igitur etiam interpres Aristophanis in Pluto περίαπτα χρηστηρία appellat, addens in eos qui ea prodesse ægris existimant ἐκ collo forte suspensa, multo amplius pendere, aut desipere mentes quam qui eorum remediorum spe nituntur. Quin & sub Alexandro Seuero legi apud Spartianũ damnatos eos qui remedia quartanis tertianisque collo annexa gestarent, & sub Constantio apud Ammianum Marcellinum xix. Nec igitur dubitandum quin sint æque damnandi quales hæc fertur ætas tulisse quosdam qui gestant annulos quos Græci φυσικοὺς appellant, & φαρμακίτας, quos tamen eleganter nihil aduersus calumniatores potesse Aristophanes his verbis, οὐκ ἔνεστι δικτύλιον συκοφάντῃ δόγματος.

Cap. XVIII.

Ad l. Publia depositi.

VSuram de qua agitur in *l. Publia* § 1. *depos.* quæ in singulas minas quotmensibus reddit obolos quatuor, constat esse bessem vsuram, nimirum quia in singulas minas reddit quotannis drachmas octo, quam esse promissam ait, μέχρι τῆς ἀποδόσεως παντὸς τοῦ ἀργυρίου, vt in *l. Seia, de vsur.* donec omnis summa debita soluatur, & in *oratione* Æschinis *contra Ctesiphontem*, ἕως τὸ κεφάλαιον ἀπόδοσιν, quo articulo plerumque id agunt contrahentes, vt vsurarum causa sit indiuidua, quare obsignata parte sortis non ideo minus totius vsuræ χωρῆσαι, *l. tutor* §. 1. *de vsur.* non quidem etiam parte soluta volenti creditori. Et hoc casu igitur obsignatio pro solutione non est. Eam vero vsuram quæ in singulas minas quotmensibus reddit drachmam vnam siue obolos sex, & quotannis drachmas xii. & pusillum si quid excurrit, æque constat esse centesimam, dico nec aliud esse ἐπόγδοον τόκον quam centesimam. addit enim quotannis octauam partem sortis. Quas vero ἑξάδας Aristophanes vocat in Nub. eæ videntur esse quinque centesimæ, puta quæ singulis mensibus reddunt vicesimam partem sortis, id est, quinque. Horatius, Quinas hic capiti mercedes exsecat, id est, εἰκάδας: Vel potius εἰκάδας δευτέρας intelligit quæ sunt proximæ τῶν ἐνάτων καὶ νέων, id est, extremis mensium diebus quibus vsuræ cedunt, in eadem *l. Publia* §. *vlt.* Item quos Trophimati X. scribendum, vt sit Trophimas nomen proprium viri cui Sempronij dederint x. in causam depositi.

Cap. XIX.

Cur actio in rem longo tempore adquiratur & amittatur, non actio in personam.

CVr actio in rem longo tempore, longo inquam tempore cuius finis latis notus omnibus adquiritur & amittitur, non actio in personam? Soluitur, primum, quia non tempus quidem proprie vllam actionem perimit, sed vsus, & vsus igitur possessoris aduersus dominum, non vsus debitoris: qui enim vsus debitoris, quo possit perimi actio quæ creditori competit? Et ex diuerso quia vsus cuius est causa naturalis & perpetua præbet actionem in rem, qualis nullus excogitari potest qui quemquam vltro creditorem alterius faciat sine conuentione. Obligatio nullius temporis vsu adquiri potest, quo enim aut cuius rei vsu? Dominium, vel seruitus adquiritur vsu longi temporis, si modo is vsus sit perpetuus, qui & perpetuus vtique est si ex naturali causa consistat, etiamsi non sit adsiduus: Naturæ ordo certus & perpetuus est, naturæ leges certæ & perpetuæ, veluti Solis & Lunę defectiones statæ, certæ, perpetuæ & immutabiles: quæ hominum fiunt opera, incerta omnia, & mutabilia. Foramen, vt Paulus scribit xv. *ad Sabinum*, in imo pariete conclauis, vel triclinij, quod est proluendi pauimenti causa διὰ τὸν καταχυσμόν, non est ius quod tempore vel vsu legitimi temporis adquiri possit, neque ius obligationis scilicet, quia nullus subest vsus quo obligatio quæratur, neque ius dominij, quia res nulla est, quæ vsu nostra fieri possit. At forte ius seruitutis: sed nec hoc quidem, quia etsi diu vtar eo foramine, non tamen eo perpetuo vtor vel perpetuo vti videor, & omnes seruitutes perpetuam causam habere oportet, quia qualitates sunt prædiis inhærentes. quod autem manu fit perpetuam causam non habet; quod natura fit, etiamsi non adsidue fiat, perpetuo fieri censetur: Hinc fit vt ex fonte & flumine aqua naturaliter profluente, seruitus aquęductus concedi possit, non ex lacu, vel stagno, vel piscina, aut lama, non ex cisterna. Nam & cisterna, vt Vlpianus ait *ad interdictum de fonte* perpetuam causam non habet: Stillicidij quoque vel fluminis immittendi seruitus recte conceditur eius aquæ nomine quæ de cœlo cadit, aquę Iouialis, non eius quæ manu nostra immittitur. Quamobrē etiamsi diu foramen habuero in vno pariete meo quo in ædes tuas effuderim sordes mearum, si quid ex ea re damni sentias, competit tibi in factum actio, & damni non facti stipulatio locum habet Pomponio auctore, *l. 29. de seru. vrb.* qui & in alia specie vtramque actionem dedit, *l. 18. eod.* fortassis & Proculus in illa, si furnum secundum parietem communem vicinus habeat, quamuis nondum mihi damnum dederit. Sic enim de eo Vlpianus scribit. Proculus putat in factum actionem dandam, sed non proponit exustum parietem, sane enim quæri potest si nondum mihi damnum dederit, & ita ignem habeat, vt metuam ne mihi det, æquum ne sit me interim actionem in factum impetrare, fortassis enim & hoc, inquit, senserit Proculus.

Cap. XX.

Cur raptor & fur semper videntur moram facere in re furtiua restituenda: Cur item raptor rei immobilis teneatur in duplum, raptor rei mobilis in quadruplum.

CVr raptor aut fur semper videtur moram facere in re furtiua restituenda, etiamsi nemo

eum interpellet, vt *l. vlt. de cond. furt.* Soluitur. Quia pluſquam mora, mora horum eſt, pluſquam moratores qui rem alienam peruaſerunt aut ſubripuerunt, *l. penult. de vi & vi arm.* non eſt mora ſimplex, ſed delictum, vt & ſi debitor ſeruum quem debuit in fraudem creditoris occiderit: Mora quæ pluſquam mora eſt, puta qua delictum vel crimen contrahitur ſine interpretatione, in rem non in perſonam. Cur vero ſi res ſit mobilis quam quis alij eripuit dolo malo, raptor tenetur in quadruplum, ſi immobilis in duplum, quadruplo illo ſcilicet vel duplo non adſumpto extra rem? An quia ſimplex æſtimatio rei immobilis plerumque maior & grauior eſt, quam triplex æſtimatio rei mobilis?

Cap. XXI.

Communia quædam Athenienſibus & Romanis in exigendis debitoribus.

QVod iuſiurandum calumniæ nomine initio litis vtraque pars præſtat, & quod eodem nomine decimam litis publice deponi, vel exigi, vel de ea ſponſionem fieri, vt olim obtinuit, etiam hodie Iuſtiniano placet. vtrumque Athenienſes ſeruaſſe indicat ille verſus Ariſtophanis *in Nub.* πᾶς γάρ τις ὄμνυσ' οἷς ὀφείλων τυγχάνω, Θεός μοι πρυτανεῖν. Verba ſunt debitoris iuratos creditores ſignificantis condicere debitam pecuniam, depoſita vt interpres docet decima parte litis, quam depoſitionem & προκαταβολὴ dixere, & πρυτανεῖα quod in Prytaneo fieret ærario publico. Quod item legimus apud Gaium in Inſtitutionibus, id quod in diem debetur ne eo quidem ipſo die peti poſſe, quia totus is dies arbitrio debitoris permittitur, §. *omnis*, *Inſtitut. de verborum oblig.* nempe vt eo die ſecum reputet, & deliberet vtrum ſoluere, aut tranſigere, an creditori obſiſtere debeat. Idem ex more Athenienſium Ariſtophanes *eodem loco*, pridie Kalendas non exigi vſuras pecuniæ creditæ, ſed Kalendis, τῇ νουμηνίᾳ, ἐχ ἕνι χ νέᾳ, qui dies totus tribuitur arbitrio debitorum, εἰς σκέψιν ἵνα σὺν μιᾷ ἡμέρᾳ ἅπαντες διαλυθῶσιν. εἰ δ' μὴ τῇ νουμηνίᾳ διαλύοιντο. Quæ ratio etiam eſſe dicitur edendæ actionis, *l.* 1. *de eden.* Vt, inquit, ſciat reus vtrum cedere an contendere vltra debeat. Baſil. ὥστε χώραν αὐτὸν ἔχειν ἢ διαλύσασθαι ἢ ἕτοιμον γενησόμενον, cedere & contendere aduerſa facit, vt Quintilian. 11. Hoc vitium eſt eorum qui nec cedere volunt, nec poſſunt contendere.

Cap. XXII.

An interdicto de riuis vti poſſit qui terrenum riuum quo vſus eſt ſigninum facere velit.

IN quæſtione propoſita pugnare videtur *l.* 1. §. *ſed quis*, *de riuis*, cum *l.* 3. §. 1. hæc interdictum permittit, illa denegat. Et Accurſij eſt in ea re nulla quæ ſatisfacit opera: mihi videtur nihil eſſe quod facilius expediri poſſit. lex illa 1. §. *ſed ſi quis*, de eo loquitur qui riuo non indigente vlla refectione, eum ex terreno ſigninum facere vult, vt quæ ſequuntur in ea hæc verba indicant. Non enim reficit qui hoc facit. Contra *l.* 3. de eo qui vrgente refectione, puta quod terrenus, vt ait, aquam non contineret, ſigninum, vel cæmentitium riuum facere vult. vtroque nomine ſigninum & cæmentitium, lapideum ſignificatur, qui ſcilicet teſta contuſa, calce & arena continetur, quæ bacillis ſubacta fuerint, vt illo Boëtij loco in *Top. Ciceronis*, Paries fornicatus ſigninam fabricam ſuſtinens. A & Frontini 1. *de aquæduct.* Signino circumiacto continendarum ſcaturiginum cauſa. Nomen ductum à Signia oppido Campaniæ, vbi primum eius generis ſtructura cępit, à quo & vinum Signinum Corn. Celſo *lib.* 4. & Aretæo ὀξέων νόσων 11. *cap.* 3. & in *cœna* quæ extat in *fine Cypriani operum*, vinum auſterum comprimendę aluo vtiliſſimum. Eſt & ab eodem oppido Signinum pyrum.

Cap. XXIII.

In iudiciis bonæ fidei ſpectari ſubtilitates iuris.

B VLpianus quem merito Modeſtinus κράτιστον τῶν τέχνῃ χ σοφότερον appellauit, in *l. ſi fideiuſſor*, §. *quædam*, *mand.* eleganter ait, in iudicio mandati quod eſt bonæ fidei, ſi eo forte experiatur fideiuſſor repetens quod conuentus ex ſtipulatu pro debitore ſoluit non diſputari de apicibus iuris, ſed hoc tantum quæri, debitor is fuerit pro quo ſoluit, necne: vt ſi paret debitorem fuiſſe, protinus damnetur fideiuſſori reddere quod ſoluit, nec imputari ei poſſit quod non traxerit negotium, forte poſita exceptione procuratoria, vel qua alia moratoria, veluti formulę non rite conceptę, quia bona fides exigit vt eſt proditum in §. *vlt. Inſtit. de exc.* ne dum de exceptione illa diſputatur, principalis actio proteletur, vbi de iure actionis & veritate liquet ſatis. verba VIpiani hęc ſunt: Non
C congruere bonæ fidei iudicio de apicibus iuris diſputare. pro quibus Baſil. ἐ σωάδειν τῇ ἀγαθῇ πίστει τὴν λεπτολογίαν τὸ νόμου ζητεῖν, puta non congruere aucupia ſyllabarum, quas proprie, & apices appellamus, non congruere exceptiones moratorias, minutias & iuris nimias ſubtilitates ſcrupuloſitateſve, & quæ Comicus ἀκριβῶν λόγων σκινδάλμους, χ ἀλινδήθρας, χ σκανδαλήθρας, quæ tamen à iudicibus olim in ſtrictis iudiciis facile admittebantur. His *l. vnica*, *C. vt act. ab her. & contra her. incip.* opponit latitudinem voluntatis. ſic enim eſt in ea legendum. Ne propter nimiam ſubtilitatem verborum latitudo voluntatis contrahentium impediatur. quę ratio eadem fere eſt cum illa, quæ proponitur in *d.* §. *quædam*, & in *d.* §. *vlt.*
D Placet & in hanc rem valde quod conuenienter *l. vlt. ad exhibendum* Menander dixit, eum qui exactius intuetur, & obſeruat verba legum calumniatorem eſſe, τὸν ὀρῶντα τοὺ νόμους λίαν ἀκριβῶς συκοφάντην φάνεσθ, vel dicito vt eleganter Theophylactus in *act. Apoſt.* τὸν ἀκριμαλωτίζοντα τὸ νόημα τῆς νόμου, ἢ τὸ ῥητόν.

Cap. XXIV.

De aquæ pluuiæ arcendæ.

VLpianus in *l.* 11. §. 1. *de aq. & aq. plu. arcend.* aquam pluuiam eſſe ait quæ de cœlo cadit, atque imbre excreſcit. Recte. vt Cicero, quę de cœlo veniens creſcit imbri: Definit enim ſimplicem aquam
E pluuiam. At mox ex Tuberone addit, ſiue per ſe aqua cœleſtis noceat, ſiue cum alia mixta ſit, vt oſtendat aquam pluuiam dici non tantum eam quæ per ſe ἐκ διὸς cadit, & nocet, ſed etiam eam quæ pluuia creſcit, non tantum ſimplicem aquam cœleſtem, ſed & fontanam, vel paluſtrem, vel fluuialem, vel ἀμαειαῖον, qua cum mixta pluuiatilis ſiue cœleſtis aqua eam ampliorem & vehementiorem faciat, & generaliter, vt ex Mucio idem Cicero refert, omnem aquam quæ pluendo creſcit. vt dicta *l.* 1. §. *in ſumma.* In illum vero Tullij locum quod Boëtius ſcribit, ſi locus ex quo aqua pluuia vicino nocet naturaliter talis eſt, vt

excipere aquam, & in vicini agrum defluere, & frugibus nocere possit, nimirum quia loci ingenium & natura magis quam aqua nocitura est, cessare actionem aquæ pluuiæ arcendæ verissimum est. Nec enim aliter hæc actio vicino competit, quam si manu facto opere aqua pluuia vicino nocitura sit, *d. l. 1. §. hæc autem, & §. idem aiunt, & §. huic etiam, & §. in summa*, nisi si quid agri colendi causa fiat, non animo nocendi vicino, vel etiam nisi id fiat sciente & patiente vicino, vt *l. Labeo, eod.* Qua ratione maxime fretus Tisiæ nomine Demosthenes contendit ob causam facti operis agri sepiendi gratia sciente & tacente vicino se ei non teneri actione in factum, quæ Athenien-
B sium lege constituta erat in minas x. in orat. περὶ κακλικλείας. De sulcis aquariis pugna videtur fuisse, qui eos facit in suo, si paret futurum, vt ex eo opere vicino aqua pluuia noceat, quæ est formula actionis aquæ pluuiæ arcendæ, *l. vicinus, eod.* vicino teneatur necne. Nam *l. 1. §. sulcos*, eum teneri ait, superiores autem quodammodo non teneri. At §. *sulcos*, non de quibuslibet sulcis hoc ait, quos quis faciat agri sui colendi causa, sed de his tantum qui ἕλικες appellantur, quod scilicet flexuosi, volubiles, & transuersi sint, vt loquitur *d. l. vicinus*, nec fiant alia fini, quam vicini agri petendi causa: his plane contrarij quos *d. l. 1. §. Ophilius*, directos vocat, qui recta pergunt in vicini agrum. Directos qui faciunt non male dixeris τέμνειν ἄρουραν, qui tortos & transuersos ὑποτέμνειν, vt
C in *l. 5. arb. furt. cæs.* Aliud est τέμνειν δένδρα, aliud ὑποτέμνειν. Itemque aliud est, τέμνειν δέρματα, quod fit recta incisione, aliud ὑποτέμνειν, quod fit reflexa dolo malo, vt corium crassius videatur.

CAP. XXV.

Ad tertium caput legis Aquiliæ.

TErtij capitis legis Aquiliæ hęc verba, Si quis alteri damnum faxit, quod vsserit, fregerit, ruperit iniuria, *l. 27. §. tertio, ad legem Aquil.* non ita excipienda sunt, ac si ruptum etiam non sit quod fractũ vel vstum est, sed quod vt Vlp. ait, in §. *inquit*, solent auctores legum, & alij plerique omnes specia-
D liter quibusdam enumeratis generale verbum subiicere quo specialia complectantur, quod est Græcis, ἐν τῷ ἰδικῷ τὸ γενικὸν ἐπάγειν, quem tamen ordinem verborum non seruat Pomponius in *l. 70. ad S.C. Trebell.* Imo longe diuersum, ἀπὸ γενικοῦ ἐπὶ τὸ κῦρ εἶδος transitum faciens, hoc modo ruperit, vel fregerit, vel vsserit, & ad hoc ipsum sane legis Aquiliæ respiciens caput vt Tertullianus *lib. de Virg. vel.* aliquando, inquit, generali subiici speciale, quia prius est. Porro verbum *ruperit* fere omnes veteres sic intellexisse ait Vlpianus, corruperit. qui & in *l qui tabulas*,
E §. *vltim. de furt.* rupisse videri eum qui corrupit. Veteres autem vocat interpretes XII. tabul. qua parte scilic. de damno iniuria dato loquuntur. Nam & huic rei fuit XII. tab. sancita certa pœna, *l. 1. ad legem Aquil. l. pen. si fam. furt. fec. dic. l. 56. de oblig. & act.* vsurpato etiam simili verbo *rupitias* scilicet pro damnum dederis, rupitiat & rupiat pro damnum dederit, vt subrupiat pro subripuerit, quomodo legerim libenter in *l. 9 de pec. leg.* Quid interest conseruum vulneret, an scindat aliquid, vel frangat, vel subrupiat. Nam & sic Arnobius orator II. *aduersus nationes*, Argumenta non desunt quibus & sua decreta confirment, & aliorum subrupiant (sic in vet. lib. legi) & labefaciant scita. & vetus lex Attinia, quod subruptum erit, eius rei æterna auctoritas esto. Adiicit idem Vlpianus in §. *cum eo*, vinum effusum, vel acetum factum, vel conspurcatum etiam rupti appellatione contineri, & vinum spurcum non aliter dicit, quam spurcam aquam in *l. 3. de aq. plu. arcend.* Ergo non id tantum quod aquæ colluuione infuscatum est, vt Plautus loquitur, sed etiam vt ait Labeo, quod igne tactum est, quod mustum, nondum deferuefactum est, cuive defrutum iniectum est, dicito generaliter, vel quodcunque aliud spurcum, vel κόπρον, vt est in Basilicis, & quodcumque aliud σαπρὸν, vt interpres ait Aristophanis *in Pluto*, cuius verba ipsa extant apud Sudam tantum quod corrupte in eo scriptum est, κατηλικῶς ἀντὶ τοῦ πανηγερικῶς, pro πανουργικῶς. Et quem
B præterea adducit locum Sudas, οἱ κάπηλοι ὑμῶν δολοῦσι τὸν οἶνον, is ex interpretatione LXX. videtur esse in Esaiam, *c.* 1.

CAP. XXVI.

Ad l. 52. §. si quis, de furt.

CVr in *l. 52. §. si quis, de furt.* maluit Vlpianus dicere τῆ γονῆς χάριν, quam radicis, vt vulgo loquimur, vel seminij causa, vel vt Iustinus loquitur, ad genus faciendum, non dico fœturæ causa, quia nec fœtura eo nomine significatur? An quia τῆ γονῆς nomini pudor adest, quo proprie significatur virus genitale, ἀπὸ τοῦ σπέρματος ῥόος, vt cum dicunt, κοινοῦσθαι πρὸς τὴν τῆς γονῆς ἐκκρίσιν. & Herodotus *de vi Indorum*, ἡ γονὴ αὐτῶν, ἐπὰν ἐπίωσι ἐς τὰς γυναῖκας, &c. Et Lucianus *in amor.* τὸ θῆλυ γονῆς πρόχειον. In specie autem illius §. si quis asinum vel equum meum coëgerit & in equas suas διὰ γονῆς, vt est in Basilicis, admiserit: Vlpian. ait furti eum non teneri, nisi furandi quoque animum habuerit, & Hagiotheodoretus notat rectissime furandi animum habuisse videri eum qui toto admissuræ idoneo tempore equum vel asinum alienum detinuit, equum puta generosum ab æquinoctio verno ad solstitium, asinum à solstitio ad æquinoctium autumnale, ita vt dominus non potuerit & ipse ei subiicere equas suas, nec aliud hoc casu furti facti argumentum quęrendum esse. Sin vero intra admissuræ tempus equum domino vel asinum reddiderit, quo se in hanc
D rem vti non inuito domino iusta ratione motus, vt *l. 76. eod. tit.* existimauerat, ita vt domino sit in integro etiam eum equabus suis subiicere. ὥστε, φησὶ, τὸ ὀπηδεὶς χαμαὶ ἐπὶ ἐνδαχθλευομένῃ ἡμιόνῳ ἐπιβῆναι ἢ ἀλλοτρείων θηλέων, nec ex ea re quidquam damni dominus sentiat, hoc casu neque furti actione domino tenetur, quia furandi animum non habuit. Certe nec in factum, quia ea res domino nihil attulit damni: Si quid enim attulerit, equo forte in coitu defecto parte virium, aut mortuo, profecto in factum actio non denegabitur, furti denegabitur, διὰ τὴν ὑπόληψιν, ἣν ἐλπίδα τῆς ἀποδείξεως ἴσως εἶχε, propter existimationem & E spem quam habuit non integratam eam rem domino fore.

CAP. XXVII.

Ad l. 132. & 134. de verborum significat.

QVę in *titulo de verborum significat. l. 132.* attribuitur *l. 3. Pauli ad legem Iuliam & Papiam*, eam puto non ex tertio esse, sed ex secundo, sicut *l.* 134. Alioquin Tribonianus perturbasset ordinem librorum, quem vbique alias custodite seruat, prę ferens semper priores libros Iurisconsultorum, aut quæ ex eis excerpsit posterioribus. Et hoc quoque suadet ipsa de anniculo facto vel amisso tractatio definitiove huiusmodi, vt non statim qui natus est, & factus anniculus

videatur, sed extremo demum die reuoluentis se anni, non expleto quidem, sed & inchoato, quia vt Paulus ait annum ciuiliter non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus. Ad quem locum quod adnotat Accursius ciuiliter, id est, secundum consuetudinem loquendi, maxime probo, quasi scilicet id ita Paulus scripserit πρὸς χρῆσιν, vt Aristoteles loquitur 3. Politic. cum scribit de definitione ciuis à quibusdam conficta πολιτικῶς, vt ait, ἢ ταχέως, vel παχέως. & interpres Aristophanis Acharneidas πολιτικῶς dici libros Acharnensium. Nam & idem Paulus pari ratione subiicit, ex vsu loquendi, nimirum anniculum amitti eum qui extremo anni die moritur, non qui extremo momento anni, sed qui extremo anni die, etiam incipiente, puta necdum exacto, quia totus dies extremus computatur, *l. 6. & 7. de vsurpat. & vsucap.* Ita vt quod toto illo die ciuiliter computato contigerit, quacumque ex XXIV. hora, pro eo habeatur, ac si illius diei extremo momento contigisset. Et recte igitur Censorinus diem eundem habere natalem eos qui in his XXIV. horis à media nocte ad proximam mediam noctem nascuntur. Addit Paulus & ratione eadem hoc sermone ante diem X. Kalendarum non significari diem vndecimum, sed decimum tantum qui πολιτικῶς siue more Romano, vt item ait *l. more, de feriis*, ante lucem decimam incipit à media nocte, diem pro luce, vt *l. 2. de verborum significat.* Ante diem igitur decimum Kalendarum .i. ante lucem decimam, sicut *l. 13. de verbor. oblig.* Ante Kalendas proximas .i. antequam illuxerint Kalendæ proximæ, die ipso Kalendarum scilicet inito à media nocte ante solis ortum. Hoc item sermone, Post diem decimam Kalendarum, non significari dies vndecim, sed decimum, vel qui post lucem decimam sequentis noctis media parte finitur, vel qui postquam cœpit dies decimus à media nocte, sequenti quoque desinit media nocte: qua ratione fere & in Euangelio post tres dies siue post tertium diem, non est die quarto, sed tertio, qui scilicet more Romano à media parte noctis insequentis diem secundum incipit, & quo ineunte Dominus & Sospitator noster IESVS CHRISTVS ex sepulchro resurrexit: Quo nomine & omnibus annis renouans tanti beneficij memoriam populus Christianus in ecclesia solebat olim die secundo, veluti dominum & salutis humanæ Deum expectans orare & peruigilare in mediam vsque noctem, ac tum quasi cœpta iam tertia die dominoque reuerso acclamare, Dominus venit. Sic etiam his verbis, post duos dies, ibidem non tres, sed duo tantum dies significantur, vnus expletus, alter inchoatus, vt post duos dies sit, postquam venerit secundus dies, sicut post tres dies, postquam venerit tertius dies.

CAP. XXVIII.

Cautio iudicialis de persequendo seruo qui est in fuga.

CAutionis de requirendo, persequendo, reducendo homine qui est in fuga, quam is vnde petitur, petitori cauere debet, vel de restituenda æstimatione, fit mentio *in tit. de diuis. stipul. 3. lib. Instit.* vbi Theophilus, quo ex Græcis talis tamque eruditus interpres nemo, exemplum apponit ex *l. 21. de rei vindic.* de seruo qui cum per iudicem peteretur à bonæ fidei possessore sine culpa eius fugit post litem contestatam & vsucaptus est ab eodem possessore ante rem iudicatam, quo casu absolui possessorem oportet, si modo petitori cesserit actionibus suis, puta in rem & ad exhibendum, & fructus eius temporis quo possidet restituerit, vel vt idem Theophilus adiicit, petitori cauerit de seruo persequendo, & tradendo petitori, vel æstimatione eius, quia etsi eum vsuceperit, tamen actori restituere & tradere debet, quod verum sit tempore litis contestatæ eum hominem actoris fuisse, *l. 18. eod. tit.* has vero conditiones imponi absolutioni possessoris ideo Theophilus eleganter ait, ne sit petitori prorsus inanis & inutilis actio in rem, ἵνα μήπως ἀνόνητος γένηται δίκη. Sic scribendum, vt apud Iosephum *in vita sua*, ἄχους ἀνονήτους, agros infructuosos, & Euripidem *in Hippolyto coronato*, ὦ πάλαιν' ἀμῆτερ, ἔτεκες ἀνόνητον, eundemque *in Theseo*, atque Aristophanem *in Vespis*, ἀνόνητον ἄχθος. Hoc vero de cautione illa persequendi serui, quod addidit Theophilus ad priorem partem dict. *l. 21.* etiam ex contrario posterior pars eiusdē legis satis indicat, dum ait, possessorem, si seruum nondum vsuceperit absoluendum esse sine cautione supradicta de persequenda ea re, & confirmat *l. 21. §. vltimo, de euict.* Cæterum ratione eadem, ne scilicet actio prorsus ἀνόνητος sit, cauere reum debere de ea re restituenda, si quandoque in potestatem suam redierit, vt *l. 22. eod. l. Celsus, §. vlt. ad exhib.* Et eam rem dicit, vt *l. cum seruus, de legat. 1.* pro homine petito, sicut eam rem, pro naue, *l. interdum, qui pot. in pig. hab.* & pro professione, *l. qui res, de solut.* & Varro, *de re rust.* pro mellario.

CAP. XXIX.

Ad l. 12. de decur.

EX *l. 12. de decur.* duo potissimum notanda sunt, ædilibus ius esse fustium & flagellorum in eos tantum qui vtensilia negotiantur, & vendunt, quæ scilicet populo, tum ad cultum, tum ad victum cottidianum necessaria sunt, vt *l. 2. de mun.* Vtensilia dicit quæ Plato σκευαστὰ ξύλων καὶ λίθου. Id vero iuris etiam Athenis habuisse ἀγορανόμοις Scholiastes Aristophanis ἐν Ἀχαρνεῦσιν testatur his verbis, τὸ παλαιὸν φαγγέλαις ἔτυπτον οἱ λογισταὶ τοὺς δ' ἀγορᾶς. hos vero λογιστὰς esse ἀγορανόμους, idem notauit paulo ante, quo sensu & infra scripsit, eos qui vtensilia vendebant in foro vectigal pependisse τοῖς λογισταῖς, pro fisco scilicet, quo de vectigali est etiam in iure ciuili, *l. debet, de ædil. edict. & l. 17. de verborum significat.* Iidem etiam episcopi in minoribus ciuitatibus dicebantur, *l. vlt. de mun. & hon.* Notandum quoque est ex eadem *l. 12.* discrimen inter ictum fustium & ictum flagellorum. Ictus fustium per se solus non irrogat infamiam, *l. ictus, de his qui not. inf.* imo nec ictus flagellorum. Inhonestum tamen Callistratus in *d. l. 12.* censet esse huiusmodi negotiatores flagellorum ictibus subiectos, quæ pœna seruilis est, nō aliter in patria sua decurionatum aliumve honorem municipalē indipisci, quam si hoc suadeat penuria & paucitas eorum qui honoribus muneribusque publicis fungi debent, sicut spurios licet infames non sint, satis inhonestum esse recte dixero in ordinem decurionum allegi, sed tamen allegi, si pecunia sit ex iustis nuptiis quęsitorum hominum, *l. 3. §. spurios, eod. tit.* δι' ἔνδειαν τῶν γνησίων, vt Arist. ait 3. *Politic.* δι' ἔνδειαν ἀνδρῶν βελτιόνων, vt Plutarchus *in Bruto*, quæ tamen ratio in puberibus honores petentibus non spectatur, *l. 2. de iur. immu-*

CAP. XXX.

Effractores & expilatores.

IN *titulo de effractoribus & expilatoribus*, effractores non hi tantum dicuntur puniunturque qui effringunt carcerem publicum quo inclusi tenebantur: sed & hi qui tabernas vel ædes aut villas alienas, horreū, cellam, armarium, arcam furandi causa. Et expilatores non quidem qui expilant hereditates, de quibus est titulus, qui hunc proxime sequitur: sed qui effractis & expugnatis ædibus, tabernis, aut villis alienis inde res alienas egesserunt, vt plane vix sint quiquam effractores quin & expilatores. Sane vtrosque coniunxit *l. penult. ad legem Iuliam de vi publ.* & Suetonius dum ait, Neronem consueuisse noctu tabernulas effringere & expilare. vbi quod subiicit, Quintana domi constituta, vbi partæ & ad licitationem diuidendæ prædæ pretium adsumeretur, sic libenter emēdauerim, Quintana domi constituta vbi partitæ & ad licitationem diuenditæ prædæ pretium adsumeretur, vt illo T. Liuij loco 21. Partitis diuenditisque reliquiis prædæ. Sed expilatorum nomine etiam continentur lanarij, carinatores qui in via noctu vestimentis homines spoliant, quos etiam Aristophanes in Pluto iungit, effractariis siue τοιχωρύχοις, quasi cognatis coniunctisque. Certe pro expilatores Basilica habent, οἱ τὰς ἀνθρώπους ἐκδύοντες, quos vno verbo alij λωποδύτας. Aristophanes ἐν ὄρνισι, λωποδύτης παίσῃ ῥοπάλῳ μὲ τὸ νῶτον, καὶ ἀπήλιστε δοιμάπόν μου. Quod loco & expilationi iungit verbera, iunxeris & neces recte, vt Suetonius *supradicto loco* Neronem redeuntes à cœna verberare, & repugnantes vulnerare cloacisque demergere adsueuisse. Et ex Cinna Vlpianus in *l. 6. de rit. nupt.* maritum, noctu scilicet quo tempore noua nupta domum eius per alium deducta erat redeuntem à cœna iuxta Tyberim periisse, demersum forte in Tyberim. Solent enim vbique in ciuitatibus eiusmodi homines grassari noctu, & à cœna redeuntes obseruare, stuprare, nudare, cædere. Plautus *Sticho*, Non tu scis quam afflictentur homines noctu hic in via. Aristophanes in *eadem comœdia*, οἱ ἐντύχῃ τὶς ἥδεως τῶν βεγτῶν νύκτως Ορέστη γυμνὸς ὑπὸ πληγεὶς ὑπ' αὐτῶ πάντα τὰ ἐπιδέξια. Eo vero tempore & Senatoribus Equitibusque Romanis, à cœna scilicet redeuntibus quolibet vestitu vti, quibus interdiu nō nisi togatis in publico esse licebat ex decreto Adriani, vt Spartianus scribit. Porro cœna crepusculo vel noctu agitari solebat. Cornelius Tacitus 1. *hist.* redeuntem à cœna Othonem rapturi forent, nisi incerta noctis timuissent. Gellius 15. Euripides rediens noctu à cœna Archelai regis canibus immissis dilaceratus est. Cicero *pro Cœlio.* Vxores suas à cœna redeuntes esse attrectatas. Aristophanes σφη. Αἴσωπον ὑπὸ δείπνε βαδίζονθ' ἁπέρχε. Idem, ἐκκλ. φυλάξωσι οἱ φαυλότερεσι τὺς καλλίους ἀπόντας ὑπὸ τῶ δείπνου. Hæc addi velim ad *cap.* 31. *Obseruat.* 15.

CAP. XXXI.

Ad tit. naut. caup. stabul.

GEneri hominum qui male audiunt omnium maxime proprius titulus datur in Digestis (hi sunt nautæ, caupones, stabularij) quo sub titulo duas in eos prætor promittit actiones. Prior est in factum de recepto, vt nisi rem vel mercem quam ab his quos in nauem vel cauponam vel stabulum recipiunt, à furto & damno omni custodiendam receperint, restituant, damnentur actoribus quanti ea res est. & hoc iudicio quidem quod ad nautas attinet tenetur nauicularius, qui & exercitor nauis siue nauta per excellentiam ex suo contractu, & ex contractu magistri nauis: imo & ex contractu cuiuslibet nautę, cui modo specialiter aliquid committi iusserit. nauicularius ipse vel magister; certe & ex contractu eorum si quid fore saluum receperint qui solent in naui præponi custodiæ causa; quales sunt diætarij, quorum sub cura cubicula & cœnationes, vbi arcæ & merces deponuntur (hæ sūt quæ diætæ dicuntur in naui non minus quam in domo, vt ex Athenæi 5. intelligere licet) quales etiam, vt Vlpianus ait *l.* 1. ναυφύλακες, qui Sudæ ἄρχοντες ἐπὶ τῶν νεῶν φυλακῆς: Quia exercitor vel magister, qui diætarios vel ναυφύλακας præponit, tacite cum his contrahi permittit, atque adeo tenetur ipsa præpositione sola, siue non fecerit χειρόμβολον, siue fecerit, quod est si traditam sibi rem aut mercem statim dederit in manum custodis aut diætarij, quasi auertens à se custodię periculum, idque omne in illum transferens, & quodammodo lege prædicta, ne ipse eo nomine vectori teneatur. Vulgaris nauticorum vox est χειρόμβολον, sicut messorum χειρόβολον, id est, δράγμα, teste Moschopulo in libro περὶ ὀρθῶν. Ex contractu vero nautarū cęterorum, remigum puta, vel mesonautarum, exercitor non tenetur. Nec enim debet, inquit Pomponius, per remigem aut mesonautam obligari. Tres sunt remigum gradus, θαλαμῖῃ, θρανῖῃ, ζυγῖῃ vel ζευγῖῃ. Et hi scilicet in medio remos agunt ac sunt mesonautæ, meo iudicio. generi enim Pomponius subiicit speciem cum ait, remigem aut mesonautam, aut certe superiori & inferiori remigi adiungit etiam medium. Non probo quod alij mesonautas esse ναυτοπηδάτας, non puod alij mediastinorum similes qui cauponæ vel stabulo deseruiunt. Mediastini sunt, mediastini status homines, vt Iulianus loquitur *Nouel.* 89. veluti atriarij, focarij, *d. l.* 1. §. *caupones*, qui ad focum adferunt ligna, qui de balneis prunas, qui cibum coquunt, qui balnea curant dominis, funduntaquam, lauant, reungunt, distringunt & expoliunt corpora dominorum. Quamobrem & θερμῶ dicuntur & balneatores, aut certe plurimum, maxime apud Iulium Firmicum balneatoribus coniunguntur, qui 8. 25. 29. 31. Homines, inquit, faciet balneatores mediastinos & aquarum ministros. Horum igitur non est artificium certum, sed ministeriū, *l. vlt. de opor. serv.* quod tantum abest vt sit vile, vt honorificum plerumque habeatur in ministerio esse domini, *l.* 51. *de man. test.* Basil. pro mediastini habent, οἱ μέσῳ ὑπηρεσίαν ἐπιτελοῦντες. Ab his vero longe diuersi mediastini. Cæterum posterior illius tituli actio est etiā quasi ex maleficio pœnalis in duplum aduersus nautas, caupones, stabularios ad legis Aquiliæ vel furti actionis exemplum, de damno iniuria dato aut furto quod in naui, caupona, stabulo, vectoribus, aut viatoribus fecerunt hi quorum opera nauem, cauponam, stabulum exercuerunt, siue liberi fuerint, siue serui alieni, quia periculo suo eorum opera vtuntur. Et non solum si nautæ id fecerint, sed & si nautæ qui erant simul & mercatores, vel nautæ & vectores, vt qui pro vectura remos agebant, quos ναυτοπηδάτας vocat *l. vltima*, recte, non ναυβάτας. Hi enim aut vectores sunt aut nautæ, non nautę vectores. Ideo autem vectorem siue ὑπηβάτην separat à mercatore, quia possit quis esse nauta & vector, nec tamen esse mercator. Quamobrem & in leg. Rhodia *cap.* 11. ἔμποροι separantur ὑπὸ τῶν ὑπηβατῶν. Et ex generibus quidem venditorum quæ sunt quinque, αὐτοπώλης, κάπηλος, ἔμπορος, παλιγκάπηλος, μεταβολεὺς, proprie dicitur ἔμπορος & illo quoque vt puto loco mercator, qui mari & peregre facit mercaturam, vt apud Homerum sępe

aliena

aliena vectus naue, ὅτι πε πόρ. ἀπ' ἔστι ἡ πορείας, quo nomine iter maritimum significatur. Et quod ad furti quidem causam attinet de eo quæ datur actio in factum præcipue exponitur in *titulo fur. aduersus naut. caupon. stabul.* De damno vero iniuria dato in *l. vlt. naut. caupon. stabul.* Et de vtroque, ideo suo cuique proprio titulo seorsum à generali de furtis & de lege Aquilia: quia longe grauiores ex sunt de furto & damno in factum actiones, hoc est, furti & damni iniuria vtiles actiones quæ ex facto alieno in eos dantur quorum nulla iniuria, nullum maleficium est, illæ quæ in generali titulo ex facto proprio.

De interruptione præscriptionis.

CAP. XXXII.

INterruptio præscriptionis cuiusque temporalis quæ ab Harmenopulo definitur, τομὴ ἢ διακοπὴ, διὰ τὸ μὴ ἐᾶν ἀεὶ ἡμεῖσθαι τοὺς χρόνους καὶ συνέχειν ἢ εἰς τὸν ὡρισμένον συμπλῆσαι ποσότητα, ἀλλὰ πέμπειν ἢ διακόπτειν αὐτοὺς, ἢ τῷ ἀεὶ ἡμᾶ τόπον διδόναι ἄλλῳ ἀρχῶ, ab effectu finita re, finito etiam nomine. Ea, inquam, fit variis modis, vt puta conuentione viatoris quæ fiat aduersario ad iudicem ordinarium, vel compromissarium, *l. pennl. in fin. C. de recep. arbit. l. sicut. l. cum notissimi. C. de præscrip. 30. ann. l. vlt. C. de ann. except.* vel si non extat qui conueniatur testatione habita apud præsidem prouinciæ, vel locorum episcopum, vel defensorem ciuitatis, vel quæ publice proponatur, *l. 2. D. de naut. fœn. l. 2. C. de ann. excep.* Conuentio sola sufficit & testatio sola, etiam si libellus nullus conuentionis vel testationis interuenerit: Nam & conuentio, vel testatio sola pro litis contestatione cedit, *d. leg. 2. de naut. fœn. l. 33. de oblig & act.* ac multo magis conuentionis & testationis libellus. Non est autem dubium litis contestatione interpellari temporis præscriptionem. Est & aliud genus interrumpendæ actionis personalis & hypothecariæ si debitor agnouerit se debere, emissa cautione noua. *l. cum notissimi, §. sed & si quis, C. de præscript. 30. ann* quam ibi βασιλικῶν auctores translatione ducta à re militari δίκτεσιν γνωσιμαχικὴν ἀποδόσεων vocant, vt in *l. laudabile. C. de aduers. diuers. iudic.* τὰς πράξεις τῶν γνωσιμαχησάντων, id est, acta de his habita qui agnoscunt debitum vel causam quæ ingeritur oblata cautione noua, atque ita bonam fidem agnoscunt, & aduersario contentione omni cedunt. Constat etiam præscriptionem interrumpi solutione partis. *l. vltima, Cod. de duob. reis.* itemque medio tempore sine vi à creditore, prehensa possessione hypothecæ. Nam & hæc medij temporis possessio litis contestationem imitatur, vt ait *d. leg. cum notissimi, §. imo & illud.* Cui & similiter vtique sine dubio comparaueris recte solutionem partis & γνωσιμαχίαν. Et in summa recte diexris litis contestatione tantum, vel quasi litis contestatione interrumpi temporis præscriptionem omnem.

De fœderatis & liberis populis ad leg. 7. de capt. & postl.

CAP. XXXIII.

